


N. 1.

BARBARORUM LEGES ANTIQUÆ

CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

VOLUMEN [illegible]

BARBARORUM LEGES ANTIQUÆ

CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

VOLUMEN QUARTUM.

BARBARORUM LEGES ANTIQUÆ

CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

ACCEDUNT

FORMULARUM FASCICULI

ET SELECTÆ CONSTITUTIONES MEDII ÆVI.

Collegit, plura Notis & Animadverſionibus illuſtravit, Monumentis quoque ineditis exornavit

F. PAULUS CANCIANI

Ord. Serv. B. Mariæ Virginis S. T. D.

VOLUMEN QUARTUM

Quo continentur Leges Burgundionum, & Viſigothorum, Leges in Anglia conditæ, & Lex Romana Barbaris regnantibus obſervata facile in Italia.



VENETIIS MDCCLXXXIX.

Apud { SEBASTIANUM COLETIUM, ET FRANCISCUM PITTERIUM

SUPERIORUM LICENTIA AC PRIVILEGIO.

SEBASTIANO ZENO

SENATORI AMPLISSIMO

SEBASTIANUS COLETIUS ET FRANCISCUS PITTERIUS

F.

EA est tui nominis dignitas, SEBASTIANE ZENE, Senator amplissime, is humanitatis tuæ sensus, qua erga clientelas a te acceptas constanter afficeris, ut, cum de Patrono deligendo cogitaremus, a quo protectum quartum Legum Barbaricarum Volumen in vulgus prodiret, de te uno utriusque nostrum voluntas maxime consentiret. Tu enim, cum a prima fere adolescentia bonitatis, sapientiæ, ingeniique laude floreres,

jam tum ad graviſſima Reipublicæ munera, & ad ampliſſimum Senatus ordinem brevi quidem curſu, ſed ingenti meritorum copia tibi aditum aperuiſti; in quo gradu collocatus iiſdem naturæ animique dotibus tanto clarius eluces, quanto illuſtriora virtutum & ſtudiorum ſubſidia atque ornamenta tibimet aſſidua exercitatione, & nunquam interrupto labore comparaſti. Equidem ad tuam dignitatem extollendam non deerant nobiliſſima Majorum tuorum monumenta, qui ab antiquiſſimis Reipublicæ temporibus Zenam gentem belli paciſque artibus decorarunt; ex quibus unus te proxime attingit, illiuſque amplitudini, ſi non ejuſdem purpuræ ſplendore, doctrinæ certe, ſcientiarumque omnium gloria propius accedis: nimirum is eſt Baptiſta Zenus in tua ortus familia, vir bonus, & prudens, & doctus, Reipublicæ Venetæ eximium decus, ſacri Cardinalium Collegii ſplendidum lumen, Chriſtianæ Religionis firmiſſimum columen. Quis vero neget te hujus virtutes, ac ſtudia enixe æmulari, eique non tam ſanguinis cognatione, quam ingenii ſimilitudine arctiſſime conjungi? Etenim ille omnium ſui ævi Scriptorum teſtimonio celebris, in primis Angeli Gabrielii, & Franciſci Piſani facunda oratione, nihil ſibi carius, nihil utilius, nihil duxit nobilius, quam ut ſuum, aliorumque ingenium diſciplinis Philoſophiæ, ſcientiiſque gravioribus ac literis excoleret; quod docti atque præclari viri teſtantur, quibus ille maxime delectatus eſt, quoſque ſemper habuit ſecum, juvit, fovit, erexit, atque honeſtavit; teſtatur & locupletiſſima Scriptorum Græcorum ac Latinorum Bibliotheca a ſe magnis impenſis comparata, & ad ſui memoriam poſteris olim publico beneficio legata. At eodem tu quoque incenſus ardore quid melius, quid præſtantius tibi eſſe voluiſti, niſi ut copioſiſſima ac pretioſa librorum ſupellectile avitas ædes inſtrueres, atque locupletares, in iis acquirendis munificos ſane ſumptus effunderes, iiſdemque diu noctuque volvendis continuas horas, & tempus omne impenderes, quod tibi liberum reliquiſſent maximæ de re publica, providæ de privata curæ? Nemo ſane

ne ſtudiorum tuorum in Græcis Latiniſque literis labores comprehendere animo poteſt, nemo ſatis admirari, nemo, qua laude digni ſint, quo fructu pleni, qua utilitate uberrimi, apte judicare. Hinc nullus fortaſſe de hujus Operis natura, ratione, atque uſu verius æquiuſve judicium tulerit, quam is, qui ad Rempublicam gerendam, atque adminiſtrandam natus juris inprimis, ac legum ſollerti & acuta indagatione in iis rerum publicarum, in iis Magiſtratuum, in iis humanæ ſocietatis, in iis civilis commodi temperationem, formam, præſidia, decora, adjumenta conſtituit; qui antiquarum rerum, & morum, & gentium ſtudioſa eruditione imbutus inde noſſe facile queat, quo ſtudio conſenſuque auctores legum condendarum homines communem ubique utilitatem, & recte vivendi uſum ſibi propoſuerint, licet diverſa quiſque ratione pro varia locorum, ac temporum & nationum indole, atque natura; quique ingenio cuncta complexus in tanto civilis juris diſcrimine, quo populi nationeſque, quamvis barbaræ, temperantur, ſummam ac pœne incredibilem humanarum legum omnium cum divina illa & æterna, quæ cuique homini indita eſt, veri rectique & honeſti lege conſenſionem clare inſpiciat, apte diſcernat, & cum delectatione admiretur. Sane Burgundionum, Wiſigothorum, & Anglo-Saxonum Leges, quas tibi hoc Volumine comprehenſas dedicamus, ut rarum antiqui juris monumentum, illuſtre etiam juſtitiæ æquitatiſque ſpecimen præ ſe ferunt; &, licet pro captu atque ingenio illarum gentium conſtitutæ fuerint, licet plura ab uſu & conſuetudine aliarum, ſive quæ præceſſerant, ſive quæ poſtea ſubſecutæ ſunt, ætatum, præcipue noſtræ, quam maxime diſtent, & ſæpe abhorreant, quis neget, ſi bene cognitæ fuerint, atque perſpectæ, non parum laudis ſuis conditoribus, nec parum voluptatis & utilitatis noſtris hominibus eſſe addituras? Nec noſtrum eſt, de toto hoc Opere judicium ferre, illiuſque utilitate ac præſtantia, quas eruditi doctique Auctoris ſagax ingenium, ſollers inquiſitio, ſapiens delectus maxime commendat; id tamen certum, nedum ad uſum,

ad

ad ornamentum quoque totius Collectionis accedere, quod Tomi ſinguli novum aliquod, nec publicis unquam vulgatum typis Legum antiquarum Codicem exhibeant, cujus novitate æque Juriſconſultorum curioſitas, atque hominum literatorum guſtus commovetur. Idcirco & hic, qui tuus eſt tuo inſcriptus nomine, perrarum ſane ac pervetuſtum continet Codicem juridicialem e Tabulario Eccleſiæ Metropolitanæ Utinenſis, ubi latebat, extractum; & Legis quidem Romanæ titulum habet; ſed Juris Juſtinianæi, non integri tamen, copioſam Epitomen, & Theodoſiani interpretationes complectitur; quo jure uterentur ii, qui, Barbaris rerum potitis in Italia, priſcarum legum inſtituta, ſeu illarum quandam quaſi ſpeciem retinebant. Plura de hoc diſſerit Auctor Collectionis, quæ utilia, quæque lectu etiam delectabilia tuo probabuntur judicio; verum id etiam tuæ eruditioni multo gratius eveniet, quod Codex Langobardici regni ætatem æquet, quodque Provinciæ Forojulienſi uſui fuiſſe videatur; quæ tuæ juſtitiæ, prudentiæ, humanitatis, cum illi Prætorio jure, ac poteſtate præeſſes, adhuc memoriam colit, & inviolate conſervat. Sed ut eo regrediamur, unde ſumus digreſſi, Tu igitur, tu inter pauciſſimos unus & cum voluptate hoc Opus excipere potes, & cum ingenii maturitate diſcernere, illiuſque æque frui ac delectari & eruditione & fructu: tu, inquam, ita natus & altus, ita natura, ſtudio, & mira quadam, ac prope ſingulari mentis vi comparatus atque inſtructus, ut ad præclara quæque obeunda non tam tua te nobilitas generis, quam ſapiens animi, morumque temperatio eveheret; qui, in optima Republica illuſtres atque ſenatorios Magiſtratus cum ſuſtineas, intelligis ſane civitatis perſonam tibi eſſe gerendam, nihilque ad illorum dignitatem decuſque magis conducere, quam ſervare leges, jura deſcribere, eaque fidei tuæ ita commiſſa memineris, ut imperandi prohibendique ſapientia & legum conſervationi, & Reipublicæ libertati, & communi cujuſque bono proſpicias; qui demum in hoc ſanctiſſimum graviſſimumque Decemvirum Conſilium jam diu cooptatus

unum

unum id tibi propositum statumque esse voluisti, ut ne a legibus, quarum illud custos est integerrimus, unquam discederes; quippe sapientissime reris, publicæ & vinculum dignitatis & fundamentum libertatis in iis esse constitutum. In quo parem laudem cum doctissimis viris es assecutus, qui e Zena Gente admirabili juris civilis scientia, nec minori ad respondendum, ad agendum, ad cavendum peritia publice ac privatim, in patria, & apud exteras civitates claruerunt. Nam, ne omnes commemoremus, quantus hac gloria, & quam celebris extitit Jacobus Zenus Episcopus Feltrensis, cujus domus legum ac juris universi sedes & oraculum esse visa fuit? Quis vero aut Andrea præstantior bis a Bononiensi Senatu Prætor expetitus propter singularem juris civilis intelligentiam? aut Petro illustrior, qui eundem Magistratum, Patavinis quater ultro poscentibus, toties apud eosdem sanctissime gessit? aut Marino celebrior, quem Patavium, Vicetia, Verona integerrimum in legibus interpretandis æquitate, in explicandis scientia ingeniosissimum Prætorem sibi sponte delectum admiratæ sunt? quos inter perfecta juris legumque sapientia, atque omni prudentiæ genere certe præstitit Rainerius is, qui, Bononiæ bis, semel Veronæ, Firmi, Placentiæ cum urbanam Præturam administrasset probatissimam in jure, gravissimam in splendore, ornatissimam in publicis præsidii decorisque sumptibus, inde ad summam Reipublicæ dignitatem iisdem virtutis, doctrinæ, atque juridicialis scientiæ gradibus ascendit; cujus prima laus est, eique peculiaris & summa, quod Venetam urbem navigandi studio, tum navali militia, maritimisque negotiationibus & quæstibus in primis claram, nautico jure, & nauticis legibus ipse primus instruxit, atque ita ordinavit, ut res omnes nauticas validius munierit, copiosius auxerit, nobilius exornaverit. Jure igitur meritoque, tum communis officii ratione adducti, tum nostro quodam instinctu, & singulari animi propensione impulsi tibi, Vir præstantissime, hunc Legum Barbaricarum Tomum dicamus, offerimusque; utque ea, qua soles,

hu-

humanitate pateris; eumdem tuo nomine inſcriptum ornatumque in lucem publicam exire, ita velis, oramus, & Tomum ipſum, & nos tibi obſequentiſſimos tui præſidii, tuæque tutelæ munere impertire.



CON-

CONSPECTUS

HUJUS QUARTI VOLUMINIS.

TA-

TABULÆ IN ÆRE INCISÆ.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Gio. Tommaso Mascheroni* Inquisitor General del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato, *Canciani Barbarorum Leges Tomus IV. Stampato, e Ms.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e Buoni Costumi, concediamo Licenza a *Niccolò Coleti* Stampator *di Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 28. Giugno 1786.

(Andrea Querini Rif.
(Piero Barbarigo Rif.
(

Registrato in Libro a Carte 194. al Num. 1774.

Giuseppe Gradenigo Segr.

Adi 12. Settembre 1786.

Registrato a Carte 137. nel Libro esistente nel Magistrato degl'Illustr. ed Eccell. Signori Esecutori contro la Bestemmia.

Giannantonio Maria Cossali Nod.

LEX

LEX
BURGUNDIONUM
NUNCUPATA GUNDEBADA
CUM NOTIS COLLECTORIS.

ADDITUR

CAPITULARE CAROLI MAGNI
DE JUSTITIIS FACIENDIS

EX LEGE SALICA, ROMANA, ET GUNDEBADA.

IN LEGEM
BURGUNDIONUM
MONITUM COLLECTORIS.

SEcundo, & tertio Collectionis nostræ Volumine edidimus Leges sub Francis Regibus scriptas; nunc ad alias transeundum est. Et primum quidem Burgundionum Codicem trado concinnatum, antequam Burgundica gens sub Francorum sceptro redacta fuisset.

Codex Burgundicus (qui a primo ejus conditore Gundebaldo Rege usque ab antiquo *Lex Gundebada* appellatus est) ex legibus constat, quæ non omnes uno in loco, aut uno in tempore latæ sunt. Ut enim de evidentissimis tantum loquar, lex Titulo XLII. descripta data est *Ambariaco in Colloquio sub die III. Non. Septembris, Abieno V. C. Consule*. Et quæ Titulo XLV. occurrit, condita fuit *sub die V. Kal. Junias Lugduni, Abieno V. C. Consule*. Quæ epochæ referuntur vel ad Consulatum Rufii Magni Fausti Avieni, hoc est ad annum DI., vel ad Consulatum Flavii Avieni, ad annum scilicet DII.: hisque exprimitur primus, vel secundus annus, ex quo Gundebaldus Burgundionum monarchiam plene affecutus erat.

Sed & alia ex legitur Titulo LII. data *sub die IV. Kal. Aprilis, Agapito Consule*, hoc est anno DXVII; post ipsum defunctum Gundebaldum, qui ex Marii Aventicensis Chronico mortem obiverat præcedente anno DXVI., Consule Petro. Pagius (1) quidem ex hac ipsa lege corrigit Marium his verbis: *Marius Aventicensis*, Petro Consule, *anno scilicet DXVI. scribit*: Hoc Consule Rex Gundobagaudus obiit, & levatus est filius ejus Sigismundus. *Marium recentiores Chronologi secuti sunt; verum constat ex Lege LII. Codicis Burgundici*, de mulieribus desponsatis, *quæ dicitur data* IV. Kal. Aprilis, Agapito Consule, *Gundabodum Burgundionum Regem vixisse usque ad annum DXVII., quo Agapitus fastis nomen dedit; mortuum autem oportet ante mensem Septembrem illius anni, quo mox videbimus Sigismundum Concilium Epaunense celebrasse, ipso scilicet Regni sui exordio.*

Hæc vir doctissimus, qui indubium habuit præfatam legem LII. & generatim Burgundicum Codicem, prout nunc extat, Gundebaldo esse tribuendum. Indubium, inquam, habuit, quod cæteroquin verti potest in dubium; prout in notis ad Prologum animadvertam. Quare non est, quod Marii Chronico hac in parte fides detrahatur; quin imo vice versa ex laudata lege LII. cum ipso Chronico comparata adversa firmatur opinio ejus, qui putet, extantem Codicem non Gundebaldo, sed S. Sigismundo regnante concinnatum fuisse.

Probabilius itaque censendum reor, Burgundiones quidem primitus aliquem habuisse scriptarum legum complexum Gundebaldi tempore conditum; sed illum subinde recognitum, legibus auctum, & quadam legali forma, prout nunc visitur, digestum fuisse tempore Sigismundi.

Hujusce porro libri cum libro Responsorum Papiani convenientia observatu dignissima est. Etenim si Titulorum utriusque Codicis rubricas inter se conferas, animadvertes eos utrobique eadem fere serie esse dispositos, imo haud semel in verbis ipsis ad invicem convenire; excepto quod in Burgundica Lege plures interspersi legantur Tituli, qui apud Papianum desiderantur. Adde, Titulos I. & XIX. Additamenti primi Burgundicæ Legis expresse adeo referre

---

(1) Pagii Crit. ad annum DIX.

Titulum XVIII., & partem Tituli XLIII. Responsorum Papiani, ut ullo procul dubio alter ab altero exemplatus fuerit. Animadvertes insuper, Titulum X. Legis Burgundionum, & Titulum II. Responsorum Papiani, in ordinata occisorum servorum serie describenda, atque in mulctis pro eorundem cæde solvendis haud multum inter se differre; ut quæ ibi cernuntur varietates vel sequiorum temporum immutationibus, vel amanuensium vitio facillime tribui possint.

Hæc autem suadent, celebrem Papianum Jurisconsultum Regis Burgundionum ministerio addictum extitisse, qui regia auctoritate & Burgundicas leges in digestum volumen ordinaverit, & Romanæ legis syntagma Responsorum libro tradiderit Romanis, seu Provincialibus in Burgundionum ditione degentibus: quo Responsorum libro & Rex liberaverit fidem, quam Provincialibus ipsis spoponderat, ut legitur in Prologo Burgundici Codicis; *Inter Romanos vero interdicto simili conditione venalitatis crimine, sicut a parentibus nostris statutum est, Romanis legibus præcipimus judicari: qui formam, & expositionem legum conscriptam, qualiter judicent, se noverint accepturos, ut per ignorantiam se nullus excuset.*

Haud immerito ergo opinamur, Papiani librum scriptum fuisse propter Provinciales, qui Burgundico parebant imperio. Illius tamen usus receptus fuit quoque in Francorum regno, pro Romanis seu Provincialibus, qui huc Romana lege vivebant. Non repetam, quæ in Præfatione generali hujus Collectionis Volumini primo præfixæ hac de re jam præmonui. Tantum addam, haud penitus improbabile esse, quod Theodoricus I. Franciæ Orientalis Rex eum auctoritate sua roboraverit, illique firmitatem legalis, atque authentici codicis pro populis sibi subditis Romana lege viventibus attribuerit.

Etenim Titulo II. Responsorum Papiani, ubi in vulgatis legitur: *Dominus noster Rex statuit observari;* apud quosdam habetur: *Domnus noster Theodoricus Francorum Rex* &c. Quæ si ex solida lectione scripta sunt, probant, quod sicuti Commonitorio Alarici Wisigothorum Regis Breviario Aniani præfixo subscriptum legitur nomen Caroli Magni, non quod Carolus auctor fuerit ejusdem Breviarii certo certius sub Gothis conditi, sed quod illud vel recognoverit, vel sua auctoritate pro Romanis Provincialibus Francorum regno subjectis roboraverit; ita & libro Papiani Theodorici nomen assutum sit, quod Theodoricus huic libro par robur, paremque auctoritatem in regno suo conciliaverit.

At vero perpendendum est, Theodorici nomen apud quosdam legi in ipso legis textu; apud alios scriptum esse in margine; apud alios vero plerumque omnino deesse. Quod perspicuo argumento est, antiquiore tempore nomen illud non extitisse, sed subinde primum quidem scriptum fuisse in nota interlineari, vel marginali, & postmodum exscriptorum incuria, vel arbitrio irrepsisse in textum; qua de re plurima in veteribus manuscriptis occurrunt exempla.

Itaque si ex vera traditione Theodorici nomen huc irrepsit, id evincit, Theodoricum non primum quidem conditorem libri Papiani (argumenta enim supra allata, si probe perpendantur, cordatum virum, ut opinor, in contrariam sententiam multo vehementius trahunt) sed recognitorem fuisse pro regno Francorum. Si vero additum fuit ex vana veterum credulitate, id saltem evincit, quod ad rem nostram attinet; videlicet, hoc ideo creditum fuisse, quia alicubi saltem sub Francis pro Romana lege usurpatus cernetur liber ipse Responsorum Papiani.

An Codex hic & in Italia, seu in aliqua Italiæ regione, pro Romana lege obtinuerit, certo affirmare non ausim. Id certe nil mirum esset, cum regnantibus Barbaris ejusmodi interpolata syntagmata præ ipsis Romanam legum voluminibus Italicis quoque Provinciis præplacuerint.

Longiuscule e tramite in Papiani gratiam huc usque digressi, ad Burgundicam Themidem revertamur. Haud multo post editum Burgundicum Codicem, anno ex Marii Chronico DXXXIV. (1) Burgundionum regnum exspiravit, cu-

(1) Valesius id evenisse putat anno DXXXII.

cujus pars potiffima cecidit fub fceptro Francorum. Genti autem, licet obnoxiæ Francico imperio, propria vivere lege (uti tunc moris erat) liberum fuit. Agobardus Lugdunenfis Epifcopus ad Ludovicum Imperatorem librum confcripfit adverfus Legem Gundobadam, ex quo colligimus, fuo tempore non defuiffe, qui eadem Lege regerentur. Manet adhuc Capitulare Caroli Magni anni DCCCXIII. (quod & in calce hujufce Legis fubnectam) *de juftitiis faciendis ex Lege Salica, Romana, atque Gundobada*. Et inter ejufdem Caroli Magni Capitula, quæ Langobardicis quoque Legibus adnexa funt (1), occurrit & hoc: *Ut infantes, qui fine rationabili ætate funt, non cogantur jurare, ficut Gundebada Lege viventes faciunt*.

Erant ergo fub regno Francorum, imo erant & in Italia, qui Gundebada viverent lege. Eccur non, cum apud nos & Salii, Ripuarii, Alamanni, Bajuvarii, quoad plura legalia objecta regerentur quifque fuo jure? Id autem multo ferius poft Carolum Magnum in Italia perduraffe, res eft notiffima. Et quidem fi de Burgundionibus agitur, inter formulas regni Italici fecundo Collectionis noftræ Volumine editas, adeft ea quæ infcribitur: *Traditio venditionis cum defenfione*; & altera, quæ Titulum præfert: *Traditio libertatis*; in quibus quorundam legalium rituum ad *Gundebaldos* proprie fpectantium mentio fit.

Quoniam de Burgundionum Lege nunc agimus, valde opportunum eft, ut legiferum Gundebaldum a nota peffima, quæ ei a pluribus eruditis inuritur, vindicemus, & fimul de celebri apud veteres ufitata judiciali pugna aliquantifper differamus.

Doctos viros Gundebaldum hac de re carpentes huc non exfcribam, uno Muratorio contentus, qui hæc acri calamo refert (2): *Primus, qui barbaro, ac peffimo ritui auctoritatem lege lata conciliaffe videtur, is fuit* Gundobadus Burgundionum Rex, Hæreticus Arianus, *qui inluftri Galliæ parte potitus anno Chriftianæ Epochæ DIX.* (3) *nunquam ejurato errore fuo finem vivendi fecit. Propftant ejus leges, in quibus Titulo XXXV.* (4) *ftatuit ut fi quis jusjurandum oblatum rejiciens* adverfarium fuum veritatis fiducia armis dixerit poffe convinci, pugnandi licentia non negetur. *Non is profecto Monomachiæ, tamquam judicii fub Dei oculis faciendi, inftitutor, fed tantummodo propagator dicendus.* Hæc Muratorius.

Sed, ut mihi videor, vir doctiffimus exactius dixiffet, Gundebaldum primum quidem extitiffe (quantum noffe poffumus) qui duelli legem fcripto mandaverit, non autem primum qui legem tulerit. Id autem mirum non eft perpendenti, Burgundicum Codicem maxima Barbarorum legalium Codicum parte effe antiquiorem. Profecto lex fupra allegata de duello agens data fuit *Confule Abieno*, hoc eft anno DI. vel DII. cum fcilicet quamplurima Barbarorum pars leges litteris nondum tradidiffet.

Anne ergo dicemus, Barbaros, qui poft Gundebaldum in fcriptis legibus de duellis agunt, id a Gundebaldo ipfo accepiffe, ut jura duelli legislativa auctoritate firmarent? Minime. Quin potius inferendum eft, gentes alias æque ac Burgundiones ex propriis vetuftioribus *evvis*, feu legibus non fcriptis, feu legalibus confuetudinibus hæc deprompfiffe, ut in legali codice fcriptis mandarent.

Quod fane evincit, judicialia duella quondam obtinuiffe ex communibus Barbarorum inftitutis, quæ proinde haud immerito derivata cenferi poffunt ab antiquiffimis Scythis, & Celtis, imo & ab ipfo ftatu hominis extra civilem focietatem pofiti: adeo ut civiles leges, atque fociales confuetudines proprie duella non conftituerint, fed illa potius mira prudentia & dexteritate coercuerint, atque ita direxerint, ut evaderent in jura legalia, & judicialia; ut quæ plenæ civium libertati relicta civili focietati extitiffent maxime noxia, hæc antidoto legum coercita, in gente cæteroquin libertatis avidiffima, haberentur quafi privatorum diffidiorum, atque jurgiorum ultima legalia remedia.

Adde religiofam gentium perfuafionem duella refpicientium quafi oracula, & ju-

(1) Leg. Langob. Caroli M. lege XXXIX.
(2) Murat. Antiq. Ital. Differt. XXXIX.
(3) Lege, DXVI.
(4) Lege, *Tit. XLV.*

& judicia divina, ut antonomaſtice appellarentur *judicia Dei*, ultra quæ nihil amplius de rei controverſæ juſtitia & veritate inquirendum maneret. Et hæc profecto fuit ipſius quoque Gundebaldi Regis ſententia; ut ſicut bello inter gentes, & inter regna, ita duello inter ſingulares perſonas cauſæ divino judicio committi cenſerentur. *Quid eſt* (ajebat (1) ille) *quod inter regna & gentes, & etiam inter perſonas ſæpe ſingulas dirimendæ præliis cauſæ divino judicio committuntur, & ei maxime parti, cui juſtitia competit, victoria ſuccedit?*

Hinc eſt, quod ejuſmodi duellorum veſtigia apud Europæos perſpicue cernimus ſcriptis legibus de duellis agentibus multo vetuſtiora. Livius de Hiſpanis loquens ſpectaculum quoddam exhibentibus, refert inter cætera, quod *quidam* (2) *quæ diſceptando finire nequiverant, aut noluerant, pacto inter ſe, ut victorem res ſequeretur, ferro decreverunt*. Umbrici, referente Nicolao Damaſceno (3), *cum controverſias invicem habent, arma ſumunt, & tanquam aperto Marte congrediuntur, & putantur juſtiora dicere, qui adverſarium occidunt*. Vellejus Paterculus (4) memoriæ tradidit, Germanos gratias egiſſe Varo, quod *lites Romana juſtitia finiret, & ſolita armis diſcerni*, jure terminarentur. Frotho III. Danorum Rex perantiquus, Saxone ſcribente (5), *de qualibet controverſia ferro decerni ſanxit, ſpecioſius viribus, quam verbis confligendum exiſtimans. Quod ſi alter dimicantium relato pede prænotati orbis gyrum excederet, perinde ac victus cauſæ detrimentum reciperet*. Et ut Langobardos noſtros non omittamus, id apud eos ex vetere inſtituto obtinuiſſe in lata lege Rex Liutprandus affirmat (6): *Incerti ſumus de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam ſine juſta cauſa ſuam cauſam perdere. Sed propter conſuetudinem gentis noſtræ Longobardorum legem ipſam vetare non poſſumus.*

Hæc probant, ſcriptis legibus multo eſſe antiquiora duella, de quibus agimus. Populi autem, qui in ferendis legibus ſuffragii jure gaudebant, ægre ſe expoliari paſſi ſunt ritu ex longiſſima conſuetudine, atque ex ingenito libertatis amore probato, quo in dubiis cauſis ſe & ſua tutari, & ex antiqua præventione divino potius quam humano judicio committere rati ſunt.

Non defuerunt quidem inter veteres, qui id improbarent, ut Nicolaus I. Romanus Pontifex, Avitus Viennenſis, Agobardus Lugdunenſis, Atto Vercellenſis. Sed parum adverſus tantum torrentem profuere conatus veſtri, o Sancti Patres! Quod namque de cæteris purgationum vulgarium ritibus alibi dixi (7), hic repetendum eſt. Non modo vulgi, ſed & Principum, & Eccleſiaſticorum Præſulum, & virorum doctrina & pietate præſtantium mentem adeo communis error abrepſerat, ut & ipſi ad probationem per duellum, tanquam ad ultimam, eamque omnium firmiſſimam juſtitiæ, & veritatis anchoram confugerent; atque ſupremi Imperantes in Comitiis judicialia duella vel probarent, vel etiam edicerent, juberent, præciperent (8). Ipſe Henricus I. Imperator Sanctus *atteſtatione laudis quamplurium* (9) Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Comitum, Nobilium, Vaſſallorum, Sapientium, & Judicum, leges tulit, in quibus quædam de monomachia judiciali ſancita ſunt.

Verumtamen prætereundum non eſt, populos non ſemper ubivis in legali duello armis lethiferis uſos eſſe. Inita ſiquidem duella fuiſſe deprehendimus cum baculo. Certe in Capitularibus Regum Francorum haud ſemel mentio fit duelli *cum ſcuto & fuſte* (10) ineundi.

Neque hoc credam fuiſſe peculiare Francorum Regum adinventum; nam duellorum cum baculo veſtigia quoque deprehendo in Europa Septemtrionali, ubi

---

(1) Ap. Agobard. adverſus Legem Gundob. c. 13.
(2) Livius lib. XXVIII. c. 21.
(3) Ap. Stobæum c. 53.
(4) Vellej. Paterc. lib. II.
(5) Saxo Grammat. lib. V.
(6) Leg. Langob. Liutprandi Lib. VI. lege 65.
(7) In Monito ad Leg. Franc. Orient. Tomo II. huj. collect.
(8) Conſule inter Leges Langob. Othonis II. Præf. & Leges.
(9) Conſule ibid. Henr. I. Præf. & Leges.
(10) Lib. Capitul. Reg. Franc. lib. IV. c. 23. 29. &c.

ubi barbari ritus sanctius servati sunt. Olaus Wormius de antiquis Danis loquens duella memorat etiam baculo peracta: *Erat*, inquit, (1) *& aliud monomachiæ genus, quod in capacissimo vase superne clauso peragebatur, in quo ensis loco baculo cubiti longitudine utebantur. Quo certamine Thorgisellus Orrabeinius Randidum Scotiæ pugilem superavit.* Et Saxo Grammaticus legem referens de duellis a Frothone III. supra laudato sancitam, hanc inserit clausulam: *Sin autem* (2) *quavis de re pugilem popularis impeteret, ipsum armatus exciperet, cubitali dumtaxat stipite pugnaturum.* Quæ profecto suadent non solis Francis morem monomachiæ cum baculo peragendæ notum fuisse. Quanquam ex Legibus, & ex Capitularibus sub Francis conditis colligamus, Francos hujusce moderaminis extitisse maximos promotores.

Atqui Franciæ hac de re sanctiones vel non omnes populos Francorum regno subjectos obstrinxere, vel non ab omnibus usu receptæ sunt, vel tandem in desuetudinem abiere. Alamanni, qui ex antiquo more *cum spatis* (3) judiciale duellum inire consueverant, etiam sæculo XIII. sub Germanis eundem ritum servabant, prout in Jure Provinciali Alamannico legere est. Edicitur namque, ut in monomachia *quilibet* (4) *habeat ensem nudum in manu, ac uno aut duobus ensibus cinctus sit, prout ipsis lubuerit.* Par constitutum occurrit in Speculo Saxonico (5) eodem sæculo XIII. conscripto. Et tamen Alamanni, ac Saxones Francorum Regibus olim paruerant. Quod ad Italos spectat, inter Langobardicas Leges occurrunt sanctiones Caroli M. (6), Ludovici Pii (7), & Lotharii I. (8) duella *cum fustibus* memorantes. Eundemque morem apud nos usu receptum fuisse, non unum prodit documentum. Unam allego Formulam in usum Regni Italici inter editas ex pluries laudato Codice Veronensi, quæ inscripta est: *Qualiter vidua Salicha spondetur.* In ea siquidem hæc leguntur inserta: *Tercia vero actio semper duello gaudet examinari actorem clepio & baculo preparato, ut de furto super sex solid. & deposito XX. & ultra* &c. Quod & in Italia Transtyberina, seu in Regno Siculo obtinuisse edocent Regni ipsius (9) Constitutiones, in quibus præscriptum est, *quod amodo Campiones habeant clavas æquales, non spinosas, nec cum aguzonibus, nec habentes cornua, nec ex parte fustis ad modum unguis.*

Sed non omnes in Regno Italico Langobarda lege vivebant. Qui ergo exteram profiterentur legem, atque ex lege ipsa, vel ex more lethalibus armis judicialem monomachiam inire consuescerent, anne sic & in Regno nostro duella peragerent? Sed & illis quoque, qui Langobardo regebantur jure, armis lethiferis aliquando pugnandum fuisse videtur. Audi legem Lotharii I. quam paulo supra memoravimus: *Quibuscumque per legem propter aliquam contentionem pugna fuerit judicata, præter de infidelitate, cum fustibus, & scutis pugnent, sicut in Capitulare Dominico prius constitutum est.* Hæc innuunt, ni fallor, ad baculos legalem monomachiam perstringi, causis exceptis, in quibus de perfidia ageretur, quæ ferreis armis dirimendæ forent.

Judicialium duellorum usum adhuc sæculo XIII. in Regno Italico perdurasse plura nos edocent monumenta, quæ (cum de re aperta agatur) exscribere supersedeo; referens tantum, quæ de celeberrimo Amphitheatro Veronensi scribit illustris Marchio Scipio Maphejus (10); scilicet, in ejus domestico archivio asservari Volumen Sæculi XIV, in quo continentur probationes examinibus, & testibus anno MCCLXIII. judicialiter productæ a familia *Vicecomitum* cognominata; quibus probatum fuit, ipsos *Vicecomites*, avosque eorum per ultra

(1) Worm. Monum. Dan. lib. I. c. 10.
(2) Saxo Grammat. l. 6.
(3) Consule Leg. Alaman. Tit. LXXXIV.
(4) Jus Prov. Alam. Schilt. Edit. Cap. CCCLXXXVI. n. 5.
(5) Specul. Saxon. lib. I. art. 63.
(6) Leg. Langob. Caroli M. L. LXVI.
(7) Ibidem Ludovici Pii L. III.
(8) Ibidem Lotharii I. L. XXXI.
(9) Constit. Sicul. Lib. II. Tit. XXXVII. Const. I. Edit. Lindenbr.
(10) Maffei, *Verona illustrata.*

tra retro sæculum possedisse inter cætera *introitum, & honorem arenæ occasione pugnarum judicatarum, quæ fiunt in ipsa arena*. Nonnulli ex testibus deponunt insuper, pro quacumque pugna judicata in arena peracta *Vicecomites* exegisse libras vigintiquinque Veronensis monetæ pro loco tuto reddendo; affirmantque se pluries vidisse, Vicecomites *ire ad theatrum pro custodiendo battaiam cum hominibus armatis*.


Subdit autem nobilissimus Scriptor, credibile esse, quod ob loci opportunitatem, atque tutelam, Monomachi ad pugnam ex aliis quoque regionibus ad Amphitheatrum Veronense convenirent. De quo valde dubito; cum duellum esset actus judicialis peragendus coram iis, qui ad hoc constituti forent a Judice excelsi subsellii, coram quo & pugnæ vadimonium præbendum erat. In Charta Judicum arbitrorum anno MCCII. apud nos conscripta: *Monomachia* (1) *in manu Patriarchæ* (Aquilejensis) *vadiari debet, & fieri coram Advocato, vel Nuncio ejus*. Quare multo credibilius est, judiciales ejusmodi pugnas regulariter in proprio ipsius Judicis territorio actas fuisse.

Quin & credibile est, saltem in regionibus nostris, campum tutum (quem Italice dicimus *Campo franco*) ad judiciales monomachias ineundas publica auctoritate stabiliter assignatum fuisse, cum illas in certo constituto loco initas fuisse deprehendamus. Vidimus, hasce pugnas Veronæ in Amphitheatro peractas esse; Patavii agebantur *intra stangatum*, (2) *quod juxta portam Baxanelli ordinatum erat*. In Patria nostra Forijulii, si me conjecturæ non fallunt, celebrabantur in pratis apud *Camformium*; qua de re peculiaria quædam occurrunt, quibus haud inutile erit momentum temporis donare.

Illuc ipsomet sæculo XIII. Generalia Patriæ Placita, atque Comitia celebrata quandoque fuere. In Instrumento anni MCCXXXI. (3) mentio fit Generalis Termini *apud Camformium* tunc habiti. Atque in calce ejusdem instrumenti scriptum est: *Actum in Prato de Camformio feliciter*. Et anno MCCIC. (4) *In Prato Campiformii receptus fuit Dominus Henricus Comes Goritiæ in Capitaneum Forijulii*. Porro *Camformium* (latino-barbara vox) locum pugnæ, seu duello ineundo assignatum optime denotat; nam *Kampf* pugnam significat, & pressius monomachiam (5); unde monomachi proprie *Campiones*, & *Camphiones* appellati sunt. Superest ibidem area, quam reor ipsum esse *Camformium*, quod proximo pago contulerit nomen. Quadrangularem exhibet figuram, prout etiam in Assisis Hierosolymitanis duelli campus describitur (6), at ex tribus tantum partibus clausa est, neque perfecte quadrata, sed in formam parallelogrammi rectanguli oblongi; quod mihi suspicionem ingessit, illam ex parte a villicis disjectam fuisse. Hæc autem area, seu campus id peculiare habet (quod alibi me legisse non memini) quod effossa terra excavatus sit in mactræ formam, adeo ut in illum, quasi in vas, e contigua planitie haud asper præbeatur descensus: hoc forte pulchre ostendit, quid proprie antiquitus esset in campum *descendere*. Campus ex tribus, ut dixi, partibus aggerculo clauditur ex aggesta humo confecto, in quo duo extant hiatus, quasi januæ, quibus ingressus in campum exhibetur. Immediate pone campum visitur tumulus ex terra itidem aggesta in sedilis semicircularis speciem, qui nescio an Præsidis sedes fuerit, an vero is sit colliculus ex parte disjectus: alii namque in eadem planitie supersunt ex congesta terra colliculi, quos sepulcralia veterum magnatum monumenta esse alibi ratus sum (7), & nunc aliquanto audacius repeto, cum nuper fide digno relatu audiverim, uno eleganti effosso tumulo ossa adinventa fuisse. Schema campi, & sedilis hic eruditis exhibeo.

Re-

(1) Ap. de Rubeis Monum. Eccl. Aquilejen. pag. 650.
(2) Tract. Ms. de Generatione aliquorum Civium Urbis Paduæ apud Murat. Antiq. Ital. Differt. XXXIX.
(3) Ap. de Rubeis l. c. pag. 707.
(4) Ap. eundem l. c. pag. 802.
(5) Wachter Glossar. l. c. Murat. l. c.
(6) Assis. Hierosol. S. C. cap. CXXVI. Ed. Ven.
(7) Volum. III. huj. Collect. ad Indic. Superst. & Pagan. Art. [illegible]



Redeamus, unde discessimus. Apud Italos itaque adhuc sæculo XIII. judicialium certaminum perdurabat usus; neque mirarer, si sæculo quoque sequente non penitus exolevisset, præcipue cum apud quosdam ævo illo Legis Langobardicæ, (quæ de legalibus duellis pluries agit) perduraret professio; ut erudite, ac solide ex documentis ostendit Vir Clarissimus Lucius Dolleonius (1) nunc Bellunensis Ecclesiæ Decanus.

Mirandum vero, imo lugendum est, quod in cultissima Europæ parte adhuc sæculo XVI. duella haberentur, ut jure permissa. Sane Julii Papæ II. Constitutio (2) inhibet in terris mediate, vel immediate Romanæ Ecclesiæ subjectis duella *e quacumque causa, etiam a legibus permissa*.

Ex qua Constitutione item edifcimus, Summum Pontificem maxima animi sui perturbatione accepisse, quod quidam ad diffidationes devenientes *ad temporales Principes, & Dominos, maxime civitatum, terrarum, & locorum Sedi Apostolicæ subjectorum, confugiunt, ut eis locum tutum, sive campum ad duellum, seu pugnandum assignent. Et .... Principes, & Domini præfati .... plerumque locum, aut campum tutum hujusmodi assignant &c.* Hæc agentes cohibuit Julius, cohibuere alii eodem ævo Pontifices, cohibuit Synodus Tridentina (3).

Eos autem, qui tunc rebantur duella lege permitti, ac temporales Dominos, qui monomachiæ quasi permissæ instituendæ campum tutum præbebant, respexisse plerumque arbitror ad veteres seu generales, seu provinciales Constitutiones, seu ad antiqua quarundam civitatum Statuta, in quibus ex Barbarorum jurium instituto de duellis agitur, tanquam de re permissa, seu etiam præscripta.

Exemplum præbent amplissima Comitia Regni Siculi ultra Pharum celebrata III. Kal. Jul. anno MDXXII. supplicem offerentia libellum Carolo V. Augusto Siciliæ Regi, quo petebatur, ut aboleta pragmatica quadam duella sub gravissimis pœnis in Siculo Regno inhibente, *quisque cum licentia requisita de jure, & secundum formam veterum Constitutionum Regni* duella posset inire. En libellum Sicula dialecto exaratum una cum Rescripto Imperatoris, qui non annuit postulatis (4).

Item perche in lo Regno è una pragmatica, li quali imponi ad uno che scommecti ad combactiri ad altro, di cui pretendi alcuno agravio, grandissimi peni; per li quali si deveni ad grandissimi inconvenienti, & supercbiarii; & di izo naxino morti di homini, banduli, insulti, & gravi feriti: li quali cosi si evitariano, si la dicta pragmatica fussi annullata, & revocata, & omni uno potissi satisfari lo honuri so, per modu di scommectiri, & combactiri alo adversario; & multi si ab-

(1) Dolleonii Differt. Epist. ad Formulas Regni Italici Vol. II. huj. Collect.
(2) Julii Constit. *Regis Pacifici* V. Kal. Augusti MDV. Septim. Decretal. Lib. V. Tit. XVII. cap. 1.
(3) Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 19.
(4) Capitula Regni Siciliæ edita ab Illustrissimo Francisco Testa Tom. II. pag. 57.

abstiniriano di fari injuria, & superchiaria alo so proximo, & lo injuriato si satisfaria, scommittendo lo adversario, & non li faria bisogno fari superchiaria, o in. sultu cum superchiaria, d' undi sequita majur scandalo & homicidii: per quisto lo ditto Regno supplica vostra Cesarea Majestà, che extingua, & abolixa ditta pragmatica; azoche omni uno cum la licentia, che si requedi de jure, & secundo la forma dili constitutioni antiqui dilo Regno, possa satisfari alo honuri so, cum manco inconvenienti. Brachio Ecclesiastico in hoc non consentiente, ne incurrant in aliquam irregularitatem

RESCRIPTUM IMPERATORIS.

Non convenit, quia contra jus, & bonos mores.

Erratum est autem, quod ulciscendis injuriis, atque asserendo honori peterentur jura duelli ex antiquis Regni Constitutionibus (1), quæ tantum eliciendæ in dubiis quibusdam gravioris momenti causis veritati monomachiam permittebant. Ast hunc fuisse gentium ejusce ævi vulgatum errorem innuit allegata Julii II. Constitutio, enuncians homines *plerumque minimis, & inhonestis, ac levibus verbis, ad contumelias, contentiones, & diffidationes* devenire.

Tridentini Concilii Decretum, Constitutiones Pontificum, Sanctiones Summorum Imperantium solemnia hæc, & quasi legaliter habita duella tandem antiquarunt. Sed stulti, donec orbis. Mansit, hodieque manet inter homines præcipue militiæ, aut nobilitatis honore donatos ploranda libido erga duella, seu ut aptius loquar, erga duellorum pessimas, & putridissimas fæces. Et nos qui vetera legalia duella exagitamus ut mala, vix miramur hodierna (tanta est moris vigentis abusus) quæ iniri audimus, multo pejora. Etenim veteres judicialem monomachiam instituebant sub tutamine legum, ad declarandam justitiam, ad ostendendam culpam vel innocentiam, ad jurisjurandi veritatem firmandam, uno verbo ad veritatem eliciendam in gravioribus causis, ubi præsertim de dubio facti ageretur; falso, sed bona fide credentes, se obsequium præstare Deo, ad eum veluti ad justitiæ atque innocentiæ supremum vindicem, & infallibilem veritatis assertorem, pugna mediante, recursum habentes. Hodie ultioni injuriarum, atque (ut perversa fert opinio) tuitioni honoris plerumque suscipiuntur duella, contra jura ecclesiastica atque civilia adversus monomachiam alte clamitantia, cum manifesta summæ Divinitatis offensa, atque æternæ salutis imminente periculo.

(1) V. Constit. Regni Siculi Lib. II. Tit. XXXII. XXXIII. Tomo I. huj. Collect.

LEX

L E X
BURGUNDIONUM.

CAPITULA LEGIS BURGUNDIONUM.

LXVIII.

1 Deest hic titulus apud Lindenbr.

VIR GLORIOSISSIMUS

GUNDEBALDUS

REX BURGUNDIONUM (1).

Cum de parentum, nostrisque constitutionibus, pro quiete & utilitate populi nostri impensius cogitaremus, quid potissimum de singulis caussis & titulis honestati, disciplinæ, rationi & justitiæ conveniret, coram positis optimatibus nostris universa pensavimus, & tam nostra quam eorum sententia, mansuris in ævum legibus sumpsimus statuta perscribi.

IN DEI NOMINE ANNO SECUNDO REGNI DOMNI NOSTRI GLORIOSISSIMI GUNDEBALDI REGIS (2).

LIBER CONSTITUTIONUM DE PRÆTERITIS ET PRÆSENTIBUS ATQUE IN PERPETUUM CONSERVANDIS LEGIBUS, EDITUS SUB DIE IV. KAL. APRIL. LUGDUNI.

Amore justitiæ, per quam Deus placatur, & potestas terrenæ dominationis adquiritur, ea

(1) *Burgundionum.*) Burgundiones Plinio Vandalica soboles, aliquot peractis emigrationibus, pulchram tandem Galliæ partem insedere, & circa concinnati hujusce Codicis tempora obtinebant. Pagius ad annum DIX. loquens de Concilio Epaonensi anno DXVII. Sigismundo regnante celebrato, hæc habet: *Quam late patuerit Regnum Burgundiæ colligitur ex ejusdem Concilii subscriptionibus, ubi memorantur Sedes Episcopales XXVII. scilicet* Tarantasiensis, *& Octodorensis, in Alpibus Graiis*; Ebredunensis, *in Alpibus maritimis*; Viennensis, *Gratianopolitana, Valentina, & Genevensis, in Provincia Viennensi prima; Cabellionensis, Avenionensis, Vasensis, Carpentoractensis, Arausicana, Diensis, Tricastina, & Vivarensis, in Provincia Viennensi secunda; Sistaricensis, Aptensis, & Vapincensis, in Provincia Narbonensi secunda; Lugdunensis, Matisconensis, Lingonensis, Cabilonensis, in Provincia Lugdunensi prima; Nivernensis, in Provincia Senonensi, seu Lugdunensi quarta; Vesontionensis, Aventicensis, Vindonensis, & Bellicensis, in Provincia maxima Sequanorum, sive Lugdunensi quinta.*

(2) *Gundebaldi Regis.*) Alias Ms. Lindenbrogio teste, *Sigismundi Regis*. Certe prologus se-

ea primum habito consilio comitum, procerumque nostrorum studuimus ordinare, ut integritas & æquitas judicandi [1] a se omnia præmia, vel corruptiones excludat. Omnes itaque administrantes judicia [2] secundum leges nostras, quæ communi tractatu compositæ & emendatæ sunt, inter Burgundionem & Romanum præsenti tempore judicare debebunt: ita ut nullus aliquid de causis vel judiciis [3] præmii vel commodi nomine [4] a qualibet parte speret aut præsumat accipere: sed justitiam, cujus pars meretur, obtineat, & sola sufficiat integritas judicantis. Cujus legis conditionem nobis quoque credidimus imponendam, ne ullus in quolibet caussarum genere integritatem nostram suffragiis, aut præmiis adtentare præsumat; a nobis quoque primum [5] æquitatis studio repellentes, quod a cunctis sub regno nostro judicantibus fieri prohibemus. Nec fiscus noster aliquid amplius præsumat, quam quod de sola inlatione mulctæ legibus legitur constitutum. Sciant itaque optimates, comites, consiliarii, domestici, & majores domus nostræ, cancellarii, & tam Burgundiones [6] quam Romani (1) civitatum aut pagorum comites, vel judices deputati omnes, etiam militantes, nihil se de caussis his, quæ actæ [7] aut judicatæ fuerint, aliquid accepturos, aut a litigantibus promissionis vel præmii nomine quæsituros: nec partes ad compositionem, ut aliquid vel sic accipiant, a judice compellantur. Quod si quis memoratorum corruptus contra leges nostras, aut etiam juste judicans, de caussa vel judicio præmium convictus fuerit accepisse, ad exemplum omnium probato crimine capite puniatur (2); ita ut facultatem ejus, in quo venalitas vindicatur, filiis aut legitimis heredibus suis, quæ in ipso [8] punita est, culpa non auferat [9]. Notariis sane deputatorum judicum, pro judiciorum commodis in caussis ultra decem solidos addictis, singulos tremisses censuimus posse sufficere: intra decem solidos minora commoda quæsituris. Inter Romanos vero interdicto [10] simili conditione venalitatis crimine, sicut a parentibus nostris statutum est, Romanis legibus præcipimus judicari: qui formam & expositionem legum conscriptam, qualiter judicent, se noverint accepturos, ut per [11] ignorantiam se nullus excuset. De male vero anteacto tempore judicatis prioris legis forma servabitur. Hoc etiam inserentes, ut si forte judex in corruptione accusatus convinci nulla ratione potuerit, accusator simili pœnæ subjaceat, quam judicem corruptum præcipimus sustinere. Si quid vero legibus nostris non tenetur insertum, hoc tantum ad nos referre præcipimus judicantes. Si quis sane judicum, tam Barbarus quam Romanus, per simplicitatem aut negligentiam præventus, forsitan [12] non ea, quæ leges continent, judicavit, & a corruptione alienus est, XXX. solidos Romanos se noverit inlaturum, caussa denuo discussis partibus judicanda. Illud adjicientes, ut si judices tertio [13] interpellati non judicaverint, & caussam habens interpellationem nostram crediderit expetendam, & judices suos ter se interpellasse, & non se auditum fuisse probaverit, XII. solidorum judex inlatione multabitur [14]. At si quisquam de quolibet caussæ genere omissis judicibus, hoc est, tertio, ut supra jussimus, non interpellatis, ad nos venire præsumpserit, eum illa, quam [15] in judicem differentem statuimus, mulcta constringat. Et ne forte per absentiam deputatorum judicum negotia differantur, nullam caussam absente altero judice vel Romanus comes vel Burgundio judicare præsumat, quatenus studeant, ut sæpius expetentes se de legum ordine incerti esse non possint. Constitutionis vero nostræ seriem placuit etiam adjecta comitum subscriptione firmari, ut definitio, quæ ex tractatu nostro & communi omnium voluntate conscripta est, etiam per posteros custodita perpetuæ pactionis teneat firmitatem.

1 Al. *judicando*. 2 Al. *administrantes ac judices*. 3 Al. *caussis & judiciis*.
4 Al. deest in Manuscriptis *nomine*. 5 Al. *a nobis premium*.
6 In al. MS. hæc ita leguntur: *Sciant itaque Optimates, Comites, quoque & consiliarii, & tam Burgundiones &c.*
7 In al. MS. *deputationis etiam militantis nihil de caussis quatenus acta*.
8 Al. MS. *heredibus ejus quia in ipso*. 9 Al. *auferatur*.
10 Al. MS. *interdicti*. 11 Al. *& per*. 12 Desunt in MSS. *præventus, forsitan*.
13 Al. *judices simul tertio*. 14 Al. *damnetur*. 15 Al. *eum qua*.

---

sequens alter esse videtur a superiore, qui Gundebaldi nomen in fronte fert. Videtur quoque in eisdem Comitiis latum fuisse Prologum secundo loco positum, ac legem Burgundici Codicis, quæ habetur titulo LII. Epocha enim, quæ hic legitur *IV. Kal. Aprilis*, eamdem præfert diem, ac præfata lex lata *IV. Kal. Aprilis*, *Agapito Consule*, anno scilicet DXII; quo Sigismundus post mortem Gundebaldi patris, qui ex Marii Chronico anno præcedente occubuerat, complevisse potuerat annum primum, & incœpisse annum secundum integri Regni sui, prout inscriptio, quæ hic legitur, consonat. Hæc mihi opinionem ingerunt, regnante S. Sigismundo, Gundebaldi codicem recognitum, novisque legibus locupletatum, ac sub eos legales titulos, quibus hodie constat, digestum fuisse. Consule dicta in Monito.

(1) *Tam Burgundiones, quam Romani.*) Infra: *Si quis sane judicum tam Barbarus, quam Romanus*. Infra: *Vel Romanus Comes, vel Burgundio*. Romani scilicet, seu Provinciales non modo Romano jure vivere permittebantur, sed & Romani Comites, & judices illis juri dicundo præponebantur.

(2) *Capite puniatur.*) Non hinc tantummodo, sed ex aliis quoque legibus Barbarorum mira elucescit cura, ut in officio coercerent Reipublicæ officiales, præsertim juri dicundo, aut exequendo præpositis, ne concredita sibi auctoritate abuterentur.

NOMINA EORUM, QUI LEGES VEL SEQUENTIA CONSTITUTA, ET ILLA QUAE IN PRIORI PAGINA CONTINENTUR, SIGNATURI SUNT, VEL IN POSTERUM CUM PROLE DEO AUSPICE SERVATURI.

Sig. *Abgaris com.*
Sig. *Aunemundi com.*
Sig. *Unnani com.*
Sig. *Hildeulfi com.*
Sig. *Hildegerni com.*
Sig. *Usgildi com.*
Sig. *Walesti com.*
Sig. *Audemundi com.*
Sig. *Andahari com.*
Sig. *Amgathei com.*
Sig. *Auderici com.*
Sig. *Aunemundi com.*
Sig. *Willimeris com.*
Sig. *Conegiseli com.*
Sig. *Comarici com.*
Sig. *Wallaerii com.*
Sig. *Siggonis com.*
Sig. *Fredemundi com.*
Sig. *Wanaharii com.*
Sig. *Wilfilæ com.*
Sig. *Sigiswldi com.*
Sig. *Soniæ com.*
Sig. *Godemundi com.*
Sig. *Widemeris com.*
Sig. *Wadahameris com.*
Sig. *Silvani com.*
Sig. *Gomæ com.*
Sig. *Fastilæ com.*
Sig. *Suldi com.*
Sig. *Gundeulfi com.*
Sig. *Offini com.*
Sig. *Walarimi com.*

INCIPIT LEX BURGUNDIONUM.

TITULUS I.

De libertate donandi patribus adtributa, & muneribus regiis.

I. Quia nihil de præstita [1] patribus donandi licentia, vel munificentia, dominantium [2] legibus fuerat constitutum, præsenti constitutione omnium uno voto & voluntate decrevimus, ut patri etiam antequam dividat, de communi facultate, & de labore suo cuilibet donare liceat, absque terra sortis titulo (1) adquisita, de qua prioris legis ordo servabitur.

II. Aut si cum filiis diviserit, & portionem suam tulerit, & postea de alia uxore filios habuerit aut unum aut plures, illi filii, qui de secunda uxore sunt, in illam, quam pater accepit, portionem succedant: & illi, qui cum patre dividentes portiones suas fuerant consecuti, ab eis penitus nihil requirant.

III. Illud etiam huic legi adjungi placuit, ut si quis de populo nostro a parentibus nostris munificentiæ caussa aliquid percepisse dignoscitur, id quod ei conlatum est, etiam ex nostra largitate, ut filiis suis relinquat, præsenti constitutione præstamus.

IV. Id etiam statuentes, ut si quid etiam de nostro munere, aut Deo præstante aliter perceperint, donationum nostrarum textus ostendant. Superest ut posteritas eorum ea devotione & fide deserviat, ut augere sibi & servare circa se parentum nostrorum munera cognoscat.

TITULUS II.

De homicidiis.

I. Si quis hominem ingenuum ex populo nostro cujuslibet nationis, aut servum Regis natione duntaxat barbarum [3], occidere damnabili ausu aut temeritate præsumpserit, non aliter admissum crimen, quam sanguinis sui effusione componat.

II. Illud sane huic legi rationabili censuimus provisione subjungi [4], ut si cui forte a quocunque inlata vis fuerit, ut aut ictibus verberum, aut vulneribus urgueatur, & dum insequitur percutientem dolore aut indignatione compulsus occiderit, atque ita factum re ipsa, aut idoneis, quibus credi possit, testibus fuerit comprobatum, medietatem pretii secundum qualitatem personæ occisi parentibus cogatur exsolvere: hoc est, si optimatem nobilem occiderit, in medietatem pretii CL. sol. Si aliquem in populo nostro mediocrem, C. pro minore persona LXXV. solidos præcipimus numerare.

III. Si servus inconscio domino hominem in-

1 Al. MS. *præterita*.
2 Al. MS. *dominantis*.
3 Al. MS. *nationis duntaxat barbarorum*.
4 Al. MS. *legi adjiciendum probatione subjungi*.

(1) *Sortis titulo.*) Sortis nomine huc indigitari reor eam terræ partem, quam in devicta, vel dedititia regione Burgundi sibi attribuerant; prout alii quoque ex Barbarorum gente egerunt, ut in novis sedibus partem agri sibi sumerent, reliquo veteribus incolis relicto. Procopius libro I. de Bello Vandalico cap. 5. scribit, quod ejusmodi agri in Africa Vandalis divisi, Vandalorum κλῆροι, seu *sors* sua ætate appellarentur. *Sortis* vox occurrit & apud Gothos, & apud Francos. Anne ita appellati sunt agri illi, quod sorte dividi solerent? Dubito. Idem namque vocabulum usurpatur quoque ad significandam terram, imo & provinciam, & regnum, quod sorte non dividitur. Atque sub hac significatione haud semel bis in legibus occurrit.

ingenuum occidere fortasse præsumpserit, servus tradatur ad mortem, dominus vero reddatur indempnis.

IV. Si dominus hujus facti conscius fuerit, ambo tradantur ad mortem.

V. Si servus ipse post factum defuerit, dominus ejus pro pretio servi xxx. solidos parentibus occisi cogatur exsolvere. Simili de servis Regiis secundum qualitatem personarum circa interfectores conditione servata.

VI. Hoc specialiter in hujusmodi caussa universitas noverit observandum, ut interfecti parentes nullum nisi homicidam persequendum esse cognoscant: quia sicut criminosum jubemus extingui, ita nihil molestiæ sustinere patimur innocentem.

TITULUS III.

De libertatibus servorum nostrorum.

Si quos apud Regiæ memoriæ auctores nostros, id est, Gibicam, Godomarem, Gislaharium, Gundaharium (1), patrem quoque nostrum & patruos [1], liberos fuisse constiterit, in eadem libertate permaneant: quicunque sub eisdem fuerint obnoxii servituti, in nostro dominio perseverent.

TITULUS IV.

De sollicitationibus & furtis.

I. Quicunque mancipium alienum sollicitaverit, caballum quoque, equam, bovem, aut vaccam, tam Burgundio quam Romanus ingenuus furto auferre præsumpserit, occidatur: & de occisi facultatibus, is qui perdidit superius comprehensa mancipia atque animalia, apud sollicitatorem aut furem, si non potuerit invenire, in simplum recipiat: hoc est, pro mancipio sol. xxv. si tamen mancipium ipsum, sicut dictum est, non potuerit invenire; pro caballo optimo, x. solidos: pro mediocri, vi. solidos: pro equa, solidos III. pro bove, solidos II. pro vacca, sol. I.

II. Si vero servus furtum fecerit, ipse tradatur ad mortem: & dominus servi, ea quæ furto [2] ablata sunt de supra scriptis animalibus, eaque inveniri non possunt, secundum formam pretii constituti eum, qui perdidit, simpla solutione reddat indemnem.

III. Quicumque ingenuus, tam Burgundio quam Romanus, porcum, ovem, apem, capram, furto abstulerit, in triplum solvat [3], secundum formam pretii constituti: & mulctæ nomine sol. XII. id est, pro porco, sol. I. pro ove, sol. I. pro ape, sol. I. pro capra, tremissem. Pretia vero hæc in triplum solvantur.

IV. Si servus Burgundionis sive Romani furtum de supradictis pecoribus admiserit, servus tradatur ad pœnam, ut trecentos fustium [4] ictus accipiat. Dominus autem pro ejus crimine simplum solvat: & mulcta a domino non requiratur.

V. Qui tintinnum caballi furto abstulerit, si ingenuus est, caballum alium talem reddat: simili de bove conditione servata. Si servus tulerit, fustigetur.

VI. Si autem impedicato caballo ingenuus pedicam tulerit, ejusdem meriti caballum se redditurum esse cognoscat. Si servus hoc admiserit, centenos pro singulis quibuscunque culpis [5] fustium ictus accipiat.

VII. Si caballum alienum ingenuus non permittente domino transcendere præsumpserit, II. solidos illi cujus caballus est, pro unius diei itinere se daturum esse cognoscat si vero amplius, ad legem illam teneatur quam de caballis inventitiis jussimus observari. Si servus hoc fecerit, fustigetur.

VIII. Qui de alienis bobus [6] domino inconscio, aut non permittente, operam facere præsumpserit, duos boves domino cogatur exsolvere [7].

TITULUS V.

De his qui flagello, fuste, calce, vel pugno percutiunt.

I. Si quis ingenuum hominem tali præsumptione percusserit, per singulos ictus singulos solidos solvat: & mulctam domino inferat, sol. VI. [8]

II. Qui libertum alienum percusserit, per singulos ictus singulos semisses solvat: mulctæ autem nomine solidos IIII. [9]

III. Qui servum alienum percusserit, per singulos ictus singulos tremisses solvat: mulctæ autem nomine solidos III.

IV. Si quis ingenuum hominem per capillos arripuerit, si una manu, II. solidos inferat: si utraque, IIII. mulctæ autem nomine solidos VI. Si libertum aut servum alienum per capillos, seu una manu seu utraque, corripuerit, quemadmodum de ictibus inter ingenuum, & libertum [10], & servum discretionem [11] solutionis fieri placuit, ita & in hac causa compositionis & mulctæ requiratur inlatio.

V. Si servus ingenuum hominem pugno percusserit, centum fustes accipiat.

VI. Si vero dominus servi cum alio se cædit, & servus, dum dominum adjuvare vult,

1 Al. *patruum.* 2 Al. MS. *furtu.* 3 Al. MS. *solvantur.*
4 Deest in al. MS. *fustium.* 5 Al. *per singulas quascunque culpas.*
6 Al. *bubus.* 7 Al. *duorum boum solutionem cogatur domino exsolvere.*
8 Al. MS. *mulcta in dominica sol. VI.* 9 Al. MS. *sol. III.*
10 Al. MS. *ingenuum libertum.* 11 Al. MS. *descriptionem.*

(1) *Gundaharium.*) Gundahario regnante Burgundiones Galliæ partem insederant. Gundebaldi pater Gundeucus illuc regnum auxit,

vult, illum percusserit, pro ictu servi dominus 1. sol. satisfaciat [1].

TITULUS VI.

De fugitivis.

I. Si quis fugitivum intra provincias ad nos pertinentes [2] corripuerit, pro fugitivo solidum 1. accipiat. Et si fugitivus ille caballum secum ducit, pro caballo semissem, pro equa tremissem accipiat: & fugitivum cum omnibus rebus reddat. Si extra sortem, duos solidos is qui fugitivum corripuerit, pro fugitivo accipiat, & pro caballo sol. 1. pro equa semissem [3].

II. Qui fugitivum secutus fuerit, & casu repugnantem occiderit, omni calumnia careat; aut si is, qui sequitur, a fugitivo percussus fuerit, ad dominum fugitivi nulla calumnia revertatur.

III. Si fugitivus cujuscunque, seu Burgundionis seu Romani, captus fuerit, & casu de custodia fugerit, is quem fugit juret, nec suo nec suorum conludio aut conscientia fuisse dimissum: & præstitis, ut dictum est, sacramentis nullam calumniam patiatur.

IV. Quicunque ingenuo aut servo (1) fugienti nesciens capillum fecerit (2), quinque sol. perdat: si sciens capillum fecerit, fugitivi pretium cogatur exsolvere.

V. Qui fugitivum sciens flumen transierit, pœnam sollicitatoris excipiat [4].

VI. Si vero fugitivus fugerit, sacramenta præbeat, nec suo, ut supra dictum est, conludio nec suorum, fugitivum fuisse dimissum, & de ligamine nec se nec suis consciis evasisse.

VII. Si vero taliter sacramenta non dederit, pro fugitivo xv. solidos solvat.

VIII. Quod si constiterit, cum ejus voluntate fuisse dimissum, xxx. sol. [5] cogatur exsolvere. Si vero illi qui correptus est, res domini aut alterius secum portat, & in domo illius exhibuerit, simplam solutionem [6] restituat.

IX. Si ingenuus fugitivo seu Burgundionis seu Romani conscius panem dederit, fugitivum revocet.

X. Si nesciens panem dederit, aut flumen transierit, vel viam ostenderit, sacramento dato nullam calumniam patiatur.

XI. Si ingenuus fugientem sciens fugitivo litteras fecerit, manus incisione damnetur; si servus hoc fecerit, acceptis ccc. fustibus & ipse manus incisione damnetur.

TITULUS VII.

De servis & originariis, qui vocantur in crimine.

Inter Burgundionem & Romanum hæc forma servabitur. Si a quocunque crimen objicitur, quod ad præsens probare non potest, id volumus custodiri, ut sive servus Romani sive Burgundionis sit qui vocatur in culpam [7], non compellatur dominus sacramenta præbere, neque pro servo neque pro originario: sed cum crimen objectum fuerit, seu servi seu coloni, pretium juxta personæ meritum fiat, quod dominus ejus, cujus servus est aut colonus, de præsenti [8] percipiat, aut mancipium ejus meriti consequatur. Quod cum ita factum fuerit, ille qui vocatur in crimine judici tradatur ad pœnam, ut si confessus fuerit se admisisse quod objicitur, pretium recipiat ille qui dederat: servus de confesso crimine occidatur. Ita ut de solutione, quod superius statutum est observetur. Si autem servus sive colonus in tormentis confessus non fuerit, is qui eum inscripsit domino suo reddat: & dominus ipse aut vicarium servum, quem pro pœna servi innocentis accepit, aut pretium [9] teneat.

TITULUS VIII.

De objectione criminum quæ ingenuis intenduntur.

I. Si ingenuus per suspicionem vocatur in culpam, tam barbarus quam Romanus, sacramenta præbeat, & cum uxore & filiis & propinquis sibi duodecim [10] juret: si vero uxorem & filios non habuerit, & patrem aut matrem habuerit [11], cum patre aut matre numerum impleat designatum. Quod si nec patrem nec matrem habuerit, cum duodecim proximis impleat sacramentum.

II. Quod si ei sacramentum de manu is, cui jurandum est, tollere voluerit, antequam Ecclesiam ingrediatur, illi qui sacramentum audire jussi sunt, (quos a judicibus ternos [12] semper ad sacramentum audiendum præcipimus delegari) contestentur se nolle sacramenta percipere: & non permittatur is, qui juraturus erat, post hanc vocem sacramenta præstare: sed sint per nos illi, qui de-

1 Al. MS. *foluturus est.* 2 Al. MS. *provincias nostras.*
3 Desunt in MS. verba quæ leguntur hic post *duos solidos.* 4 Al. MS. *incurrat.*
5 Al. MS. *XX. sol* 6 Al. MS. *simplas solutiones.* 7 Al. *vocatur in crimine.*
8 Al. MS. *in præsenti.* 9 Desunt in al. MS. *aut pretium.*
10 Al. MSS. *sibi duodecimo.* 11 Desunt in MS. al. *& patrem, aut matrem habuerit.*
12 Al. MS. *ternis.*

(1) *Quicunque ingenuo, aut servo.*) Alia lectio habet: *Si quis ingenuus, aut servus fugiendi &c.*

(2) *Capillum fecerit.*) *Capillus prolixior ingenuitatis signum habebatur: & capillum servo facere nihil aliud innuere videtur, quam permittere, ut servo prolixior coma succrescat, quo se pro ingenuo venditare possit. Eccur vero is, qui fugitivi conditionem ignorabat, ac comam effusiorem illi succrescere patiebatur, pœna pecuniaria multatus fuerit? ejus rei fortasse causa hæc est, quod receptator ex habitu capitis fugitivi servilem conditionem dignoscere potuerit.* Obtgiesser de statu servorum lib. II. cap. VIII. art. 13. cui alii quoque eruditi assensum præbent.

deliquerunt [1], Dei judicio (1) committendi. Si autem permiſſus juraverit, & poſt ſacramentum potuerit forte convinci, in novigildo ſe noverit redditurum [2].

III. Si hi, quibus præſentibus judex juſſerit dare ſacramenta, ad locum ſtatuto die venire diſſimulaverint, & non ab aliqua fuerint infirmitate aut publica ordinatione detenti, ſenos ſolidos mulctæ nomine [3] inferant. Quod ſi infirmitate aut occupatione detenti fuerint, faciant hoc ipſum judicem ſcire, aut loco ſuo tales perſonas dirigant, quorum fide poſſint in loco ſacramenta præſtare.

IV. Si autem pars de his, quæ ſacramenta datura [4] erat, ad locum non venerit, uſque ad horam ſextam diei ipſam expectet pars altera. Quod ſi uſque ad ſextam non venerit, cauſam abſque dilatione abſolvat.

V. Quod ſi ille alius non venerit, ille qui ſacramenta præbiturus erat, diſcedat indemnis.

TITULUS IX.

De inlatis violentiis.

Si quis Burgundio aut Romanus per vim aliquid abſtulerit uſque ad pullum, in novigildo ſecundum pretia a nobis conſtituta, cuicunque abſtulerit [5], jubemus exſolvere.

TITULUS X.

De interfectione ſervorum.

I. Burgundio & Romanus una conditione teneatur. Si quis ſervum natione barbarum occiderit lectum miniſterialem ſive expeditionalem (2), LV. ſolid. [6] inferat: mulctæ autem nomine [7] ſol. XII.

II. Si alium ſervum Romanum, ſive barbarum, aratorem aut porcarium occiderit, XXX. ſol. ſolvat.

III. Qui aurificem lectum occiderit, CL. ſol. ſolvat.

IV. Qui fabrum argentarium occiderit, C. ſol. ſolvat.

V. Qui fabrum ferrarium occiderit, L. ſol. (3) inferat.

VI. Qui carpentarium occiderit, XL. ſol. ſolvat.

TITULUS XI.

De inflictis vulneribus.

I. Qui homini ſeu ingenuo ſeu ſervo brachium ictu excuſſerit, ſive oculum amiſerit [8], medium pretium exſolvat: ſi non perexcuſſerit [9], de vulnere judicetur.

II. Si quis cuicunque in faciem vulnus inflixerit, in triplum vulneris pretium jubemus exſolvere, quantum in ſimplum ea vulnera æſtimantur, quæ veſtibus conteguntur.

TITULUS XII.

De raptu puellarum.

I. Si puella, quæ rapta eſt, corrupta [10] redierit ad parentes, ſexies puellæ pretium raptor exſolvat: mulctæ autem nomine ſol. XII.

II. Quod ſi raptor ſolutionem ſupraſcriptam unde ſolvere valeat, non habuerit [11], puellæ parentibus adſignetur, ut faciendi de eo quod ipſi maluerint, habeant poteſtatem.

III. Si vero puella ſua ſponte expetierit virum, & ad domum illius venerit, & ille ſe cum illa miſcuerit, nuptiale pretium in triplum ſolvat.

IV. Si autem incorrupta redierit, ad domum ſuam remota ab omni calumnia revertatur.

V. Romana vero puella, ſi ſine parentum ſuorum voluntate aut conſcientia ſe Burgundionis conjugio ſociaverit, nihil ſe de parentum facultate noverit habituram.

TITULUS XIII.

De exartis.

Si quis tam Burgundio quam Romanus in ſylva communi exartum fecerit, aliud tantum ſpatii [12] de ſylva hoſpiti ſuo conſignet, & exartum, quem fecit, remota hoſpitis communione poſſideat.

TITULUS XIV.

De ſucceſſionibus & ſanctimonialibus.

I. Inter Burgundiones id volumus cuſtodiri,

1 Al. Mss. *illico dirigantur*.
2 Al. MS. *redditurum eis*.
3 Al. Mss. *mulctum noſter*.
4 Al. MS. *daturi*.
5 Al. *eum quod abſtulit*.
6 Al. *LX. ſol.*
7 Al. Mss. *mulctum autem noſter*.
8 Al. deeſt: *ſive oculum amiſerit*.
9 Al. MS. *perexceſſerit*.
10 Al. MS. *incorrupta*.
11 Al. *ſolvere non habuerit*.
12 Al. MS. *tantum ſpatium*.

(1) *Dei judicio.*) Cum hic de ingenuis agatur, monomachiam intelligendam eſſe reor, quæ *judicium Dei* conſuevit appellari. Confer Tit. LXXX. lege 2.

(2) *Miniſterialem ſive expeditionalem.*) Quo intelligere eſt ſervum, qui miniſtri loco ipſi domino eſt, vel in expeditione domino famulatur. Et revera opponitur aratori, & porcario, ſervo puta colonico, uti & mechanicas artes exercenti, de quibus in ſequentibus articulis ſermo eſt.

(3) *L. ſol.*) Ex rubrica titulo præfixa, & ex mulctæ ratione, quæ hic minor adhuc eſt ea, quæ ſupra lege I. hujus tituli de occiſo ſervo habetur, colligimus hoc titulo penitus agi de iis, qui ſunt ex grege ſervili. Quod ſi aurifex, & argentarius majori compoſitione penſantur, id non conditioni perſonæ, ſed ejus induſtriæ referri debet acceptum. Ex quibus item vides mechanicas artes etiam circa res pretioſas a ſervis exercitas fuiſſe. Vide infra ad Tit. XXI.

diri, ut ſi quis filium non reliquerit, in loco filii filia in patris matriſque hereditate ſuccedat.

II. Si forte [1] defunctus nec filium nec filiam reliquerit, ad ſorores vel propinquos parentes hereditas redeat.

III. Illud etiam præſenti lege placuit contineri, ut ſi mulier maritum habens ſine filiis de hac luce tranſierit, maritus defunctæ uxoris pretium, quod pro illa datum fuerit, non requirat.

IV. Similiter quod mulier ad maritum veniens erogaverit, defuncto ſine filiis marito mulier aut [2] parentes mulieris non requirant.

V. De his vero puellis, quæ ſe Deo voverint [3], & in caſtitate permanſerint, ſi una [4] duos fratres habuerit, tertiam jubemus ut portionem de hereditate patris accipiat, hoc eſt, de ea tantum terra, quam pater ejus ſortis jure [5] poſſidens mortis tempore dereliquit. Similiter & ſi quatuor aut quinque fratres habuerit, portio ei debita reſervetur.

VI. Si autem illa unum tantum habuerit fratrem, non medietatem, ſed tertiam conſequatur, ea ſcilicet conditione, ut poſt obitum illius quæ fœmina & ſanctimonialis eſt, quidquid in uſufructu de paternis rebus percepit, ad proximiores parentes pertineat, nihil illa [6] exinde alienandi poteſtatem habitura [7], niſi forſitan quod ex matris bonis, id eſt, in recellulis [8] (1) vel ornamentis, aut ex ſuo potuerit labore conquirere.

VII. Hoc his [9] tantum cenſuimus eſſe præſtandum, quibus patres ſuas jam non dederint portiones; quod ſi a patre [10], ubi vivere poſſint, perceperint, ex hoc ipſo quod voluerint faciendi liberam habeant poteſtatem.

Titulus XV.

De commotione litium.

I. Quicunque ingenuus Burgundio in domum cujuslibet ad rixam ingreſſus fuerit, VI. ſolidos inferat illi, cujus domus eſt: & mulctæ nomine ſolidos XII. Quod tamen inter Burgundiones & Romanos æquali conditione volumus cuſtodiri.

II. Si vero ſervus vi, aut per rixam in domum alienam ingreſſus fuerit, pro ſolutione jam dicta [11] centum fuſtium ictus accipiat, & nullum exinde damnum ſervi dominus patiatur.

Titulus XVI.

De inquirendis animalibus.

I. Quiſquis per veſtigium quodlibet animal [12] ſecutus fuerit, & ad domum alterius veſtigio ducente pervenerit, ſi is ad cujus domum venerit, eum prohibuerit domum ſuam intrare ad res ſuas requirendas, pro hoc quod res repoſcit [13], is qui eum de domo ſua ab inquiſitione repulerit, pro fure teneatur obnoxius (2). Ita ut inquiſitionem nec mulieri liceat denegare.

II. Quod ſi ſervus hoc fortaſſis aut ancilla abſentibus dominis ſuis prohibuerit, ipſe qui prohibuit, legibus pro fure teneatur obnoxius [14].

III. Si vero vegius (3) extiterit, & vegiaturas [15] acceperit, & is cui indicat invenire non potuerit, furtum quod ſe perdere (4) mentiebatur diſſolvat in ſimplum.

Titulus XVII.

De cauſſis aliis & calumniatorum remotione.

I. Omnes omnino cauſſæ, quæ inter Burgun-

[1] Al. *Si foris*.
[2] Deſunt al. in MS. *mulier aut*.
[3] Al. MS. *devoverint*.
[4] Deeſt al. in MS. *una*.
[5] Al. MS. *fortis in re*.
[6] Al. MS. *nullam illam*.
[7] Al. MS. *habituram*.
[8] Al. MS. *reſeellolis*.
[9] Al. MS. *ei*.
[10] Al. MSS. *quas a patre*.
[11] Al. MSS. *ad vindictam*.
[12] Al. *Quicumque veſtigium de qualibet animali*.
[13] Al MS. *res poſcit*.
[14] Al. MSS. addunt: *Ita ut ne mulieri liceat denegare*.
[15] Al. MS. *veraturas*.

(1) *In recellulis.*) De iis parvis rebus (Italice *coſerelle*) hic ſermo eſt, quæ infra Tit. LI. lege 3. veniunt ſub nomine *ornamentorum*, & *veſtimentorum*. Confer parallelam Thoringorum legem Tit. VI. lege 6.

(2) *Obnoxius.*) Antiquum Europæorum inſtitutum, ut damnum paſſo ingredi alterius domum liceret ad rem ſuam perquirendam, adeo ut nefas haberetur eum ab inquiſitione repellere. Haud abſimilia ſunt, quæ leguntur in Legibus Svecorum, & Gothorum a Doctore Ragualdo Ingemundi latinitate donatis lib. XV. cap. 11. *Quando furtum eſt commiſſum, debet tunc damnum paſſus mox ſuis vicinis intimare, quid hoc eſt, quod ſibi fuit ablatum. Quod ſi ſuſpicatur, ad quem locum devenerat, debet tunc illuc accedere cum IV. viris, & inſtare quod poſſit legitimam facere inquiſitionem, nec poteſt talis inquiſitio ſibi denegari.* Moris reliquiæ, Loccenio teſte Antiq. Sveogoth. Lib. II. cap. 6. perdurant adhuc in Svecia. Huc referenda lex Concilii Bavarici apud Dingolwingam ſub Duce Taſſilone c. XI. *Qui reſiſterit domum ſuam, quod ſeliſuchen dicunt, qualem rem quærenti reſiſtebat, talem componat. In Publico XL. ſolidis.* *Seliſuchen* autem eſt *ſcrutinium domus facere*, ut in notis ad ipſum Concilium Volumine ſecundo hujus Collectionis relatum animadverti; ubi & notavi ſimile jus in pagis noſtris adhuc manere hominibus, qui ſunt de Vicinia, ſeu de Conſilio Communitatis.

(3) *Vegius.*) Germanis *Wicker*, divinator, vates. Huc autem proprie ſermo fit de divino mercede conducto (quæ *vegiaturarum* voce hic deſignatur) ad inquirendam rem deperditam. Imo & infra Additam. I. Tit. 8. merces, ſeu pretium *vegio* debitum, taxatur pro rei deperditæ indicio. Adhuc ergo Legiſlatores ipſi fidem aliquam ejuſmodi divinationibus adhibebant. Conſule dicta Volum. III. hujus Collectionis in notis ad Num. XIV. Indiculi Paganiarum.

(4) *Quod ſe perdere.*) Rectius alia lectio: *Furtum, quod prodere mentitur, in ſimplo ſolvat.*

gundiones habitæ sunt, & non sunt finitæ, usque ad pugnam Mauriacensem habeantur abolitæ [1].

II. Si quis sane servum suum aut ancillam cognoverit, recipiat.

III. Pro homine ingenuo prius occiso xx. tantum solidi inferantur, & omnis repetitio conquiescat.

IV. Illud quoque specialiter volumus custodiri, ut quicunque Burgundio de quacunque caussa ab eo, qui illi litem intendit, bis admonitus fuerit, ut dato fidejussore ad judicium veniat, & si nec [2] fidejussorem dare, nec ad judicium venire voluerit; atque hoc factum duobus aut tribus ingenuis testibus potuerit adprobari, inferat mulctæ nomine sol. VI. & ad judicium nihilominus venire compellatur.

V. Qua conditione Romanus ingenuus, qui caussam cum Barbaro habuerit, aut dominum admoneat aut actorem. Et si actor [3] iterato admonitus ad caussam dicendam pro originario sibi commisso non venerit, centum fustes accipiat.

TITULUS XVIII.

De his quæ casu contigerint.

I. Si quodcunque animal quolibet casu, aut morsus canis homini mortem intulerit, jubemus etiam inter Burgundiones antiquam exinde calumniam removeri: quia quod casus operatur non debet ad damnum aut inquietudinem hominis pertinere. Ita ut si de animalibus subito caballus caballum occiderit, aut bos bovem percusserit, aut canis momorderit, ut debilitetur, ipsum animal aut canis, per quem damnum videtur admissum, tradatur [4] illi, qui damnum pertulit.

II. Si lancea vero vel quodcunque genus armorum aut projectum in terra, aut fixum simpliciter fuerit, & casu se ibidem homo aut animal impulerit, illum cujus arma fuerint, nihil jubemus exsolvere: nisi forte sic arma sua in manu teneat, ut homini periculum possit inferre.

TITULUS XIX.

De ablatis pignoribus & fidejussoribus.

I. Qui ante audientiam cujuscunque pignora abstulerit, caussam perdat, & inferat mulctæ nomine sol. XII.

II. Quicunque caballum alienum quasi agnitum pro suo tulerit, & suum esse non potuerit adprobare, caballi alterius ejusdem meriti amissione damnetur.

III. Si quicunque pro eo, cum quo caussam habere se putat, alium pignoraverit, cum quo caussam nullam habet, & caballos aut boves tulerit, aut mancipium rapuerit, inferat pro singulis mancipiis vel animalibus solidos binos.

IV. Si ingenuam personam pignoris loco tulerit, inferat pro ea præsumptione [5] solidos IIII.

V. Si quis pro parente, aut amico, vel pro quocunque, fidejussor extiterit pro quolibet debito, & is qui sub fidejussore discesserit [6] ter admonitus coram testibus, vel post commonitionem pignoratus, si convictus fuerit pignora sua fidejussori per vim abstulisse, & necesse fuerit fidejussorem suum [7] constrictum atque compulsum debitum de suo solvere, in triplum ille, pro quo fidejussum est [8], impleat, quidquid fidejussorem in hac caussa solvisse constiterit.

VI. Modus vero pignorum hic erit, ut tertiam partem fidejussor amplius tollat, quam summa debiti est, & denunciet coram testibus debitori. Quod si intra tres menses soluto debito pignora sua non perceperit, postmodum ea requirendi pontificium [9] non habebit.

VII. Si is, qui fidejussorem dedit, non habuerit unde solvat, ipsum fidejussor [10] ad se absolvendum tradat, & a fidejussore aliud non requiratur [11] (1).

VIII. Quod si dissimulaverit implere quod placitum est, & necesse fuerit fidejussorem constrictum atque compulsum debitum de suo solvere, in triplum ab illo, pro quo fidejussum est [12], impleatur, quidquid fidejussorem in hac caussa solvisse constiterit.

IX. Quicunque fidejussores debitores dederint, iste cujus fidejussor accessit, usque ad domum ipsius sub sua defensione perducat: si autem non sic [13] fecerit, non sit a fidejussione penitus absolutus.

X. Quicumque noluerit [14] satisfacere debitori, & necesse fuerit [15] fidejussorem suum pignorare, & voluerit fidejussor illi resistere, fidejussionis suæ debitum, quantum ab illo reposcitur, de suo satisfaciat.

XI. Si vero fidejussorem pignoraverit, & is pro quo ille [16] fidejussor accesserit, pignora fidejussoris sui aut sua, si fidejussor deerit, crediderit [17] præsumenda aut diripienda, in novigildo solvat, quantum abstulisse convincitur: & inferat mulctæ nomine solidos XII.

TI-

1 Al. Mss. *oblitæ.* 2 Al. *& ille nec.* 3 Al. Ms. *auctorem. Et si auctor.*
4 Al. Ms. *animal aut canem . . . tradat.* 5 Al. in Mss. deest, *præsumptione.* 6 Al. Ms. *quæ fid. excesserit.*
7 Al. Ms. deest, *suum.* 8 Al. Ms. *in triplum ab illo quem fidedixit impleatur.* 9 Al. *potestatem.*
10 Al. Mss. *fidejussori.* 11 Al. *quæratur.* 12 Al. Mss. *quem fide dixit.* 13 Al. Mss. deest, *sic.*
14 Al. Mss. *Quicunque fidejussor noluerit.* 15 Al. Mss. *habuerit.* 16 Al. Ms. *pro illo.*
17 Al. Ms. *sua fidejussor dederit, crediderit.* Al. *sua fidejussori crediderit.*

---

(1) *Non requiratur.*) Ex Burgundica themide fidejussor non modo conveniri non poterat, nisi excusso debitore principali (V. infra Additam. II. cap. 7.) sed & cum debitor solvendo non esset, ex hac lege colligimus liberari fidejussorem, si ipsius debitoris personam noxæ, aut servitio creditori tradere posset. Adeo ut fidejussio esset tantum cum effectu obligatoria, quando principalis debitor nec in ære, nec in corpore debitum luisset.

TITULUS XX.

De fugitivorum furtis.

I. Si servus cujuscunque per fugam lapsus fuerit, atque in fuga positus equos cujuslibet, ornamenta, vestes, vel quodque aliud furto abstulerit, & secum detulerit, a domino servi nihil horum penitus requiratur. Ita tamen si eum de fuga potuerit revocare, quidquid abstulisse convincitur, in simplum restituat.

II. Si servus in obsequio domini constitutus furtum fecerit, & furto facto [1] vertatur in fugam, dominus ejus præbeat sacramenta, neque pro furto, neque pro fuga [2] servi conscientiam suam obnoxiam teneri: quod cum fecerit, a servi domino nihil quæratur. Hii vero qui fugitivos corripiunt, dominis mandare debent: & præter illum solidum [3], qui pro fugitivo intra sortem debetur, pro eo quod mittit personam aut ipse nunciat, in centum millibus pro evectione [4] solidum debet accipere.

III. Quod si non mandat & fugerit, & si intra dies xxx. non mandaverit, aut sacramentis sicut supra dictum est se absolvat, aut xv. solidos pro fugitivo solvat.

TITULUS XXI.

De servorum contractibus.

I. Si quis inconsulto domino, tam Burgundio quam Romanus, originario aut servo solidos commodaverit [5], pecuniam perdat.

II. Quicunque vero servum suum aurificem, argentarium, ferrarium, fabrum ærarium, sartorem vel sutorem, in publico (1) adtributum artificium exercere permiserit, & id quod ad facienda opera a quocunque suscepit, fortasse everterit, dominus ejus aut pro eodem satisfaciat, aut servi ipsius si maluerit faciat cessionem.

TITULUS XXII.

De removendo in negotiis Romanorum patrocinio Barbarorum.

Quicunque Romanus caussam suam, quam cum alio Romano habet, Burgundioni agendam tradiderit, caussam perdat: & is qui suscepit, inferat mulctæ nomine sol. XII.

TITULUS XXIII.

De damnis, quæ ab animalibus inferuntur.

I. Quicunque animal de messe vel de quolibet damno incluserit, & ante æstimationem damni præsumptione & arbitrio suo is, cujus animal est, de curte per vim tulerit, inferat illi cui vim intulerit, sol. VI, & mulctæ nomine sol. VI. damni æstimatione taxata. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat, damni similiter æstimatione taxata.

II. Si quodlibet animal, dum de messe, aut de prato, aut de vinea, aut de area annonaria expellitur, impalaverit (2), nihil ab eo qui expulit requiratur.

III. Quod si animalia, dum de damno ad clausuram minantur, de campo aut de quocunque loco ille cujus sunt tollere præsumpserit, singulos tremisses per singula animalia solvat: & mulctæ nomine sol. III.

IV. Si cujuscunque porci damnum faciunt in vineis, pratis, aut in messibus cultis, & sylvis glandiferis, & admonitus porcorum dominus bis fuerit, ut porcos suos custodiat, & noluerit; is cui damnum inferunt occidendi de grege porcorum optimum, liberam habeat facultatem, & suis usibus vindicandum.

V. Quod si contestatus non fuerit, & porcum occiderit, solidum pro porco solvat, ita ut quod porci everterint, componatur.

TITULUS XXIV.

De mulieribus Burgundiis ad secundas vel tertias nuptias transeuntibus.

I. Si qua mulier duntaxat Burgundia post mariti mortem ad secundas aut tertias nuptias, ut adsolet fieri, fortasse transierit, & filios habuerit, ex omni conjugio, donationem nuptialem dum advivit usufructu possideat: post ejus mortem ad unumquemque filium, quod pater [6] ejus dederat, revertatur: ita ut mater nec donandi, nec vendendi, nec alienandi de his rebus, quas in donatione nuptiali accepit, habeat potestatem [7].

II. Si forte mulier illa filios non habuerit, quidquid ad eam de donatione nuptiali pertinet, post mortem mulieris medietatem parentes ejus, medietatem defuncti mariti donatoris parentes accipiant [8].

III. Ceterum si quis filiorum matri per testamentum aliquid, aut donationem contule-

1 Al. Ms. *furtum admissum.* 2 Al. Ms. *per furtum neque per fugam.* 3 Al. Mss. *illum solum.* 4 Al. *evasione.* 5 Al. Ms. *commendaverit.* 6 Al. Ms. *quicquid pater.* 7 Al. Ms. *habeat liberam potestatem.* 8 Al. Ms. *parentes accipiant, hoc est, donatores.*

(1) *In publico.*) Quod alibi observatum est, hic apertissime patet, mechanicas artes etiam *in publico* exercere servorum proprium fuisse. Et sane ex compositionibus interfectorum artificum, quæ in Barbarorum legibus haud semel occurrunt, facile dignoscimus nonnisi e grege servorum, aut ad summum ex manumissorum genere illos fuisse, cum ingenui compositio multo majore pretio pensaretur. Inde reor, ingenuos, quasi militiæ, & reipublicæ natos a mechanicis artibus, ut a vili exercitio abhorruisse. Quæ opinio fixas adeo radices egit, ut hodie quoque perduret.

(2) *Impalaverit.*) *Impalare* est in palum impingere. Vide Legem Ripuar. Tit. LXX. leg. 3. 4.

ierit, mater exinde faciendi quod voluerit liberam habeat potestatem.

IV. Aut si intestata defecerit, mulieris parentes hereditatem ejus suo dominio vindicabunt.

V. Si quis Burgundio filios habet[1], tradita filiis portione, de eo, quod sibi reservavit[2], donare aut vendere, cui voluerit, habeat liberam potestatem.

TITULUS XXV.

De furtis & violentiis.

I. Si quis cujuslibet hortum violenter ingressus fuerit, inferat pro ipsa præsumptione illi, cujus hortus est, sol. III. & mulctæ nomine sol. VI.

II. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat.

TITULUS XXVI.

De excussis dentibus.

I. Si quis quolibet casu dentem optimati[3] Burgundioni vel Romano nobili excusserit, sol. XV. cogatur exsolvere.

II. De mediocribus personis ingenuis, tam Burgundionibus quam Romanis, si dens excussus fuerit, X. solidis componatur.

III. De inferioribus personis, V. sol.

IV. Si servus homini ingenuo voluntarius dentem excusserit, manus incisione damnetur. Si sicut superius statutum est, doceatur admissum, prout persona fuerit, pretium pro dentibus solvat.

V. Si quis ingenuus liberto dentem excusserit, inferat ei solidos tres. Si servo alieno dentem excusserit, det ei[4] cujus servus est, solidos duos.

TITULUS XXVII.

De inruptis sepibus, & clausis itineribus, furtis etiam & violentiis.

I. Si quis sepem alienam nullo impeditus objecto[5], inferendi tantum damni studio ruperit, si ingenuus aperuerit, illi cujus messis est, per singulos palos, singulos tremisses exsolvat: si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat, & sepes, quæ aperta fuerit, reparetur.

II. Hoc etiam de prato & de vinea, præcipimus custodiri.

III. Omnes sane volumus hoc evidenter agnoscere. Quicunque viam publicam aut vicinalem clauserit, XII. sol. se mulctæ nomine noverit inlaturum; ita ut sepes illa impune a transeuntibus[6] deponatur, & messis, quantum viæ spatium continere potuerat[7] conteratur.

IV. Si quis sepem alienam aperuerit, & caballos suos aut animalia in messem aut in pratum voluntarius miserit, si ingenuus[8] hoc fecerit, per singula animalia inferat, pro messis vel prati damno, domino solidos decem singulos[9].

V. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat: ita tamen ut a domino servi damnum, quod admissum fuerit, componatur.

VI. Si vero cujus caballi sunt, inventus a domino messis, dum tenetur ad debitum, resistere fortasse tentaverit, & cæsus fuerit aut plagatus, nullam exinde, cujus messis aut pratum est, calumniam patiatur.

VII. Si quis per diem in vineam alienam furtim aut violenter ingressus fuerit, ut damnum faciat, inferat pro ipsa præsumptione sol. III.

VIII. Si servus hoc fecerit cædatur.

IX. Si quis vineam fructum habentem noctu ingressus fuerit, & a custode vineæ intra vineam fuerit interemptus, ab occisi domino aut parentibus non requiratur[10].

X. Si quis ingenuus vomerem furto abstulerit, duos boves cum junctura & adparatu aratri tradere[11] domino compellatur.

XI. Si servus hoc fecerit, CL. fustium ictus accipiat.

TITULUS XXVIII.

De indulta generaliter incidendorum lignorum licentia.

I. Si quis Burgundio aut Romanus sylvam non habeat, incidendi ligna ad usus suos de jacentivis & sine fructu arboribus in cujuslibet sylva habeat liberam potestatem (1), neque ab illo cujus sylva est repellatur.

II. Si quis vero arborem fructiferam in aliena sylva, non permittente domino, fortasse inciderit, per singulas arbores, quas incidit, singulos solidos domino sylvæ inferat. Quod etiam de pinis & abietibus[12] præcipimus custodiri. Quod si servus hoc fecerit, fustigetur: & dominus ejus nullum damnum aut calumniam patiatur.

III. Si quis vero quemquam de jacentivis & non fructiferis arboribus lignum usibus suis necessarium præsumere fortasse non permiserit, ac si ei pignora tulerit, restitutis in triplum pignoribus, inferat mulctæ nomine solidos sex.

TI-

1 Al. Ms. *habens*. 2 Al. Mss. *reservat*. 3 Al. Ms. *optimatum*. 4 Al. Ms. *inferat ei*. 5 Al. Ms. *nullo impedito subjecto*; Al. *nullum impeditum subjectum*. 6 Al. Mss. *transitoribus*. 7 Al. *putatur*. 8 Deest in al. Ms. *ingenuus*. 9 Al. *solidos singulos*. 10 Al. Mss. *quaratur*. 11 Al. Mss. *adparatum aratri regle tradere*. 12 Al. Ms. *pænis & abjectibus*.

(1) *Potestatem.*) Id eo facilius forte obtinebat ex reliquiis antiqui instituti Germanici, quo agri omnes *Communales* esse censebantur, ut alibi dictum est. Videatur Tacitus Germ. cap. XXVI. & Cæsar de Bello Gallico lib. VI. cap. 22.

TITULUS XXIX.

De superventoribus & effractoribus.

I. Si quis superventu aut latrocinii scelere negociatorem aut aliquem occiderit, occidatur: ita ut si ea quæ abstulit non potuerint inveniri, in simplum de suis facultatibus reformetur.

II. Quod si superventum inferens, ab his quos latrocinio suo crediderat expetendos fuerit interfectus, nulla interfectoribus ab occisi dominis aut parentibus moveatur ex hac parte causatio.

III. Effractores omnes, qui aut domus aut scrinia [1] (1) expoliant, jubemus occidi.

TITULUS XXX.

De corruptis mulieribus.

Quicunque ingenuus ancillæ violentiam fecerit, & vis potuerit adprobari, inferat ei, cujus ancilla est, sol. XII. Si servus hoc fecerit, centum quinquaginta [2] fustium ictus accipiat.

TITULUS XXXI.

De plantandis vineis.

I. Inter Burgundiones & Romanos id censuimus observandum, ut quicunque in communi campo nullo contradicente vineam fortasse plantaverit, similem campum illi restituat, in cujus campo vineam posuit.

II. Si vero post interdictum quicunque in campo alterius vineam plantare præsumpserit, laborem suum perdat, & vineam cujus est campus accipiat.

TITULUS XXXII.

De eo qui hominem inlicite & sine caussa ligaverit.

Si quis hominem ingenuum innocentem ligaverit, & hoc ingenuus fecerit, inferat ei, quem ligaverit, solidos XII. & mulctæ nomine sol. XII. Si libertum ligaverit, inferat ei, quem ligavit, sol. VI. & mulctæ nomine solidos VI. Si servum ligaverit, inferat ei solidos tres: & mulctæ nomine sol. III. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat.

TITULUS XXXIII.

De injuriis, quæ mulieribus inlatæ fuerint.

I. Si qua mulier ingenua in domo sua a quocunque ingenuo aut in via innocens discapillata fuerit, aut detracta, & testibus hoc potuerit approbari, inferat ei auctor facti sol. XII. & mulctæ nomine sol. XII. [3] Si libertæ hoc factum fuerit, inferat ei sol. VI. Si ancillæ hoc factum fuerit, inferat ei sol. III. & mulctæ nomine sol. III.

II. Si a servo hæc ingenuæ inrogatur injuria, ducentos: si libertæ, centum: si ancillæ, septuaginta quinque fustium ictus accipiat.

III. Si vero mulier illa, cujus tali ordine injuriam jussimus vindicari, liti se sponte miscuerit, pro inlata injuria nihil quæratur.

TITULUS XXXIV.

De divortiis.

I. Si qua mulier maritum suum, cui legitime juncta est, dimiserit, necetur in luto (2).

II. Si quis uxorem suam sine caussa dimiserit, inferat ei alterum tantum, quantum pro pretio ipsius dederat: & mulctæ nomine sol. XII.

III. Si quis vir uxorem suam forte [4] dimittere voluerit, & ei potuerit vel unum de his tribus criminibus adprobare, id est, adulteram, maleficam, vel sepulchrorum violatricem [5], dimittendi eam habeat liberam potestatem: & judex in eam, sicut debet in criminosam, proferat ex lege sententiam.

IV. Quod si de his tribus facinoribus [6] nihil admiserit, nulli virorum liceat de altero crimine uxorem suam dimittere: sed si maluerit, exeat de domo rebus omnibus dimissis, & illa cum filiis suis his quæ maritus habuit, potiatur.

T I-

1 Al. Ms. *sceunias.* 2 Al. Ms. *centum.* 3 Al. Mss. desunt, *& mulctæ nomine sol. XII.* 4 Al. Mss. *uxorem suam sine caussa forte.* 5 Al. Mss. *adulterium, maleficium, vel sepulchrorum violatriam.* 6 Al. Mss. *facinoribus his.*

(1) *Scrinia.*) Alia lectio habet *sceunias*, seu *screunias*. *Schrein* autem non solum de opere scriniario, sed de quolibet conditorio intelligitur, imo & de tugurio, & præcipue de subterraneo tugurio, aut specu, veteribus Germanis usitato (V. Wachter. Gloffar. V. *Schrein*) qui Tacito Germ. cap. XVI. dictus est *suffugium hiemi, & receptaculum frugibus*. Lex Salica Titulo XIV. cap. I. *Si tres homines ingenuam puellam de casa, aut de screona rapuerint*. Atqui puella non rapitur de scrinio. Vide, quæ in hunc legis Salicæ locum congessere eruditissimi viri Bignonius & Eccardus Tomo II. hujus Collectionis relati.

(2) *Necetur in luto.*) Eo scilicet mortis genere mulctatur, quo imbellem, aut corpore infamem decebat. De veteribus Germanis hæc habet Tacitus Germ. cap. XII. *Distinctio pœnarum ex delicto. Proditores & transfugas arboribus suspendunt. Ignavos, & imbelles, & corpore infames cœno, ac palude, injecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat dum puniuntur, flagitia abscondi*. Discrimen inter scelus & flagitium dignoscimus ex Augustino libro III. de Doctrina Christiana cap. 16. scribente: *Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum, & corpus suum*, Flagitium *vocatur*. *Quod autem agit, ut alteri noceat*, Facinus *dicitur*. *Et hæc sunt duo genera omnium peccatorum*.

TITULUS XXXV.

De servorum suppliciis, qui ingenuis mulieribus vim pudoris intulerint.

I. Si quis servus vim mulieri ingenuæ fecerit, & questa fuerit, & evidenter hoc potuerit adprobare, servus pro admisso crimine occidatur.

II. Si vero ingenua puella voluntarie se servo conjunxerit: utrumque jubemus occidi.

III. Quod si parentes puellæ parentem suam punire fortasse noluerint, puella libertate careat, & in servitutem regiam redigatur.

TITULUS XXXVI.

De incesti adulterio.

Si quis cum parente sua, vel uxoris suæ sorore, in adulterio fuerit deprehensus, pretium suum ei, qui est proximus mulieri quam adulteravit [1], prout persona fuerit, cogatur exsolvere: & mulctæ nomine sol. XII. Adulteram vero subdi jubemus regiæ servituti.

TITULUS XXXVII.

De educto gladio.

Quicunque spatham, aut semispathium [2] eduxerit ad percutiendum alterum, & non percusserit, inferat mulctæ nomine sol. XII. Si percusserit, inferat similiter sol. XII. & de inflicto vulnere judicetur.

TITULUS XXXVIII.

De hospitalitate legatis exterarum gentium, & itinerantibus non neganda.

I. Quicunque hospiti venienti [3] tectum aut focum (1) negaverit, trium solidorum inlatione mulctetur.

II. Si conviva Regis (2) est, VI. solidos mulctæ nomine solvat.

III. De legatis (3) vero extranearum gentium, ut dictum est, id volumus custodiri, ut ubicunque eos mansio contulerit, unum porcum, aut unum berbicem præsumendi habeant facultatem: & qui fieri prohibuerit, VI. sol. mulctæ nomine cogatur exsolvere. Et quod datum fuerit legatis, ei qui dedit ab his qui intra terminum villæ ipsius commanent, compensetur.

IV. Hyemis autem tempore si quid legatus fœni aut hordei præsumpserit, similiter a consistentibus intra terminum villæ ipsius, tam Burgundionibus quam Romanis, sine contradictione aliqua conferatur. Quod tantum [4] a majoribus personis præcipimus custodiri.

V. Ceterum si talis persona est, quæ ex munificentia nostra legatum possit excipere, ipse tantum ex sua expensa [5] legatis una nocte præparet mansionem. Quod si non fecerit, XII. sol. se mulctæ nomine noverit inlaturum.

VI. Si in caussa privata [6] iter agens ad Burgundionis domum venerit, & hospitium petierit, & ille domum Romani (4) ostenderit, & hoc potuerit adprobari, inferat illi cujus domum ostenderit, solidos tres: & mulctæ nomine, solidos tres.

VII. Si quis in agro regio vel colonica voluerit adplicare, & non permissus fuerit, colonus fustigetur.

VIII. Si autem hospes ibidem aliquid insolenter everterit, in novigildo restituat.

IX. Si in villa conductor ingenuus est, & tectum aut focum non dederit, inferat mulctæ nomine sol. III. Si servus est, fustigetur.

X. Quod de Burgundionum & Romanorum omnium colonis & servis præcipimus custodiri.

TITULUS XXXIX.

De receptis advenis.

I. Quicunque hominem extraneum cujuslibet nationis ad se venientem susceperit, discu-

1 Al. Mss. *quæ adulteravit.* 2 Al. *semispatham.* 3 Al. Ms. *hospitium venienti.* 4 Al. Ms. *Quod tamen.* 5 Al. Ms. *sua expensa.* 6 Al. Ms. *casa proliata*, Al. *praliata.*

(1) *Focum.*) Hospitalitas præscripta, prout inter Barbaros maxime sacra, atque peregrinis, & hospitibus necessaria, præsertim dum publicorum diversariorum usus non erat. Inde & tot hospitalia pro peregrinis erecta, in quibus ex legibus cautum erat, ne denegaretur hospitibus *tectum, aqua, focus, & palea.* Vide Muratorium Antiquit. Italic. Differt. XXXVII. Hospitalitatem ex præcipuis Barbarorum virtutibus extitisse e veterum testimoniis edocemur, ex quibus quamplura congessit Pelloutérius *Hist. des Celtes* lib. II. cap. 16. Ego tantummodo referam Tacitum nostrum Germ. c. XXI. *Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur: pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii & comes, proximam domum non invitati adeunt; nec interest; pari humanitate accipiuntur. Notum, ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid popósceris, concedere moris: & poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus; sed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hospites comis.*

(2) *Conviva Regis.*) Qui in familia Regis esse censetur, atque eo nomine mensam, aut quidquam mensæ titulo percipit. Hujusmodi adhuc in Francia dicuntur, *Officiers Commensaux de la Maison du Roy*; in aula Romana, *Commensales Papæ.*

(3) *De legatis.*) Leges III. IV. V. hujus tituli præclara præseferunt lineamenta jurium vulgo nuncupatorum *Mansionatici*, & *Procurationis*, quæ ex Barbarorum institutis, atque ex antiquo inter eos generali hospitalitatis jure descendisse indubius credo.

(4) *Romani.*) Hinc iterum magis elucescere colligo Barbarorum curam circa jus hospitalitatis. Apud Slavos Helmoldo teste lib. I. c. 83. *Si quis, quod rarissimum est, peregrinum hospitio removisse deprehensus fuerit, hujus domum, vel facultates, incendio consumere licitum est, atque in id omnium pariter vota conspirant, illum inglorium, illum vilem, & ab omnibus exsibilandum dicentes, qui hospiti panem negare non timuisset.* Consonat & illud Caroli II. Regis Sveciæ, qui *ter denegantis hospitium advenis ædes immisso igne comburi jussit.* Loccenius Antiq. Sveogoth. lib. II. c. 22.

ſcutiendum judici præſentet, ut cujus ſit, tormentis adhibitis fateatur.

II. Quod qui [1] intra ſeptem dies non fecerit, & a domino agnitus fuerit, is apud quem ſervus inventus eſt, ad triplam ſolutionem pretii ipſius [2] teneatur; exceptis his, qui per captivitatem abducti, ad dominos [3] aut ad parentes, & ad ſolum proprium redierunt.

III. Verum ſi inconſcio domino ignotus veniens ab actore aut colono cujuſcunque receptus fuerit aut celatus, trecentos fuſtium ictus accipiat: & dominus ſacramenta dependat, de latebra fugitivi conſcientiam ſuam non teneri.

IV. De tertio autem mancipio ſimili conditione, ſicut & de captivo, conſervata [4]; ita ut eum is ad quem venerit, non occultet, ſed continuo ad dominum faciat remeare. Quod niſi fecerit, mancipium quod in diſpendium domini retinuerit, cum dupla mercede dominationi reſtituat.

V. Quod ſi ſervus inconſcio domino de mancipii ipſius retentione [5] convincitur, ducentos fuſtium ictus accipiat.

Titulus XL.

De manumiſſionibus.

I. Si quis Burgundio mancipium juris ſui libertate [6] donaverit, & ſi eum [7] ſub occaſione levis offenſæ in ſervitium crediderit revocandum, hanc ſibi manumiſſor licentiam præſenti lege noverit denegatam: nec prius ad priſtinam conditionem manumiſſus poterit revocari [8]; niſi forte talia in damnum & [9] contumeliam abſolutoris ſui admiſiſſe in judicio convincatur, ut merito conlatam debeat perdere libertatem. Hujus vero actionis pontificium (1) circa manumiſſores tantum de libertis ſuis [10] præcipimus cuſtodiri.

II. Ceterum heres ejus, a quo mancipium fuerit abſolutum, in qualibet cauſſa libertum patris ſui non aliter quam ingenuum, noverit eſſe pulſandum.

Titulus XLI.

De meſſibus incendio concrematis.

I. Si quis in exarto [11] (2) focum fecerit, & focus nullo compellente vento per terram currens ad ſepem vel meſſem pervenerit alienam, quidquid concrematum ex eâ fuerit, ab eo, qui focum fecit, reformetur.

II. Si vero flammam ignis ad ſepem vel meſſem alterius vis venti tranſtulerit, damnum quod inlatum eſt ab eo, qui focum fecerit, non quæratur.

Titulus XLII.

De hereditatibus eorum, qui ſine filiis moriuntur.

I. Licet de hereditatibus eorum, qui ſine filiis moriuntur, complura prioribus legibus juſſerimus, tamen nunc impenſius univerſa tractantes juſtum eſſe proſpeximus, ut aliqua ex his, quæ ante præcepta fuerant, corrigantur. Idcirco præſenti conſtitutione decernimus, ut ſi mulier defuncto ſine filiis conjuge ſuo ad ſecunda vota non ierit, tertiam totius ſubſtantiæ mariti uſque ad diem mortis ſuæ ſecura poſſideat: ſic tamen ut poſt tranſitum ejus, ad legitimos mariti heredes omnia revertantur.

II. De morgengeba (3) vero, quod prio-

ri

1 Al. Ms. *Quod quiſquis*. 2 Al. Ms. deſunt *pretii ipſius*. 3 Al. Ms. *a dominis*. 4 Al. Ms. *ſervata*.
5 Al. Mss. *retentatione*. 6 Al. *mancipio juris ſui libertatem*. 7 Al. *ac ſi eum*.
8 Al. Ms. *manumiſſor poterit revocare*. 9 Al. Ms. *aut*. 10 Al. Ms. *libertates ſuas*. 11 Al. Ms. *exartu*.

(1) *Pontificium.*) Hæc vox, quæ occurrit & ſupra Tit. XIX. lege 6. nil aliud, ut per ſe patet, hic indigitat, niſi *jus*, & *poteſtatem*. Quo ſenſu occurrit & apud Marculphum, & alibi non ſemel; imo & in Cod. Theodoſiano *de maternis bonis*, & *de fide Catholica*.

(2) *In exarto.*) Ad legem Bajuvariorum Tit. XVI. c. 1. lege 1. animadverti *exartum* dici, cum ſylva aut dumetum ſucciditur, & conſumptis, aut evulſis radicibus terra ſubvertitur, & excolitur. Ex hac Burgundionum lege confirmatur, quod ibidem dixi; ſcilicet antiquis Barbaris ignotum non fuiſſe, exciſæ ſylvæ ignem ſubjicere, ut arvum e lignoſa materia expurgaretur, & cineribus fertilius redderetur. Facile autem contingere poterat, ut diſcurrens ignis ad aliena arva concremanda perveniret. Qua de re in præſenti lege ſermo fit.

(3) *De morgengeba.*) De Morgengaba recolere hic juvat, quæ dixi ad Titul. LVI. legis Alamannorum Tomo II. hujuſce Collectionis. Erat ſiquidem quondam gratuitum donum a marito poſt primam nuptiarum noctem novę nuptæ factum, quod in tantam liberalitatem excreverat ſaltem inter Langobardos, ut Rex Liutprandus ſtatuerit, quod *ſi quis Langobardus Morgingab conjugi ſuæ dare voluerit, quando ſibi eam in conjugio ſociaverit . . . . tamen ipſum Morgengab volumus, ut non ſit amplius, niſi quarta pars de ejus ſubſtantia, qui ipſum Morgengab dedit. Si quidem minus dare voluerit de rebus, quam quarta portio ſit, habeat in omnibus licentiam dandi, quantum voluerit. Nam ſuper ipſam quartam portionem dare nullatenus poſſit*. Leg. Langob. Liutpr. lib. II. lege I. Sed quod ut ſummum gratuitæ liberalitatis mariti fuerat conſtitutum, & poſt initum conjugium uxori ex arbitrio aſſignandum, procedente tempore certe Langobardis tanquam debitum habitum eſt, adeo ut a feminis ante nuptiarum ſolemnia exigeretur Morgengabæ in quarta bonorum portione vadimonium in ipſo actu ſponſaliorum. In formulis Regni Italici, ad legem CLXXXII. Rotharis Regis, cum de ſponſalibus agatur, hæc leguntur: *Da vadiam, quod facies ei quartam portionem de quanto tu habes, aut in antea adquirere potueris, tam de re mobili, quamque immobili, ſeu familiis, & ſi te ſubtraxeris, componas libras C.* Similia leguntur in Formula ad legem CXCVI. ejuſdem Regis. Quin & vadimonio inter ſponſalia dato charta aſſignationis Morgengabæ adhuc ante ipſum initum matrimonium conſtituebatur. Inter eaſdem formulas una inſcribitur *Traditio donationis propter nuptias*, in qua hæc habentur: *Martine, trade per hanc pergamena carta de Morgin-*

ri lege ſtatutum eſt, permaneat. Nam ſi a tempore obitus prioris mariti infra annum nubere voluerit, habeat liberam poteſtatem: & tertiam ſubſtantiæ partem, quam permiſſa fuerat poſſidere, dimittat. Ceterum ſi emenſo anno vel biennio maritum voluerit accipere, omnia ſicut dictum eſt, quæ de priore marito habuit, derelinquat, & pretium quod de nuptiis ejus inferendum eſt, accipiat: & parentibus defuncti mariti debetur hereditas.

DATA AMBARIACO IN COLLOQUIO SUB DIE III. NON. SEPTEMB. ABIENO VC. CONS.

TITULUS XLIII.

De donationibus.

I. Licet plura de donationibus lex noſtra de ſuperioribus temporibus data præceperit, tamen quia ex ipſo eodemque titulo oriuntur aliqua, de quibus non evidenter [1] legitur conſtitutum, neceſſe eſt, ut præſentis legis adjectione, quæ prius fuerant prætermiſſa, definiantur [2]. Ideoque hoc ordine in populo noſtro donationes factæ & teſtamenta valebunt, ut quinque aut ſeptem teſtes donationi aut teſtamento, prout poſſunt, aut ſigna aut ſubſcriptiones adjiciant. Quod ſi minor teſtium numerus interfuiſſe probetur, facta donatio, aut conditum teſtamentum, nullam habere poterit firmitatem.

II. In aliis vero, hoc eſt in minoribus, tres idoneos teſtes jubemus admitti.

III. Ceterum de teſtamentis & donationibus ſtatuta ſuperius forma ſervabitur.

TITULUS XLIV.

De adulteriis puellarum & viduarum.

I. Si qua Burgundionis ingenui filia, priuſquam marito tradatur, cuicunque ſeu Barbaro, ſeu Romano, occulte [3] adulterii ſe fœditate conjunxerit, & poſtmodum ad quærimoniam facti proceſſerit, & ſic objecta [4] claruerint, is qui in ejus corruptione fuerit accuſatus, & ut dictum eſt, certa probatione convictus [5], inlatis xv. ſolidis nullam calumniam patiatur. Illa vero facinoris ſui dehoneſtata flagitio amiſſi pudoris ſuſtinebit infamiam.

II. Quod ſi mulier vidua cuicunque ſe non invita, ſed libidine victa, ſponte miſcuerit, & in vocem accuſantis [6] eruperit, nec ſtatutum percipiet numerum ſolidorum, nec eum cui ſe tali dedecore ſociaverit conjugio ipſius, reclamante eo, jubemus addici [7]: quia juſtum eſt, ut actuum ſuorum vilitate confuſa, nec matrimonio ſit digna, nec præmio (1).

TITULUS XLV.

De his qui objecta ſibi negaverint, & præbendum obtulerint jusjurandum.

Multos in populo noſtro & pervicatione [8] cauſantium & cupiditatis inſtinctu ita cognoſcimus depravari, ut de rebus incertis ſacramenta plerumque offerre non dubitent, & de cognitis jugiter perjurare (2). Cujus ſceleris conſuetudinem ſubmoventes præſenti le-

1 Al. Ms. *evidens*. 2 Al. Mss. *finiantur*. 3 Al. Mss. *occulta*. 4 Al. Mss. *aut ſi objecta*. 5 Al. Mss. *potuerit convinci*. 6 Al. *cauſantis*. 7 Al. Mss. *conjugem ipſius reclamantem jubemus adjici*. 8 Al. Mss. *pervagatione*.

---

gincap ad Aldam de quarta portionem de omnium rerum, quæ nunc abes, aut in antea aquiſtare potueris tunc rerum mobilium, quam immobilium, ſeu familia, ut ipſa faciat hæredes noſtri ſecundum legem, quod facere velint. Specimem chartarum hujuſce generis exhibuit Muratorius Antiq. Italic. Differt. XX., quod ad plenam rei intelligentiam huc exſcribere lubet.

In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno a Nativitate ejuſdem MCLXXXV. quintodecimo Kalendas Decembris, Indictione III. Dilecta valde atque amabilis mihi ſemper Nomencale filia Guaſconi de Monticlariculo honeſta femina, Sponſa mea. Ego quidem in Dei nomine Guidotus filius quondam Vilani de prædicto loco, qui profeſſus ſum ex natione mea Lege Langobardorum vivere, Sponſus & dator tuus, præſens præſentibus dixi: Manifeſta cauſa eſt mihi, quoniam die illo, quando te ſponſavi, promiſeram tibi dare juſtitiam tuam, ſecundum Legem meam, in Morgincap, ideſt quartam portionem omnium rerum mobilium, & immobilium, quas nunc habeo, aut in antea habuero. Nunc autem, ſi Chriſto auxiliante te in conjugio ſociavero, ſupraſcriptam quartam portionem omnium rerum mobilium & immobilium, ut ſupra legitur, tuæ dilectioni do, cedo, confero, & per præſentem cartam Morgincap in te habendum confirmo, ut facies exinde a præſenti die tu & heredes tui, aut cui vos dederitis, quicquid volueritis ex mea pleniſſima largitate.

Actum Montiſclariculi feliciter.

Ego Ainricus Notarius Sacri Palatii rogatus interfui, & ſcripſi.

Animadverte, quam recte charta hæc cum ſupra allegatis formulis conveniat. Sponſus promiſerat Morgincap, quando feminam deſponſaverat; inde vero ante conjugium chartam conſcribit; & quod ex Liutprandi lege, & ex antiquis moribus donum fuit mere gratuitum, hic appellatur *juſtitia* ſecundum Legem Langobardorum. Hæc extra ollas longius attuli, ut perſpicuo exemplo ſint, quo intelligamus, formulas veteres non ſemper legibus cohærere, & varietates ipſas variatam jurisprudentiam edocere; atque proinde formulas non ſecus ac leges neceſſarias eſſe intelligendæ jurisprudentiæ medii ævi.

(1) *Nec præmio.*) Quæ hoc in titulo conſtituta ſunt, Taciti dicto haud parum conſonant, dum de Germanis feminis Germ. c. XIX. hæc habet: *Publicatæ pudicitiæ nulla venia. Non forma, non ætate, non opibus, maritum invenerit. Nemo enim illic vitia videt: nec corrumpere, & corrumpi ſæculum vocatur.*

(2) *Perjurare.*) Burgundiones facile ad ſacramenta adactos fuiſſe illud probat, quod nec parvulis parceretur; ut innuitur ex Capitularium libro I. c. 63. *Et ut parvuli, qui ſine rationabili ætate ſunt, non cogantur jurare, ſicut Gundebodingi faciunt.* Videtur etiam in quibuſ-

ge decernimus, ut quotiens inter homines nostros caussa surrexerit, & is qui pulsatus fuerit, non deberi a se quod requiritur, aut non factum quod objicitur, sacramentorum obligatione negaverit. Hac ratione litigio eorum finem oportebit imponi: ut si pars ejus, cui oblatum fuerit jusjurandum, noluerit sacramenta suscipere, sed adversarium suum veritatis fiducia armis dixerit posse convinci, & pars diversa non cesserit, pugnandi licentia non negetur. Ita ut unus de eisdem testibus, qui ad danda convenerant sacramenta, Deo judicante confligat: quoniam justum est, ut si quis veritatem rei incunctanter scire se dixerit, & obtulerit [1] sacramentum, pugnare non dubitet. Quod si testis partis ejus, quæ obtulerit sacramentum, in eo certamine fuerit superatus, omnes testes qui se promiserant juraturos, trecenos solidos mulctæ nomine, absque ulla induciarum præstatione, cogantur exsolvere. Verum si ille qui renuerit sacramentum, fuerit interemptus, quidquid debebat, de facultatibus ejus novigildi solutione pars victoris reddatur indemnis, ut veritate potius quam perjuriis delectentur.

Data sub die v. Kal. Iunias Lugduni Abieno VC. Cons.

Titulus XLVI.

De his, qui tensuras ad occidendum lupos posuerint.

Oporter ut ea, quæ in populo nostro aut contentionem faciunt, aut hominibus periculum videntur inferre, interdicto legis rationabiliter corrigantur. Et idcirco jubemus, ut quicunque a præsenti tempore occidendorum luporum studio arcus posuerint, statim hoc ipsum vicinis suis eodem die vulgantes cognoscant, ita ut tres lineas ad prænoscenda positi arcus indicia diligenter extendant, ex quibus duæ superiores [2] sint; quæ si aut ab homine per ignorantiam veniente, aut ab animali domestico tactæ fuerint, sine periculo sagittas arcus emittat. Quod si hoc modo provisa res fuerit, ut tensuræ factæ circumsistentibus innotescant, quicunque ingenuus incaute veniens casum mortis aut debilitatis incurrerit, nullam ex hoc calumniam is, qui arcus posuerit, sustinebit: sed xxv. solidos tantum occisi parentibus curabit inferre. Quod si servus ille fuerit sagittatus, sine aliqua solutione jacebit inultus. Verum si is qui arcus tetenderit, & vicinis non notum fecerit, & lineas non illa, qua jussimus, diligentia & traditione posuerit [3], quicunque ingenuus aut servus ibidem fuerit interfectus, integrum pretium ejus, prout persona fuerit, occisi parentibus aut domino, secundum constitutionem priorum legum, a judice compellatur exsolvere.

Titulus XLVII.

De condemnatione latronum, uxorum quoque suarum & filiorum.

I. Licet superioribus legibus fuerit constitutum quemadmodum oportet latronum crimina resecari; tamen quia sceleratorum atrocitas nec suppliciis hactenus, neque dispendiis ad integrum potuit submoveri, præsenti lege decernimus: ut quicunque ingenuus, tam Barbarus quam Romanus, vel cujuslibet nationis persona, intra regni nostri provincias constituta, caballos aut boves furto abstulerit, & uxor ejus commissum crimen non statim prodiderit, ut occiso marito suo ipsa quoque libertate privetur [4] (1), & in servitium ejus, cui furtum factum fuerit, sine dilatione tradatur; quia dubitari non potest, & sæpe compertum est, eas maritorum suorum criminibus esse participes.

II. Circa filios quoque talium personarum hæc servabitur ex lege districtio, ut quicunque ex eis eo tempore, quo furtum admissum fuerit, quartum decimum ætatis annum excesserit, eo quod mater ipsius amissæ libertatis præjudicio condemnetur, ejus quoque dominio perpetua obnoxiatione [5] deserviat, cui furtum factum fuisse constiterit: quoniam in eo annorum numero constitutus commissum scelus absque ulla dubitatione cognoscit.

III. Hi vero sceleratorum filii, qui perpetrati criminis tempore intra decimum ætatis annum inveniuntur, ab hac amittendæ libertatis condemnatione habeantur immunes. Quia sicut in tam parva ætate intellectus eorum scientiam commissorum a patre criminum non habebit, ita nec culpari poterunt, nec ingenuitatis præjudicium sustinebunt: & sortem parentum vel facultatem filii, qui innocentes fuerint, vindicabunt.

IV. De servorum etiam furtis & sceleribus ea districtionis forma servabitur, quam ante latæ legis forma complectitur.

Ti-

1 Al. Mss. *ut si . . . se dixerint, & obtulerint.* 2 Al. Ms. *superius.* 3 Al. *lineas in illa . . . non posuerit.*
4 Al. Mss. *prohibeatur.* 5 Al. Mss. *obnoxietate.*

busdam causis oblato juramento, & alterutra parte adhuc cum consacramentalibus (qui hic *testes* appellantur) jurante, posthabitis quoque legalibus testibus, litem finiri. Quod mordet Agobardus legi Gundobadæ infensus: *Ex qua re soritur res valde absurda, ut si aliquis eorum in cœtu populi, aut etiam in mercato publico commiserit aliquam pravitatem, non coarguatur testibus, sed sinatur perjurare, tanquam non fuerint, per quos veritas posset agnosci.* Agobard. adversus legem Gundobad. c. VI.

(1) *Libertate privetur.*) Animadverte legis severitatem adversus furta majora, & præcipue furta animalium. Repete huc dicta ad legem Bajuvariorum Tit. VIII. c. 8.

Titulus XLVIII.

De inflictis vulneribus.

I. Si quicunque in re sua violenter resistit, superioribus quidem legibus tenetur insertum, quemadmodum de inflictis ferro vulneribus judicetur: sed quod in ea constitutione pro emergentibus caussis cognoscitur prætermissum, præsenti lege oportuit diffiniri. Si quis igitur fuste aut lapide brachium alterius fregerit, & usum [1] ejusdem membri percussus sine certa debilitate perdiderit, decimam partem pretii ejus secundum qualitatem personæ, sicut anterioribus legibus docetur adscriptum [2], auctor facti cogatur exsolvere.

II. Similem quoque conditionem, si alter alterius tibiam, ea qua dictum est temeritate, percusserit fregeritque, in compositione criminis præcipimus custodiri.

III. Ceterum si aut brachium cujuscunque aut tibia supradicto ordine fracta, & evidenti fuerint debilitate damnata, ea compositionis forma servabitur, quæ ante latis legibus legitur fuisse decreta.

IV. Ceterum si quicunque in rem suam violenter resistens, hæc quæ dicta sunt, ex necessitate commiserit, is qui inlæsus abscesserit, medietatem statutæ solutionis, prout diversitas culpæ poposcerit, imminente judice cogatur inferre.

Titulus XLIX.

De animalibus damnum facientibus in clausura missis, seu caballis pervagantibus.

I. Ad utilitatem & quietem constat omnium pertinere, ut de singulis quibuscunque caussis generalis diffinitio proferatur; sicque fiat, ut locorum comites atque præpositi competenter instructi evidentius judicanda cognoscant. Si quis igitur caballos, aut boves, aut quæcunque animalia vicini aut consortis sui damnum sibi facientia ad domum suam claudenda perduxerit, ac sic ea, priusquam ad dominum ipsorum directus possit nuncius pervenire, incendii casus everterit, medietatem eorum clausor exsolvat, nihilque ab eo amplius postuletur.

II. Verum si animalia in clausura redacta, die & nocte fuerint retenta, & domino eorum actorique rem, is, a quo [3] tenebuntur, scire non fecerit, & qualibet postmodum occasione perierint, omnia ab ipso, qui ea tacens retinuerit, reformentur. Nam si ille ad quem animalia pertinebunt admonitus fuerit, ut ea sicut ordo postulat taxata prius damni inlatione recipiat, idque facere inconsulta abusione tardaverit, & dum intra clausuram retinentur, casum mortis aut debilitatis incurrerint, nullam exinde calumniam, nullumque solutionis dispendium is, a quo [4] retenta fuerint, patiatur. Quam quidem rem inter consortes & vicinos præcipimus custodiri.

III. Ceterum de jumentis & animalibus longius, ut solet fieri, pervagantibus, quod prius statutum est universitatem conveniet observare, id est, ut caballos alienos per regionem vagantes nemo corripiat. Sane si eos in re sua damnum sibi facientes invenerit clauseritque, vicinis suis & consortibus contestetur: & si dominus eorum non venerit, tertio die eos præsentibus testibus extra fines suos expellat. Quod si quisquam aliter fecerit, & convictus fuerit, triplici redhibitione teneatur [5] obnoxius.

IV. Eam sane [6] legem, per quam [illegible] actis temporibus inventos captosque caballos contestari, & ad pueros nostros, qui mulctam [7] per pagos exigunt, jusseramus [illegible] ci, ut eorum studio & diligentia servarentur, jampridem placuit non admitti: quoniam sæpe atque evidenter cognovimus, sub ejus legis specie diversorum caballos eversos [8] potius, quam servatos.

Titulus L.

De occisis actoribus tam Regiæ Domus, quam Privatorum.

I. Quotiens ejusmodi caussæ consurgunt, de quibus præcedentium constitutionum ordo non evidenter observanda decrevit, necesse est ut terminandæ causationis modum instructio legibus adjecta contineat: quatenus singulorum locorum judices ignorantiæ cunctatione submota, finem litibus congruenter imponant. Idcirco jubemus, ut si quis tam Burgundio quam Romanus ingenuus [9], actorem possessionis nostræ non manifesta necessitate compulsus occiderit, centum quinquaginta solidos cogatur inferre.

II. Si alterius fuerit actor occisus, centum solidi in compositione criminis numerentur.

III. Verum si a servo cujusquam ignorante domino actor patrimonii nostri, vel cujuslibet alterius, occidatur, sicut de reliquis statutum est, servus tradatur ad mortem.

IV. Quod si sciente domino crimen homicidii fuerit perpetratum, servus judici præsentatus intereat: dominus vero integrum interfecti pretium solvat: mulctæ autem nomine sol. XII. [10] compellatur inferre.

V. Ceterum si quisquam seu nostrum seu privati hominis actorem, cæde aut vulneribus vexatum [11] occiderit, idque evidenter fuerit adprobatum, ea satisfactionis forma servabitur [12], quam custodiri anteriorum legum statuta jusserunt.

1 Al. Ms. *& os.* 2 Al. *exceptum.* 3 Al. Mss. *dominorum eorum actorum quærens is a quo.* Al. *dominum eorum actoremque rei is a quo.* 4 Al. *calumniam solutionis aut dispendium is a quo.* 5 Al. *reddatur.* 6 Al. *Eam tamen.* 7 Al. Mss. *& a pueris nostris qui mulcta.* 8 Al. *deversos.* 9 Al. *Romanus ingenuum.* 10 Al. Mss. *mulctam nihilominus XII. solid.* 11 Al. *cadendo aut vulneribus vexando.* 12 Al. Ms. *tenebitur.*

TITULUS LI.

De his, qui debitas filiis substantiæ suæ portiones non tradiderint.

I. Quamlibet hæc in populo nostro antiquitus fuerint observata [1], ut pater cum filiis propriam substantiam æquo jure divideret; tamen emissa jam pridem lege custodiri hujusmodi ordinem jussimus, & patrum utilitatibus consulentes adjecimus, ut ex eo, quod in portione patris veniebat, faciendi quod voluisset, haberet liberam potestatem. Sed quia in nostra nuper disceptatione præclaruit, Athilam [2] quendam & antiquæ constitutionis seriem præteriisse, & saluberrimæ legis præceptionibus resultasse, nec debitam tradidisse filio portionem, & ita facultatem suam per illicitos scripturarum titulos ad alias transtulisse personas, ut nihil exinde ad filium voluerit pertinere: ne quisquam improbum hujusmodi sequeretur exemplum, quod contra legem fecerat, ex lege jussimus non valere, omnemque ejus substantiam filio addiximus possidendam. Judicium quoque nostrum ut præsumptoris inobedientiam resecavit, ita inditam legibus generalis præcepti justitiam retinebit [3]. Idcirco salvo eo, quod in hujusmodi negotiis promulgata dudum lege præcepimus, quisque patrum filiis competentes substantiæ non tradiderit portiones, nihil in contrarium per scripturam in præjudicium [4] faciat filiorum: aut si fecerit, nullius poterit esse momenti.

II. Illud tamen hujuscemodi legis vigore [5] placuit diffiniri, ut filius de portione quam acceperit, faciendi quod voluerit liberum potiatur arbitrium: ita ut si sine sobole moriatur, & patrem ejus superesse fatorum decreta [6] permiserint, & de rebus in suo dum adviveret jure compositis neque donationem fecerit, neque condiderit testamentum, pater suus ita successionem, de qua loquimur, suis partibus vindicabit, ut nihil exinde abalienandi potestatem habeat: ipsoque in fata collapso ad reliquos filios defuncti fratris [7] substantia remanebit.

III. Ornamenta quoque & vestimenta matronalia ad filias absque ullo fratris fratrumque consortio pertinebunt.

IV. Quod quidem de his ornamentorum vestimentorumque speciebus circa filias ex lege servabitur, quarum mater intestata decesserit. Nam si quid de propriis ornamentis vestibusque decreverit, nulla in posterum actione cassabitur [8].

V. Quod si nec dum nupta puella sorores habens de hac luce transierit, suamque per scripturam, aut coram testibus non vulgaverit voluntatem, portio ejus [9] post ejus mortem ad sorores suas, remota ut dictum est fratrum communione, pertineat.

VI. Verum si defuncta non habuerit puella germanam [10], & de rebus suis non evidenter observanda decreverit, fratres sui heredes accedant [11].

TITULUS LII.

De mulieribus desponsatis quæ ad aliorum consortium libidine instigante transierint.

Quotiescunque hujusmodi caussæ consurgunt, de quibus nihil præcedentium legum statuta differunt, ita ambiguitatem rei oportet absolvi, ut emissum judicium perpetuæ legis robur accipiat, & specialis caussa generalem teneat æquitatem. Auditis igitur atque perpensis criminalis negotii meritis, quod inter Fredegiselum Spatharium nostrum, & Balthamodum, nec non Aunegildem vertebat, sententiam diximus, quæ recens facinus resecaret [12] & futuris temporibus modum districtionis imponeret. Et quoniam Aunegildis post mariti prioris obitum in sua potestate consistens se antedicto Fredegiselo non solum ex parentum consensu, verum etiam proprio arbitrio & voluntate donaverit, & majorem nuptialis pretii partem sponso adnumerante perceperit; fidemque placiti libidinis ardore succensa disrumpens ad Balthamodi non tam vota concurrit [13], quam ad consuetum flagitium remeavit: atque ob hoc non aliter tantum crimen tantumque dedecus libertatis, quam sanguinis sui effusione debuerat expiare. Tamen districtioni publicæ dierum reverentiam præponentes jubemus, ut Aunegildis divino humanoque dehonestata judicio, pretium, hoc est CCC. solidos Fredegiselo coacta dissolvat. Nec Balthamodum quidem ab ipsius damnationis merito segregamus, qui mulierem alterius conjugio debitam, præsumpsit accipere: cujus mortem caussa poscebat. Sed sententiam nostram ab interitu ejus sub hac conditione sanctorum dierum (1) consideratio revocavit, ut nisi cum aliis undecim evidentia præbuerit sacramenta, quibus affirmet sese eo tempore, quo ipsi sæpius dicta Aunegilde quasi uxoris jure conjuncta est [14], ignorasse quod Fredegiselo jam fuerat obligata, precium [15] suum, hoc est, CL. solidos (2) Fredegiselo non moretur exsolvere. Quod si juraverit, neque damnum, neque

1 Al. Ms. *conservata*. 2 Al. Mss. *Ad illum*. 3 Al. Ms. *retinebunt*. 4 Al. Ms. *nihil contrarium nihil per scriptorium in præjudicium*. 5 Al. Mss. *legis errorem*. 6 Al. Ms. *facturum decreta*. 7 Al. Mss. *patris*. 8 Al. Mss. *causabitur*. 9 Al. in Mss. desunt *portio ejus*. 10 Al. Mss. *germanas*. 11 Al. Mss. *frater suus heres accedat*. 12 Al. Mss. *præsens facinus præcaverit*. 13 Al. Ms. *Balthamodi notam concurrit atque ob hoc*. 14 Al. *dicta Aunegildi . . . conjunctus est*. 15 Al. Mss. *præjudicium*.

---

(1) *Sanctorum dierum.*) Paschalium scilicet. Lata enim est Constitutio *sub die IV. Kalendas Aprilis Agapito Consule*, hoc est anno DXVII; quo sanctum Pascha inciderat die VII. Kalendas Aprilis. Paschalem indulgentiam a Romanorum jure (Cod. Theod. de Indulg. Crim.) adoptatam fuisse, probabilissimum est.

(2) *CL. solidos.*) Ita ex reverentia dierum

pœna

que periculum patietur. Judicium vero in hac caussa prolatum ad vicem mansuræ in ævum legis præcipimus custodiri. Et ne quemquam deinceps ad exercendum tanti facinoris ausum permissæ nunc compositionis temperamenta sollicitent, jubemus ut quoscumque similis facti reatus æquaverit, non tam dispendia sustineant facultatum, quam capitis amissione plectantur. Rectius est enim, ut paucorum condemnatione multitudo corrigatur, quam sub specie incongruæ incivilitatis [1] intromittatur occasio, quæ licentiam tribuat delinquendi.

DATA SUB DIE IIII. KALENDAS APRILIS AGAPITO CONSULE.

TITULUS LIII.

De hereditatibus filiorum, qui post patris obitum matre superstite intestati moriuntur.

Licet emissa jampridem fuerit lege constitutum, ut si defuncto patre intestatus obiisset filius, ac sic mater [2] ejus rebus superfusis [3] humanis substantiam filii ita cunctis vitæ suæ temporibus possederit, post transitum ejus universa de quibus loquimur, propinqui ejusdem pueri ex paterno genere venientes acciperent [4]. Sed postmodum cum optimatibus populi nostri impensius de caussa tractantes advertimus, speciem prædictæ legis non minus dispendii ac litigii succedentibus [5] exhibere, quam commodi, dum inter se diverso ambitionis jure dissentiunt: quorum alterum tarditas adeundæ hereditatis offendit, alterum proprietas amissa conturbat. Ideoque rectius visum est, ut sub ejusmodi temperamento præfatæ conditionis vinculum laxaretur, quo non servare negocium placuit, sed finire. Qua de re jubemus, sicut jam similis caussa nostro est conclusa judicio, quotiens in hunc casum contraria fatorum decreta vertuntur, continuo inter matrem defuncti pueri, si tamen puella defuerit, & propinquos quorum supra fecimus mentionem, relictæ facultatis divisio æquo jure & ordine celebretur, ita ut unusquisque de medietate percepta faciendi quod voluerit ex lege habeat potestatem. Consultius nempe utilitatibus partium caussæ vestigio terminantur [6], quam temporibus suspensæ proficiunt.

TITULUS LIV.

De his, qui tertiam manciplorum, & duas terrarum partes contra interdictum publicum præsumpserint.

I. Licet eodem tempore, quo populus noster mancipiorum tertiam [7] & duas terrarum partes (1) accepit, ejusmodi a nobis fuerit emissa præceptio, ut quicunque agrum cum mancipiis, seu parentum nostrorum, sive largitate nostra perceperat, nec mancipiorum tertiam, nec duas terrarum partes ex eo loco, in quo ei hospitalitas fuerat delegata requireret; tamen quia complures comperimus immemores periculi sui, eo quia ea quæ præcepta fuerant excessissent, necesse est, ut præsens auctoritas ad instar mansuræ legis emissa & præsumptores coerceat, & huc usque contemptis remedium debitæ securitatis attribuat. Jubemus igitur, ut quidquid hii, qui agris [8] & mancipiis nostra munificentia potiuntur [9], de hospitum suorum terris contra interdictum publicum præsumpsisse docentur, sine dilatione restituant.

II. De exartis quoque novam nunc & superfluam faramannorum (2) competitionem & calumniam a possessorum gravamine & inquietudine hac lege præcipimus submoveri, ut sicut de sylvis, ita & de exartis sive anteacto sive in præsenti tempore factis, habeant cum Burgundionibus rationem: quoniam sicut jam dudum statutum est, medietatem sylvarum ad Romanos generaliter præcipimus pertinere [10].

1 Al. Ms. *civilitatis*. 2 Al. Ms. *aut si mater*. 3 Al. Mss. *superfluis*. 4 Al. Mss. *acceperint*. 5 Al. *non minus dispendii litigiis accedentibus*. 6 Al. Mss. *utilitatibus patriæ caussa vestigium terminatis*. 7 Al. Ms. *mancipium tertium*. 8 Al Ms. *qui in agris*. 9 Al. Ms. *puniuntur*. 10 Al. Ms. *specialiter præcipimus generaliter pertinere*.

pœna delicto debita relaxatur, ut tamen parti læsæ debita mulcta pensetur. Indulgentia Principis namque tantum relaxat, quæ ad jura publica pertinent, intactis juribus privatorum.

(1) *Duas terrarum partes.*) Ex veterrimis Barbarorum institutis, quo terra Communitatis, & Reipublicæ nomine acquiri censebatur, ac possideri, ortum duco, ut in noviter conquisitis regionibus non modo jure imperii, sed & jure dominii agri ad placitum Reipublicæ subditis, ac civibus assignarentur, & quota saltem pars iis, qui illuc migraverant, tribueretur. In Italia Odoacer Herulorum Rex tertiam agrorum partem concessit Barbaris. Theodoricus Rex Gothorum novum nihil induxit, *nisi quod partem agrorum, quos Odoacer factioni suæ concesserat, inter se Gothi diviserunt*. Procopius B. G. lib. I. c. 1. Wisigothi in Septimania, & in Hispania duas tertias terrarum partes sibi sumpsere. Vide Leg. Wisigoth. Lib. X. Tit. I. lege VIII. Idem a Burgundionibus actum fuisse ex præsenti lege colligimus. Hanc autem fuisse terram, quæ *sortis* nomine possidebatur, dictum est supra ad Titulum I. Notatu vero hac in sanctione dignum est, ex mancipiis non duas, sed unam tantummodo tertiam partem exactam fuisse. Quare? Profecto quod hi Barbari servorum gregem jam secum agerent, qui excolendis, quas conquirerent, terris, idonei forent.

(2) *Faramannorum.*) *Faramannos* esse *homines faræ* vox ipsa denotat. Inter Langobardicas leges hæc legitur Rotharis CLXXVII. *Si quis liber homo migrare voluerit aliquo, potestatem habeat intra dominium Regni nostri cum fara sua migrare, quo voluerit.* Hinc quæcumque fuerit genuina vocis *Fara* significatio, hic *Faramannorum* nomine intelligendos censeo eos in Barbarorum gente, qui servorum, aut etiam manumissorum conditione obstricti (confer infra Titulum LVII.) in unius domini, aut patroni familia censerentur, & colonorum fungerentur officio. Cl. Iohannes Ihre Glossar. V. *Fara* scribit, *in legibus Burgundionum colonos, qui aliena arva colebant, appellatos fuisse* Faramannos.

III. Similiter de curte & pomariis circa faramannos conditione servata, id est, ut medietatem Romani (1) æstiment præsumendam.

IV. Quod si quisquam constitutum hujuscemodi præceptionis excesserit, & non a vobis fuerit cum districtione repulsus, non dubitetis commotionem [1] iracundiæ nostræ in vestrum periculum esse vertendam.

Titulus LV.

De removendis Barbarorum personis, quotiens inter duos Romanos de agrorum finibus fuerit exorta contentio.

I. Quamlibet certa sub districtione olim fuerit constitutum (2), ut Barbarus in causa Romani, quam contra alterum Romanum commoverit, quamve exceperit, sese non ausus esset adjungere: tamen pensiorem habentes de caussarum actione tractatum jubemus, sicut actis jam temporibus præcipimus custodiri, quotiens de agrorum finibus, qui hospitalitatis jure a Barbaris possidentur, inter duos Romanos fuerit mota contentio, hospites eorum non socientur litigio, sed Romanos in judicio contendentes expectent, ut cujus Barbari hospes vicerit, cum ipso postmodum de re obtenta habeat rationem. Quod si quis Barbarorum sese ad litigandum in ejusmodi causationem miscuerit, mox repulsus inferat mulctæ nomine, pro eo quod interdicta contempsit, solidos XII.

II. Quod si enim Romanus, hoc est, hospes ipsius adhibere præsumpserit; utrumque XII. solidos jubemus exsolvere, & caussam Romanis legibus terminari. Sane si ex ejusdem agri finibus, quem Barbarus ex integro cum mancipiis publica largitione perceperit, fuerit contentio generata, licebit ei seu pulsatus fuerit, seu ipse pulsaverit, Romano jure contendere.

III. Terminum vero si ingenuus evellere [2], aut confringere præsumpserit, manus incisione damnetur. Si servus hoc fecerit, occidatur.

IV. Si vero debilitatem [3] (3) suam ingenuus redimere voluerit, medietatem pretii sui solvat.

Titulus LVI.

De servis in Alamannia comparatis.

I. Si quis servum alienum in Alamannia redemerit, aut pretium a domino recipiat, aut servum habeat quem redemit; quod tamen a præsenti tempore præcipimus custodiri.

II. Ceterum si ingenuus rogans redemptus fuerit, pretium suum emptori reddat.

Titulus LVII.

De libertis Burgundionum, qui viam discedendi non habuerint.

Burgundionis libertus, qui domino suo solidos XII. non dederit, ut habeat licentiam, sicut est consuetudinis, quo voluerit discedendi, nec tertiam a Romanis consecutus est, necesse est ut in domini familia censeatur.

Titulus LVIII.

De cane occiso sine culpa.

Canem si aliquis nulla extante caussa occiderit, solidum det ei cujus canis est.

Titulus LIX.

De nepotibus.

Nepos amisso patre cum rebus omnibus ad avi ordinationem vel solicitudinem conferatur: ea tamen ratione, si mater ejus secundas nuptias crediderit eligendas. Ceterum si nubere electa castitate distulerit, filii cum omni facultate in ejus solatio & potestate consistant.

Titulus LX.

De adhibendis donationum testimoniis.

I. Quotiens in quibuscunque negotiis consuetudo antiqua neglegitur, necesse est ut nova lege futuris temporibus consulatur. Et quia aliquos Barbarorum per duos aut tres testes conlatas sibi vel donationis vel hereditatis nomine facultates, adversus morem veterum usurpare velle cognovimus, eorum primitus præsumptionem præsenti lege corrigimus constituentes, ne tam paucis testibus commissa res valeat. Ceterum si quis posthæc Barbarus vel testari voluerit, vel donare, aut Romanam consuetudinem, aut Barbaricam (4) esse servandam sciat, si vult aliquid firmitatis habere quod gesserit, id est, aut scripturis legitimis, quod largiri cuicunque voluerit, teneatur: aut certe quinque in-

[1] Al. Ms. *communitionem*. [2] Al. Mss. *evellerit*. [3] Al. Ms. *libertatem*.

(1) *Medietatem Romani.*) Qui hanc, aliasve plures hujus Codicis leges attentius perpendat, ubi de Romanis agitur, eas in Romanorum, seu Provincialium, favorem factas fuisse facile animadvertet. Revera Gregorius Turonensis Hist. Lib. II. c. 33. scribit, quod Gundebaldus *leges mitiores instituit, ne Burgundiones Romanos opprimerent.*

(2) *Olim fuerit constitutum.*) Atqui sanctio, quæ hic dicitur *olim constituta*, legitur supra Titulo XXII. Hoc firmat, quod in Monito ad hasce leges præfatus sum; scilicet, codicem legis Gundobadæ esse centonem ex legibus vario tempore latis. Idem & aliis in legibus hujus libri animadverti potest; quod tamen ego non repetam.

(3) *Debilitatem.*) Idest manus incisionem, de qua in superiori lege sermo est. In Lege Salica integer Titulus XXXI, qui de membrorum mutilationibus agit, inscribitur *de debilitatibus*.

(4) *Aut Barbaricam.*) Non quod testamenti

ingenuorum testimonio, quod dimittere voluerit vel donare, robur accipiat, & in ejus, cui res deputata fuerit, jura commigret.

II. Libertos etiam, si competens ingenuorum numerus defuerit, patimur testimonium perhibere.

III. Nam & inter ingenuos etiam servorum nostrorum oportet testimonium admitti; dummodo compositi testes manu ejus, qui dimittere aliquid voluerit vel donare.

IV. Aut si testimonii fides tracta fuisset, secundum consuetudinem [1] Barbarorum præbeat jusjurandum.

Titulus LXI.

De mulieribus, quæ sponte ad viri coitum venerint.

Quæcunque mulier natione barbara ad viri coitum spontanea voluntate forte convenerit, nuptiale pretium in simplum tantum ejus parentibus dissolvatur: & is, cui adulterii (1) dicitur societate permixta, alterius postmodum conjugio [2] (2) si voluerit societur.

Titulus LXII.

De filiis unicis.

I. Filius unicus defuncto patre tertiam partem facultatis matri utendam relinquat; si tamen maritum alterum non acceperit.

II. Nam si ad alias nuptias transierit, omnia perdat: dote tamen sua [3], quam a marito suo acceperat, quamdiu vixerit, utatur, filio proprietate servata.

Data sub die III. Kal. April.

Titulus LXIII.

De his, qui messem in granariis furati fuerint.

I. Qui messem in granariis furatus fuerit, si ingenuus est, trigildum solvat: & mulctam secundum qualitatem personæ.

II. Si servus, dominus pro eo simplum solvat, & servus CCC. fustium ictus accipiat.

Titulus LXIV.

De animalibus in messe occisis.

I. Qui in messe sua animal occiderit, solvatur illi prius damnum, quod animal fecit, & animal qui occiderit, reddat. Hoc est de majoribus animalibus observandum.

II. Ceterum de minoribus illud custodiendum, quod priori lege constitutum est.

Titulus LXV.

De mulieribus viduis, a quibus maritorum debita requiruntur.

I. Si qua mulier vidua filios habens, si & illa & filii sui cessionem de bonis mariti, qui defunctus est, fecerint, nullam ex debito ipsius repetitionem aut calumniam patiantur [4].

II. Si certe [5] præsumpserint hereditatem, debitum paternum simul solvant.

Titulus LXVI.

De puellis, quæ sine patribus & matribus ad maritum traduntur.

I. Puella quæ marito traditur patrem & fratres non habens, nisi patruum & sorores, de Wittemon (3) tertiam partem patruus ac-

1 Al. *constitutionem*. 2 Al. Ms. *ad alterius postmodum conjugium*. 3 Al. *dotem sane suam*.
4 Al. Mss. *patiatur* ... 5 Al. *Si incerte*.

ti factio Barbaræ proprie consuetudinis esset; sed quod inter Burgundiones, qui generali Barbarorum nomine in hoc codice passim censentur, inductum erat, ut testamenta conderentur eodem ritu, quo juxta consuetudinem antiquam celebrabantur donationes. Confer Titulum XLIII. Antiquiores autem Barbaros testamenti factionem ignorasse colligimus ex Tacito Germ. c. XX. *Heredes, successoresque, sui cuique liberi, & NULLUM TESTAMENTUM. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fratres, patrui, avunculi.* Quare censendum est, Burgundiones, uti & Ostrogothos, Wisigothos, Francos, aliosque, si qui sunt, testamenti factionem a Romanis edidicisse. Inter populos autem, qui in Germania magna sedes retinuere, id longe serius, rariusque deprehenditur, adeo ut eruditus vir Johannes Ulricus Christophorus Tresenreuter exemplis propositis ratus sit, hominibus interioris fortunæ initio adhuc sæculi XVI. minus usitata fuisse testamenta. Vide ejus Antiquitates Germanicas lib. III. cap. VIII. art. 2. ejusque disquisitionem ibi allegatam.

(1) *Adulterii.*) Sub appellatione *adulterii* stuprum quoque, imo quamlibet fornicationem passim venire annotarunt eruditi. Vide Cangium Glossar. hac voce.

(2) *Alterius postmodum conjugio.*) Ergo stuprator non cogebatur stupratam Barbaram ducere, sed tantum *nuptiale pretium* parentibus ejus persolvere. Inde colligenda esse mihi videor lineamenta regulæ Canonistarum, quod stuprator stupratam *aut ducat, aut dotet*. Consule supra Tit. XLIV.

(3) *De Wittemon.*) Wittemon *in lege Burgundionum non est dos, ut hactenus summi Jurisconsulti Lindenbrogius, Spelmannus, Cangius crediderunt; sed* pretium uxoris, *quod pater, aut proximi cognati pro puella accipiebant, sive legitime juncta, sive rapta, ut patet ex Titulo LXVI. 1. 2. si conferatur cum Additamento I. Tit. XIV. Id quod Schilterus ante omnes observavit in Gloss. Teut. pag. 881. quamvis ibidem circa etymon more suo durus, indomitus, & regularum impatiens, dum vocem componit ex* widmen, *destinare, &* mund, *tutela, nescio quo jure, aut sensu. Mihi videtur componi ex* wette, *sponsalia, matrimonium, &* mon *donum, & proprie significare illud donum, quod alias* pretium nuptiale, *honestius vero* donum nuptiale *vocatur, quia nuptiarum causa dabatur parenti, & tertia pars ad puellam redibat.* Hæc Wachterus Gloss. h. v. Porro si hæc vera sunt, quod de divisione Wittemon legitur, ignorare me fateor, quomodo aptari possit sincerioribus Barbarorum institutis, quibus puellæ pretium conferebatur parentibus gratia acquirendi *mundii*, seu potestatis tutelaris in sponsam, & consequenter illi cedere debebat, ad quem puellæ mundium pertinebat. Confer Annot. ad leg. Alaman. Tit. LIV.

accipiat, & alteram tertiam sorores sibi noverint vindicandum.

II. Si vero puella sine patre maritum accepit fratres non habens, placuit ut[1] de Wittemon tertiam partem mater accipiat, & alteram tertiam proximiores parentes.

III. Si mater non fuerit, tertiam illam sorores accipiant.

Titulus LXVII.

De sylvis.

De sylvis hoc observandum. Quicunque agrum aut colonicas tenent, secundum terrarum modum vel possessionis suæ ratam, sic sylvam inter se noverint dividendam: Romano tamen de sylvis medietate ex exartis[2] servata.

Titulus LXVIII.

De adulteriis.

I. Si adulterantes inventi fuerint, & vir ille occidatur & femina.

II. Nam hoc observandum est, ut aut utrumque occidat: aut si unum occiderit[3], pretium ipsius solvat, sub ea traditione pretii, quæ est prioribus legibus constituta.

Titulus LXIX.

De Wittemon.

I. Mulier quæ ad secundas nuptias traditur, Wittemon ejus a prioribus parentibus mariti vindicetur.

II. Si vero tertium maritum accipere deliberat, Wittemon quod maritus dederit, mulieri proficiat.

Titulus LXX.

De furtis.

I. Si ingenuus aut servus simul furtum fecerint, ingenuus triplum solvat quantum furatum est: si tamen capitale crimen non fuerit. Servus vero fustuario supplicio deputetur.

II. De his vero caussis unde hominem mori jussimus, si in ecclesiam fugerit, redimat se secundum formam pretii constituti ab eo, cui furtum fecit: & inferat mulctæ nomine solidos XII.

III. Si vero minora furta, id est, porcum, berbicem, capram, apem involaverit, solvat mulctæ nomine solidos XII.

IV. Si violentiam fecerit, solvat mulctæ nomine solidos sex.

Titulus LXXI.

De bis, qui furtum componunt.

I. Si quis inconsciis judicibus de furto, quod ipsi factum est, crediderit componendum, pœnam quam fur subiturus erat, ipse suscipiat.

II. Si quis sane locum judicis[4] tenens inter supradictos componere voluerit, inferat mulctæ nomine solidos XII.

Titulus LXXII.

De bis qui pedicam feris fecerint extra culturas.

Si quis pedicam feris fecerit extra culturas, & in deserto posuerit, & in ea homo aut animal fortassis incurrerit, is cujus pedica fuerit, nihil penitus calumniæ patiatur.

Titulus LXXIII.

De caballis, quibus ossa aut scandala ad caudam ligata fuerint.

I. Si in eo loco inventum in quo damnum faciat, sive extra damnum, & pavore ipso aut periclitatum animal fuerit, aut eversum, aut debilitatum, in potestate sit domini, cujus animal fuerit, utrum ipsum recipere velit an alium[5]. Et si suum recipere noluerit, ejus meriti æstimatione habita, duos alios tales caballos[6] ei, cujus fuerit, dari jubemus ab eo, qui contra interdictum nostrum hoc præsumpserit admittere. Qua pœna ingenuos teneri jubemus.

II. Ceterum si servus hoc facere præsumpserit, ducentos fustes accipiat: & in potestate sit illius, cujus caballus est, utrum ipsum recipere velit. Quod si animal displicuerit, præstita[7] sicut dictum est de servo ultione, dominus servi caballum ejusdem meriti, cujus ille fuit qui debilitatus dicitur, cogatur exsolvere. Simili de equa conditione servata.

III. De caballo etiam curtato similis pœnæ servanda conditio est[8].

Titulus LXXIV.

De Viduis & filiis earum.

I. Anteactis quidem temporibus emissa generaliter lege fuerat constitutum, ut si mulier defuncto sine filiis marito suo ad secundas nuptias non transiisset, tertiam hereditatis ejus usque in diem vitæ suæ propriis utilitatibus vindicaret: sed nunc ex ipso eodemque titulo cum optimatibus populi nostri adtentius universa tractantes generalitatem[9] prædictæ legis placuit temperare. Quapropter jubemus, ut illa tantum vidua hanc, de qua loquimur, in hereditate mariti accipiat quantitatem, quæ patris aut matris non habuerit facultatem, aut si ei maritus suus aliquam, in qua vivere possit, successionis suæ non donaverit quantitatem.

II. Quæcunque sane mulier, conjuge suo in

1 Al. in Mss. desunt, *placuit, ut*. 2 Al. Ms. *medietatem exartis*. Leg. *medietate in exartis*.
3 Al. *unum non occiderit*. 4 Al. *locum indiciis*. 5 Al. Ms. *velit animalium*.
6 Al. *æstimationem habeat, ut duos tales caballos*. 7 Al. *velit, cui displicuerit an alium præstita*.
8 Al. Ms. *scurtato simili pœna servata conditione*. 9 Al. *quantitatem*.

in fata conlapso, ad secundi mariti vota non ierit, aut ejus adulti jam filii secum esse noluerint, hac ratione cum eis defuncti mariti dividat facultatem. Ut si filium habuerit, prædictæ substantiæ tertiam consequatur: si duo, aut tres, vel quatuor, aut plures erunt filii, quartam accipiat portionem: quam tamen post obitum ejus ad filios ipsius placuit remeare.

III. Si quis defuncta uxore sua, de qua filios habet, ad secundas nuptias ierit, & ex ea quoque muliere habens filios moriatur, id placuit observari, ut relicta ejus non ex privignorum suorum portione quidquam sibi æstimet esse donandum, sed de filiorum suorum proprietate designatam superius accipiat portionem.

TITULUS LXXV.

De hereditate inter Nepotem & Amitam dividenda.

I. Oportet eas causas prolatæ legis æquitate distingui, quæ prioribus non docentur constitutionibus terminatæ: ne aut heredes in præsenti negotio ordinem adeundæ successionis ignorent, aut judicibus competens deesse videatur instructio. Idcirco si filius patre superstite habens filios in fata discesserit, sororemque [1] reliquerit, & pater de quo loquimur debitam filio facultatis suæ dederit portionem, & ex ea quæ ipsi competebat substantiæ quantitate de hac luce discedens non aliquid speciale decreverit, inter filium filii & filiam, salva medietate quæ minoribus partibus ex paterna successione debetur, altera substantiæ ejus medietas inter nepotem & filiam æqualiter dividatur.

II. Quod si filius, de cujus potestate tractatur, omnia cum patre indivisa possederit, eodem mortuo medietas nepotis partibus [2] sequestretur: altera medietas cum filia & nepote æquo ordine dividatur. Et ne forte litigandi ex hoc eodemque titulo non sublata relinquatur occasio, seu una sive duæ aut plures erunt filiæ, eam quam superius statuimus formam placuit observare, id est, ut medietas filiis, medietas nepoti aut nepotibus ex filio adquiratur.

III. Verum si defuncto, ut dictum est, patre filius non puerum heredem reliquerit, sed puellam, & sorores suæ superfuerint genitori, ita jus [3] vindicandæ successionis obtineat, ut portionis paternæ quantitate contenta, altera medietas ad suas amitas, quarum supra fecimus mentionem, ex lege perveniat, neque exinde quidquam sibi æstimet vindicandum.

TITULUS LXXVI.

De Wittiscalcis (1).

I. Comitum nostrorum querela processit, quod aliqui in populo nostro ejusmodi præsumptionibus abutantur, ut pueros nostros, qui judicia exsequuntur, quibusque mulctam jubemus exigere, & cæde conlidant, & sublata jussu Comitum pignora non dubitent violenter auferre. Qua de re præsenti lege decernimus, ut quicunque posthac pueros nostros occiderit, & insolenter abstulerit, quod ex ordinatione judicis docebitur fuisse præsumptum, tripla satisfactione teneatur obnoxius, hoc est, ut per singulos ictus, pro quibus singuli solidi ab aliis inferuntur, ternos solidos is qui percusserit, cogatur exsolvere.

II. Ea etiam, quæ fuerint violenter erepta, tripla novigildi solutione reddantur: ita ut mulctam nobis præsumptores debitam solvant.

III. Mulieres quoque si Wittiscalcos nostros [4] contempserint, ad solutionem mulctæ similiter [5] tenebuntur.

IV. Nam statutam districtionis formam volumus ita custodiri, ut pueri nostri periculi sui memores providere curabunt, ut non amplius in quibuscunque caussis, quam fuerint ordinati, præsumant. Nam ut injurias eorum jussimus vindicari, ita in se distringendum esse non dubitent, nisi omni diligentia, quæ sunt præcepta, servaverint.

TITULUS LXXVII.

De Inscriptionibus.

I. Quotiens servus vocatur in crimine, & necesse est, ut judicio [6] sub inscriptione tradatur, hæc habendæ discussionis forma servabitur, ut servi domino tantum pretium numeretur: & si servus objectum sibi crimen sub tormentis (2) fuerit confessus, solidi qui inlati fuerant, accusantis partibus reformentur; servus morte debita condamnetur.

II. Verum si in quæstionem [7] missus nec convictus fuerit nec confessus, datam in pretium

1 Al. *si filius patrem superstitem habens cum filio . . sororem quoque.* 2 Al. Ms. *nepotibus.* 3 Al. *ita ut jus.*
4 Al. Mss. *Vuittiscaleum nostrum.* 5 Al. deest, *similiter.* 6 Al. *judici.*
7 Al. *quæstionem.* Al. Ms. *inquisitionem.*

(1) *De Wittiscalcis.*) Mulctas pro delictis partim parti læsæ cessisse, partim Reipublicæ, res est notissima. Ergo Wittiscalci erant (ut lex ipsa liquido indicat) Ministri mulctis fisco cedentibus exigendis deputati. Congruit nomen ipsum, quod a *Witte* mulcta, & *scalk*, famulus, minister, compositum est; quo profecto indigitantur famuli, seu ministri ab exactionibus mulctarum. Ipse legis textus declarat, hos quandoque male actos fuisse, dum mulctas repeterent; quare præsenti lege eorum securitati consulitur.

(2) *Sub tormentis.*) Non soli ex Barbaris Ostrogothi, Wisigothi, & Franci, ut Heineccius sentire videtur (Elem. Jur. Germ. lib. III. art. 332.) tormentis, dirisque quæstionibus usi sunt ad investigandam in delictis veritatem. Quamquam viro doctissimo assentiar omnino, dum rem veluti indubiam asserit lubricum illum, & fragilem investigandæ veritatis modum Barbaros didicisse a Romanis.

tium ejus pecuniam servi dominus retinebit, & servum recipiet innocentem.

III. Præterea multorum relatione comperimus, in populo nostro hujus consuetudinis ordinem fuisse hactenus custoditum, ut præmium, quod pro indiciis cujuscunque furti vel sceleris aut promittitur aut infertur, utrisque partis reformaret inlatio. Ideoque rectius visum est, ut consuetudinis hujus superfluitate remota, si in ejusmodi causis ingenuus convincitur, solutionis & indiciorum integram sustineat ex lege sententiam [1], salvo eo quod de resecandorum servorum criminibus præcedentium legum statuta jusserunt.

Titulus LXXVIII.

De hereditatum successione.

De hereditatum successione adtentius pertractantes statuimus, ut si pater cum filiis sortem suam diviserit, & postea mori filium vivo patre contigerit sine filiis, pater facultatum filii integram usufructuario jure [2] vindicet portionem: quam inter filios & nepotes ita moriens dimittat, ut quanti nepotes ex uno filio fuerint qui patrem non habent, portionem patris sui vindicent, qualem pater eorum habiturus erat. Illam vero partem, quam pater cum filiis dividendam habuisset, superstitibus filiis derelinquat, & nepotes in eam partem non succedant.

Præsens tamen lex ad masculos [3] tantummodo pertinebit.

Titulus LXXIX.

De præscriptione temporum.

I. Licet jampridem a nobis fuerit ordinatum, ut si quis in populo nostro Barbaræ nationis personam, ut in re sua consisteret, invitasset, ac si ei terram ad habitandum voluntarius deputasset, eamque per annos quindecim sine tertiis habuisset, in potestate ipsius permaneret; neque exinde quidquam sibi ille qui dederit, sciat esse reddendum. Tamen quod absque ulla permutatione omni tempore generaliter memorata conditio debeat custodiri, præsenti placuit lege constitui [4].

II. Si quis vero terram ab altero violenter dixerit & convicerit fuisse sublatam, priusquam xxx. annorum numerus compleatur, res quam constiterit occupatam, & requiri poterit, & repetentis partibus reformari.

III. Ceterum si impletis xxx. annis (1) terra, a quocunque etiam pervasa fuisse dicatur, non fuerit restituta, nihil sibi reddendum esse cognoscat.

IV. Quapropter omnes comites, quotiens de præfatis [5] caussis contentio fuerit generata, secundum ordinem legis istius judicare curabunt.

V. Et quia omnia ad quietem omnium pertinentia ex lege convenit providere, omnes omnino causas de quibuscunque rebus, quæ intra xxx. annos non fuerint definitæ, nullo eas postmodum licebit ordine commoveri. Quia satis unicuique ad requirendum & recipiendum, quod ei debitum fuerit, supra scriptus annorum numerus constat posse sufficere.

Titulus LXXX.

De testibus falsa referentibus & calumniatoribus.

I. Necesse est ea quæ minus statuta [6] sunt, præsentis legis sanctione constitui: quia in diversis caussis præ facilitate plurimos referre falsa cognovimus, qui postea ad probandum quæ retulerint, dum damnis suis timent, etiam sponte se conflictui exponunt.

II. Jubemus ergo, ut de testibus, qui pro quacunque parte se tulerint, si ad conflictum caussæ descenderint, & divino judicio falsus ibidem relator pugnans occubuerit, ccc. solidos mulctæ nomine omnes testes partis ipsius, a qua parte testis superatus est, cogantur exsolvere. Nec multorum male [7] referentium crimen credatur potuisse [8] unius exitu expiari [9]. Ut quos non punit necessitas, damna feriant ad vindictam: quo facilius inposterum ne quis audeat propria pravitate mentiri.

III. Etiam qui calumniatori [10] consilium dederit ad dimicandum [11], si victus fuerit, simili ut superius statutum est, mulcta feriatur [12].

T I-

1 Al. *integra . . . dispendia.* 2 Al. *voluntate filii integram in usufructu.* 3 Al. Ms. *ad masculum.* 4 Al. *constituta.* 5 Al. Ms. *privatis.* 6 Al. *constituta.* 7 Al. *mala.* 8 Al. deest, *potuisse.* 9 Al. Mss. *exitus expiare.* 10 Al. Mss. *calumniatorem.* 11 Al. Mss. *vindicandum.* 12 Al. Mss. *similiter . . . feriatur.*

(1) *Si impletis XXX. annis.*) Qui Barbarorum pervolvet codices, facile perspiciet maximam inter eos tricennariæ præscriptionis habitam fuisse rationem. Quin & in lege Wisigothorum, quamvis ab antiquis institutis longe aberrante, enunciatur, quod *tricennalis transcursio temporum jam sic constanter inoleverit in negotiis actionum, ut non jam quasi ex instructione humana, sed veluti ex ipsa rerum processisse natura videatur.* Item, quod in tricennali annorum numero *etiam veritas perfectæ completur ætatis.* Leg. Wisigoth. lib. X. Tit. II. lege 4. Iste certe in triginta annorum præscriptione consensus gentium, antiquitatem ejusdem instituti edocere videtur, innuitque illud ab antiquis Scythis, seu Celtis esse repetendum. Revera apud Gallos, Celtarum genus, sæculum cursu annorum XXX. complebatur. Etenim Plinio Hist. Natur. lib. XVI. c. 44. de Visco Druidum agenti memoratur *sexta luna, quæ principium mensium, annorumque hic facit, & sæculi post XXX. annum.* Cæterum ex lege hac Burgundica observandum duco, quod in tricennario possessore neque bona fides, neque justus titulus exigeretur; sermo namque fit de terra, quæ *a quocumque etiam pervasa fuisse dicatur.* Quæ constituendi simplicitas veterem Germanicam simplicitatem olet, aptam potissimum magno litium, & controversiarum forensium numero resecando, & tuto reddendo possessori, iis præsertim ævis, quibus absque scriptura, & adhibitis tantummodo testibus, ac symbolis contractus celebrarentur.

Titulus LXXXI.

De interpellationibus apud judices futuris.

I. Prima constitutione a nobis decretum fuerat, ut judices ter admoniti caussas inter partes cognitas judicarent. Et quia occupatione & absentia deputatorum judicum frequenter potuit evenire expectatio, ideo consensu [1] omnium tempus credidimus statuendum; ut intra tres menses interpellato judice caussam quamlibet ulterius differre non liceat, nisi ut omnia cognoscat, & dato judicio universa ita judicet, ut nihil inter partes dubium reservetur.

II. Quod si ultra tres menses caussam cognitam interpellati judices distulerint judicare, duodecim solidorum mulctam eos jubemus exsolvere, caussa nihilominus legibus judicanda.

Titulus LXXXII.

De fidejussoribus.

I. Si quis fidejussorem de audientia acceperit, ipse fidejussor ad se solvendum insistat [2], ut caussa dicatur.

II. Aut si fidejussor mortuus fuerit, heredes mortui judicem loci interpellent, & ejus ordinatione pars adversa alium [3] fidejussorem ipsa conditione cogatur accipere, & ab heredibus fidejussoris mortui nihil quæratur (1).

Titulus LXXXIII.

De his, qui apud alios res suas agnoscunt.

I. Quicunque res, aut mancipium, aut quodlibet suum agnoscit a possidente, aut fidejussorem idoneum accipiat, aut fidejussorem idoneum accipiat, aut si fidejussorem non [4] acceperit, res quas agnoscit præsumendi habeat potestatem.

II. Si vero falsus fuerit in agnoscendo, rem quam male cognovit, & aliud tantum cogatur exsolvere.

III. Si servus male agnovit, pro qualitate rei agnitæ fustigetur.

Titulus LXXXIV.

De venditione terrarum.

I. Quia cognovimus (2) Burgundiones sortes suas nimia facilitate distrahere, hoc præsenti lege credidimus statuendum, ut nulli vendere terram suam liceat, nisi illi qui alio loco sortem aut possessiones habet.

II. Hoc etiam interdictum, ut quisque habens alibi terram, vendendi necessitatem habet, in comparando, quam Burgundio venalem habet, nullus extraneus Romano hospiti præponatur nec extraneo per quodlibet argumentum terram liceat comparare.

III. Observandum tamen, ut de illo ipse hospes suus comparet, quem alibi terram habere constiterit.

Titulus LXXXV.

De pupillis.

I. Si mater tutelam [5] suscipere voluerit, nulla ei parentela [6] præponatur.

II. Quod si vero mater non fuerit, proximus parens res [7] minorum revocare debet ea conditione, ut qualiter sua facultas proficit, sic & res minorum ejus utilitate proficiant.

III. Nec ei liceat exinde quidquam evertere, vel alienare.

IV. Si quis vero præsumpserit de rebus, ut dictum est, minorum aliquid distrahere, de sua facultate in simplum reddat.

V. Ita ut si caussam pars minoris habuerit, ipsa persona respondeat, quæ tutelam suscepit.

Titulus LXXXVI.

De mala hereda.

I. Si pater filiis dimittat malam heredam, si vivus [8] dare voluerit, cui voluerit donet, postea ad filias suas, si ille dederit, nemo requirat.

II. De Wittemon vero si demandaverit pater ut [9] non quæratur, demandatio ejus non valeat, sed sicut lex alia expressit, proximus parens accipiat.

III.

1 Al. *expeditionis consensu.* 2 Al. Mss. *istat.* 3 Al. Ms. *pars adversa auxilium.* 4 Al. *fidejussorem petitum non.* 5 Al. Ms. *tutillam.* 6 Al. Ms. *parentilla.* 7 Al. Ms. *proximos parentes ad res.* 8 Al. Ms. *si paterfamilias dimittat heredam, si vivus.* 9 Al. Ms. deest, *ut.*

(1) *Nihil quæratur.*) Tit. XIX. vidimus obligationem fidejussoris absolutissimo modo subsidiariam tantum fuisse. Hic autem aliud animadvertere est suffragium in gratiam hæredum fidejussoris; ut scilicet illis judicem interpellantibus judiciaria ordinatione creditor eos liberare cogeretur, alio recepto fidejussore.

(2) *Quia cognovimus.*) Legem hanc arbitror descendisse a jure militari, præsertim cum caussam legi dederit distractio terrarum, quæ hic appellantur *sortes*. Hoc autem nomine terras venire, quæ in devicta, vel dedititia regione Burgundiones sibi attribuerant, & civibus distribuere consueverant, jam observavi ad Tit. I. & ad Tit. LIV. Cum ergo cives inter milites recenserentur, imo hi milites essent, qui & cives, videtur terras hujusmodi ita distributas, vices egisse stipendiorum militarium. Quare hunc esse legis spiritum reor, terrarum distractionem perstringendo; quoniam ex jure publico erat, ne miles prorsus careret stipendiis suis. Quod lubens observo, quia ex eadem ratione facile repeti potest caussa, & initium cujusdam usus alicubi in Italia adhuc vigentis, qui aliquam cum præsenti lege habet affinitatem. Etenim venditori terræ atque ejus propinquis jus est redimendi venditum fundum, refusis expensis. Durat hæc actio per integros XXX. annos, hoc est, per integrum sæculum Barbaro more computatum; quo tandem completo ex antiquissimis institutis præscriptiones compleri, & actiones exspirare innuunt, quæ supra dicta sunt ad Tit. LXXIX.

III. Ita ut de eo quod acceperit, tertium solidum in ornamentis puella accipiat.

Titulus LXXXVII.

De minorum contractibus.

I. Minorum ætati ita credidimus consulendum, ut ante XV. ætatis annos (I) eis nec libertare [1], nec vendere, nec donare liceat.

II. Et si circumventi per infantiam fuerint, nihil valebit.

III. Ita ut quod ante quintum decimum annum gestum fuerit, intra alios XV. annos si voluerint, revocandi habeant potestatem.

IV. Quod si intra expressum tempus non revocaverint, in sua firmitate permaneat.

Titulus LXXXVIII.

De libertatibus.

I. Libertatis vero caussa quantum possessionis jure major, tantum debet diligentius observari.

II. Et ideo observandum est, ut manumittere volens, aut per scripturam lege constantem, servum quem libertate donaverit, manumittat: aut si sine scriptura libertatem mancipio suo quicunque donare voluerit, non minus conlata manumissio, quam quinque aut septem ingenuorum hominum testimonio roboretur: neque per scripturam manumittentes minorem numerum convenit adhibere.

Titulus LXXXIX.

De reis corripiendis. [2]

Gundebaldus Rex Burgundionum omnibus comitibus. Multorum relatione cognovimus caballorum fures, & effractores domuum, tantum se ad hanc insaniam prorupisse, ut non occulte, verum etiam publice crimina & omnia mala committant. Ideoque præceptionem ad vos dedimus, ut si quos caballorum fures, aut effractores domuum, tam criminosos quam suspectos invenire potueritis, statim capere & ad nos adducere non moretur. Futurum ut is qui capitur, & ante nos adductus fuerit, si se innocentem poterit adprobare, cum omnibus rebus suis liber abscedat, neque calumniam pro eo quod ligatus aut captus est, movere præsumat. Si vero criminosus inventus fuerit, pœnam vel tormenta suscipiat, quæ meretur: & res illius ab his qui eum ceperunt, præsumantur. Et non solum in eum tantum pagum, ubi consistit, liceat persequi criminosum: sed sicut utilitas aut fides cujuscunque habuerit, etiam per alia loca ad nos pertinentia non dubitent hujusmodi personas capere, & judicibus præsentare, ut præfata scelera non liceat esse diutius impunita. Hanc præceptionem nostram in omnium notitiam ponere procuretis.

1 Al. Mss. *libertum*.

2 Teste Lindenbr. titulus hic in duobus Mss. totus deest.

(I) *Ante XV. ætatis annos.*) Credi jure potest, majorennitatis initium communiter habitum fuisse eo circiter tempore, quo juvenes quondam armis donari consueverant. Quod Tacitus innuit Germ. c. XIII. *Arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto, frameaque juvenem ornant: hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ.* Quod si in definiendo minorennitatis, atque majorennitatis tempore non omnes populi consenserunt, id in caussa esse reor, quod varia apud varias gentes ætas lege, vel consuetudine præscripta fuisset, qua armorum honore donarent adolescentes.

LE-

LEGIS BURGUNDIONUM ADDITAMENTUM (1) PRIMUM.

TITULUS I.

De clausis itineribus vel aliis.

I. OBservandum (2) viam publicam, vel inter agros communiter divisam (3) nec possideri, nec intercludi, nec exartari[1] (4) posse. Quod si factum fuerit, auctorem facti ad ejus munitiones soli[2] (5) compelli, & ad munitionem viarum pro modo patrimonii in nullo penitus excusari.

II. Hoc etiam de pontium reparatione servandum.

III. Aquæ cursum & adquiri & amitti biennio constat.

IV. Viam in actum (6), hoc est, ubi carpenta vel carra[3] ducuntur, similiter biennio amitti, & adquiri posse.

V. Agri quoque communis[4] nullis terminis limitati exæquationem inter consortes nullo tempore denegandam.

VI. Sylvarum (7), montium, & pascuorum unicuique pro rata suppetit esse communionem.

VII. De servitute luminis (8) vel aeris similiter constitutum, ut inter privatorum fabricas, decem pedes: inter publicas, quindecim dimittantur, secundum legem Theodosii.

TITULUS II.

De animalibus damnum inferentibus.

I. Proinde jubemus, ut quolibet tempore minora animalia, id est, capra, vervex, aut porci in vineam inventa fuerint, unum de ipsis quotiens inventa fuerint, jubemus occidi, a vineæ domino præsumendum.

II. Vacca vero post tertiam conventionem si in vinea inventa fuerit, occidatur a vineæ domino similiter præsumenda.

III. De bobus vero, & caballis, asinis aut equis animalibus jubemus, ut dominus aut custos vineæ inventa supradicta animalia singulos tremisses inferat cujus sunt, ei a quo tenentur.

TITULUS III.

De judiciis.

I. Si quis judicum deputatorum a nobis judicium contempserit, VI. solidos judicibus inferat: & mulctæ nomine solidos XII. caussam specialiter perditurus.

II. Si vero judices a nobis deputati injuste judicaverint, sciant se ter duodenos sol. mulctæ nomine nobis esse inlaturos sine dubio.

1 Al. *intercludere nec exartare.*
2 Al. *munitionis soli.*
3 Al. Mss. *carrada.*
4 Al. Mss. *communes.*

(1) *Additamentum.*) Ex Titulo LII. hujusce Codicis alias collegimus (Vide Monit. & not. in Prologum) valde probabile esse Codicem ipsum concinnatum fuisse non Gundebaldo regnante, sed regnante Sigismundo. Cum ergo par sit credere, duo quę sequuntur additamenta concinnato Codice esse posteriora, ea consequenter tribuenda sunt præfato Sigismundo, aut etiam respective Godemaro ultimo Regi Burgundicæ gentis; ad quem sane additamentum secundum spectare reor, ut ibidem in notis animadvertam.

(2) *Observandum.*) Integer hic Titulus vix non ad singula verba convenit cum Titulo XVIII. Responsorum Papiani. Quare Schultingius (Jurisprud. vet. Ante-Justinian. in notis ad Tit. XVIII. Respons. Papiani) ratus est Papianum isthæc desumpsisse ex Lege Burgundionum. Ego tamen cum tanti viri venia viceversa reor, integrum ipsum Titulum ex Libro Responsorum Papiani in legem Burgundionum irrepsisse. In calce namque Tituli in utroque libro allegatam cerno *legem Theodosii*; quod morem sapit non Burgundicæ legis, sed Papiani ipsius perpetuo allegantis legem Romanam. Idem sentiendum & infra de Titulo XIX.

(3) *Divisam.*) Resp. Pap. *dimissam.*

(4) *Exartari.*) Papiani Schultingiana Editio habet *exarari*. Idem legi & in duobus Codicibus Romanis testatur Cl. Amadutius in not. ad Resp. Pap. Convenit & Paulus Sentent. lib. I. Tit. XIX. art. I. *Qui viam publicam exaraverit.* In Edit. Paris. vero legitur: *exartari.*

(5) *Munitiones soli.*) Resp. Pap. *munitionem solum.* Infra: *in nullo.* Resp. Pap. ex Ms. Othobon. & Vatican. *nullum.*

(6) *Viam in actum.*) Resp. Pap. *Viam, iter, actum.*

(7) *Sylvarum.*) Hic Articulus sic habetur apud Papianum ex editione Schultingii: *Sylvas, montes, & pascua, ut unicuique pro rata possessionis suppetit, esse communia.* Editio Amadutii: *Sylvarum, montium, & pascui jus, ut unicuique pro rata possessionis suppetit, esse commune.* Editio Nivellina non sine mendo: *Sylvarum, montium, & pascuorum, ut unicuique pro rata suppetit, esse communia.* Alias hujusce tituli minores variationes prætermitto.

(8) *De servitute luminis.*) Allegatur hoc in articulo *Lex Theodosii.* Atqui quoad ædificia publica occurrit quidem in Codice Theodosiano Lex XLVI. *de Operibus publicis* Lib. XV. Tit. I. Quoad ædificia vero privata lex in eodem Codice desideratur, imo & Titulus qui legitur apud Papianum allegantem *librum IV. sub titulo de ædificiis privatorum.* Quare Titulum ipsum, summamque legis ex Papiano, & ex Lege Burgundionum Gothofredus Theodosiano Codici restituit, seu inseruit, Lib. IV. Tit. XXIV., ubi consule, quæ vir eruditissimus annotavit.

Titulus IV.

De ingenuis, qui cum servo furtum faciunt.

I. Si quis ingenuus cum servo furtum fecerit, jubemus ut secundum pretium a nobis constitutum aut vervecem, aut capram, aut porcum, aut apem, quam involaverit, in triplum solvat.

II. Servus vero CCC. fustium ictus accipiat, & a domino servi ipsius nihil quæratur.

Titulus V.

De his, qui mulieribus corruptis crines in curte sua capulaverint.

I. Quicunque ingenuus mulieri ingenuæ crines in curte sua præsumpserit capulare (1), jubemus ut XXX. solidos mulieri ipsi solvat: & mulctæ nomine solidos XII.

II. Certe si ad battalia (2) mulier foras curte sua exierit, & aut vulnera acceperit, aut ei crinis incisus fuerit, imputet sibi, quia foras domum suam egressa est: & ab eo qui eam percussit, aut crinem incidit, nihil quæratur.

III. Certe si ancillæ in curte sua hoc fecerit, ex eo III. solidos ancillæ ipse solvat: & mulctæ nomine solidos II.

IV. Si servus vero mulieri ingenuæ hoc præsumpserit facere, tradatur ad mortem: & domino servi nihil quæratur.

V. Quod si dominus servi voluerit eum de morte redimere, decem solidis jubemus servum ipsum redimere.

VI. Jubemus etiam, ut postquam a judice servus ipse domino traditus fuerit, centum fustium ictus accipiat, ut postea alteri injuriam non faciat, nec domino suo damnum inferat.

Titulus VI.

De brachiis aut tibiis, quæ ab altero franguntur.

Quicunque de lapide, aut fuste, vel secure inversa cuicunque brachium aut tibiam fregerit, jubemus ut ei XV. solidos solvat: & mulctæ nomine solidos VI.

Titulus VII.

De navigiis.

I. Quicunque navis caupulum (3) involare præsumpserit, inferat ei cujus navis est, solidos XII. & mulctæ nomine solidos IIII. Pro caupulo vero solidos IIII. & mulctæ nomine solidos II.

II. Si servus hoc fecerit, pro nave ducentos fustium ictus accipiat: pro caupulo vero, centum fustium ictus accipiat, & domino servi nihil quæratur.

Titulus VIII.

De viatoribus.

Quicunque mancipium, caballum, bovem, vaccam, vervecem, porcum, apem, capram perdiderit, donet vegio (4) pro mancipio, solidos quinque: pro equa, solidos duos: pro caballo, solidos tres: pro bove optimo, solidos duos: pro vacca, solidum unum: pro vervece, solidum unum: pro porco, solidum unum: pro capra, tremissem.

Titulus IX.

De fidejussoribus.

Quicunque tam Burgundio quam Romanus fidejussorem acceperit, & pro fidejussione, aut quolibet debito res uxoris pignoratæ sunt, apud fidejussorem suum se absolvat, & res uxoris quæ pignoratæ sunt, restituat.

Titulus X.

De canibus veltrais, aut segutiis, aut petrunculis.

Si quis canem veltraum, aut segutium, vel petrunculum præsumpserit involare, jubemus ut convictus coram omni populo posteriora ipsius osculetur (5): aut quinque solidos illi cujus canem involavit, cogatur exsolvere: & mulctæ nomine solidos duos.

Titulus XI.

De acceptoribus.

Si quis acceptorem alienum involare præsumpserit, aut sex uncias carnis acceptor ipse super testones comedat, aut certe si noluerit, sex solidos illi, cujus acceptor est, cogatur exsolvere: mulctæ autem nomine solidos duos.

Ti-

---

(1) *Capulare.*) Vox Latino-Barbara a Germanica *Kappen*, quod est cædere, secare, præcidere. Inde Gallicum *couper*. Wachter h. v.

(2) *Ad battalia.*) *Battalia*, ut norunt omnes, est duorum, aut plurium conflictus. Vox ad nos derivata a Barbaris, quibus *Baten* est cædere, ferire, verberare.

(3) *Caupulum.*) Hoc est scapham, seu cymbam navis. Venetis voce paululum immutata dicitur *Copano*.

(4) *Donet vegio.*) Observa, quænam esset merces divino debita pro indicio rei deperditæ. Consule dicta supra ad Titulum XVI. Burgundicæ legis.

(5) *Osculetur.*) Similia vides & in lege sequenti. Barbaris namque inusitatum non fuit quandoque pœnas statuere, quæ non equidem corpus affligerent, sed reo dedecoris specimen inferrent actu ridiculo. Ejus generis pœnas in adulteros præcipue ego legi latas, quas hic referre modestia vetat.

Titulus XII.

De venditionibus, quæ sine testibus scribuntur.

I. Si quis mancipium, aut agrum, aut vineam, aut aream, vel domum factam in quocunque loco comparaverit, jubemus ut si non fuerit firmata, aut subscripta, pretium perdat.

II. Certe si a loci illius consistentibus scriptura ipsa signata non fuerit, aut septem aut quinque testibus.

III. Certe si quinque testes ad præsens inventi non fuerint, tres idoneos testes loci illius consistentes, quorum fama nunquam maculata est, præcipimus subscribendos.

IV. Certe si non, invalidam scripturam ipsam jubemus esse.

Titulus XIII.

De mulieribus, quæ se voluntate sua ad maritos tradunt.

Quæcunque mulier Burgundia vel Romana voluntate sua ad maritum ambulaverit, jubemus ut maritus ipse facultate ipsius mulieris, sicut in eam habet potestatem, ita & de rebus suis habeat.

Titulus XIV.

De Wittemon.

I. Quicunque Burgundio optimatis aut mediocris sine ordinatione patris cum alicujus filia se copulaverit, jubemus ut tripla solutione optimatis ille qui fuerit, patri ipsi cujus filiam copulavit, & ei ante scire non fecit, nec consilium petiit, centum quinquaginta solidos cogatur exsolvere: & mulctæ nomine solidos XXXVI.

II. Leudis vero si hoc præsumpserit facere, similiter in tripla solutione, hoc est, solidos XLV. solvat: & mulctæ nomine solidos XII.

Titulus XV.

De Judæis, qui in Christianum manum præsumpserint mittere.

I. Quicunque Judæus in Christianum manum præsumpserit mittere, pugno aut calce, fuste aut flagello, aut saxo, aut per capillos prenderit, manus incisione damnetur.

II. Quod si voluerit manum suam redimere, LXXV. solidis jubemus redimere: & mulctæ nomine sol. XII.

III. Præterea jubemus, si in sacerdotem manum præsumpserit mittere, tradatur ad mortem; & facultas ipsius fisco nostro tradatur.

Titulus XVI.

De vineis.

I. Quicunque in vineam alienam intrare præsumpserit de die furti caussa, inferat illi, cujus vinea est, solidos III. & mulctæ nomine solidos III.

II. Certe si de nocte hoc præsumpserit facere, & percussus fuerit, ita ut moriatur, cujus vinea est nullam calumniam patiatur.

III. Nam si servus hoc fecerit, aut in die furtim intraverit, trecentos fustium ictus accipiat.

IV. Quod si de nocte intraverit, sicut superius diximus, occidatur.

V. Quod si dominus ejus voluerit eum redimere, habeat liberam potestatem; ita postquam eum redemerit, CL. fustium ictus accipiat, ita ut nec ille nec aliorum servus hoc facere delectet.

VI. Præterea si ingenuus non visus fuerit, & postea aut per vim aut per scrutinium inventus fuerit, jubemus ut ad redimendum se XII. solidos illi, cujus vinea est, cogatur exsolvere, & mulctæ nomine solidos VI.

Titulus XVII.

De asinis.

Quicunque asinum alienum extra domini voluntatem præsumpserit aut per unum diem aut duos in ambascia sua, jubemus ut ipsum & alium talem ei, cujus asinus est, consignet. *Sub titulo CV. invenimus Constantini.*

Titulus XVIII.

Si quis boves alicujus pignoraverit.

I. Quod quicunque boves pignorare præsumpserit, capitale puniatur.

II. Nobis vero cum optimatibus nostris hoc convenit, ut quicunque alia pecora habuerit, aut mancipia, aut caballos, & boves præsumpserit pignorare, inferat illi, cujus boves pignorat, sol. XII. Et si duo paria pignoraverit, solidos XXIV. & mulctæ nomine solidos XII, ea tamen ratione, ut boves ipsos in loco reformet.

Titulus XIX.

De liberali caussa, vel de operis libertorum.

I. Si quis intra annos XXX. (1) sub inge-

(1) *Si quis intra annos XXX.*) Integer hic Titulus, qui hic legitur aliquantisper deformatus, & vix intelligibilis, lumen accipit ex Libro Responsorum Papiani, in quo iisdem pene verbis exaratus legitur prima parte tituli XLIIII. editionis Romanæ Amadutii: *Si quis intra XXX. annos sub ingenuitatis specie vagantem in servitutem revocare voluerit, non aliter quam apud judicem statum ejus pulset, ubi si convictus fuerit, tot alia mancipia dabit, quanta in servitutem repetebat. Illi vero pulsato tertio debentur judicia; & si voluntarius adsertor, aut defensor in-*

genuitatis spatio vagantem in servitutem vocare voluerit, non aliter quam apud judices statutum eum pulset.

II. Ille vero pulsatum debere judicia.

III. Et si voluntarius adsertor sit, aut defensorem ingenuitatis invenire non potuerit, ad judices fide integra & moribus idonebs deportetur.

IV. His vero, qui de servitute in libertatem aut ingenuitatem reclamare tentaverint, ista beneficia denegantur: sed victi in foro statuuntur. & qui eos defendere voluerint, habeant liberam potestatem.

V. Quod si nec defensorem invenire potuerint, in servitutem a domino retrahantur.

TITULUS XX.

De vineis hoc observandum.

I. Multorum Burgundionum, & Romanorum querimonia ad nos processit, quod vineæ eorum ab animalibus, porcis, vel reliquis vastarentur. Cum optimatibus nostris de re impensius perscrutantes justum esse perspeximus, & ita nobis visum est, a quocunque animalia in vinea inventa fuerint, de grege porcorum unum habeat occidendi liberam potestatem, & suis usibus vindicandum.

II. Quod si facilius ad utilitatem & quietem omnium debeat pertinere, de animalibus vel reliquis pecoribus, præter boves & caballos, sicut de porcis simili conditione teneatur.

LEGIS BURGUNDIONUM

ADDITAMENTUM SECUNDUM.

QUæcunque in regno nostro hujusmodi caussæ oriuntur, unde adhuc legibus non fuerit institutum, quod observare debebit, habito nunc cum optimatibus nostris tractatu præsenti conditione decrevimus in populo nostro custodiri.

I. SI quis ingenuus in captivitatem ductus est, & mancipia intra regionem nostram reliquit, quicunque mancipium propinquitate ad se revocavit, aut præsumpsit, aut forsitan per nostram præceptionem petiit, si captivus ille ad propria redierit, mancipia sua absque præjudicio partis recipiat.

II. Quicunque servum suum aut ancillam de regione nostra in sortem alienam vendiderit, & mancipium venditum ad propria redierit, ut libertus sit ordinamus: ea tamen ratione, ut non alterius patrocinium, nisi domini illius, qui eum vendiderit, habiturum se esse cognoscat.

III. Quicunque ingenuus de Gothia captivus a Francis in regionem nostram venerit, & ibidem habitare voluerit, ei licentia non negetur.

IV. De his vero, quæ tempore excidii (1) ad fidem inimicorum amissis mancipiis, cum una tantum ingenua persona, ac loco uxoris sibi liberavit, mercedes requiri specialius ordinavimus, ut nihil penitus ad mulierem illam de tali caussa quæratur.

V. Quæcunque persona de alia regione in nostram venerit, & ibi voluerit habitare, aut cum quo esse voluerit, habeat licentiam: & nullus eam ad servitium, aut per se adjicere præsumat, aut a nobis petere conetur.

VI. De monetis solidorum præcipimus custodire, ut omne aurum quodcunque pensaverit accipiatur, præter quatuor tantum monetas (2), Valentiani (3), Genavensis, & Go-

---

ingenuitatis inveniri non potuerit, a judice fide integra & moribus idoneus deputetur. His vero, qui de servitute in libertinitatem, aut ingenuitatem reclamare tentaverint, ista beneficia denegantur, sed victi in foro statuuntur, ut qui eos defendere voluerit, habeat liberam potestatem. Quod si nec sic defensorem invenire potuerint, in servitutem a domino retrahantur; hoc secundum Legem Theodosiani, quæ de liberali caussa lata est. Schultingii Editio Tit. XLIII. paulo aliter legit, sed æque intelligibiliter.

(1) *Tempore excidii.*) Cum ego maxime persuasus sim, hæc ad Burgundionum leges additamenta condita fuisse codice jam concinnato, atque Gundebaldo defuncto, ut supra dixi in notis ad Additamentum primum, censeo consequenter hic sermonem esse vel de clade quam Burgundiones a Francis sustinuerunt sub finem Regni Sigismundi, vel de alia, quę in prælio Veseruntino illis impacta fuit ab iisdem Francis regnante Godemaro. Si hæc sat firmo fundamento innitantur, consequens est, secundum hoc Additamentum, non Gundebaldo, neque Sigismundo, sed Godemaro ipsi esse referendum.

(2) *Præter quatuor tantum monetas.*) Cur interdictæ sunt quatuor tantum monetæ? Anne ex causa a Procopio allata B. G. libro III. c. 32; quod scilicet vultu proprio Regum signatæ forent, quod Francis exceptis nulli Barbarorum Regi in monetis aureis facere licuisset? Subdit namque Procopius: *Quippe ejusmodi moneta commercio vel ipsorum Barbarorum excluditur*. At vero difficile est, hac de caussa adeo exclusas fuisse, ut neque ad pondus reciperentur eæ ipsæ, quæ in proprio regno cusæ fuerant. Ut potius credamus, ipsas reprobatas fuisse, quod ex auro adulterino conflatæ forent.

(3) *Valentiani.*) Legunt alii *Valentiniani*, ajuntque Valentinianum seniorem pretium monetæ aureæ alterasse, non pondere aureorum imminuto, sed imposito valore aucto. Vide Heinec. Elem. Jur. Germ. lib. II. p. II. art. 312. Si vera hæc sunt, de illis hic non agitur, dum

Gothium, qui a tempore Alarici (1) regis adærati sunt, & Ardaricanos (2). Quod si quiscunque præter istas quatuor monetas aurum pensatum non acceperit, quod vendere volebat non accepto pretio perdat.

VII. Si quis fidejussorem acceperit, & ante eum pignorare præsumpserit, quam auctorem suum, cum quo caussam habet, præsentibus testibus admonuerit, pignora, quæ tollere præsumpserit, in duplo restituat.

VIII. Quicunque mancipium alienum de Francis (3) comparaverit, testibus idoneis hæc adprobet, quantum & quale pretium dederit: & hoc testes illi jurati dicant. *Nobis præsentibus pretium dare vidimus: Sed nec ille, qui mancipium comparavit, ullam fraudem aut conludium cum inimicis fecit.* Quod si testes idonei taliter sacramenta dederint, quantum pretium dedit, tantum hic recipiat: nec pastum requirat, & mancipium, cujus fuerat, sine mora reddatur.

IX. Sed si de re de heredibus singulis statuta, quicunque contra hanc diffinitionem venire tentaverit, pro singulis caussis duodenos solidos mulctæ nomine se noverit implere.

X. Illud specialiter præcipientes, ut omnes comites tam Burgundionum quam Romanorum, in omnibus judiciis justitiam teneant: in hos, qui violentiam fortasse, superventum, vel quodlibet crimen admiserint, ita fortiter stringant, & vindicent, quod nullus intra regnum nostrum præsumat admittere. Omnes omnino caussas ex legibus judicent, ut justitiæ ordo teneatur, sicut lex parentum nostrorum continet. Nam fieri manifeste cognovimus de diversis sceleribus compositiones inter parentes nostros tacite: & ut caussæ legibus non judicantur, ita populi violentias aut similia præsumunt admittere. Si quis compositiones ita facere præsumpserit, & lege expressa judicare distulerit, mulctam se noverit inlaturum.

XI. De Romanis vero hoc ordinavimus, ut non amplius a Burgundionibus, qui infra venerunt, requiratur, quam ad præsens necessitas fuerit, medietas terræ. Alia vero medietas cum integritate mancipiorum a Romanis teneatur: nec exinde ullam violentiam patiantur.

XII. Præterea ecclesiæ aut sacerdotes in nullo penitus contemnantur.

XIII. Quicunque aliquem locum munificentiæ petere voluerit, cum literis comitis sui veniat, & consiliarii aut majores domus qui præsentes fuerint, ipsas literas comitis ipsius accipiant: & suas literas ex nostra ordinatione ad illos judices faciant, cujus territorio res illa tenetur: & hoc eis concedant, ut diligenter requirant, si sine peccato dari potest.

---

dum præcipitur, ut aurum omne recipiatur non ad inditum quondam monetæ valorem, sed ad pondus, videlicet *quodcumque pensaverit*. Probabilius censeo retinendam esse lectionem *Valentiani*. Valentia nunc in Delphinato, uti & Geneva Burgundico suberant regno. Facile itaque hic sermo est de monetis, quas illis in civitatibus cuderant Burgundionum Reges, seu reguli, eo tempore, quo regnum inter duos, aut plures Principes divideretur. Quod autem hic inhibitum sit eas etiam ad pondus recipi, colligere est interdictas fuisse, quod ex auro nimis impuro constarent. Id apertius patet ex iis, quæ modo subjungimus de moneta Gothica.

(1) *Gothium, qui a tempore Alarici.*) Apparet ratio interdicti, cum monetam Gothicam sub Alarico ex auro adulterino conflatam fuisse monuerit Avitus Epist. LXXVIII. *Illam certe* (mixturam) *quam Rex Gætarum* (Alaricus) *securturæ præsagam ruinæ monetis publicis adulterium firmantem mandaverat*. Testatur Sirmondus ad hunc locum, conspici adhuc Gothicos veteres nummos adeo pallentes, ut auri minus habere putes, quam argenti. Id autem ex instituto factum fuisse videtur usque ad novissima tempora Regum Wisigothorum. Fatetur Covaruvias, se vidisse duas monetas aureas temporis Witizæ Regis, *de muy baxa ley*. Vidit auream monetam & Alphonsus de Villadiego sub Egica Rege cusam, *de baxissima ley*. Vide ejus Commentaria in *Fuero Juzgo* lib. VII. Tit. VI. in Rubricam.

(2) *Ardaricanos.*) Cangius in Gloss. h. v. legendum censet *Alaricianos*; quod idem esset ac interdictum repetere. Valesius in Valesianis eos appellatos putat ab Ardarico Rege Gepidum. Sed hic agi videtur de moneta cusa aut in Burgundico Regno, aut in altero a Burgundis haud remoto, quæ ex mutuo gentium commercio facile inter Burgundos cursum haberet. In Tiliana editione lego: *& Ardaricæ annos* forte mendose.

(3) *De Francis.*) Captivi hic videntur intelligi, quos Franci e Burgundionibus aquisiverant post clades, de quibus paullo supra in notis ad legem IV. hujus Additamenti actum est.

CAROLI MAGNI

CAPITULA XX. (1)

De Justitiis faciendis, ex Lege Salica, Romana, & Gundobada.

KArolus ferenissimus Imperator Augustus, a Deo coronatus, magnus, & pacificus, cum Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Ducibus, omnibusque fidelibus Christianæ Ecclesiæ cum consensu consilioque constituit ex Lege Salica, Romana, atque Gundobada capitula ista in palatio Aquis (2), ut unusquisque fidelis justitias ita faceret, quæ & ipse manu propria firmavit capitula ista, ut omnes fideles manu roborare studuissent.

INCIPIUNT CAPITULA.

INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

De cura & sollicitudine Episcoporum.

I. UT Episcopi circumeant parrochias sibi commissas, & ibi inquirendi studium habeant de incestu, de patricidiis, fratricidiis, adulteriis, cenodoxiis, & aliis malis [1] quæ contraria sunt Deo, quæ in sacris Scripturis leguntur, quæ Christiani devitare debent. Et infra illorum parrochias Ecclesiæ quibus necesse est emendandi curam habeant. Similiter nostras a nobis in beneficio datas quam & aliorum ubi reliquiæ præesse videntur. Et ut monachi per verbum Episcopi & per regimen Abbatis & per bona illorum exempla regulariter vivant, prout loca locata sunt. Et ut Præpositus & hi qui foras monasteria sunt, ne venatores habeant; quia jam frequenter jussimus ne monachi foras monasterio habitassent.

De ecclesiis, viduis, & pupillis, ut pacem habeant.

II. Ut ecclesiæ, viduæ, pupilli per bannum Regis pacem habeant. Sin aliter, in præsentiam nostram hoc veniat, si fieri potest. Sin autem, Missi nostri investigent illud quomodo gestum sit.

Ut jumenta sive animalia pacem habeant.

III. Ut jumenta pacem habeant similiter per bannum Regis.

De his qui beneficia regalia habent.

IV. Ut hii qui beneficium nostrum habent, bene illud immeliorare in omni re studeant. Et ut Missi nostri hoc sciant.

De Vicariis & Centenariis.

V. Ut Vicarii nostri vel Centenarii a servo Regis mancipia ne emant. Et ut ipsi Vicarii de hereditate foris heredibus, si extiterit, ad opus nostrum recipiatur, ne illud fraudetur.

De ingenuis, si intestati decesserint.

VI. De his qui a litterarum conscriptione ingenui fuerint, si sine traditione mortui fuerint, hereditas eorum ad opus nostrum reci-

1 Al. Ms. *alia mala.*

(1) *Capitula XX.*) Hæc Capitula Baluzius rejecit in annum DCCCXIII.

(2) *In palatio Aquis.*) *Ubi habitum a Karolo generalem fuisse conventum anno* DCCCXIII. *docet Eginhardus, & in eo Ludovicum a Karolo consortem Imperii factum esse, Bernardum vero Regem Italiæ.* Baluzius.

recipiatur. Nec Comes nec Vicarius illud sibi fociet, sed ad opus nostrum revocetur. Similiter volumus ut banni nostri de illis unde censa exigunt, ut ipsa censa ad opus nostrum vel ubi nos jubemus veniant.

Quid sit agendum si heredes de hereditate inter se contentiose egerint.

VII. De hereditate inter heredes si contentiose egerint, & Rex Missum suum ad illam divisionem transmiserit, decimum mancipium & decima virga hereditatis fisco Regis detur.

Ut Vicarii luparios habeant.

VIII. Ut Vicarii luparios habeant (1) unusquisque in suo ministerio duos. Et ipsi de hoste pergendi & de placito Comitis vel Vicarii ne custodiat, nisi clamor super eum veniat. Et ipsi certare studeant de hoc ut perfectum exinde habeant, & ipsæ pelles luporum ad nostrum opus dentur. Et unusquisque de illis qui in illo ministerio placitum custodiunt, detur eis modium unum de annona.

De hoste pergendi.

IX. De hoste pergendi, ut Comiti in suo comitatu per bannum unumquemque hominem per sexaginta solidos in hostem pergere bannire studeat ut ad placitum denuntiatum ad illum locum ubi jubetur veniant. Et ipse Comes prævideat quomodo sint parati, id est, lanceam, scutum, aut arcum cum duabus cordis & sagittis duodecim. De his uterque habeant. Et Episcopi, Comites, Abbates, hos homines habeant qui hoc bene prævideant, & ad diem denuntiati placiti veniant, & ibi ostendant quomodo sint parati. Habeant loricas vel galeas & temporalem hostem, id est, æstivo tempore.

De dispensa Regis & optimatum in carro ducenda.

X. Ut Regis spensa in carra ducatur, simul Episcoporum, Comitum, Abbatum, & optimatum Regis, farinam, vinum, baccones, & victum abundanter, molas, dolatorias, secures, taretros, fundibulas, & illos homines qui exinde bene sciant jactare. Et marscalci Regis adducant eis petras in saumas viginti, si opus est. Ut unusquisque hostiliter sit paratus, & omnia utensilia sufficienter habeant. Et unusquisque Comes duas partes de herba in suo comitatu defendat ad opus illius hostis; & habeat pontes bonos, naves bonas.

De carceribus & patibulis habendis ab unoquoque judice.

XI. Ut Comites, unusquisque in suo comitatu carcerem habeant. Et judices atque Vicarii patibulos habeant.

De pœna hominum boni generis qui inique agunt.

XII. Ut homines boni generis, qui infra comitatum inique vel injuste agunt, in præsentiam Regis ducantur; & Rex super eos districtionem faciat carcerandi, exiliandi, usque ad emendationem illorum.

De latrone qui ad mortem judicatus fuerit.

XIII. Ut Vicarii munera ne accipiant pro illis latronibus qui ante Comitem judicati fuerint ad mortem. Quod si hoc perpetraverint, tale judicium sustineant sicut & latro judicatus fuit. Quia postquam Scabini eum dijudicaverint, non est licentia Comitis vel Vicarii ei vitam concedere. Sed si bannus ei judicatus fuerit, & banno peracto, stet in eo interim usque dum Comiti & eo qui clamorem vel caussam ad eum habuit, & tunc sit foris banno.

De Advocatis Episcoporum & Abbatum.

XIV. Ut Episcopi & Abbates Advocatos habeant. Et ipsi habeant in illo comitatu propriam hereditatem. Et ut ipsi recti & boni sint, & habeant voluntatem recte & juste caussas perficere.

Quid agere debeant Vicarii de iis qui se pro furto in servitio tradere cupiunt.

XV. Ut Vicarii eos qui pro furto se in servitium tradere cupiunt non consentiant, sed secundum justum judicium terminetur.

Quomodo liceat seniorem suum dimittere.

XVI. Quod nullus seniorem suum dimittat postquam ab eo acceperit valente solidum unum; excepto si eum vult occidere, aut cum baculo cædere, vel uxorem aut filiam maculare, seu hereditatem ei tollere.

De arcu in hoste habendo.

XVII. Quod nullus in hoste baculum habeat, sed arcum.

De forestibus dominicis.

XVIII. De forestis, ut forestarii bene illas defendant, simul & custodiant bestias & pisces. Et si Rex alicui intus foreste feramen unum aut magis dederit, amplius ne prendat quam illi datum sit.

De

(1) *Luparios habeant.) Ad capiendos lupos, qui tum Regnum Francorum valde infestabant. Frotharius Episcopus Tullensis Epist. XXVI.* Luporum rabiosa infestatione animas hominum Christianas subito necari videmus. *Baluzius.*

De villicis regiis, quid facere debeant.

XIX. Ut vilicus bonus, sapiens, & prudens in opus nostrum eligatur, qui sciat rationem Misso nostro reddere & servitium perficere prout loca locata sunt, ædificia emendent, nutriant porcos, jumenta, animalia, hortos, apes, aucas, pullos, vivaria cum piscibus, vennas (1), molina, stirpes, terram aratoriam studeant semare. In forestis mansum regale, & ibi vivaria cum piscibus, & homines ibi manent. Et plantent vineas, faciant pomaria, & ubicunque invenient utiles vilos homines, detur illis silva ad stirpandum, ut nostrum servitium immelioretur. Et ut feminæ nostræ, quæ ad opus nostrum sunt servientes, habeant ex partibus nostris lanam & linum, & faciant sarcillos & camisilos, & perveniant ad cameram nostram per rationem per vilicos nostros aut Missos eorum a se transmissos.

De eo qui parem suum adjuvare noluit.

XX. Et si quis fidelibus [1] nostris contra adversarium suum pugnam aut aliquod certamen agere voluit, & convocaverit ad se aliquem de comparis [2] suis ut ei adjutorium præbuisset, & ille noluit, & exinde negligens permansit, ipsum beneficium quod habuit auferatur ab eo, & detur ei qui in stabilitate & fidelitate sua permansit.

1 Baluz. legendum autumat: *Ut si quis de fidelibus*.

2 Al. Ms. *comparibus*.

(1) *Vennas.*) *Idest piscaturas, ut interpretatur Vir clarissimus Joannes Mabillonius in notis ad librum primum miraculorum S. Germani Episcopi Parisiensis pag. 106. & pag. 118; ubi refert præceptum Ludovici Pii de Karoli-venna.* Hæc ex Baluzio excerpsi; cætera hujus Capitularis obscuriora verba quæres apud Cangium.



CO-

LIBER JUDICUM.

CODEX
LEGIS WISIGOTHORUM
IN LIBROS XII. DISTRIBUTUS

CUM ADDITAMENTIS, ATQUE PRÆCEPTIS REGUM FRANCORUM AD HISPANOS SPECTANTIBUS,

NOTISQUE COLLECTORIS,

QUIBUS INTERSPERSA SUNT VARIANTIA PLURA, ATQUE LEGES IN VULGATIS DESIDERATÆ,

Ad fidem Codicis antiqui Hispano-Romantici, vulgo Fuero Juzgo *nuncupati.*

IN CODICEM

LEGIS WISIGOTHORUM

MONITUM COLLECTORIS.

Gothicarum Legum ſcripta primordia Iſidorus Hiſpalenſis tribuit Eurico Regi, qui ab Era DIV. Gothis imperitabat: *Sub hoc Rege*, inquit (1), *Gothi legum inſtituta ſcriptis habere cœperunt, nam antea tantum moribus & conſuetudine tenebantur. Mores* videlicet, & *conſuetudinem* Iſidorus appellat jura quocumque modo in Rempublicam inducta, & ſola memoria, uſuque ſervata, uti generaliter penes Barbaros, priuſquam leges ſcripto tradidiſſent, in more poſitum erat, ut alibi præmonitum eſt (2).

Subinde Leovigildus Rex, qui Era DCVIII. Gothico ſceptro donatus erat, legalem Wiſigothorum complexum correxit, adauxit, atque in pleriſque immutavit, eodem Iſidoro ſcribente (3): *In legibus quoque ea, quæ ab Eurico incondite conſtituta videbantur, correxit, plurimas leges prætermiſſas adjiciens, pleraſque ſuperfluas auferens.*

Inter Reges, qui a Leovigildo ad Chindaſvindum uſque Gothicæ genti dominati ſunt, indubium eſt non defuiſſe, qui leges itidem conſtituerent. Ut enim loquar tantum de iis, quæ apertiſſime patent, in ipſo Wiſigothorum Codice leges occurrunt, quæ nomina in fronte gerunt *Recaredi*, *Gundemari*, *Siſebuti*. Imo & in ipſo legum corpore a Siſebuto memoratur conſtitutio Recaredi (4), a Receſvindo lex Siſebuti (5).

At vero noviſſimo ſeptuagenario Gothici Regni multo notabiliores acceſſiones Codex indemptus eſt ex legibus conditis ſub Chindaſvindo, Receſvindo, Wamba, Ervigio, & Egica.

Neque tantum novas leges conditas, ſed & veteres recenſitas, caſtigataſque fuiſſe probant ipſæ legum inſcriptiones: *Antiqua*: *Antiqua, noviterque emendata*: quæ præcipue Chindaſvindo, Receſvindo, Egicæ, referuntur acceptæ. Idem evincunt nonnullæ Codicis leges (6), quæ de recenſionibus a Receſvindo factis agunt aperte. In regiis quoque Tomis (ſic enim appellabant) qui præfixi leguntur Toletanis Conciliis, octavo regnante Receſvindo, duodecimo regnante Ervigio, ſextodecimo regnante Egica celebratis, agitur de inordinandis, aut corrigendis iis, quæ in legibus depravata, indebita, aut ſuperflua fore noſcuntur. Sane vero hæc oſtendunt, legum recenſiones pluries habitas fuiſſe uſque ſub Regni Gothici finem.

Obiter hic addam, Codicem perantiquum Gothicarum legum in dialectum Hiſpano-Romanticam translatum, & vulgo *Fuero Juzgo* nuncupatum, quem excuſſum ad fidem Exemplarium S. Eccleſiæ Toletanæ, & Regii D. Laurentii Monaſterii Scoriarii publici juris fecit Alphonſus a Villadiego J. V. D., hæc verba in fronte præferre: *Eſte libro fu fecho de ſeſenta e ſeys Obiſpos en o quarto Conceyo de Toledo, ante la preſencia del Rey Don Siſnando.* Quæ innuunt, inoletam apud veteres Hiſpanos viguiſſe traditionem, recognitionem, ſeu collectionem legum maxime ſolemnem inſtitutam fuiſſe in Concilio Toletano IV. Siſenando regnante celebrato, cui præfuerat D. Iſidorus doctor celebris, Hiſpalenſis Metropolita.

Neque inter Barbaros ulla natio fuit, quæ tam digeſtum ederet legale vo-
lu-

---

(1) Iſid. Hiſpal. Chron. Goth. in Enrico.
(2) Vid. Præf. Gen. Tom. I. & Mon. ad Leg. Sal. Tom. II. huj. Collect.
(3) Iſidorus l. c. in Leovigildo.
(4) Cod. Leg. Wiſigoth. XII. II. 13.
(5) Ibid. 15.
(6) Vid. Cod. Leg. Wiſigoth. L. II. Tit. I. non uno in loco.

lumen. Justinianæum Codicem æmulati Gothi ordinata, legalique methodo leges suas in duodecim libros, hos in titulos diviserunt. Quæ divisio recens certe non est; cum illam memorare videatur Recesvindus, hæc habens: *Et ideo* (1) *harum legum correctio, vel novellarum nostrarum sanctionum ordinata constructio, sicut in hoc libro & ordinatis titulis posita, & subsequenti est serie annotata &c.* Sed & Recesvindo antiquiorem illam suspicari possumus. Etenim in lege Chindasvindo tributa altera citatur lex, *quæ continetur in libro VI. titulo I. Era secunda* (2); ut & alibi lex allegatur, *quæ in hoc libro VI. sub titulo II. Era prima* (3). Eæ leges adhuc leguntur in locis ipsis, quibus allegatæ sunt.

Atque ita coaluit legalis liber Gothorum foris facer, cujus deleto quoque Gothico vetere regno per aliquot sæcula non periit usus. In Concilio Coyacensi acto Era MLXXXVIII. præceptum constituitur, *sicut canones præcipiunt, & sicut lex Gothica mandat* (4). Itemque alibi præcipitur, *ut fiat quod lex Gothica jubet* (5). Rodericus Toletanus refert, Veremundum II. Regem Legionis, & Oveti salutatum Era millesima, *leges Gothorum liberaliter* confirmasse (6): & Veremundi filium Aldephonsum V. *leges Gothicas* reparasse, *& alias* addidisse, *quæ in regno Legionis etiam hodie observantur* (7). Scribebat autem Rodericus anno Incarnationis Dominicæ MCCXLIII.

In re aperta non immorabor, ut probem, Aragonum quoque reges codicem Gothicum servasse, & novellis constitutionibus supplevisse (8). Quid ultra? *Ipsos Saracenos Hispaniarum Provinciis . . . Gothicis legibus, quæ in illis vigebant, utendi copiam fecisse liquido constat.* Verbis utor eruditissimi Siculi Archipræsulis Francisci Testa (9).

Quonam igitur tempore Gothicæ legis in Hispania exoleverit usus? Legales, forensesque libri ad particularium regionum regimen compacti, novæ inductæ consuetudines, succedentium Regum constitutiones, atque decreta, obtinere vix poterant, quin saltem ut jus commune haberetur præfatus vetustus codex. Quare quod alias dixi, hic lubens repeto; scilicet id evenisse ex affectato studio legum Romanarum, quod & in Hispanias irrepsit. De Alphonso, seu Aldephonso X. qui regnum capessivit anno Domini MCCLII. hæc scribit Rodericus Santius Episcopus Palentinus (10): *Hic Alphonsus legibus condendis deditissimus fuit. Nam conspiciens per diversa volumina plurimorum principum, & populorum leges dispersas fore, eadem curiositate, qua olim Romani, usus est . . . . . . Leges enim Romanas in regnis suis legi fecit, licet minime eis subjiceretur. Demum ex omnibus summa moderatione, & ratione, ac æquitatis vibramine septem libros, quos Partitas vocant, instituit, & salubriter compilavit, in quibus sacratissimæ leges non solum ad causas hominum decidendas, sed ad divinum cultum dirigendum, augendumque continentur.* Celeberrimi fuere in Hispania septem hi *Partitarum* libri. Prout ergo codex iste juris, ut pene dicam Romani, in Hispaniæ regnis pedem fixit, par est credere, quod libro legis antiquo nuncium miserit. Atque hanc præcipuam esse causam reor, qua liber Gothicus exoleverit ex Hispanicis foris. Cæterum de his exactiora different, qui Hispanicas antiquitates exactius callent.

Sub Francis Regibus quoque non desiit usus legis Wisigothorum inter eos, qui quondam Gothico regno paruerant. Luculentissimum inter cætera documenta profero testem Joannem Papam VIII., qui in Synodo Tricassina coram Ludovico II. Francorum Rege addere jussit *libro Gothicæ legis*, & *in fine Codicis* ejusdem describi legem, seu constitutionem circa sacrilegia. Quam expresse memoro, ut facile consuli possit, cum in hujusce Codicis appendice illam ego subjecerim.

In regno Italico eos, qui lege Gothica utentes ad nos advenerant, quoad plura juris objecta secundum eandem vixisse indubium credo; cum ut alias non se-

(1) Cod. Leg. Wisigoth. II. I. 1. (2) Ibid. II. III. 4. (3) Ibid. VI. II. 5. (4) Conc. Coyacense c. 9. (5) Ibid. c. 12. (6) Rod. Toler. *De Reb. Hisp. Lib. V. c.* 13. (7) Id. Ibid. c. 19. (8) V. Pith. Ep. Dedic. in Cod. Leg. Wisigoth. (9) Franc. Testa Differt. *De ortu, & progressu Juris Siculi*. (10) Rod. Santii Hist. Hisp. P. IV. c. 1.

ſemel dictum eſt, aliarum quoque gentium quiſque propria regeretur lege. Inter ſæpe memoratas Formulas Veronenſes (1), ea quæ inſcribitur: *Traditio venditionis cum defenſione*: hæc inter cætera habet: *Si eſt Robuarius, ſi eſt Francus, ſi eſt Gothus, vel Alemannus, venditor pone cartam in terra &c.* quæ innuunt Gothis, uti & aliis ibi memoratis gentibus, ficuti legales proprias conſuetudines, ita & proprias leges ſervatas fuiſſe.

Ut unde diſceſſit, revertatur oratio, recenſere dignum eſt, Gothos leges ſuas latino ſermone ſcriptas in vernaculam quoque linguam translatas habuiſſe, certe ut ii, qui latinam linguam non callebant, ex ignorantia juris non excuſarentur. Cujus translati libri mentionem ingeſſit Receſvindus (2).

Non defuere, qui hunc *translatum librum* eundem eſſe cenſuerint, ac codicem *Fuero Juzgo* Hiſpano-Romantice conſcriptum, quem ſupra memoravi; cujus antiquitatem ex eo adſtrui animadverti, quod ferant verbum in eo non extare ex iis, quæ ab Arabibus in Hiſpaniam inducta ſunt.

De re mihi ignota judicium non feram. Sed præterquamquod nonnullæ in hoc translato libro expreſſiones occurrant, quæ vel non ſat recte ſenſum exprimunt latini exemplaris, vel ſequiora tempora ſapiunt; ipſa vix non ex integro Hiſpanica efformata dialectus, qua liber ille ſcriptus eſt, eum novitatis damnare videtur. Prodigium crederem, ſi ad ſummum ante ſæculum XI. ſcriptus fuiſſet.

Translatum librum a Receſvindo memoratum ego libentius puto fuiſſe verſionem legum præcipue in gratiam Gothorum, vel alterius Barbaræ gentis Gothis parentis concinnatam, ex quibus quamplures codicis latini intelligentiam non aſſequerentur.

Cæterum huc non ſubſtitit Gothorum Regum in re legali diligentia. Non modo Gothis, ſed & Provincialibus in eorum ditione degentibus jura tradidere, ut mos Barbarorum habebat, ex themide quidem Romana deprompta, ſed haud modice interpolata, & ad proprii regni conſtitutionem accommodata. Gloriam Scriptores communiter tribuunt Alarico Eurici filio; ſed mihi videor, ante Alaricum ipſum Gothos Romanis ſuis aliquem ſcriptarum legum complexum dediſſe.

Apollinaris Sidonius, qui Eurico præfato Gothis regnante, & Anthemio Romanis imperante ſcribebat, in Epiſtola ad Ecdicium agens de Seronato, hiſce verbis conqueritur (3): *Exultans Gothis, inſultans Romanis; illudens Præfectis; colludenſque Numerariis; Leges Theodoſianas calcans, Theodoricianaſque proponens, veteres culpas, nova tributa perquirit.* Theodoricianas Theodoſianis Apollinaris opponens, civiles leges profecto memorat, & leges quidem ex interpolato Jure Romano confectas, utpote quæ Provincialibus Arvernis (de quibus ea in Epiſtola ſermo fit) regendis aptæ forent, cum certe etiam ſub Gothis Provinciales ante Chindaſvindum Romanis legibus regerentur.

Hæc innuunt, jam tum extitiſſe legum complexum in Provincialium gratiam concinnatum, qui a Theodorico Gothorum Rege legum earundem ſeu auctore, ſeu collectore, ſeu recognitore nomen ſortitus eſſet, prout Romanarum legum codex compellationem a Theodoſio II. nactus erat.

Quiſnam autem fuerit Theodoricus ille Gothus, a quo præfatæ leges prodierint, difficile dictu eſt. Fuerit ne Theudoridus, alias *Theodoricus* dictus, Eurici pater; an Theodoricus Eurici frater; an vero Euricus ipſe, qui identidem *Theodoricus* appelletur (4), in medium relinquam. Pro Eurico ſententiam tenet noviſſime Vir doctiſſimus Chriſtianus Gottlob Bienerus Juris Naturæ & Gentium Profeſſor Publicus Ordinarius in Litterarum Univerſitate Lipſica (5). Sane *Eurici* nomen videtur cognomen huic Principi impoſitum a ſtudio legum condendarum, & poſt latas leges. Nam *Euricus*, ſeu ut alias dicitur *Evaricus*, idem ad verbum ſignificat ac *lege pollens*. *Ew-rich. Ewa-rich* (6).

(1) V. Vol. II. huj. Collect. pag. 474. (2) Cod. L. Wiſig. II. I. 10.
(3) Apollin. Sidonius Lib. II. Ep. 1. (4) V. Savaro in not. ad Sidon. Apollin. h. l.
(5) Conſule Bieneri de Legibus Wiſigothorum antiquis Specimen I. An. MDCCLXXXIII. Edit. Lipſiæ. (6) V. Grotius in Syllabo Vol. I. huj. Collect. pag. 187. Wachter Gloſſar. V. Ehe.

Quidquid de his sit, Alaricus Rex Eurici filius prædecesſorum ſuorum ſuperans exemplum, nomen ſibi peperit nunquam periturum, dum regni ſui Provincialibus, qui jure vivebant Romano, codicem, ut ita dicam, abſolutum e variis juris Romani libris expreſſum, breviatum, atque ab inconſtantiis, ſubtilitatibus, & obſcuritatibus expurgatum, tradere conſtituit: *Utilitates populi noſtri*, (verba ſunt, quæ leguntur in exemplari auctoritatis, quam Alaricus ipſe codici præfixit) *propitia Divinitate tractantes, hoc quoque quod in legibus videbatur iniquum, meliori deliberatione corrigimus, ut omnis legum Romanarum, & antiqui juris obſcuritas, adbibitis Sacerdotibus, ac nobilibus viris, in lucem intelligentiæ melioris deducta reſplendeat, & nihil habeatur ambiguum, unde ſe diuturna, aut diverſa jurgantium impugnet objectio. Quibus omnibus enucleatis, atque in unum librum prudentium electione collectis, hæc quæ excerpta ſunt, vel clariori interpretatione compoſita, Venerabilium Epiſcoporum, vel electorum Provincialium noſtrorum roboravit adſenſus*. Editus porro eſt codex, atque obſervari propoſitus anno Domini DVI.

Hoc codice, *Breviario Aniani* nuncupato, contenta deprehenduntur breviaria codicum Gregoriani, Hermogeniani, ac Theodoſiani, cum Novellis quibuſdam, Inſtitutiones, ſeu verius Epitomen Inſtitutionum Caji, excerpta ex ſententiis Pauli, & libris Papiniani. Quibuſdam viſa fuere hic quoque contenta excerpta ex Ulpiano, quod tamen eruditiſſimo Schultingio non ita certum (1). Præfatis vero legalibus codicibus (excepta Epitome Caji) interpretationes paſſim ſuis locis leguntur interſperſæ.

Aniani Breviarium Juriſconſulti redarguunt, quod Cajus in compendium potius redactus, atque inverſus fuerit; reliqua non ſemper exacte referant ſenſum, ac ſpiritum Romanarum legum, & dogmatum, quæ Romani Juriſprudentes tradiderant. " Interpretationes vero, ut verbis utar Schultingii (2), genium ac barbariem ſæculi & gentis redolent, ac non infrequenter nihil referunt minus quam mentem illorum, quæ erant explicanda. „

Verumtamen recolendum eſt, Alaricianum Breviarium *adhibitis Sacerdotibus, & nobilibus viris* concinnatum fuiſſe, *prudentium electione* collectum, & *Venerabilium Epiſcoporum, vel electorum Provincialium* adſenſu roboratum. Igitur quæ ſincero juri Romano interpolata ſunt, atque inverſa, non tam ignorantiæ juris videntur eſſe adſcribenda, quam ut jus exprimeretur magis accommodum circumſtantiis temporum, & barbari regni.

De prætermiſſis a breviatore idem judicium eſto. Johannes Daniel Ritter obſervavit (3), quamplures titulos, legeſque codicis Theodoſiani in Aniani breviario deſiderari, quippe quæ Romano imperio, non Gothico, erant opportunæ.

Certe interpretationes Aniano tributæ, gentis barbariem magis redolentes, quas a vero Romanæ themidis ſenſu longius recedere, tanta Juriſconſultorum eſt querimonia; hæ, inquam, nudæ interpretationes pro Romana lege ſub Barbaris haberi conſueverunt. Quod probant præcipue tot formulæ, in quibus meræ interpretationes, ut *Romana lex*, allegantur. Inter cæteras conſuli poſſunt Formulæ Sirmondicæ pluribus in locis, & quæ ibi doctiſſime annotavit Hieronymus Bignonius (4). Idem probant & antiqua exemplaria, in quibus non legum textus, ſed interpretationes tantummodo exſcriptæ ſunt. " Tanti momenti viſæ ſunt, inquit Gothofredus (5), ut librarii nonnulli ſolas interpretationes exſcriberent, ut indicio ſunt tot earum membranæ, in quibus prætermiſſo legum ampliore contextu, ſolæ ſuperſunt interpretationes, quibus etiam ſubſcriptiones ipſarum legum, ſeu notæ temporis adjectæ ſunt. „

Hoc itaque quaſi nobiliſſimum Romani juris ſyntagma tanti habitum eſt, ut non in uno Gothico Regno, ſed alibi quoque feliciter reciperetur, pro corpore Romanarum legum per aliquot ſæcula allegaretur, ac *Lex Romana*, *Corpus Theodoſianum*, *Lex Theodoſiana*, appellaretur. " Quæcumque, ait Gothofredus (6), medii ævi ſcriptores e legibus Theodoſianis, vel e cor-

(1) V. Schulting. Præf. ad Juriſpr. Antejuſtinianæam.
(2) Idem l. c. (3) Joh. Daniel Ritter Ep. prælimin. ad Cod. Theodoſ. Gothofredi.
(4) Vol. III. huj. Collect. (5) Gothofred. Proleg. Cod. Theod. c. VI.
(6) Idem l. c. c. V.

corpore Theodosiano, vel e lege Romana laudant, ea ex eo Breviario desumpta sunt. „

Ex hoc Corpore legum sua habere Papianum in Responsorum libro, de quo in monito ad Legem Burgundionum verba feci, scribit Schultingius (1): quod indicat, Aniani Breviarium avide ab ejus incunabulis exceptum fuisse, cum liber ipse Responsorum paucis post præfatum Breviarium annis editus fuerit.

Sub Francis ejusdem usum maxime viguisse ostendunt reliquiæ in Capitularibus & Formulis superstites ex *Lege Romana*, quæ ex Aniano deprehenduntur deprompta. In subscriptione quoque Commonitorii, quod Alaricus Rex laudato Codici præfixerat, hæc verba leguntur: *Datum sub die IV. Non. Febr. anno XXII. Alarici Regis, Tolosæ. Et iterum anno XX. regnante Karolo Rege Francorum, & Longobardorum, & Patricio Romanorum.* Hæc innuunt, Breviarium ipsum Caroli Magni auctoritate recognitum, firmatumque fuisse.

Idem & apud Italos receptum fuisse, novissime scribit vir hisce in rebus plurimum eruditus Carolus Pecchia (2). Johannes Daniel Ritter (3) asseruit, inter Gothanos codices extare unum Alariciani codicis exemplar, quod ipse, ut variantia conferret, præ oculis habuit, putavitque sæculo IX. conscriptum *ab Italo, barbaro homine;* post quod immediate occurrit *breve chronicon Regum Langobardorum*. Valde probabile est, exemplar hoc exaratum fuisse ad usum cujuspiam ex Italico regno. Qua vero ratione Breviarium Aniani apud nos servaretur, in calce hujus Voluminis dispiciemus.

Certe Aniani Breviarium medio ævo late usitatissimus fuit, & jurisconsultis, & foris utilissimus codex. Et quamvis ex eo plura interciderint, ejus tamen utilitatem experiuntur & hodie Romanarum legum studiosi; cum ibidem recollecta occurrant multa veteris juris Romani præstantissima monumenta, quæ cæteroquin deperiissent. Mira namque providentia evenit, ut plures antiquæ themidis Romanæ reliquiæ nobis servatæ fuerint ab ipsis Romani Imperii debellatoribus, quorum irruptio humanioribus litteris & artibus perniciosissima fuit.

Sed magis adhuc mirandum est, quod Gothi hujus syntagmatis conditores, quo regendorum Provincialium Romano jure viventium normam aliis quoque Barbaris dederant; Gothi, inquam, ipsi, inter Barbaros primi, quod ego sciam, immo & soli, vim civilem tum juris Romani, tum alterius cujuscumque instituti in proprio regno subinde aboleverint; decernentes, ut in Gothorum ditione omnes regerentur ex codice Gothicæ legis. Chindasvindi, & Recesvindi latæ ea de re leges in ipso codice occurrunt (4).

Bene multa a Romanis Gothi didicerant, ab avitis suæ gentis institutis longius recedentes; inter quæ & hoc ebibisse videntur, ut legalem codicem haberent, non Barbarorum more quasi personalem, sed potius quasi territorialem; quo scilicet omnis in regno gens regeretur, non habita originis, libertatisve ratione. Atque inde contigit, ut ex peculiari quodam studio erga Romanorum instituta juris Romani civilis usus exoleverit in regno Gothorum.

Subesse poterat & alia politica ratio inducendi novi moris, qui fere Barbaris veteribus aut ignotus fuerat, aut improbatus. Recesvindus Rex, qui post Chindasvindum patrem abolevit civilem usum juris Romani, delevit & priscam legem, quæ connubia inter Gothos, Romanosque vetuerat; libera esse constituens matrimonia inter Gothum & Romanam, inter Romanum & Gotham (5). Spectasse quippe videtur Rex, ut diruta maceria, quæ Gothos Romanosque ad invicem separabat, communione legum, & permixtione connubiorum ex duobus populis unus coalesceret populus.

Jure autem Romano e foris Gothicis exulante, non exinde consequens fuit, ut Provinciales Romani barbaris penitus legibus vivere obstringerentur. Etenim Wisigothorum codex ita comparatus est, ut jus neque mere Barbarum referat, neque mere Romanum; adeo ut is vere dici possit Corpus Juris Romano-Barbari,

(1) Schulting. I. c. (2) Pecchia Vol. I. Lib. I. c. 4.
(3) Apud Schulting. I. c. ad var. lect. in Cajum. (4) Cod. LL. Wisig. II, I. 9. & 10.
(5) Ibid. III. I. 1.

ri, in quo plura forte ex Romana themide, quam ex Barbarorum institutis petita sunt. Sic Gothi Provincialibus suis exemplum præbuere, ut sicut illi Romanis juribus, ita hi Barbaricis suam vivendi rationem aptarent.

Tot, tantaque ex Romanis placitis Gothi petentes, quibus aut jura mere Romana constituerent, aut Barbara interpolarent, merito censeri potest, quod seu in novis condendis legibus, seu in antiquis emendandis haud modicam rationem habuerint Breviarii Aniani, penes eos habiti pro Corpore Juris Romani. Ego profecto cursim nonnulla animadverti idipsum comprobantia; atque inter cætera integrum Titulum primum Libri quarti Gothicæ legis, extare pene ad verbum in libro quarto Sententiarum Pauli Titulo undecimo, ut in Alariciano codice occurrit, additis quoque interpretationibus Aniano attributis, prout ibi intermixtæ sunt.

De Gothicis legibus verbum superius facientes, memoravimus *Concilia Toletana*. Oro, ne Lector id leviter pertranseat, ut plura scitu digna ad publica regni jura præcipue circa rem legalem versantia enucleentur, atque ut illustrentur nonnulla, quæ in ipso Wisigothorum codice leguntur.

Num constitutiones, decreta, ac edicta a Gothis Regibus condita, ex mera regali auctoritate, inexpectato quoque Comitiorum assensu, aut recognitione, uti leges proprie dictæ unquam habita fuerint, atque in corpus juris transierint, ignorare me fateor. Novi tamen, aliud omnino obtingere consuevisse ex jure, & more Gothorum.

Ex supra relato Alarici Commonitorio, Breviario Aniani præfixo, colligimus, illud Romani juris syntagma Provincialibus regendis concinnatum, ex Episcoporum, atque ipsorum Provincialium adsensu robur accepisse. Si Provincialibus, devictæ scilicet, aut dedititiæ genti, hac in re mos gerebatur, cur non & dominatrici nationi Gothorum?

Ex ipso Wisigothicæ legis libro conspicimus, Recesvindum Regem, insignem Gothorum legiferum, legum veterum correctionem, atque novarum constitutionem, *videntibus cunctis Sacerdotibus Dei, Senioribusque Palatii, atque Gardingis* (1), clarescere voluisse; eundemque de legibus loqui, *quas nostri culminis* (2) *fastigium judiciali præsidens throno coram universis Dei sanctis Sacerdotibus, cunctisque officiis Palatinis, jubente Domino, atque favente, audientium universali consensu, edidit, & formavit, ac suæ gloriæ titulis annotavit.*

Hæc amplius elucescunt, immo & his ampliora colliguntur ex Tomis supra memoratis, quos Reges Conciliorum Patribus obtulere. In Tomo ab ipso Recesvindo oblato Patribus Concilii Toletani VIII. isthæc leguntur: *Ut quæcumque negotia de quorumlibet querela vestris auditibus extiterint patefacta, cum justitiæ vigore misericorditer, & cum temperamento miserationis justissimæ, cum nostra conniventia, terminetis; in legum sententiis, quæ aut depravata consistunt, aut ex superfluo vel indebito conjecta videntur, nostræ serenitatis accommodante consensu, hæc sola, quæ ad sinceram justitiam, & negotiorum sufficientiam conveniunt, inordinetis; canonum obscura quædam, & in dubium versa, in meridiem lucidæ intelligentiæ reducatis; omniumque negotiorum conventus, ordinumque status, qui in vestram extiterint devoluti præsentiam, ita majorum regulis concordantes, justissime, pie, ac temperanter constituere studeatis: ut & mihi &c.* Paria circa ea, quæ ad recensionem, atque reformationem legum pertinent, habet Ervigius Rex in Tomo oblato Patribus Concilii Toletani XII., atque iisdem ferme Recesvindi verbis, quoad illa, quæ leges respiciunt, utitur Egica Rex in Tomo oblato Patribus Concilii Toletani XVI.

Toletanæ nempe Synodi sæpe fuere Concilia Nationalia, & simul Comitia Regni Generalia; ad quæ videlicet post exacta per dies aliquot ab Ecclesiæ Præsulibus ea, quæ ad rem religiosam spectabant, conveniebant & Proceres regni, ut una cum iisdem Antistitibus, qui & Senatorum regni characterem induebant, de rebus ad regnum ipsum pertinentibus decernerent (3). Quod liquido

(1) Ibid. II. I. 1. (2) Ibid. II. I. 5.
(3) V. Thomassin. Vet. & Nova Eccl. Discipl. II. III. L. X.

quido patet tum ex Regiis Tomis Conciliis præfixis, tum ex ipforum Conciliorum actis, tum ex fubfcriptionibus, quæ Conciliis aliquot, & fignatim tribus fupra allegatis, fubnexæ funt, in quibus poft Ecclefiafticos Prælatos nomina quoque laicorum Procerum fcripta leguntur.

In hifce porro Comitiis neque confenfus populi neglectus fuiffe videtur, prout antiquus mos Barbarorum habebat. Cleri, & populi interventum innuit Decretum nomine Principis editum in Concilio Toletano VIII; ubi hæc habentur: *Adeo cum omni Palatino officio, fimulque cum majorum, minorumque conventu, nos omnes tam Pontifices, quam etiam Sacerdotes, & univerfi facris ordinibus famulantes, concordi definitione decernimus & optamus &c.* Perfpicue etiam populum intercurrentem indicat Canon LXXXV. Concilii Toletani IV, dum Pontifices fic populum alloquuntur: *Et ideo fi placet omnibus, qui adeftis, hæc tertio reiterata fententia, veftræ vocis eam confenfu firmate. Ab univerfo clero, vel populo dictum eft: Qui contra hanc noftram definitionem præfumpferit, anathema, maranatha*, &c. Eadem ferme habentur & in Capitulo X. Concilii Toletani XVI. *Ab univerfis Dei Sacerdotibus, Palatii Senioribus, clero, vel omni populo, dictum eft: Qui contra hanc veftram definitionem &c.*

Inter cetera & Regum electionem a populo probari confuevifse itidem indicant Synodi Toletanæ. Capitulo III. Concilii Toletani V. reprobatur is, qui regnum arripere tentet, *quem nec electio omnium probat, nec Gothicæ gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit*. Et Capitulo I. Concilii Toletani XII. folemniter recognitus eft in Regem Ervigius, *quem & divinum judicium in regno prælegit, & deceffor princeps fucceſſorem fibi inftituit, &, quod fupereft, quem totius populi amabilitas exquifivit.*

Indoli pariter, & moribus gentis maxime confonum erat, ut leges feu editæ, feu emendatæ, feu recognitæ firmarentur affenfu, & acceptatione populi, qui eifdem legibus obftringebatur. Hoc profecto innuunt verba Recefvindi, quæ fupra retulimus: *Quas noftri culminis faftigium &c. audientium univerfali confenfu.* Quæ fic interpretata leguntur in vetufto codice *Fuero Juzgo*: *Y anadimos con eftas otras leyes, que nos fiziemos con los Obifpos de Dios, e con todos los Mayores de nueftra Corte, e con otorgamiento del pueblo, e por el enfeñamiento de Dios.*

Hoc autem in argumento perpendendum eft, quod in Tomis, quos Reges Comitiis, feu Conciliis offerebant, dum de recenfendis, aut emendandis legibus agitur, aut de ejufmodi gravioribus negotiis decernendis, oratio potiffimum ad Ecclefiæ Præfules dirigatur. Imo Palatinos, qui in Comitiis ipfis alterum regni ordinem repræfentabant, his Rex Recefvindus verbis alloquitur: *Vos etiam* (1) *illuftres viros, quos ex officio palatino huic fanctæ Synodo intereffe primatus obtinuit . . . . adjurans obteftor . . . . ut ad cunctæ veritatis, ac difcretionis juftiffimæ formulam ita animos dirigatis, ut nihil a confenfu præfentium patrum, fanctorumque virorum aliorfum mentis ducentes obtutum, quidquid innocentiæ vicinum, quidquid juftitiæ proximum, quidquid a pietate non alienum, vel foli Deo cognoveritis exiftere placitum, inftanter, modefte, & cum omni dignemini intentione complere.*

Hæc clare demonftrant, primas in Comitiis partes ab Ecclefiafticis Proceribus actas fuiffe: quin & videtur ad eos fpectaffe decreta feu fanctiones recenfere, emendare, condere; ad laicos vero Proceres conditis, emendatis, recenfitis (nobiliori procul dubio forma præ populo) affenfum, vel diffenfum præbere. Quod & ex ipfis Conciliorum actis quandoque deprehendimus, ut ex. gr. ex Capitulo tertio Concilii Toletani VI, dum hæc ab Epifcopis prolata leguntur: *Simul etiam cum fuorum* (Regis fcilicet) *optimatum, illuftriumque virorum, confenfu, & deliberatione fancimus* &c. Idipfum firmant & fubfcriptiones Conciliorum præcipue Toletanorum XII. & XIII; ubi primus Epifcopus fignat: *Ego . . . . hæc fynodica inftituta a nobis edita fubfcripfi.* Primus vero Procer ex ordine laico: *Ego . . . . hæc ftatuta, quibus interfui, annuens fubfcripfi.*

(1) Conc. Tolet. VIII. in Tomo Regis.

Inde colligere est, Ecclesiæ Præsules primatum honoris, & jurisdictionis obtinuisse in comitiis Gothici regni. Id ex veteribus Barbarorum moribus profluxisse indubium reor; ut scilicet religionis ministri cum prærogativæ, & superioritatis speciali jure comitiis gentium interessent; prout in Præfatione Generali Volumini primo hujus Collectionis præfixa præmonui.

Certe postquam Christianam fidem amplexati sunt Barbari, Gothica gens nulli gentium fuit secunda, ut opus & judicium sacrorum administris demandaret in iis, quæ ad rem civilem, & jura publica, atque ad regni felicitatem spectabant. Quod ex religiosa regum, gentisque fiducia erga sacros Præsules factum esse, ipsi regii Tomi synodis Toletanis præfixi satis ostendunt. Id quoque amplius colligimus ex eo, quod non modo ubi de juribus, & jurisdictione ageretur, sed etiam quod in maximis necessitatibus & angustiis constituta Republica quasi novissima salutis anchora respiceretur præsidium Episcoporum. Conjurati cum Paulo in extremis positi Archiepiscopum Narbonensem obviam dirigunt Wambæ Regi, qui ad preces Antistitis vitam omnibus pollicetur (1). Svevi Theodericum Gothum eis juste indignatum, Episcoporum legatione adeo flexerunt, ut eorum reverentia Rex ampliora concederet, quam quæ expeterentur (2). Theudoridus, qui Romanorum exercitu territus ad Deum confugiens, *quantum res prodidit, ac probavit* (verba sunt Salviani) *usque ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit; ante bellum in oratione jacuit, ad bellum de oratione surrexit;* hic inquam, Theudoridus tanto in discrimine positus ad Episcopos confugium fecit, eos ad Romanos mittens, irrito conatu, prospero tamen eventu. Prætereunda non sunt, quæ in hoc factum scribit Salvianus (3), acria in Romanos, gloriosa Gothis, & argumento nostro egregie consona: *Non ita Gothi, non ita Vandali, malis licet Doctoribus* (Arianis scilicet) *instituti, meliores tamen etiam in hac parte, quam nostri. Offendi quamvis quosdam suspicer his, quæ dicimus, sed veritas magis quam offensio cogitanda est; dicam, & sæpe dicam: non ita Gothi, non ita Vandali, qui & in discrimine positi opem a Deo postulant, & prosperitates suas munus Divinitatis appellant. Denique probavit hoc bello proximo infelicitas nostra. Cum enim Gothi metuerent, præsumpsimus nos in Hunnis spem ponere, illi in Deo: pax ab illis postularetur, a nobis negaretur: illi Episcopos mitterent, nos repelleremus: illi etiam in alienis Sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in nostris contemneremus; prout actus utriusque partis, ita & rerum terminus fuit: illis data est in summo timore palma, nobis in summa elatione confusio; ut vere & in nobis tunc & in illis evidenter probatum sit illud Domini nostri dictum: Quoniam qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Huc usque Salvianus.

Ad argumentum nostrum propius accedentes, rem perspiciemus exactius, atque una dignoscemus, quam probe concredito sibi munere fungerentur Gothorum Episcopi, tum in Regis, tum in populi præsidium.

Manserant nonnullis gentibus veteris Barbari instituti reliquiæ (quod alibi (4) jam attigimus) quo sicuti ex religionis affectu in sacrorum ministros effusa reverentia, ita ex lascivientibus libertatis principiis perstricta esset erga regiam dignitatem opinio; dum suprema auctoritas, atque majestas non proprie in Regis persona, sed in Rege una & in gente per generalia præsertim comitia repræsentata constitueretur.

Non desunt exempla, quæ ostendant, quam modica apud plerasque gentes, præcipue quæ ex Septemtrionali Germania ortum duxisse creduntur, esset regiæ dignitatis existimatio.

Eruli triennii tantummodo pacem pertæsi *Rodulfo Regi suo* (5) *impudenter maledicebant, ipsumque aditantes mollem, & effœminatum vocabant, aliisque id genus conviitiis per summum dedecus os ejus verberabant*. Eruli ipsi *in Regem suum* (6), *cui nomen Ocbon, ferini, ac furialis ingenii virus ita exercuerunt, ut ipsum nihil* ma-

(1) Rod. Tolet. de Reb. Hisp. lib. III. c. VIII. (2) Jornand. de Reb. Gæt. c. XLVII. (3) Salvianus de Gubern. Dei l. VII. (4) Vid. Præf. Gen. Vol. I. & not. ad Tit. XII. & XXIV. leg. Alamann. Vol. II. huj. Collect. (5) Procop. de B. G. l. II. c. 14. (6) Id. Ibid.

male meritum ex improviso occiderint, hoc unum caussati, se in posterum nulli Regi subesse velle. Hæc Procopius, qui sic orationem prosequitur: *Quanquam antea Rex nomine tenus nihil fere amplius, quam privatus quivis habebat: cum nemo non consessor, & conviva illius esset, & contumelias quicumque vellet, in ipsum jaceret impudenter: nulla quippe est hominum natio, quæ vecordia ac levitate Erulos superet.*

Atqui hujusce generis ausus Erulis tantum adscribendi non sunt; ut enim de Italia nostra quidquam loquamur, eodem morbo laborabant & Ostrogothi adhuc Italico Regno potiti, Barbaris cæteris alioquin multo cultiores. Erarici Rugiorum factione regno donati, quem Gothi *bello* (1) *cum Romanis gerendo videbant imparem, plurimi convitiis ejus os verberabant.* Sed & Totilam ipsum, quem Gothi tanquam Deum suspexerant, invictum & inexpugnabilem prædicantes; Totilam, inquam, semel re male parta *primores Gothorum* (2) *omnes convenere, eique convicia ingerentes, ore durissimo exprobrarunt imprudentiam:* ut Rex vocata concione factum excusare coactus sit.

Reverentiæ erga Reges par erat firmitas throni regalis. Eruditus Grotius, allegatis populorum quorundam exemplis, subinfert (3) extitisse gentes, penes quas reges *jus acceperunt quovis tempore revocabile, idest precarium .... cum ipsos deponerent populi, quoties displicerent.*

Ob ipsa inopinata, atque ab extrinsecis causis derivata infortunia, Regem e solio dejicere, aut etiam plectere morte, insuetum non fuit. In Præfatione Generali (4) vidimus, id de Burgundis Ammianum Marcellinum diserte referre: *Rex . . . , ritu veteri potestate deposita removetur, si sub eo fortuna titubaverit belli, aut segetum copiam negaverit terra; quemadmodum & Ægyptii casus ejusmodi assignare solent Rectoribus.* Alibi quoque ex Snorrone (5) animadvertimus, Reges Domaldum, & Olafum Trætelium (6), ob annonæ caritatem morte mulctatos, atque Othino sacratos periisse; *quemadmodum Sviones*, inquit Snorro (7), *Regi annonæ & ubertatem, & caritatem solent ferre acceptam.*

Obiter dicam, persuasiones ejusmodi, quæ ab antiquis Scythis, aut Celtis profluxisse videntur, neque Christiana Religione suscepta a Barbaris omnibus penitus dimissas esse. In collectione Canonum Hybernicorum hæc leguntur (8): *Nonus abusionis gradus est Rex iniquus . . . . Terrarum fructus demit; servitia populi impedit; carorum mortes præparat; hostium incursus in provincias concitat; undique bestias quadrupedum dilaceratione inquietat; potestates aerias suscitat; terrarum fœcunditatem, marisque ministeria probibet; fulmina succendit; arborum exurit flores; fructus immaturos dejicit, &c.* Vide, quæso, in quantis Reges accusarentur!

Ut ad Gothos nostros redeat oratio, illorum Reges haud multum quondam emicuisse innuit Isidorus, hæc de Leovigildo scribens (9): *Ærarium quoque, ac fiscum primus iste auxit: primusque inter suos regali veste opertus solio resedit. Nam ante eum & habitus & consessus communis, ut genti, ita & regibus erat.*

Ex Wisigothorum Codice (10) animadvertes, damnari eum, qui Regi *superbe, & contumeliose insultare pertemptet, sive etiam in detractionis ignominia, turpia, & injuriosa præsumat.* Si hæc vere perpetrarentur, profecto regalis splendor languide elucescebat.

Modicam erga majestatem regiam existimationem inter Gothos apertius indicat regalis throni, ac vitæ vacillatio: *Sumpserunt Gothi*, ait Gregorius Turonensis (11), *hanc detestabilem consuetudinem, ut si quis eis de Regibus non placuisset, gladio eum adpeterent, & quem libuisset animo, hunc sibi statuerent Regem.*

Sed quid Scriptores allegemus extraneos? Ex Isidoro Hispalensi (12) colligimus, ex novendecim Regibus qui ab Athaulfo ad Vitericum usque Wisigo-

this

(1) Idem lib. III. c. 2. (2) Idem lib. III. c. 24. (3) Grotius de J. B. & P. lib. I. c. III. §. XI. n. 3. ubi consules & annotata. (4) Præf. Gen. Vol. I. huj. Collect. (5) Animadv. ad Indicul. Superst. & Pagan. n. VIII. Vol. III. huj. Collect. (6) Sunt tamen, qui de Olafo Trætelia hoc negent. (7) Snorro Hist. Yngling. c. XLVII. (8) Collect. Can. Hybern. l. XXIV. c. 3. (9) Isid. Chron. Goth. in Leovigildo. (10) C. L. Wis. II. I. 8. (11) Greg. Turon. Hist. Franc. lib. III. (12) Isidori Chron. Goth.

this imperitarunt, decem a suis interemptos periisse. Et Rodericus Toletanus Regum nomina, qui factioso gladio perierunt, exprimit hisce verbis (1): *Athaulfus apud Barchinonam inter familiares fabulas a quodam suorum fuit proditionaliter interfectus: Segericus fuit a suis similiter interfectus: & Thurismundus apud Tolosam consilio fratris sui a suo famulo interfectus: Theudoricus fuit a fratre suo similiter interfectus: Almaricus apud Narbonam in foro fuit a suo exercitu interfectus: & Theudus fuit interfectus a quodam, qui se insanum, ut Regem interficeret, simulavit: Theodisclus apud Hispalim a quodam suorum fuit inter epulas jugulatus: Agila a suis est apud Emeritam interfectus: Leovigildus interfecit filium suum Hermenegildum, eo quod nolebat haeresi consentire: & Luilla filius Recharedi a Viterico fuit proditionaliter interfectus: Vitericus conjuratione quorundam fuit inter epulas interfectus: & Vitiza a Roderico exoculatus: & Rodericus a Juliano, ut creditur, interfectus: Froila fratrem suum Vimaranum propriis manibus interfecit, & sui in vindictam apud Canicas Froilam occiderunt.*

Memorandum est, quod legitur in Concilio Toletano XVI. Egica regnante celebrato, sub Gothici regni finem: *Quia (2) & jurisjurandi transgressio valide inolevit, & machinandi contra Principes nostros consuetudo saeva percrebuit, quo aut nece diversa Princeps interimatur, aut regni dignitate privetur &c.*

Vitae autem, & majestati Regum tutandae clypeos, quotquot poterant, opponebant Gothorum Pontifices. Ex pluribus siquidem Conciliorum Hispanicorum actis ediscimus, Episcopos ea de re saniori dogmate Gothicam gentem instituisse, & crimina adversus regiam majestatem intentata, atque patrata coercuisse censuris, & anathemate, immo & temporalibus poenis; usquequo poena decreta fuerit asperrima, ipsi Gothicae legi adversa (3), crudelitati atque tyrannidi proxima, nisi publica utilitate, quin & necessitate pensata fuisset; ut scilicet non modo in reos, sed & in eorum filios & sobolem animadverterent. Inveteratis morbis difficilia remedia. Sancitum est itaque, *ut quicumque (4) deinceps, cujuslibet sit honoris persona, vel ordinis, in necem, vel dejectionem regiam quidpiam machinaverit, eumque qualibet nocibilitate impendendum crediderit .... tam ipse, quam omnis ejus posteritas, ab omni palatini ordinis dignitate privati, fisci viribus sub perpetua servitute maneant religati:* uni Egicae Regi jure miserandi servato. Ita rei non modo, sed & omnis eorum progenies, palatinis honoribus, substantiis, libertate privati decernuntur. *Severissimam hanc decreti nostri curabimus promulgare sententiam; ut qui suum non formidat exitium, saltim filiorum, cunctaque suae posteritatis pertimescat interitum.*

Neque Regem tantum, sed & augustam conjugem, & regiam sobolem, & proceres, civesque Regibus fideles, a civilibus periculis tutari curae fuit. Quod Hispanicorum Conciliorum canones, & decreta pluries aperte demonstrant. Mirabimur forte inhiberi (5), ne Regis posteri abdicentur, ne interimantur, ne dejiciantur, vel nudentur rebus, ne violenter tonsurentur, ne extra evidentis culpae indicium relegentur, detruncentur, flagellentur. Et tamen in Gothico regno e re visum est, ejusmodi quoque facinora interdicere; quod innuit, ab hisce periculis Regis posteros immunes non fuisse.

Ludovicus Thomassinus (6) ex Hispanicis Conciliis, & praesertim ex Toletanis plura congessit argumenta tuitionis, quam Ecclesiae Praesules regiam dignitatem strenue defendentes Regibus, regiisque familiis praestitere. Tandemque concludit: " Eae erant labes regnorum electitiorum, & eas his rationibus sarcire nitebantur. Ea erat tuitionis, & protectionis Episcopalis amplitudo, & potestas. Reges ipsi non raro, aut certe Regum filii, ad eam recurrebant. Reginae maritis viduabantur, Regum filii aliquando tandem orbabantur; ita utrique jamjam patebant contumeliis, exilio, paupertati, malisque non paucis aliis, quae Episcoporum ab eis patrocinio arcebantur. " Haec Thomassinus.

Vidimus Episcoporum praestita erga Reges praeclara officia; nunc videamus er-

(1) Roderic. Tolet. L. III. c. 22.
(2) Conc. Tolet. XVI. c. 10.
(3) Cod. Leg. Wisig. VI. I. VIII.
(4) Conc. Tolet. XVI. loco supra relato.
(5) V. Conc. Tolet. XVI. c. 8.
(6) Thomass. Vet. & N. Eccl. Disc. II. III. LXXXIX.

erga gentem impensum patrocinium. Qua in re, ne longior fiam, ad quædam orationem perstringam, quæ ab argumento nostro non sunt aliena; pertinentia scilicet ad rem tributariam, atque forensem.

Alibi animadvertimus ex Salviano (1), Gothos ad Romanorum accessisse Provincias, ubi populi in tributis persolvendis adeo ultra debitum premebantur, ut Provinciales ipsi Romani volentes lubentes ea de caussa confugerent sub ditionem Gothorum. Salviano addam Isidorum Hispalensem loquentem de Gothis, qui Alarico regnante multis Romanorum millibus *propter Christum* in Romanæ urbis vastatione pepercerant: subdit enim: *Unde* (2) *& hucusque Romani, qui in regno Gothorum consistunt, adeo amplectuntur, ut melius sit illis cum Gothis pauperes vivere, quam inter Romanos potentes esse, & grave jugum tributi portare.*

Quæ lanıs exigendis tributis, eædem & forte pejores personis juri dicundo præfectis in quibusdam occurrebant Romanorum provinciis. Audiamus illacrymantem Salvianum (3): *Non sicut removeri aliqua & Romanis solent, qui statuunt non adulterandum, & primi adulterant: statuunt non furandum, & furantur: quamvis pene non possim dicere, quod furentur: non enim sunt, quæ agunt, furta, sed latrocinia. Punit enim judex in alio peculatum, cum ipse sit peculator: punit rapinam, cum ipse sit raptor: punit sicarium, cum ipse sit gladiator: punit effractores claustrorum, & ostiorum, cum ipse sit eversor urbium: punit exspoliatores domorum, cum sit exspoliator provinciarum. Atque hoc utinam illi tantum, qui in potestate sunt positi, & quibus jus exercendorum latrociniorum honor ipse largitur. Illud gravius, ac magis intolerabile, quod hoc faciunt & privati iisdem ante honoribus functi. Tantum eis indeptus semel honor dat beneficii, ut semper habeant jus latrocinandi . . . . Ecce quid valeant statuta legum, ecce quid proficit definitio sanctionum, quæ illi spernunt maxime qui ministrant.*

Non ita profecto res se habebat inter Gothos, qui sancte curabant, ut rei tributariæ, atque forensi Præpositi auctoritate sibi concredita, nonnisi justitia, ac moderamine interveniente uterentur, ne eorum abusus in civium cederet detrimenta. Ut vero hæc servarentur exactius, prospectores constituti fuere sacrorum administri.

Satis hic sit allegare Concilium Toletanum III. Recaredo regnante celebratum, eo videlicet in momento, quo Gothica gens Arianæ hæresi valedixit, atque unitati Catholicæ nomen dedit. Ibi autem occurrit hæc constitutio: *Judices vero locorum* (4), *vel actores fiscalium patrimoniorum, ex decreto gloriosissimi Domini nostri, simul cum Sacerdotali concilio, autumnali tempore die Kalendarum Novembrium, in unum conveniant, ut discant, quam pie & juste cum populis agere debeant, ne in angariis, aut in operationibus superfluis, sive privatum bonorent* (5), *sive fiscalem gravent. Sunt enim prospectores Episcopi secundum regiam admonitionem, qualiter judices cum populis agant; ita ut ipsos præmonitos corrigant, aut insolentias eorum auditibus Principis innotescant. Quod si correptos emendare nequiverint, & ab Ecclesia & a communione suspendant.* Collegit quoque ex Hispanicis Conciliis Thomassinus (6), tributa aliquando ab Episcopis moderata, ac definita fuisse ad levandum populi gravamen.

Prospectio, aut superinspectio, quæ in allato canone ex regio decreto Episcopis dicitur attributa, non tam ut privilegium, seu ut jus in regno acquisitum, sed proprie ut onus Episcopalis, seu Sacerdotalis muneris esse censebatur. In Concilio Toletano IV. hæc leguntur (7): *Episcopi in protegendis populis, ac defendendis, impositam a Deo sibi curam non ambigant; ideoque dum conspiciunt judices, & potestates, pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant: & si contempserint emendare, eorum insolentiam Regis auditibus intiment: ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat. Si quis autem Episcoporum neglexerit, Concilio reus erit.* Notatu dignissima est sanctio legis Gothicæ Recesvindo tributæ: *Sacerdotes vero* (8), *quos*

(1) Præf. Gen. Vol. I. huj. Collect.
(2) Isid. Chron. Goth. in Alarico.
(3) Salvianus de Gubern. Dei l. VII.
(4) Conc. Tolet. III. c. 18.
(5) Legendum reor, *onerent*.
(6) Thomassin. l. c.
(7) Conc. Tolet. IV. c. 32.
(8) Cod. Leg. Wisig. XII. I. 2.

quos divina obtestatione convenimus, si excessum judicum, aut actorum scierint, & ad nostram non retulerint agnitionem; noverint se judicio Concilii esse plectendos, & detrimenta, quæ pauperes eorum silentio pertulerint, ex eorum rebus illis esse restituenda.

Ex eodem quoque Codice Gothicæ legis edifcimus, Epifcoporum muneris fuiffe judicum nequiter judicantium judicia reformare, regique deferre (1). Quin & in quibufdam criminalibus cauffis Epifcopis facultas afferitur diftringendi iniquos judices, atque mulctandi: *Quod si judex (2) amicitia corruptus vel præmio, juxta æstimationem rei liberare neglexerit, neque continuo ulciscendum instituerit, judiciaria protinus potestate privatus, ab Episcopo, vel Duce districtus, illi, quemadmodum vindicare contempsit, secundum quod iidem inspexerint, juxta contemplationem de facultate propria componere compellatur.*

Adde, Epifcopos in cauffis certe oppreflorum, & pauperum, atque ubi oriretur concuffionis fufpicio, auctoritatem fuam judicialibus interpofuiffe negotiis, uti pariter edocemur ex legibus iifdem Wifigothorum (3). Atque (quod forte mirere) Reges ipfi ecclefiafticis viris fua committebant negotia adverfus majeftatis obnoxios; quafi facrorum miniftri neque refugerent criminales maximi momenti cauffas. Audiendum eft Concilium Toletanum IV. (4): *Sæpe Principes contra quoslibet majestatis obnoxios Sacerdotibus negotia sua committunt. Et quia Sacerdotes a Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentient Regibus fieri judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittatur, non ubi discriminis sententia præparetur. Si quis ergo Sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.*

Ad hæc Thomaffinus (5): " Prima quidem fpecie parum confonare videtur Epifcopis examen cauffarum, five civilium, five criminalium, ut quos cœleftes aliæ curæ fibi totos depofcant, eæque tam graves, tamque multæ, ut ab iis ad terrenas occupationes refpirare non detur. Inconfideratiffime tamen fecerit, qui hujus Concilii Patribus obtrectaverit, qui fecus fentiunt, jubentque: temere etiam, & inhumane feciffet, qui his Epifcopis cauffis id genus interdixiffet, ubi eorum judicio vita femper, & incolumitas reis adferebatur. Si nervos omnes contenderent fexcenties Sanctiffimi Epifcopi, ut morti meritiffime nocentes eximerent, & ea de cauffa vim quandoque judicibus attulerunt, vel ad Principum palatia perrexerunt: qui potuiffent Hifpaniæ Præfules tot reis deeffe, quorum non tam cauffam & judicium, quam impunitatem, & vitam eorum poteftati Rex permittebat? „

Ita Thomaffinus. Attamen ut aptius, pleniufque intelligamus, quam probe, quamque prudenter in negotiis, de quibus agimus, fefe gefferint Gothorum Epifcopi, rem a longe repetere neceffe eft; quo & aliquanto oculatius perfpiciemus ejufmodi eorundem auctoritatis originem, amplexata Religione Chriftiana multo antiquiorem.

Cenfuit eruditus Wachterus, Germanicam vocem *Euuart*, qua quondam antonomaftice appellabatur Sacerdos, & *custodem legis* fignificat, ipfi Ethnicifmo referri debere acceptam: *Euuart (6): Sacerdos, vox antiquissima, & stante adhuc Deorum cultu, ut videtur, usurpata, quam Religio Christiana inter Francos, & Alamannos retinuit, quod optimæ notæ esse videretur . . . . Nomenclaturam egregie illustrat Tacitus c. VII. de Mor. Germ.* Cæterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, nifi Sacerdotibus permiffum, non quafi in pœnam, nec Ducis juffu, fed velut Deo imperante. *Sensus est, animadversionem in sontes solis Sacerdotibus commissam esse, non ut lictoribus Reipublicæ, sed tanquam* cuftodibus legis, *&* vindicibus *ex mandato Dei. Id, quod nomen* Euuart *pulchre exprimit.*

Sed certiora differamus, & rem ponamus clariorem in lucem. Mos fuit antiquus,

(1) Ibid. II. 1. 30. (2) Ibid. VI. IV. 3. (3) Ibid. II. I. 23. 29. 30.
(4) Concil. Tolet. IV. c. 31. (5) Thomaffin. l. c. II. III. XCVII.
(6) Wachter Gloff. V. *Wart*.

tiquus, qui a Celtis, ac Scythis patribus derivasse videtur, ut iis, quæ ad gentium jura tutanda pertinent, illi præfecti forent, qui sacrorum essent administri. Cæsar in Commentariis hæc refert de Druidibus Galliæ (1): *Fere de omnibus controversiis publicis, privatisque constituunt;* & si quod *est admissum facinus, si cædes facta, si de hereditate, de finibus, controversia est, iidem decernunt, præmia, pœnasque constituunt . . . . Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt, eorumque judiciis, decretisque parent.* Helmoldus de sacro quodam Slavorum loco verba faciens, ista interserit (2): *Locus ille sanctimonium fuit universæ terræ, cui flamen, & feriationes, & sacrificiorum varii ritus deputati fuerant. Illic enim secunda feria populus terræ cum Flamine & Regulo convenire solebant propter judicia.* In Historia Regum Norvegicorum hæc tradidit Snorro (3): *Ad Orientem Tanai confinis regio fuit dicta* Asaland (*Asarum terra*) & Asaheim (*Asarum sedes*); *caput autem regionis vocarunt* Asgard, *qua in urbe principatum gessit* Othinus, *locusque erat amplus, sacrificiis sacer. Ibi id moris erat, ut duodecim essent templorum summi Antistites, illique simul, & sacrificiorum arbitri, & juris dicendi.* Keyslerus (4) itidem ratus est, tractus ad Almonam fluvium appellatos *Hoen-Drudingen*, *Waffer Drudingen*, *Alten Drudingen*, uti & pagum, vel comitatum *Trubendingen*, a sacris quondam locis nomen accepisse, iisque vocibus indicari *judicium*, vel *locum judicii Druidum*.

Hinc colligimus judiciis præfuisse religionis Antistites, atque illa habita fuisse in locis sacris. Alibi vidimus ex Olao Wormio, cerni adhuc in Dania judicialium fororum rudera *prope aras Deorum*; ubi & conjectatus sum (5), veterem hunc morem in caussa fuisse, ut Christiani quandoque in Ecclesiis, aut in earum atriis placita instituerent; quod in capitularibus, & in collectionibus canonum legimus interdictum. Ex hisce autem inferendum est, ejusmodi judicia censita olim fuisse, ut religiosi officii partem.

Asserto consonare videntur & Wallicæ Leges, quamvis sero exaratæ, quibus constituitur, ut in judiciali consessu adsint seu unus, seu plures Sacerdotes. *Et postquam (6) utraque partium caussam suam exposuerint .... Sacerdos Deum precibus exorabit, ut quod rectum sit illis monstret, & illi orationem dominicam cantabunt, & tunc judex utriusque partis placitum denuo enarrabit.*

Apud veteres itaque quasi sacrum quid forensibus judiciis tribui consuevit. Et quamvis alii quoque extiterint judices, atque aliæ inter populos judicandi rationes (de quibus in Barbarorum fastis monumenta non desunt); Sacerdotum tamen peculiare munus esse censebatur, ut in rem judiciariam prospicerent; atque ut populi pro tutandis juribus, & dirimendis caussis confluerent ad sacrum eorum tribunal, quasi ad fontem, ex quo petita fuisse videtur species quædam judicii Dei.

Ex supra relatis Wisigothorum institutis merito colligere possumus, ejusmodi mores viguisse apud illos adhuc Ethnicismo detentos; atque ad Christianismum conversos jura vetera, quæ ad gentis regimen, & constitutionem regni spectabant, minime deseruisse, cum revera Christiana Religio juribus populorum publicis susdeque vertendis nata non esset. Jus ergo quod Ethnici sacrorum ministris tribuebant, Pontificibus & Sacerdotibus tribuere Christiani. Hinc sacros Antistites tuendis Regis, ac populi juribus prospectores, præfectosque conspicimus, & non modo populos ob hæc ad illos confugere, sed summos quoque Imperantes ipsas majestatis caussas sacrorum ministris committere dirimendas.

Optimum autem est, quod Ecclesiæ Præsules hisce facultatibus uti decreverint, ut Regibus & genti morem gerentes publicæ utilitati consulerent, & sacerdotalis officii partes explerent. Ex allegatis namque canonum, legumque sanctionibus, atque ex aliis, quæ ex Hispanicis Conciliis huc referri possent, deprehendimus, in iis quæ ad civile ministerium spectabant, atque ad civile forum deducebantur, adscribi sacrorum ministris auctoritatem, atque præsidium, ubi pau- pe-

(1) Cæsar. Comment. L. VI. c. 5.
(2) Helmold. Chron. Slav. lib. I. cap. 83. alias 84.
(3) Snorro Hist. Yngling. c. II.
(4) Keysler. Antiq. Sept. & Celt. pag. mihi 69. 70.
(5) V. Animadv. in Indic. Superst. & Pagan. N. XXIII. Vol. III. huj. Collect.
(6) Leg. Wallicæ lib. II. c. IX. art. 12. 22.

peries, ubi oppreſſio, ubi concuſſionis periculum, ubi mortem meritorum vita in diſcrimine poſita. Ejuſce profecto generis circumſtantiæ magna ex parte apertiſſime ipſis Gothicis legibus exprimuntur: *Quia multimode (1) occurrere debet miſerorum penuriis noſtræ remedium pietatis: ideo quemcumque pauperem conſtiterit cauſſam habere, adjunctis ſibi aliis viris honeſtis, Epiſcopus inter eos negotium diſcutere, vel terminare procuret*. Et alias: *Sacerdotes Dei (2), quibus pro remediis oppreſſorum, vel pauperum, divinitus cura commiſſa eſt, Deo mediante teſtamur, ut judices perverſis judiciis populos opprimentes &c.*

Oppreſſum levare, pauperi auxilium ferre, reo vitam impetrare, chriſtianæ charitatis opera ſunt, eccleſiaſtico Præſule maxime digna, atque ut ſupra allatis verbis Gothicæ legis utar, hæc eſt *cura Sacerdotibus Dei divinitus commiſſa*. Quod itaque alias prece atque interceſſione petere potuiſſent, hoc Gothorum Epiſcopi auctoritate ſibi concredita utentes, tutius, feliciuſque conſequebantur. Hæc in laudem ejus gentis Antiſtitum dicta ſint ſatis: plura omitto, quæ huc congeri potuiſſent, ne in longum, ultra quam par eſt, abeat oratio.

Nunc de curis meis in edendo Gothicæ legis libro paululum diſſeram. Vulgatum, & haud ſemel editum codicem edo. Novi quidem extare codices nonnihil a vulgato diverſos, quos tamen conſulere nullo modo potui.

Verum enim vero in hoc penitus infelix non fui, cum præ manibus fuerit liber Hiſpano-Romanticus *Fuero Juzgo*, de quo ſuperius egi; quo libro certiſſime uſi aliquando ſunt in foris populi Hiſpani, dum Gothica viverent lege. Huic præmittitur exordium & prologus in octodecim capitula diſſectus ex Toletanis deſumpta Conciliis, ſcilicet ex Concilio IV. regnante Siſenando, V. & VI. regnante Chintila Secundo, VII. regnante Chindaſvindo, VIII. regnante Receſvindo, XIII. regnante Ervigio, XVI. & XVII. regnante Egica celebratis.

In his occurrunt multa ſcitu digniſſima circa jus Gothicum publicum ad Regum electionem, & regiæ majeſtatis tutamen pertinentia; ex quibus & quidam notabiles deprehenduntur abuſus tunc in Gothico regno vigentes. Forte hæc ex Toletanis Conciliis in aliquo ſequiore Concilio, vel Conventu excerpta fuere, novaque publicatione roborata, ut eorum vis, aut reſtitueretur, aut firmaretur. Verumtamen illa huc exſcribere ſupervacaneum duxi, cum ſint paſſim obvia Toletana Concilia, ex quibus ea deprompta ſunt, ubi & adhuc plura ad rem aſcientia, & ad jura publica Gothorum pertinentia conſtituta leguntur.

In ipſo vero corpore juris Hiſpanice conſcripti quamplura identidem extant variantia a codice noſtro; neque tantum quoad verba, aut ſenſum extantium legum, ſed etiam quoad integras leges, quarum nonnullæ in Hiſpanico adſunt, quæ in latino deſunt, & viciſſim quædam in latino exiſtentes, in Hiſpanico deficiunt. Ego notis, quas legibus ſubjeci, in latino deficientes interſerui; quæ in Hiſpanico non occurrunt, adnotavi; cætera variantia (nimio ſcrupulo rem non proſequens) quæ alicujus momenti eſſe viſa ſunt, indicare non omiſi.

Deeſt inter cætera in Hiſpanico libro integer titulus tertius libri duodecimi, qui in latino inſcriptus eſt: *De novellis legibus Judæorum, quo & vetera confirmantur, & nova adjecta ſunt*. Cujus loco titulum alium, aliaſque leges invenies, quæ in latino omittuntur: *De los denoſtos, e de las palaoras odioſas*. In tota reliqua Wiſigothorum lege, vix, aut ne vix quidem, quidquam de verbalibus injuriis ſancitum legimus; at laudatus titulus magna ex parte agit de hoc argumento. Sintne hæc, ut & alia in Hiſpano codice interſperſa capitula, quæ deſunt in latino; ſintne, inquam, a Gothis ipſis conſtituta, an ſequioris ævi additamenta, aliorum eſto judicium.

Addendam cenſui Conſtitutionem Joannis Papæ VIII. de ſacrilegiis editam in Synodo Tricaſſina, quæ ab eodem Summo Pontifice juſſa fuit deſcribi *in fine codicis*, prout ſuperius memoravi.

Subdo tandem nonnullas Conſtitutiones, ſeu Præcepta a Francis Regibus condita pro Hiſpanis, qui ſub eorum ditionem confugerant; quibus quædam deprehenduntur, quæ rem legalem reſpiciunt, atque uſum Gothicæ legis,

CO-

(1) Cod. L. Wiſ. II. I. 29. (2) Ibid. II. I. 30.

CODICIS
LEGIS WISIGOTHORUM
LIBRI XII.

INCIPIUNT TITULI LIBRORUM XII. LEGIS WISIGOTHORUM.

LEGIS WISIGOTHORUM

LIBER PRIMUS

DE INSTRUMENTIS LEGALIBUS.

TITULUS I. De Legislatore.

I. Quod sit artificium condendarum legum.

SAlutare daturi in legum constitutionem præconium, ad novam operationis formam antiquorum studiis novos artus aptamus; referantes virtutem tam formandæ legis, quam peritiam formantis artificis. Cujus artis insigne ex hoc decentius probabitur enitere, si non ex conjectura trahat formam similitudinis, sed ex veritate formet speciem sanctionis: neque syllogismorum acumine figuras imprimat disputationis, sed puris honestisque præceptis modeste statuat articulos legis. Etenim ut ars operis hujus se in hac dispensatione componat, ordo magnæ ratiocinationis exoptat. Namque cum experimenta rerum manus tenet artificis, ad dispositionem formæ frustra quæritur investigatio rationis. In inprovisis certe acuta se expetit ratio indagatione cognosci: in non ignotis autem, experimento faciendi se properat referari. Latentis ergo rei quia species ignoratur, non immerito considerationis ordo requiritur. Cum vero expertos usus in speculo visionis fides veritatis adducit, non jam materia formæ ratiocinationem dicti, sed operationem facti deposcit. Unde nos melius mores, quam eloquia ordinantes, non personam oratoris inducimus, sed rectoris jura disponimus.

II. Quo modo uti debeat artifex legum.

Formandarum ergo artifex legum non disceptatione debet uti, sed jure: nec videri congruum sibi contentione legem condidisse, sed ordine. Ab illo enim negotia rerum non expetunt in theatrali favore clamorem, sed in exoptata salvatione populi legem manifestam.

III. Quid requirendum est in artifice legum.

Tunc primum requirendum est, ut id quod inducitur, possibile credatur. Novissime ostendendum, si non pro familiari compendio, sed pro utilitate populi suadetur: ut appareat eum, qui legislator existit, nullo privato commodo, sed omnium civium utilitati communimentum præsidiumque opportunæ legis inducere.

IV. Qualis erit in vivendo artifex legum.

Erit consequenter idem lator juris ac legis mores eloquiis anteponens: ut contio [1] illius plus virtute personet, quam sermone: sicque quid dixerit, amplius factis, quam dictis exornet: priusque promenda compleat, quam implenda depromat.

V. Qualis erit in consiliando artifex legum.

Erit in adinventione Deo sibique tantummodo conscius, consilio probis & paucis [2] admixtus, assensu civibus populisque communis: ut alienæ provisor salutis, commodius ex universali consensu exerceat gubernaculum, quam ingerat ex singulari potestate judicium.

VI. Qualis erit in eloquendo artifex legum.

Erit contionans eloquio clarus, sententia non dubius, evidentia plenus: ut quicquid ex legali fonte prodierit [3], in rivolis audientium sine retardatione recurrat: totumque qui audierit, ita cognoscat, ut nulla hunc difficultas dubium reddat.

VII. Qualis erit in judicando artifex legum.

Erit judicans in indagando vivax, in præveniendo [4] fixus, in decernendo non anxius, in percutiendo parcus, in parcendo assiduus, in innocente vindex, in noxio temperatus, in advena sollicitus, in indigena mansuetus. Personam tanto nesciat accipere, quanto & contemnat eligere.

VIII. Qualis in publicis, qualis erit in privatis artifex legum.

Erit, quæcunque sunt publica, patrio recturus amore: quæcunque privata, herili dispensaturus ex potestate: ut hunc universitas patrem, parvitas habeat dominum. Sicque diligatur in toto, ut timeatur in parvo: quatenus & nullus huic servire paveat, & omnes ejus amorem morte compensandum exoptent.

IX. Quod dare debeat legibus disciplinam artifex legum.

Tum deinde sciat, in hoc maxime stare gravitatis publicæ gloriam, si det & ipsis legibus disciplinam. Nam cum salus tota plebium in consecrando [5] jure consistat, leges ipsas corrigere debet, antequam mores. Veniunt etiam ut cuique [6] libet in contentione, & leges pro arbitrio suo ferunt. Induunt sibi fictam de gravitate ac pudore personam: adeo ut illis sit lex publica, inhonestas privata. Sicque obtentu legum, contraria legibus

1 Al. ut [illegible]. 2 Paucis. 3 Al. prodiderit. 4 Al. in prævidendo. 5 In considerando. 6 Veniunt enim ut cuicumque.

bus adoperiunt, qui, vigore legis, obvia legibus evellere debuerunt.

TITULUS II. De Lege.

I. Quid observabit legis lator in legibus suadendis.

ITem in suadendis legibus erit plena caussa dicendi, non ut partem orationis meditandi videatur gratia obtinere, sed desideratum perfectionis obtinuisse laborem. In earum namque formationibus non sophismata disputationis, sed virtutem juris mavult caussa discriminis. Quæritur etiam ille, non quid contentio dicat, sed quid actio promat. Quia & excessus morum non coercendi sunt cothurno loquutionum, sed temperamento virtutum.

II. Quid sit lex.

Lex est æmula divinitatis, antistes religionis, fons disciplinarum, artifex juris boni, mores inveniens atque componens, gubernaculum civitatis, justitiæ nunciatrix [1], magistra vitæ, anima totius corporis popularis.

III. Quid agit lex.

Lex agit [2] omnem civitatis ordinem, omnemque hominis ætatem: quæ sic fœminis datur, ut maribus: juventutem complectitur & senectutem, tam prudentibus, quam indoctis; tam urbanis, quam rusticis fertur. Quæ summum salutis principium ac populorum culmen obtinet, & cum manifesto præclaroque præconio in modum lucidissimi solis effulget.

IV. Qualis erit lex.

Lex erit manifesta, nec quemquam in captionem civium devocabit. Erit etiam secundum naturam, secundum consuetudinem civitatis, loco temporique conveniens, justa & æquabilia præscribens, congruens, honesta & digna, utilis, necessaria. In qua prævidendum est ex utilitate quæ prætenditur, an plus commodi, an plus iniquitatis oriatur; ut dinosci possit, si plus veritati prospiciat publicæ, quam religioni videatur obesse: ac sic honestatem [3] tueatur, ut non cum salutis periculo arguat.

V. Quare sit lex.

Fieri autem leges hæc ratio cogit, ut earum metu, humana coerceatur improbitas; sitque tuta inter noxios innocentium vita, atque in ipsis improbis formidato supplicio frenetur nocendi præsumptio.

VI. Quod triumphet de hostibus lex.

His in domestica pace ita perfectis, totaque primo a Principibus, secundo a civibus, ex hinc a populis & a domo jurgiorum peste seclusa, eundum est in adversis, & obviandum hostibus potentialiter & fidenter, tanto in externis spe fida victoriæ, quanto nihil erit quod in externis (1) formidari valeat aut timeri. Pacis enim oleo, & legum vino, tota plebium massa in statu salutari concreta exseret hostibus inde invictos, unde illæsos artus producere videntur, justis adjuta legibus tela. Eruntque viri melius æquitate, quam telo muniti, ut contra hostem ante justitiam dirigat Princeps, quam vibret spicula miles. Felicior jam tunc illa Principis congressio erit, quam domestica æquitas anteibit: quia & sæviores erunt in hostium populatione mucrones, quos de domibus modeste produxerint leges. Experimentum enim naturalis est rei, ut justitia illa confodiat hostem, quæ tutaverit civem, & externam inde perimat litem, unde suorum internam possederit pacem. Sicut ergo modestia Principum temperantia est legum, ita concordia civium victoria est hostium. Ex mansuetudine etenim Principum oboritur dispositio legum. Ex dispositione legum, institutio morum. Ex institutione morum, concordia civium. Ex concordia civium, triumphus hostium. Sicque bonus Princeps interna regens, & externa conquirens, dum suam pacem possidet, & alienam litem obrumpit, celebratur & in civibus rector, & in hostibus victor; habiturus post labentia tempora requiem sempiternam: post luteum aurum, cœleste regnum; post diadema & purpuram, gloriæ coronam. Quin potius nec deficiet esse Rex. Quoniam dum regnum terrenum relinquit, & cœleste conquirit, non erit amisisse regni gloriam sed auxisse.

1 *Al. justitiæ nuncia.* 2 *Lex regit.* 3 *An & honestatem.*

(1) *Nihil erit, quod in externis &c.*) Legendum reor: *in internis*. Hispanicus *Fuero Juzgo: Quando mas non overen nenguna cosa entre si que teman.*

LEGIS WISIGOTHORUM

LIBER SECUNDUS

DE NEGOTIIS CAUSSARUM.

Titulus I. De Judiciis & Judicatis.

I. FLS. (1) GLS. RCDS. REX.

De tempore quo debeant leges emendatæ valere.

PRagma suum emendatis legibus assignantes, illud primum in ordine præfationis & loco præmittimus, quia sicut legum evidentia populorum est excessibus utilis, ita sanctionum obscuritas turbat ordines æquitatis. Nam plerumque dum quædam bene ordinata nebuloso verborum tractu consistunt, ipsa sibi repugnantiam nutriunt, dum litigantium controversias lucide non excludunt. Sicque ubi debuerunt finem ferre calumniis, ibi novos contra se pariunt laqueos captionis. Hinc ergo diversitas[1] caussarum exoritur, hinc controversiæ litigantium generantur. Hinc etiam hæsitatio judicum nascitur, ita ut in finiendis vel compescendis calumniis habere terminum nesciant, quæ utique nutantia semper approbantur & dubia. Et ideo, quia perstringi tota, quæ in controversiam veniunt, brevi complicatione non possunt, saltim vel quæ in contentione pertractanda sese gloriosis nostræ celsitudinis sensibus ingesserunt, ea in hoc libro specialiter corrigi, & elimata probitatis sententia decrevimus ordinari. Evidentia videlicet dubiis, præstantia noxiis, clementiora mortiferis, adapertionem clausis, perfectionem cœptis imprimens institutis, quo nostri regni populos, quos una & evidens pax nostri regiminis continet, hæc deinceps institutio correctarum legum ordinandos adstringat atque retentet. Et ideo harum legum correctio, vel novellarum nostrarum sanctionum ordinata constructio, sicuti in hoc libro & ordinatis titulis posita, & subsequenti est serie annotata; ita ab anno secundo regni nostri, a duodecimo Kalendarum Novembrium, in cunctis personis, ac gentibus nostræ amplitudinis imperio subjugatis innexum sibi a nostra gloria obtineat valorem, & inconvulso celebritatis oraculo valitura consistat: ut sicut sublime in throno serenitatis nostræ celsitudine residente, videntibus cunctis Sacerdotibus Dei, Senioribusque palatii atque Gardingis (2), earum manifestatio claruit; ita earundem celebritas vel reverentia in cunctis regni nostri provinciis debeat observari. Leges sane quas in Judæorum excessibus nostra gloria promulgavit, ab eo tempore valituras esse decernimus, ex quo his confirmationem gloriosa serenitatis nostræ renovatione impressimus.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod tam regia potestas, quam populorum universitas, legum reverentiæ sit subjecta.

Omnipotens rerum dominus & conditor unus, providens commoda humanæ saluti, discere justitiam habitatores terræ, sacræ legis sacris decenter imperavit oraculis. Sed quia solius tam immensæ divinitatis imperiis hæc cordibus imprimuntur humanis, convenit omnium terrenorum quamvis excellentissimas potestates illi colla submittere mentis, cui etiam militiæ cœlestis famulatur dignitas servitute. Quapropter si obediendum est Deo, diligenda est justitia; quæ si fuerit dilecta, erit instanter operandum in illa: quam quisque tunc verius & ardentius diligit, cum unius æquitatis sententia cum proximo semetipsum adstringit. Gratanter ergo jussa cœlestia amplectentes damus modestas simul nobis

[1] Al. adversitas.

(1) FLS.) *Flavius*. Muratorius in Annalibus Italicis ad annum CCCCLVII. advertit, inde a Constantio Chloro, & Constantino Magno, Imperatores omnes gloriatos esse prænomine *Flavii*; sed & privatos prænomen ipsum curavisse sibi adscribendum ex privilegio. Augustos æmulati Langobardi illud suis Regibus adtribuerunt. Ita Paulus Diaconus de Authari Rege loquens lib. III. cap. 16. *Quem etiam ob dignitatem* Flavium *appellaverunt, quo prænomine omnes, qui postea fuerunt, Langobardorum Reges feliciter usi sunt*. Idem præstitere & Wisigothi, quod primitus factum esse eruditi docent a Recaredo illo, qui gentem ad Catholicam reduxit fidem. In subscriptione Concilii Toletani III. legitur: *Flavius Recaredus Rex*. Hinc Gothorum Imperium dictum fuisse *Flaviam* adducto testimonio scribit Cangius in Glossario ad hanc vocem.

(2) *Gardingis*.) Gardingos, & Guardingos, sicuti nomine & officio, ita etiam origine distinguit Verelius in Indice ad Herraudi Sagam pag. 85. Hic procul dubio designantur *Palatini*, voce derivata a *Gard*, aula, palatium; qua de re vide Wachterum in Gloss hac voce. Italus proprie eos appellaret *Signori della Corte*, *Cortigiani*. Confer legem V. hujus tituli, ubi quos hic *Seniores Palatii*, *atque Gardingos*, illuc de eodem agens argumento *cuncta officia palatina* commemorat. In Hispanico Codice, in quo hæc legis pars habetur lege V. legimus: *Assi como las oyeron, e las otorgaron todos los Obispos de Dios, e los Sabios de nostra Corte, e los Mayores,*

bis & ſubditis leges: quibus ita & noſtri culminis clementia, & ſuccedentium tegum novitas adfutura una cum regiminis noſtri generali multitudine univerſa obedire decernitur, ac parere jubetur: ut nullis factionibus a cuſtodia legum, quæ injicitur ſubditis, ſeſe alienam reddat cujuslibet perſona vel potentia dignitatis, quatenus ſubjectos ad reverentiam legis impellat neceſſitas, Principiſque voluntas.

III. NOVITR. EMDTA. FLS. RCDS. REX.

Quod nulli leges neſcire liceat.

Omnis ſcientia ſana ordinabiliter vitat ignorantiam execrandam. Nam cum ſcriptum ſit: Noluit intelligere, ut bene ageret, certum eſt quod qui intelligere noluit, bene agere contempnit. Nullus ergo idcirco ſibi exiſtimet inlicitum faciendi licere, quodlibet; quia ſe novit legum decreta ſanctioneſque neſcire. Nam non inſontem faciet ignorantiæ cauſſa, quem noxiorum dampnis implicaverit culpa.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod antea ordinare oportuit negotia Principum & poſtea populorum.

Bene Deus conditor rerum diſponens humani corporis formam, in ſublime caput erexit, atque ex illo cunctas membrorum fibras exoriri decrevit: unde hoc etiam a capiendis initiis Caput vocari percenſuit; formans in illo & fulgorem luminum, ex quo perſpici poſſent, quæcunque noxia concurriſſent, conſtituens in eo & intelligendi vigorem, per quem connexa & ſubdita membra vel diſpoſitio regeret, vel providentia ordinaret. Hinc eſt & peritorum medicorum præcipua cura, ut ante capiti, quam membris incipiant adhibere medelam. Quæ ideo non immerito ordinabiliter exerceri ceteris cenſetur, cum ab artificis peritia hæc diſpenſari pateſcunt. Quia ſi ſalutare caput extiterit, rationem colligit, qualiter curare membra cetera poſſit. Nam ſi arcem moleſtia occupaverit capitis, non poterit in artus dare derivationes ſalutis, quas in ſe conſumpſerit jugis cauſſa langoris. Ordinanda igitur ſunt primo negotia Principum, tutanda ſalus, defendenda vita. Sicque in ſtatu & negotiis plebium ordinatio dirigenda, ut dum ſalus competens proſpicitur Regum, fida valentibus teneatur ſalvatio populorum.

V. FLS. RCDS. REX.

Item de tempore, quo debeant leges emendatæ valere.

Quoniam novitatem legum vetuſtas malorum [1] exigit, & innovare leges veternoſas peccaminum antiquitas impetravit; ideo leges in hoc libro conſcriptas ab anno ſecundo bonæ [2] memoriæ domni & genitoris mei [3] Chindaſvindi Regis, in cunctis perſonis ac gentibus noſtræ amplitudinis imperio ſubjugatis, omni robore decernimus, ac jugi manſuras obſervantia conſecramus: ita ut relictis illis, quas non æquitas judicantis, ſed libitus impreſſerat poteſtatis, evacuatiſque judiciis & omnibus ſcripturis earum ordinatione confectis, hæ ſolæ valeant leges, quas aut ex antiquitate juſte novimus, aut tenemus, aut idem genitor noſter, vel pro æquitate judiciorum, vel pro auſteritate culparum viſus eſt non immerito condidiſſe, prolatis ſeu connexis aliis legibus, quas noſtri culminis faſtigium judiciali præſidens throno coram univerſis Dei ſanctis ſacerdotibus, cunctiſque officiis palatinis, jubente Domino atque favente, audientium univerſali conſenſu edidit & formavit, ac ſuæ gloriæ titulis annotavit: ita ut tam hæ quæ jam prolatæ conſiſtunt, quam illæ, quas adhuc exoriri novorum negotiorum eventus impulerit, valido ac juſtiſſimo vigore perdurent, & æternæ ſoliditatis jura retineant.

VI. FLS. RCDS. (1) REX.

De Principum cupiditate dampnata, eorumque initiis ordinandis, & quo modo conficiendæ ſunt ſcripturæ in nomine Principum factæ.

Eminentiæ celſitudo terrenæ tunc ſalubrius ſublimia probatur appetere, cum ſaluti proximorum pia cernitur compaſſione prodeſſe. Unde ſolet contingere, ut plus commodi de aliena ſalute conquirat, quam de propria utilitate quiſque percipiat. In multis enim quia multorum ſalus attenditur, majoris lucri ſumma percipitur: in ſe autem, quia privati commodi fructus appetitur, non ſatis eſt, ſi unius beneficii præmia conquirantur. Hinc & illa regendarum tantumdem ſalus eſt plebium, quæ non ſuos fines privata voluntate concludit; ſed quæ univerſitatis limites communi proſperitatis lege defendit. Quapropter ne ſalutaris ordo imperialibus videatur verbis potius obtineri quam factis, de ſublimitatis obtentu reclinamus ad vota ſupplicum tranquillæ viſionis aſpectum: ut inde ſalutaris compaſſio habeat commodum, unde turmæ plebium adeptæ fuerint ſupplicationis effectum. Cum igitur præcedentium ſerie temporum, immoderatior aviditas Principum ſeſe prona diffunderet in ſpoliis populorum, ut augeret rei propriæ cenſum ærumna flebilis ſubjectorum, tandem ſupernæ reſpirationis afflatu nobis eſt divinitus inſpiratum, ut quia ſubjectis legis reverentiam dederamus, Principum quo-

[1] Vitiorum. [2] Al. divæ. [3] Al. noſtri.

(1) Fls. Rcds.) In Actis Conciliorum hæc lex legitur in calce Concilii Toletani VIII. hac præpoſita epigraphe: *Lex edita in eodem Concilio imperante Receſvintho Principe glorioſo.*

quoque excessibus retinaculum temperantiæ poneremus. Proinde sincera mansuetudinis nostræ deliberatione, tam nobis quam cunctis gloriæ nostræ successoribus adfuturis Deo mediante legem ponimus, decretumque divalis observantiæ promulgamus: ut nullus regum impulsionis suæ quibuscunque motibus aut factionibus scripturas de quibuslibet rebus alteri debitis ita extorqueat, vel extorquendas instituat, quatenus injuste ac nolenter debitarum sibi quisque privari possit dominio rerum. Quod si alicujus gratissima voluntate quippiam de rebus a quocunque perceperit, vel pro evidenti præstatione lucratus aliquid fuerit, in eadem scriptura patens voluntatis ac præstiti conditio annotetur, per quam aut impressio Principis, aut conferentis fraus evidentissime detegatur. Et si patuerit a nolente fuisse scripturam exactam, aut resipiscat improbitas Principis, & evacuet quod male contraxit, aut certe post ejus mortem ad eum cui exacta est scriptura, vel ad heredes ejus res ipsæ sine cunctatione debeant revocari. Illæ autem res, quæ seclusa omni compressionis argumentatione directo modo transierint in Principis potestatem, in ejus perenniter jure perdurent; & quidquid ex rebus ipsis idem Princeps ordinare voluerit, suæ potestatis arbitrio subjacebit. Verum, ut omne hujus negotium actionis roboret sinceritas veritatis, cum quarumcunque rerum scripturæ in Principis nomine extiterint factæ, mox testes, qui in eadem scriptura subscriptores accesserint, ab his quos elegerit Princeps diligentissime perquirantur, si non aliquod indicium aut de impressione Principis, aut de fraude scripturam facientis modo quocunque cognoverint: ac sic aut rite facta series scripturæ permaneat, aut irrite confecta evanescat. Similis quoque ordo de terris, vineis, atque familiis observetur: si sine scripturæ textu tantummodo coram testibus quælibet facta fuerit definitio. De rebus autem omnibus a tempore Chintilani regis hucusque a Principibus acquisitis, aut deinceps si provenerit acquirendis, quæcumque forsitan Princeps inordinata reliquit, sive reliquerit, quoniam pro regni apice probantur acquisita fuisse, ad successorem tantundem regni decernimus pertinere, ita habita potestate, ut quidquid ex his elegerit facere, liberum habeat velle. In illis autem rebus, quæ ipsi aut de bonis parentum, aut de quorumcunque provenerint successionibus proximorum, ita eidem Principi ejusque filiis, aut, si filii defuerint, heredibus quoque legitimis hereditatis jura patebunt, sicut etiam ceteris lege vel successione patere noscuntur. Quod si aliquid ex rebus de quorumcunque parentum aut proximorum non solum successione, sed etiam qualibet collatione, aut quolibet contractu ad jus ipsius pervenisse patuerit, si contingat hæc inordinata relinqui, non ad successorem regni, sed ad filios vel heredes ejus qui conquisivit, specialiter omnis eadem conquisitio pertinebit. Nam & de illis rebus, quas idem Princeps ante regnum aut ex proprio, aut ex justissimo conquisitu dinoscitur habuisse, irrevocabili ordine aut faciendi exinde quod voluerit potestatem habebit, aut certe filiis ejus successio plena patebit. Quod si filii defuerint, legitimis heredibus, ex his quæ inordinata reliquerit, hereditatem adire licebit. Hujus sane legis sententia in solis Principum erit negotiis observanda, atque ita perpetim valitura: ut non antea quispiam solium regale conscendat, quam juramenti fœdere (1) hanc legem se in omnibus implere promittat. Quemcunque vero aut per tumultuosas plebes, aut per absconsa dignitati publicæ machinamenta (2) adeptum esse constiterit regni fastigia; mox idem cum omnibus tam nefarie sibi consentientibus, & anathema fiat, & Christianorum communionem amittat; tam diræ percussionis ultione collisus, ut omnis divini ordinis cultor, qui illi communicare præsumpserit, simili cum ipso damnatione dispereat, & pœna tabescat. Nam & si quis legis hujus seriem ex officio Palatino malivole detrahendo lacerare voluerit, aut evacuandam quandoque, vel silenter mussitans, vel aperte resultans, proloqui detectus extiterit, cunctis Palatinæ dignitatis & consortiis & officiis mox nudatus, omnium rerum suarum dimidiam partem amittat, & in deputato sibi loco redactus, a totius Palatii maneat societate seclusus. Religiosus etiam qui se in eadem culpa devolverit, simili rerum proprietatis suæ dispendio subjacebit.

VII. NOV. EMDAT. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui contra Principem, vel gentem, aut patriam refugiunt [1]*, vel insolentes existunt.*

Quantis hactenus Gothorum patria concussa sit cladibus, quantisque jugiter quatiatur stimulis profugorum, ac nefanda superbia deditorum, ex eo pœne cunctis est cognitum, quod & patriæ diminutionem agnoscunt, & per hanc occasionem potius, quam expugnandorum hostium externorum arma sumere sæpe compellimur. Ut ergo tam dira temeritas tandem victa depereat, & in hujusmodi transgressoribus manifesta scelera non reliquantur ulterius impunita, hanc omne per ævum valituram legem sancimus, ut

1 Al. *patriam refugi.*

(1) *Juramenti fœdere.*) Hæc exemplo sunt, pacta conventa in Generalibus Regni Comitiis constituta fuisse, ad quæ juranda cogerentur novi Reges.

(2) *Machinamenta.*) In electivo, & lubrico Regno non deerant factionum, & tumultuariæ electionis pericula, quibus & in Toletanis Conciliis obviam itur haud semel.

ut quicunque ex tempore reverendæ memoriæ Chintilani Principis, usque ad annum regni nostri Deo favente secundum, vel amodo, & ultra ad adversam gentem, vel ad extraneam partem perrexit sive perrexerit, aut etiam ire voluit, vel quandoque voluerit, ut sceleratissimo ausu contra gentem Gothorum vel patriam ageret, aut fortasse conetur aliquatenus agere, & captus sive detectus extitit, vel extiterit, seu ab anno regni nostri primo vel deinceps quispiam intra fines patriæ Gothorum quamcunque conturbationem aut scandalum in contrarietatem regni nostri vel gentis facere voluerit, sive ex tempore nostri regiminis tale aliquid agere vel disponere conatus est aut fuerit, atque, quod indignum dictu videtur, in necem vel abjectionem nostram, sive subsequentium regum, intendere vel intendisse proditus videtur esse vel fuerit: horum omnium scelerum vel unius ex his quisque reus inventus, irretractabili sententia mortem excipiat, nec ulla ei de cetero sit vivendi indulta libertas. Et si nulla mortis ultione plectatur, & pietatis intuitu a Principe illi fuerit vita concessa, effossionem perferat oculorum (1), secundum quod in lege hac huc usque fuerat constitutum: decalvatus (2) tamen c. flagella suscipiat, & sub arctiori vel perpetuo erit religandus exilio pœnæ, & insuper nullo unquam tempore ad Palatini officii reversurus est dignitatem; sed servus Principis factus, & sub perpetua servitutis cathena in Principis potestate redactus, æterna tenebitur exilii religatione obnoxius: quatenus nec excidium videat, quo fuerat nequiter delectatus, & amarissimam vitam ducere se perenniter doleat. Res tamen omnes hujus tam nefarii transgressoris, vel ejus qui morte est pro tali scelere perimendus, vel illius cui vita propter suam nequitiam infelicissime reservabitur, in regis ad integrum potestate consistant: & cui donatæ fuerint, ita perpetim secure possideat, ut nullus unquam succedentium Regum caussam suam & gentis vitiaturus has illatenus aut ulterius auferre præsumat. Verum quia multi plerumque reperiuntur, qui dum his & talibus pravis meditationibus occupantur, argumento quodam fallaci in ecclesiis, aut in uxoribus, vel filiis atque amicis seu in aliis quibuscunque personis suas inveniuntur transduxisse vel transducere facultates, etiam & ipsa quæ fraudulenter in dominio alieno contulerant, jure precario reposcentes, sub calliditatis studio in suo denuo dominio possidenda recipiant: unde nihil de suis rebus visi sunt amisisse, nisi solum concinnatione falsissima, fictas, quasi veridicas, videantur scripturas conficere vel proferre. Ideoque hanc nequissimam argumentationem præsentis legis decreto amputare elegimus: ut calcatis, vel evacuatis, seu rescissis scripturis hac fraude confectis, quicquid eo quisque tempore possidere reperiatur, quo fuerit in prædictis criminibus deprehensus, totum continuo fisci viribus ad integrum applicetur: ut concedere jam dictas facultates, sicut supra dictum est, cui Rex voluerit, vel facere exinde quicquid elegerit, in suæ potestatis consistat arbitrio. Alia vero quæcunque ab hac fraude aliena inventa extiterint ordinata, legibusque confecta, vigore legum maneant solidata: illis ab hujus legis sententia personis evidenter exceptis, quibus a præcedentibus regibus culpa dinoscitur fuisse concessa. Nam si humanitatis aliquid cuicunque perfido Rex largiri voluerit, non de facultate ejus, sed unde placuerit Principi, tantum ei solummodo concessurus est, quantum hereditatis ejusdem culpati vigesimam portionem fuisse constiterit.

VIII. NOVT. EMDTA. FL. GL. RCDS. R.

De non criminando Principe, nec maledicendo illi.

Sicut in persona Principis omnibus prohibemus, aut commovere nequitiam cogitationis, aut manus injicere ultionis; ita etiam nullum patimur in eum, aut notam ponere criminis, aut verba congerere maledictionis. Sacræ namque auctoritas scripturæ, & non jubet accipere opprobrium adversus proximum suum, & hunc, qui maledixerit Principem populi sui, demonstrat existere reum. Quapropter quicunque in Principem aut crimen injecerit, aut maledictum intulerit, ita ut hunc de vita sua non humiliter & silenter admonere procuret, sed huic superbe & contumeliose insultare pertemptet, sive etiam in detrectationis [1] ejus ignominia, turpia & injuriosa præsumat: si ex nobilibus idoneisque personis fuerit, sive sit religiosus, sive etiam laicus, mox detectus fuerit & inventus, dimidiam omnium rerum suarum partem amittat, de qua idem Princeps faciendi, quod sibi placuerit, potestatem obtineat. Nam si de vilioribus humilioribusque personis fuerit, aut certe quem nulla dignitas exornavit, quod de illo, vel de rebus ejus Princeps voluerit, judicandi licentiam habebit. Simili quoque præcepto, defuncto etiam Principi ausum opportune interdicimus detra-

1 Al. *detractionis.*

(1) *Effossionem perferat oculorum &c.*) Hoc dicebatur vitam reo concedere *salva justitia.* Wamba Rex, qui precibus Antistitis Narbonensis conjuratis cum Paulo vitam promiserat, *salva justitia*; dum a senioribus, & viris illustribus capitali sententia condemnantur, Rex *præcepit eis vitam, sicut Archiepiscopo promiserat, conservari, sed decalvationis obprobrio tunc confusos effossis oculis præcepit in vinculis custodiri.* Rodericus Toletanus Lib. III cap. VIII.

(2) *Decalvatus &c.* usque ad *religatione obnoxius.*) Hæc legis verba desunt in Hispanico.

trahendi. Incaſſum etenim is qui vivit detractionis in defunctum jacula mittit, cum jam defunctus nec inſtitutionibus [1] imbui, nec increpationibus poſſit argui. Sed quia pro certo illius inſania innoteſcit, qui fruſtra in non ſentientem detractionis verba tranſmittit, ideo idem præſumptor L. verberibus vapulabit, & præſumptioni ſuæ opportuna ſilentia dabit. Reſervata cunctis hac plenius libertate, ut Principe tam ſuperſtite, quam mortuo, liceat unicuique pro negotiis ac rebus omnibus, & loqui quod ad cauſſam pertinet, & contendere ſicut decet, & judicium promereri quod debet. Ita enim proponere nitimur humanæ reverentiam dignitati, ut devotius ſervare probemur juſtitiam Dei.

IX. FLS. CNDS. REX.

De remotis alienarum gentium legibus.

Alienæ gentis legibus ad exercitium utilitatis imbui & permittimus, & optamus: ad negotiorum vero diſcuſſionem & reſultamus & prohibemus. Quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent: adeo cum ſufficiat ad juſtitiæ plenitudinem, & præſcrutatio rationum, & competentium ordo verborum, quæ codicis hujus ſeries agnoſcitur continere, nolumus ſive Romanis legibus (1), ſive alienis inſtitutionibus amodo amplius convexari.

X. NOV. EMDAT. FLS. RCDS. REX.

Ne excepto talem librum, qualem hunc [2] qui nuper eſt editus, alterum quiſque præſumat habere.

Nullus prorſus ex omnibus regni noſtri, præter hunc librum qui nuper eſt editus, atque ſecundum ſeriem hujus amodo [3] tranſlatum librum alium legum, pro quocunque negotio in judicio [4] offerre pertentet: quod ſi præſumpſerit, xxx. libras auri fiſco perſolvat. Judex quoque ſi vetitum librum ſibi poſtea oblatum diſrumpere fortaſſe diſtulerit, prædictæ damnationis diſpendio ſubjacebit. Illos tamen a dampno hujus legis immunes eſſe jubemus, qui præteritas & anteriores leges non ad confutationem harum legum, ſed ad comprobationem præteritarum cauſſarum proferre in judicio fortaſſe voluerint.

XI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De diebus feſtis & feriatis, in quibus non ſunt negotia exaudienda [5].

Die Dominico neminem liceat exſequutione conſtringi, quia omnes cauſſas religio debet excludere. In quo nullus ad cauſſam dicendam, neque propter aliquod debitum fortaſſe ſolvendum quenquam inquietare præſumat. Diebus Paſchalibus nulla patimur quemlibet exſequutione teneri, id eſt, per xv. dies, ſeptem qui Paſchalem ſolemnitatem præcedunt, & ſeptem alios, qui ſequuntur. Nativitatis quoque Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis & Pentecoſtes, ſinguli dies ſimili reverentia venerentur. Nec non & pro meſſivis feriis, a xv. Kal. Auguſti, uſque ad xv. Kal. Septembris. In Carthaginenſi vero provincia, propter locuſtarum vaſtationem aſſiduam, a xv. Kal. Julii, uſque ad xv. Kal. Auguſti [6] meſſivas ferias præcipimus obſervandas. Et propter vindemias colligendas, a xv. Kal. Octobris, uſque ad xv. Kal. Novembris. Omnibus hac conſtitutione concedimus, ut per hæc tempora nullus ad cauſſam dicendam venire cogatur, vel ſub exſequutione aliqua deputetur; niſi forte cauſſa, de qua compellitur, cœpta jam apud judicem fuiſſe videatur. Nam procul dubio ſi inchoata fuiſſe actio reperitur, ad peragendum negotium abſque ulla feriatorum dierum objectione cogendus eſt ille, qui pulſatur: ita, ut ſi perſona eſt cui facile credi poſſit, placito diſtrictus abſcedat. Si certe ſit de cujus fide dubitetur, pro ſe fidejuſſorem adhibeat, quatenus peractis temporibus ſupradictis, ad finiendam cum petitore cauſſam, ubi judex elegerit, remota dilatione occurrat; præter, qui tale crimen admiſerint, quos neceſſe ſit ſententia mortis puniri. Qui etiam in talibus omnino diebus, & comprehendendi ſunt, & ardua in vinculis cuſtodia retinendi, quouſque peracto die Dominico, vel feriis ſupradictis, debita ſubſequatur eos ultio judicantis. Meſſivis ſane, vel vindemialibus feriis, in criminoſas & dignas morte perſonas, legalis nullatenus cenſura ceſſabit. Sed nec illum iſta lex excuſatum habebit, qui necdum ad judicium ante compulſus, ſed tamen ſciens ſe eſſe quandoquidem compellendum, reliquis ſe temporibus dilatans, ad hoc in prædictis feriis illi, a quo pulſandus eſt, ſe indubitanter oſtendit, quia putat ſe ad cauſſam dicendam nulla legis ſanctione poſſe teneri: quem tamen aut per placitum diſtringi præcipimus, quando cum petitore cauſſam finire ſit præſtus. Aut ſi forte talis eſt, de quo deſpecta ſit placiti fides, neque fidejuſſorem pro ſe adhibere potuerit, apud judicem, ſub cuſtodia maneat: ut expleto tempore feriato, cauſſa pro qua compellitur finem accipiat. Si quis autem contra decretum legis hujus agere præſumpſerit, & ad

1 Al. *conſtitutionibus*. 2 Al. *qualis hic*. 3 *Hujuſmodi*. 4 *Judici*. 5 Al. *negotia exequenda*. 6 *In Kal. Aug.*

(1) *Nolumus ſive Romanis legibus.*) De hac re verba fecimus in monito. Huc tantum addam, Alphonſum a Villadiego in Commentario ad hunc locum plures recenſere doctores aſſerentes, olim in Hiſpania legem conſtitutam fuiſſe, *ut quicumque in judicio allegaret legem Imperatoris, capite puniretur.*

& ad judicem ex hoc querela pervenerit, L. ictus flagellorum publice extenſus accipiat.

XII. ANTIQUA.

Ut nulla cauſſa a judicibus audiatur, quæ legibus non continetur.

Nullus judex (1) cauſſam audire præſumat, quæ legibus non continetur; ſed comes civitatis vel judex, aut per ſe, aut per exſequutorem ſuum, conſpectui Principis utraſque præſentare partes procuret: quo facilius & res finem accipiat, & poteſtatis regiæ diſcretione tractetur, quatenus exortum negotium legibus inferatur.

XIII. FLS. RCDS. REX.

Ut terminatæ cauſſæ nullatenus revolvantur: reliquæ vero ad hujus ſeriem libri terminentur: adjiciendi leges Principibus libertate manente.

Quæcunque (2) cauſſarum negotia inchoata ſunt, nondum vero finita, ſecundum has leges terminari ſancimus. Illas autem cauſſas, quæ antequam iſtæ leges a noſtra gloria emendarentur, legaliter determinatæ ſunt, id eſt, ſecundum legum modum, qui ab anno primo regni noſtri in præteritis obſervatus eſt, reſuſcitari nullatenus patimur. Sane leges adjiciendi, ſi juſta novitas cauſſarum exegerit, principalis electio licentiam habebit: quæ ad inſtar præſentium legum vigorem pleniſſimum obtinebunt.

XIV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod nulli liceat dirimere cauſſas, niſi quibus aut Princeps, aut conſenſio voluntatis, vel informatio judicum poteſtatem dederit judicandi.

Dirimere cauſſas nulli licebit, niſi aut a Principibus poteſtate conceſſa, aut ex conſenſu partium (3) electo judice trium teſtium fuerit electionis pactio ſignis aut ſubſcriptionibus roborata. Nam & hi qui poteſtatem judicandi a Rege accipiunt, ſive etiam hi, qui per commiſſoriam comitum vel judicum judiciali poteſtate utuntur, vices ſuas aliis, quibus fas fuerit, ſcriptis peragendas injunxerint, licitum illis per omnia erit: ſimilemque & ipſi, qui informati a judicibus fuerint, in judicando, ſicut & illi, a quibus determinandi acceperunt vigorem, habebunt in diſcernendis vel ordinandis quibuſcunque negotiis poteſtatem.

XV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quales cauſſas audire debeant tyuphadi, & qualibus perſonis cauſſas audiendas injungant.

Cum ceteris negotiis criminalium etiam cauſſarum tyuphadis judicandi conceſſa licentia ſit, criminoſos a legum ſententiis ipſi judicare non audeant, ſed debitam in eis ut competit, cenſuram exerceant. Qui tyuphadi tales eligant, quibus viciſſitudines ſuas audiendas injungant, ut ipſis abſentibus illi cauſſas, & temperate diſcutiant, & juſte diſcernant.

XVI. FLS. RCDS. REX.

Ut judices tam criminales, quam communes, terminent cauſſas.

Omnium negotiorum cauſſas ita judices habeant deputatas, ut & criminalia & cetera negotia terminandi ſit illis conceſſa licentia. Pacis autem aſſertores (4), non alias dirimant cauſſas, niſi quas illis regia deputaverit ordinandi poteſtas. Pacis autem aſſertores ſunt, qui ſola faciendæ pacis intentione regali ſola deſtinantur auctoritate.

XVII. FLS. CHDS. [1] REX.

De damnis eorum, qui non accepta poteſtate præſumpſerint judicare.

Nullus in territorio non ſibi commiſſo, vel ubi ille judicandi poteſtatem nullam habet omnino commiſſam, quemcunque præſumat per juſſionem, aut ſajonem diſtringere, aut in aliquo moleſtius convexare, niſi ex regia

1 Al. RCDS.

(1) *Nullus judex &c.*) Ad hanc legem alluſiſſe reor Johannem Papam VIII. dum in Tricaſſina Synodo Conſtitutionem edidit adverſus ſacrilegia, de quibus nil habebatur in libro Gothicæ legis; *Et in eiſdem legibus ſcriptum erat, ut cauſſæ, quas illæ leges non habent, non audirentur a judicibus illius patriæ, atque ita jus ſanctæ Eccleſiæ ſuffocabatur ab incolis Galliæ, & Hiſpaniæ Provinciis.* Præcepitque, ut a ſe edita Conſtitutio ſcriberetur *in fine codicis legis mundanæ*, hoc eſt Wiſigothorum. Conſtitutionem ipſam in calce hujus Codicis tradam.

(2) Initio hujus legis hæc in Hiſpanico habentur: *Los Principes an poder de anadir leyes en eſte libro.* Videtur eſſe Gloſſa inſulſa, quæ in textum irrepſit.

(3) *Aut ex conſenſu partium.*) In Hiſpania maxime viguiſſe morem, ut partes eligerent judices, eoſque præcipue ex eccleſiaſtico cœtu, innuit Canon quartus Tarraconenſis Concilii; *Nullus Epiſcoporum, aut Presbyterorum, vel Clericorum die Dominico propoſitum cujuſcumque cauſſæ negotium audeat judicare, niſi hoc tantum, ut Deo ſtatuta ſolemnia peragant. Cæteris vero diebus, convenientibus perſonis, illa, quæ juſta ſunt habeant licentiam judicandi, exceptis criminalibus negotiis.* Hæc profecto indigitant, non fuiſſe paucos, qui pro dirimendis cauſſis ad Eccleſiaſticos convolarent, cum ne Dominica quidem dies vacua foret. V. Thomaſſin. V. & N. Eccl. Diſcipl. P. II. L. III. cap. 106.

(4) *Pacis aſſertores.*) Præclarum animadverte morem, ut ſpecies quædam Miſſorum Dominicorum a Rege delegaretur componendis certis litibus, ac controverſiis, quibus etiam inhæſiſſe videtur facultas judicum arbitratorum.

gia juſſione, vel partium electione, ſive ex conſenſu, vel commiſſoriis atque informationibus Comitum, ſive etiam judicum, ſicut in lege ſuperiori tenetur, judex quiſque fuerit inſtitutus. Certe qui non prædictus judex præſumptuoſus inlicite hæc, quæ prohibentur, præſumpſerit agere, confeſtim cum cauſſa pervenerit ad provinciæ Ducem, an per ſe velit, an per quem ipſe præceperit, tam inlicitam præſumptionem coercere procuret. Et illi ſiquidem cui præſumptuoſus extitit, ſi ſolum contumeliam vel injuriam fecerit, libram auri coactus exſolvat: ſi vero rem aliquam temeranter abſtulerit, vel auferre præceperit, tantundem cum eadem re quam tulerat, aliud tantum de ſuo coactus exſolvat. Quod ſi quicunque judex ſervum ſuum, vel alienum ad diſcutienda negotia elegerit deputandum: pro his quæ idem ſervus contra juſtitiam & leges adtemptaverit agere, ad omnem ſatisfactionem legis judex qui hunc ordinaverit, ſe noverit detineri. Sajo (1) vero ſeu quiſquis fuerit, qui huic obſequens præſumptori alium conſenſerit comprehendere, diſttinguere, vel aliquid rerum auferre, C. publice ictus flagellorum accipiat, & præſumptionem tali emendatione coerceat.

XVIII. FLS. CHDS. [1] REX.

De his qui ammoniti judicis epiſtola vel ſigillo ad judicium venire contemnunt.

Judex cum ab aliquo fuerit interpellatus, adverſarium querelantis ammonitione unius epiſtolæ vel ſigilli (2) ad judicium venire compellat: ſub ea videlicet ratione, ut coram ingenuis perſonis, is qui a judice miſſus extiterit, ei qui ad cauſſam dicendam compellitur, offerat epiſtolam vel ſigillum. Et ſi tali ammonitione conventus, aut ſe dilataverit, aut ad judicium venire contempſerit, pro dilatatione ſola quinque auri ſolidos petitori, & pro contemptu quinque alios judici coactus exſolvat. Quod ſi non habuerit unde componat, L. flagellis contemptor idem vel dilatator coram judice verberetur: ita ut non ei flagellorum iſta correptio inducat notam infamiæ. Si autem ſolummodo contemptor extiterit, & non habuerit unde compoſitionem exſolvat, abſque ulla teſtificandi jactura, XXX. flagella ſuſcipiat. Is autem qui pulſatur, ſi ad accipiendam ammonitionem judicis ſe ſe dixerit nullatenus dilataſſe vel contempſiſſe, & hoc nullo potuerit teſte convinci, dum ſacramentum reddiderit, quod per nullam occaſionem vel contemptum hoc fecerit, a damnis vel flagellis ſuperius comprehenſis, habeatur indempnis. Quod ſi quislibet Epiſcopus ammonitionem judicis, fretus honore ſacerdotali, contempſerit, & pro ſua perſona aſſertorem dare diſtulerit, confeſtim a judice negotii, ſeu a provinciæ ſuæ Duce vel Comite compulſus L. ſolidorum dampnum excipiat. Ex qua ſumma pecuniæ XX. ſolidi judici pro contemptu proficiant: XXX. vero ſacerdotis ipſius petitor conſequatur. Si certe presbyter, diaconus, vel ſubdiaconus, atque clericus, vel monachus, ad accipiendam judicis epiſtolam vel ſigillum ſe dilataverint, aut pro ſui perſona ad reſpondendum minime direxerint proſequutorem, aut contumaciter fuerint contemptores, unuſquiſque eorum juxta legis ſententiam, quæ in laicis ſuperius lata eſt, indicta dampna ſuſcipiat. Et ſi non habuerit unde componat, ejus Epiſcopus moneatur, ut pro eo, ſi voluerit, ſatisfacere licentiam habeat. Si autem noluerit, ſacramentis coram judice ſe noverit obligandum: quod ſupradictis perſonis talem diſtrictionem exhibeat, ut per triginta dierum ſpatium jejuniis continuis affligantur. Sufficiatque illis circa Solis occaſum per dies ſingulos panis & aquæ refectionem (3) accipere, quæ contumacis vitam rationabili poſſit diſtrictione corrigere. Illa omnino diſtrictione ſervata, ut ſi ætatis vel ægritudinis inſtantia patuerit, quæ hanc diſciplinam ſuſtinere non poſſe demonſtret, tam in clericis cujuſcunque ordinis, quam in laicis, non tam duriſſimam ſententiam caſtigationis inſtantia compleat judicis, ſed adhibita conſideratione in ægritudine vel ætate ita contemptorem corrigat, ne ipſe contemptor, aut langorem maximum, aut debilitationem vel mortem incurrat. Ille vero qui ad implendam commonitionem judicis contemptor extiterit, ſeque ita dilataverit, ut eum judex tam facile repperire non poſſit, & ſi poſt tempus indictum in diebus quatuor non occurrat, ſi quinta die venerit, omnem hujus legis ſententiam ſe noverit evaſurum. Pari modo & qui longius C. millibus convenitur,

ſi ad

[1] Al. RCDS.

(1) *Sajo.*) Apud Wiſigothos non ſemel memoratur *Sajo*, ut & apud Oſtrogothos; pluries namque Caſſiodorus in ſuis Epiſtolis *Sajonum* mentionem facit. Cum de re forenſi agitur, *Sajo* quondam idem erat, qui hodie in Hiſpania *Alguazellus*, & qui apud Romanos *Apparitor*; Magiſtratuum ſcilicet miniſter, qui ad eorum juſſa exequenda præſto eſſet.

(2) *Epiſtolæ vel ſigilli.*) Sigilli nomine pluries ab eruditis vulgo intelligitur non merum ſigillum, ſed præceptum, epiſtola, diploma, litteræ ipſæ ſigillo munitæ. Atque hoc ſenſu hic venire cenſet Heineccius Elem. Jur. Germ. lib. III. art. CV. in nota. At vero rectius Villadiego in hunc locum ratus eſt, merum quoque ad hoc deputatum, cognitumque ſigillum, in citationibus uſitatum fuiſſe inter Wiſigothos: adducitque Hiſpanicum morem ex lib. VI. fori II., ubi hæc leguntur: *por ſu carta de juez, o ſello conocido*: ſubditque hunc citandi modum uſitari frequenter apud tribunalia ſcholaſtica Salmantina.

(3) *Panis & aquæ refectionem.*) Pœna, ſeu pœnitentia Wiſigothis non inuſitata in iis quoque, quæ ad rem civilem pertinebant. Confer legem Hiſpanice ſcriptam, quæ habetur infra in notis libro IX. Titulo I. poſt legem XX.

si ad XI. diem (1) post tempus institutum occurrerit, hunc nullatenus sanctionis hujus pœna dampnabit. Similiter & qui in ducentorum millium spatio constitutus in XX. prima die postquam jussus fuerat, se ipsum judici præsentaverit ad audiendum, eo modo a jactura legis hujus habeatur indempnis. Similis quoque servabitur ordo, ubi fuerit amplior itineris longitudo. Hi denique quibus tam rationabile tempus adjectum est, si se ulterius dilatantes minime ad institutum diem supradjectionis occurrerint, confestim judex ea quæ pars petit querelantis, reservato negotio dilatatoris, tradere non differat petitori: ita ut si contemptor in postmodum ad negotium dicendum successerit, si XX. primum diem transcenderit, XX. auri solidos cogat exsolvere. Nam & is qui de C. millibus superiorem ordinem præteriens, constitutionem XI. diei fuerit supergressus, & idem X. solidorum dampnum excipiat. De quibus dampnis superius institutis medietatem sibi judex acquirat, alteram vero medietatem pars petentis obtineat. Si tamen ammonitum, aut ægritudo ad veniendum nulla suspenderit, aut inundatio fluminum non retinuerit, vel aditum non obstruxerit, in quo montes transituri sunt, conspersio superflua nivium. Quæ necessitas, utrum evidenter evenerit, an per excusationem videatur opponi, aut idoneis testibus, aut suo juramento firmabitur.

XIX. FLS. CHDS. REX.

Si judex interpellantem audire contempnat, vel utrum fraudulenter, an ignoranter judicium promat.

Si quis judici pro adversario suo querelam intulerit, & ipse eum audire noluerit, aut sigillum negaverit, aut per diversas occasiones caussam ejus protraxerit, pro patrocinio aut amicitia nolens legibus obtemperare, & ipse qui petit hoc testibus potuerit approbare, det ille judex ei pro fatigatione ejus tantum quantum ipse ab adversario suo secundum legale judicium fuerat accepturus: & ipsam caussam ille qui petit, usque ad tempus legibus constitutum, ita habeat reservatam, ut cum eam proponere voluerit, debitam sibi percipiat veritatem. Certe si fraudem aut dilationem judicis non potuerit petitor approbare, sacramento suam conscientiam judex expiet, quod cum nullo malignitatis obtentu, vel quolibet favore, vel amicitia audire distulerit, & propter hoc culpabilis idem judex nullatenus habeatur. Eidem tamen judici liceat, ut in una hebdomada, duobus diebus, vel omnibus meridianis horis, si voluerit [1], absque caussarum audientia, suæ vacet domui pro quiete. Reliquo vero tempore, prolata sibi negotia frequens & absque dilatione qualibet examinet.

XX. NOVIT. EMDATA. ANTIQUA.

Si judex per commodum aut per ignorantiam judicet caussam.

Judex si per quodlibet commodum male judicaverit, & cuicunque injuste quicquam auferri præceperit; ille qui a judice ordinatus, ad tollendum fuerat destinatus, ea quæ tulit restituat. Nam ipse judex contrarius æquitati, aliud tantum de suo, quantum afferri jusserat, mox reformet: idem ablata re simpla redintegratione concessa, pro satisfactione suæ temeritatis aliud tantum, quantum auferri præceperat, de sua facultate, illi quem injuste dampnaverat, reddat. Quod si non habuerit unde componat, tantum quantum abstulit saltem vel idipsum ex toto quod habere videtur, illi quem dampnaverat pro omni compositione restituat. Quod si ex omnibus nihil rerum habuerit, unde compositionem exsolvat, L. flagella publice extensus suscipiat. Si autem per ignorantiam injuste judicaverit, & sacramento se potuerit excusare [2], quod non per amicitiam, vel cupiditatem aut per quodlibet commodum, sed tantummodo ignoranter hoc fecerit, quod judicavit non valeat, & ipse judex non implicetur in culpa.

XXI. FLS. GLS. CDRS. REX.

Si judex dolo vel calliditate aut unam aut ambas caussantium partes dispendia faciat sustinere.

Tranquille ac sollicite instantia magnitudinis [3] nostræ præmonet judices omnes, non debere dilatare causidicos, ne gravi dispendio aliquatenus onerentur. Quod si dolo vel calliditate aliqua ad hoc videatur judex differre negotium, ut una pars aut ambæ naufragium perferant, quicquid dispendii super octo dies, a die cœptæ actionis, caussantes pertulerint, reddito sacramento totum eis judex reddere compellatur. Si autem vel ægritudo, vel publicæ utilitatis inductio suspenderit judicem a peragendo negotio, nullam moram exhibeat litigantibus: sed sub hac eos definitione confestim absolvat, ut ad caussam expediendam, competenti tempore, indubitanter occurrant.

XXII. ANTIQUA.

Quod primum judex servare debeat, ut caussam bene cognoscat.

Judex ut bene caussam cognoscat, primum testes interroget; deinde scripturas inquirat, ut

1 Al. *si noluerit*, 2 Al. *expiare*, 3 Al. *mansuetudinis*.

(1) *Si ad XI. diem.*) Absentibus itaque per singula milliaria decem, quibus distabant, singuli dies dilationis concedebantur. Romani severiores duplum itineris absentibus assignavere, hoc est milliaria XX. ff. de Verb. significat l. 3.

ut veritas possit certius inveniri, ne ad sacramentum facile veniatur. Hoc enim justitiæ potius indagatio vera commendat, ut scripturæ ex omnibus intercurrant, & jurandi necessitas se se omnino suspendat. In his vero caussis juramenta [1] præstentur, in quibus nullam scripturam vel probationem, seu certa judicia veritatis, discussio judicantis invenerit. In quibus tamen caussis, & a quo juramentum detur, pro sola investigatione justitiæ, in judicis potestate consistat.

XXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si cujuscunque honoris aut ordinis judex dicatur haberi suspectus, vel si judex contra leges præsumat judicium dare.

Si quis judicem, vel Comitem, aut vicarium Comitis, seu tyuphadum suspectos habere dixerit, & ad suum Ducem aditum accedendi poposcerit, vel fortasse eundem Ducem suspectum habere se dixerit: non sub hac occasione petitor, ac præsertim pauper quislibet, patiatur ultra dilationem: sed ipsi qui judicant ejus negotium, unde suspecti dicuntur haberi, cum Episcopo civitatis, ad liquidum discutiant atque pertractent; & de quo judicaverint, pariter conscribant subscribantque judicium. Et qui suspectum judicem habere se dixerat, si contra eundem deinceps fuerit querelatus, completis prius, quæ per judicium statuta sunt, sciat sibi apud audientiam Principis appellare judicem esse permissum. Ita ut si judex vel sacerdos reperti fuerint nequiter judicasse, & res ablata querelanti restituatur ad integrum, & a quibus aliter, quam veritas habuit, judicatum est, aliud tantum de rebus propriis ei sit satisfactum. Si certe injuste contra judicem querelam intulerit, & caussam de qua agitur juste judicatam fuisse constiterit, dampnum quod judex sortiri debuit, petitor sortiatur: & si non habuerit unde compositionem exsolvat, C. flagellis extensus publice in ejusdem judicis præsentia verberetur. Nam si forte quisquam pro utilitate regia aliquid scire se dixerit, aditus ei ad conspectum nostræ gloriæ negari non poterit.

XXIV. FLS. GLS. CNDS. REX.

Judex qualiter faciat judicatum.

Si de facultatibus, vel rebus maximis, aut etiam dignis, negotium agitetur, judex præsentibus utrisque partibus, duo judicia de re discussa conscribat, quæ simili textu & subscriptione roborata litigantium partes accipiant. Certe si de rebus modicis mota fuerit actio, solæ conditiones, ad quas juratur, apud eum qui victor extiterit, pro ordine judicii habeantur. De quibus tamen conditionibus, & ille qui victus est, ab eisdem testibus roboratum exemplar habebit. Quod si pars, quæ pro negotio quocunque compellitur, professa fuerit apud judicem, non esse necessarium a petitore dari probationem, quamlibet parvæ rei sit actio, conscribendum est a judice, suaque manu judicio roborandum, ne fortasse quælibet ad futurum ex hoc intentio moveatur. Si vero ordinante judice una pars testes adduxerit, & dum oportuerit, eorum testimonium debere recipi, pars altera de judicio se absque judicis consultu subtraxerit, liceat judici prolatos testes accipere; & quod ipsi testimonio suo firmaverint, illi, qui eos protulit, sua instantia consignare. Nam ei, qui fraudulenter se de judicio sustulit, producere testem alium omnino erit illicitum: qui scilicet hoc sibi tantum noverit esse concessum, ut antequam testes illi, qui testimonium dederunt, moriantur, si habuerit quod rationabiliter in eis accuset, patienter audiatur a judice. Et si accusatus testis fuerit evidenter convictus, ejus testimonium pro nihilo habeatur. Unde & si duo testes non remanserint, qui digni in eodem testimonio maneant, ille qui prius testem obtulerat, infra trium mensium spatium testes alios, qui cœptum negotium firment, inquirere non desistat. Quod si invenire nequiverit, rem universam ille recipiat, qui eam ante visus fuerat possedisse. Judex sane de omnibus caussis, quas judicaverit, exemplar penes se pro compescendis controversiis reservare curabit.

XXV. NOVT. EM. FLS. GL. CNDS. REX.

De commodis atque dampnis judicis vel sajonis.

Cognovimus multos judices, eo quod per cupiditatis occasionem supergredientes legum ordinem, ex caussis tertiam sibi præsumunt tollere partem: propterea nunc præsenti lege constituitur, ut hæc talis judicum cupiditas auferatur, & non amplius judex pro labore suo, & pro judicata caussa ac legitime deliberata, quam sicut constitutum fuerat in lege priori, de XX. solidis vigesimum solidum præsumat accipere. Quod si quacunque fraude quisquam super hunc numerum plus auferre temptaverit, omnia quæ legitime debuerat accipere, perdat. Illud vero quod injuste contra hujus legis ordinem super vigesimum solidum tulerit, duplum illi exsolvat, cui hoc auferri præcipit. Similiter quoque quia cognovimus, quod sajones qui pro caussis alienis vadunt, majores pro labore suo mercedes, quam merentur, accipiunt, propterea simili modo decreto hujus legis adjicitur, ut qui pro caussis alienis vadunt, decimum tantundem solidum, pro suo labore conquirant. Quod si aliquis super hunc constitutum numerum usurpare præsumpserit, & mercedes, quas legitime debuit accipere, perdat, & quidquid super decimum solidum fraude quacunque perceperit, duplum illi, cui abstulit, reddat. Quam datam commodi summam

[1] Sacramenta.

mam ex lege tam judex quam ſajo de reſtitutæ rei compoſitione conquirant. Id tamen noviter adjiciendum huic legi innectimus, ut ſi talis cauſſa occurrerit, unde compoſitio exſolvi minime poſſit, tunc ab illo ratio præſcripta commodi exigenda eſt judicis vel ſajonis, qui aut commodatam ſibi rem conſtituto die reddere non occurrerit, aut qui rei alienæ debitor, vel injuſtus poſſeſſor extiterit. Pro celebrandis autem diviſionibus, ſi cauſſa extiterit, jam quoque ſi utraque pars rei competentia ſibi jura repoſcit, & debitam ſibi partem portionis requirit, ab utriſque partibus prædicta commoda exigenda ſunt. Similiter autem & in hujuſmodi cauſſis, ubi nulla eſt culpa præſumptionis uſurpata, vel debitum poſſeſſorum, hic ordo ſervabitur, ut commodum judicis vel ſajonis, de utriſque cauſſantium partibus exigatur. Quod ſi diviſionem quiſque cupiens celebrare, dilationem ab herede ſuo pertulerit: cum hæc cauſſa ab eo, qui dilationem pertulit, judici intimata extiterit, ab eo judex commodum ſuum, vel ſajonis exigere debet, qui tardus pro ipſa diviſione extitit facienda. Quod ſi ea quæ judex ordinare decrevit, ſajo callidus [1] implere neglexerit, res de qua agitur, ſi unciam auri vel infra valere conſtiterit, illi cui res debita eſt idem ſajo de ſuo auri ſolidum reddat. Si certe plus valuerit, per ſingulas uncias, ſingulos ſolidos pro ſua tarditate perſolvat. Idem vero ſi ſuper duas uncias uſque ad libram auri eadem res valere probatur, x. flagella ſuſcipiat. Ac ſic creſcente auri numero, creſcat & pœna flagelli. Iidem vero ſajones, cum pro cauſſis alienis vadunt, ſi minor cauſſa eſt & perſona, duos caballos tantum, ab eo cujus cauſſa eſt, accipiat fatigandos. Si vero major perſona fuerit & cauſſa, non amplius quam ſex caballos & pro itinere & pro dignitate debebit accipere.

XXVI. FLS. GLS. CHDS. REX.

Quod omnis, qui poteſtatem accipit judicandi, judicis nomine cenſeatur ex lege.

Quoniam negotiorum remedia multimodæ diverſitatis compendio gaudent, ideo Dux, Comes, Vicarius, pacis aſſertor, tyuphadus, millenarius, quingentenarius, centenarius, decanus, defenſor, numerarius, & qui ex regia juſſione, aut etiam ex conſenſu partium, judices in negotiis eliguntur, ſive cujuſcunque ordinis omnino perſona, cui debite judicare conceditur, ita omnes in quantum judicandi poteſtatem acceperint, judicis nomine cenſeantur ex lege: ut ſicut judicii acceperint jura, ita & legum ſuſtineant ſive commoda ſive dampna.

XXVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ut omne vinculum, quod poſt datum injuſtum judicium a cauſidicis violenter fuerit exactum, omnino habeatur invalidum.

Vidimus interdum juſtitiam ab iniquis judicibus & ſuo loco ſecluſam, & debito vigore ſolutam: injuſtitiam autem & loco juſtitiæ introductam, & multis modis decretorum vinculis alligatam. Quidam enim poſtquam judicia injuſta conſcripſerint, aut unam aut ambas cauſſantium partes, placitorum inter ſe nexibus ligant, ne injuſte datum judicium quandoque juſta contentione reſolvant. Adeo ubi non directus, & bene placitus eſt convenientiæ modus, ſed ubi pro comprimenda juſte cauſſantis intentione vel voce reperiuntur quocunque modo definitionum vincula conligata, omnibus modis habeantur invalida, nec ſint adinventionis alicujus connexione firmata.

XXVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ut injuſtum judicium & definitio injuſta regio metu vel juſſu a judicibus ordinata non valeat.

Nonnunquam gravedo poteſtatis depravare ſolet juſtitiam ſanctionis: quæ dum ſæpe valet, certum eſt, quod ſæpe nocet. Quia dum frequenter vigore ponderis juſtitiam premit, nunquam in ſtatum ſuæ rectitudinis hanc redire permittit. Ideoque quia ſæpe Principum metu vel juſſu, ſolent judices juſtitiæ interdum legibus contraria judicare; propter hoc tranquillitatis noſtræ uno medicamine concedimus, duo mala ſanare decernentes, ut cum repertum fuerit, qualemcunque ſcripturæ contractum, ſeu quodcunque judicium non juſte, vel debitis legibus, ſed juſſu aut metu Principum eſſe confectum, & hoc, quod obvium juſtitiæ, & legibus judicatum eſt atque concretum, in nihilum redeat, & eos qui judicaverint, vel hoc facere coegerint, nullius infamiæ nota conſpergat, vel rei alicujus dampnum affligat. Qui tamen judices tunc erunt a legum dampnis immunes, ſi ſe juramento firmaverint, non ſua pravitate, ſed regio vigore nequiter judicaſſe.

XXIX. FLS. RCDS. REX.

De data Epiſcopis poteſtate diſtringendi judices nequiter judicantes.

Quia (1) multimode occurrere debet miſerorum penuriis noſtræ remedium pietatis: ideo quemcunque pauperem conſtiterit cauſſam habere, adjunctis ſibi aliis viris honeſtis, Epiſcopus inter eos negotium diſcutere vel

1 Sajo tepidus.

(1) Lex XXIX. deeſt in Hiſpanico.

vel terminare procuret. Ita ut si contempni se a Comite, vel nolle eum adquiescere veritati sacerdos inspexerit, potestatis ejus sit eumdem Comitem legis hujus permissione constringere, & emisso justo judicio cum rei compositione rem de qua agitur petentibus partibus consignare. Quod si Comes judicium Episcopi fuerit contemptus implere, tantum Episcopo pro contemptu solo dare cogatur, quantum quintam partem valere constiterit, de re illa unde actio commota esse videtur. Si vero Episcopus, fraudis communionem cum Comite tenens, repertus fuerit pauperi facere dilationem, eandem quintam partem eidem Episcopus querelanti coactus exsolvat: stante nihilominus sic quoque negotio pauperum, donec judicium inveniatur veritatis: & Comes vel judex qui hunc audire noluit, ultionem sustineat legis, quæ inventa fuerit judicio æquitatis.

XXX. ITEM ALIA LEX. DE QUO SUPRA.

De data Episcopis potestate ammonendi judices nequiter judicantes.

Sacerdotes Dei, quibus pro remediis oppressorum vel pauperum divinitus cura commissa est, Deo mediante testamur, ut judices perversis judiciis populos opprimentes paterna pietate commoneant, quo male judicata meliori debeant emendare sententia. Quod si hi qui judiciaria potestate funguntur, aut injuste judicaverint caussam, aut perversam voluerint in quoslibet ferre sententiam: tunc Episcopus in cujus hoc territorio agitur, convocato judice ipso qui injustus asseritur, atque sacerdotibus, vel idoneis aliis viris, negotium ipsum una cum judice, communi sententia, justissime terminabit. Quod si perversa contentione judex ipse permotus iniquum a se datum judicium exhortante Episcopo noluerit reformare in melius, tunc Episcopo ipsi licitum erit judicium de oppressi caussa emittere. Ita ut quod a judice ipso perverse judicatum, quodve a se correctum extiterit, in speciali formula judicii sui debeat adnotare. Sicque idem Episcopus, & eum qui opprimitur, & emissum a se de oppressi caussa judicium, nostris procuret dirigere sensibus pertractandum: ut quæ pars veritatis videatur habere statum, glorioso serenitatis nostræ oraculo confirmetur. Jam vero si judex eum, qui male opprimitur, Episcopo dare distulerit, quomodo nostræ gloriæ debeat præsentari, judex ipse duas auri libras nostræ gloriæ partibus persolvebit.

XXXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ut judex, si a quocunque fuerit pulsatus, noverit se petenti reddere rationem.

Judex si a quacunque persona fuerit pulsatus, sciat se vel ante Comitem civitatis, vel ante eos, quos ad suam personam Comes elegerit, rationem plenissimam legali ordine redditurum. Sane si regia in hoc negotio fuerit præstolata [1] præceptio, remoto Episcopo aliisque judicibus, caussam qui fuerint judices instituti terminare curabunt. Et si cœpta jam apud judicem aut finita, seu apud sacerdotem, sive apud Comitem actione, causidicus ille iterum cum regali jussione occurrerit, is qui caussam judicare cœpit seu finivit, illis rei gestæ redditurus est rationem, qui per regium decretum instituti sunt judices: quatenus, si male judicasse convincitur, juxta leges satisfaciat petitori. Certe si injuste fuerit advexatus, legali se noverit petitor sententia dampnaturum.

XXXII. FLS. RCDS. REX.

De dampnis judicum aliena contingentium.

Cum constet judices caussa remediorum esse creatos, quidam ex his per contrarium quod debuerunt judicii æquitate defendere, illatis contendunt præsumptionibus impugnare. Accepta namque auctoritate judicii, præsumunt non debitam in alienis rebus exercere licentiam, & prout cuique libet non metuunt aliorum bonis inferre dispendia noxiæ potestatis. Proinde quicunque judicum contra jussa & ordines legum de alienis rebus quippiam auferre, vel in eis aliquid noxium præsumpserint agere, juxta omnem censuram dampni, qua poterant alios judicare, severitas legis illos debeat condempnare.

XXXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui regiam contempserint jussionem.

Quicunque ingenuorum regiam jussionem contempnere invenitur, aut taliter se egisse probatur, quo sub calliditatis aliqua fictione proponat & dicat eandem jussionem se nec vidisse nec accepisse, dum calliditatis hujus fraus manifeste patuerit: si nobilior persona est, tres libras auri fisco persolvat. Si autem talis sit quæ non habeat unde rei summam adimpleat, sine suæ infamia dignitatis centum ictus accipiat flagellorum. Quod si eventus ægritudinis, commotio tempestatis, inundatio fluminis, conspersio nivium, vel si quid inevitabile noxiæ rei obviasse veris patuerit indiciis, non erit reus regiæ jussionis, aut dampni indicti, cui obvia fuit caussa manifestæ necessitatis.

XXXIV. FLS. GLS. EGIGA REX.

De his qui ob novi Principis fidem servandam jurare distulerint, vel de illis qui ex Palatino officio ad ejus præsentiam venire neglexerint.

Cum divinæ voluntatis (1) imperio principale caput regnandi sumat sceptrum, non le-

[1] *Postulata.*

(1) *Cum divinæ voluntatis &c.*) Colligis ex hac lege, ut Palatini cæterique ingenui Gothici Regni novo Regi sponderent fidelitatem. Cæterum & hæc lex deest in Hispanico.

levi quisque culpa constringitur, si in ipso suæ electionis primordio aut jurasse, ut moris est, pro fide regia differat; aut si ex Palatino officio fuerit, ad ejusdem novi Principis visurus præsentiam venire desistat. Si quis sane ingenuorum de sublimatione principali cognoverit, & dum discussor juramenti in territorio illo accesserit, ubi eum habitare contigerit, quæsita occasione se fraudulenter distulerit, in eo ut pro fide regia conservanda juramenti se vinculo alliget: aut ille, qui sicut præmisimus ex ordine Palatino fuerit, minime Regis obtutibus se præsentandum ingesserit: quicquid de eo, vel de omnibus rebus suis principalis auctoritas facere vel judicare voluerit, sui sit incunctanter arbitrii. Quod si aut ægritudo illi obstiterit, aut quælibet publicæ utilitatis actio eum retinuerit, ut Regis obtutibus se nullatenus præsentet, dum regiæ electionis sublimitas quibuslibet modis ad ejus cognitionem pervenerit, statim per suam jussionem idipsum clementiæ suæ auditibus intimare procuret: qualiter fidei suæ sinceritatem ostendens, hujus legis sententiam evadere possit.

TITULUS II. De Caussarum Exordiis.

I. ANTIQUA.

Quod nullus se ideo denegare poterit respondere petenti, quare caussam cum petentis auctore non dixerit.

Nullus quemcumque repetentem hac objectione suspendat: ut dicat idcirco se non posse de negotio convenire, quia ille qui pulsat, caussam cum ejus auctore non dixerit, nec eum aliqua repetitione pulsaverit, excepto si legum tempora obviare monstraverit.

II. FLS. RCDS. REX.

Ut nulla audientia clamore aut tumultu turbetur.

Audientia non tumultu aut clamore turbetur, sed in parte positis qui caussam non habent, illi soli judicium ingrediantur, quos constat interesse debere. Judex autem si elegerit auditores alios secum esse præsentes, aut forte caussam, quæ proponitur, cum eis conferre voluerit, suæ sit potestatis. Si certe noluerit, nullus se in audientiam ingerat, partem alterius quacunque superfluitate aut objectu impugnaturus, qualiter uni parti nutriri possit impedimentum. Quod si ammonitus quisquam a judice fuerit, ut in caussa taceat, ac præstare caussando patrocininm non præsumat, & ausus ultra fuerit parti cujuslibet patrocinari, decem auri solidos eidem judici profuturos coactus exsolvat. Ipse vero in nullo resultans contumeliose de judicio projectus abscedat.

III.

Ut de plurimis litigatoribus duo eligantur, qui suscepta valeant expedire negotia.

Si pars adversariorum litigatores una plures habeat, & alia pauciores: judicantis inter eos erit electio, ut utræque partes impugnantes se invicem eligant, qui eorum negotia suscipiant: quia omnes ad caussam dicendam consurgere non debebunt. Sed ut diximus ab utraque parte electi in judicio ingrediantur, ut nulla pars multorum intentione aut clamore turbetur.

IV. FLS. GLS. CHDS. REX.

Ut ambæ partes caussantium a judice vel sajone placito distringantur, quo possint ad prosequendum negotium pariter convenire.

Sæpe negligentia judicum vel sajonum, dum duarum partium sponsio non exigitur, una pars superflue convexatur. Nam occurrente uno ad placitum & alio differente, non parvum dispendium uni parti concutitur. Statuimus ergo, cunctosque judices, vel quibuscunque judicandi potestas est, commonemus: ut quotiens pro quocunque negotio per sponsionem placiti constituendum est tempus, quando, aut ubi caussa dicatur, vel debitum fortasse reddatur, pars utraque, hoc est, tam petentis quam petiti, ita placito distringatur, ut in constituto die, aut per se, aut per mandatorios suos, præsti sint in judicio, qualiter aut propositum negotium finiatur, aut debitum reformetur. Et pars quæ distulerit, ac sese a præfinito die suspenderit, aut si infirmitas eum vel itineris necessitas impedierit, & hoc ipsum suo judici aut causidico suo non intimaverit, neque ad peragendum negotium infra tempus alia lege constitutum occurrerit, stante negotio pœnam placiti sui illi cogatur exsolvere, quem juxta suam promissionem in judicio adesse constiterit. Quod si judex hæc aut sajo implere distulerit, & unam partem placito distringens alteram prætermiserit, pœnam illam qua illum dampnare voluit, quem solum sub placito misit, de suo illi adimpleat, cui placitum visus est exegisse. Certe si in dampno partis alterius, placitum quod ab altero exegit, alteri parti judex vel sajo reddiderit, aut fortasse ruperit, vel absconderit, pœnam quidem, quæ in placito inserta fuerat, de suo illi persolvat, pro cujus caussa conscriptum placitum esse constabat: actionem tamen ille, cui competit, ad peragendam insistat. Dampnum sane quod per placitum in nomine judicis aut sajonis institutum esse dinoscitur, non ad sajonem vel ad judicem ex omnibus pertinebit, sed salvo negotio veritatem habentis, medietatem sibi judex & sajo, & medietatem pars petentis per omnia vindicabit.

V. FLS. CHDS. REX.

Quod ab utraque caussantium parte sit probatio requirenda.

Quotiens caussa auditur, probatio quidem ab utraque parte, hoc est, tam a petente, quam ab eo qui petitur, debet inquiri, & quæ magis recipi debeat, judicem discernere competenter oportet. Tamen si per probationem rei veritas investigari nequiverit, tunc ille qui pulsatur, sacramentis se expiet, rem vel si quid ab eo requiritur, neque habuisse, neque habere, neque aliqua de caussa unde interrogatur se conscium esse, vel quicquam inde veritatis scire, nec id quod dicitur, & illi parti cui dicitur commisisse. Et postquam ita juraverit qui pulsatus est, quinque solidos ille qui pulsavit cogatur exsolvere.

VI. FLS. CHDS. REX.

De quantitate itineris quo alium quisque innocentem fatigare præsumpserit.

Removeri debet injuria ab his, quorum probatur innocentia, & a molestiis improborum existere aliena. Proinde cum quisque alium ad Principis conspectum, vel ad discussionem quorumlibet judicum, injuste compulerit ad prosequendum negotium, & mox probata fuerit non justa petentis esse contentio: si supra quinquaginta millium, vel infra quinquaginta millium, quamlibet parvum spatium compulsus injuste extiterit convexatus, quinque solidos pro injusta tantundem petitione a petitore percipiat. Si per sexaginta millia, idem injustus petitor VI. solidos reddat. Ac sic deinceps crescente X. millium numero, singulorum solidorum crescat & numerus: ut per C. millia indebite fatigato X. solidi a petitore dentur injusto. Sicque ex hoc per quinquaginta millia solidos V. & per C. millia crescentibus solidis X. usque adeo perveniat summa compositionis per quinquaginta millia, usquequo pervenerit eductus itineris.

VII. FLS. CHDS. REX.

Si quislibet ex alterius judicis potestate, in alterius judicis territorio habeat caussam.

Si quisquam ingenuorum atque servorum extra territorium, in quo commanet, in alterius territorio judicis caussationem habuerit: judex ad cujus ordinationem idem petitor pertinet, epistolam sua manu subscriptam atque signatam eidem judici dirigat, in qua præmoneat, ut negotium querelantis audire & ordinare non differat. Et si ad unam conventionem ipse rationem ejus implere distulerit, tunc ille judex, de cujus territorio est ille qui petit, de rebus judicis illius, ad quem direxit epistolam, in quibuscunque locis reperire potuerit, tantum usurpet, quantum res illa esse dinoscetur, de qua petitor querelam intulerit: quod eidem petitori possidendum nihilominus dabit. Quam rem ita possideat qui acceperit, ut conservatis aliis rebus de solis frugibus usum & expensas obtineat. Cum vero ille judex, qui ad epistolam alterius judicis negotium querelantis audire noluerit, justitiam ex eodem negotio querelanti priori fecerit, ea quæ ille judex qui commonuit de rebus ejus abstulerat, ipse alteri judici sine retardatione restituat. De frugibus vero rationabiliter expensis, ille qui expendit nihilominus reddat. Quod si postea, justissime discusso negotio, inveniatur judex ille per injustam petitoris querelam rem indebite amisisse, tunc injustus petitor, rem quam accepit, illi judici cujus fuit, ex integro reddat, & aliud tantum de suo ei coactus exsolvat. Quod si judex ille qui dilationem fecit, rerum suarum possibilitatem in vicino non habet, unde alter judex qui commonuit, petitori repenset; tunc de territorio ejusdem judicis differentis, cujuscunque rei tantum auferat, quantum petenti consignet, aut certe obsignatam petitori faciat cessionem, in qua pigneris quantitatem adnotet, per quam petitor præsumendi sibi habeat potestatem. Dum vero ille qui pigneratus extiterit, Regi, Duci vel Comiti, pro tali fuerit pignere querelatus, eadem pigneris dampna, quæ idem suggerens pertulit, in quadruplum ei de suo judex ipse dilationis coactus restituat. Quod si de rebus debitoris petitor pignus abstulerit, ad superiorem satisfactionem judex teneri non poterit. Certe si idem judex ammonitus absque dilatione caussam audierit petitoris, in qua eum proveniat habere nullatenus veritatem, judicium per quod ejus injustitia patuit, evidentibus scripturis emittat. De cujus textu exemplar fideliter translatum, suaque manu subscriptum atque signatum judici, a quo ammonitus fuerat, dirigere non moretur. Et si post hoc æquitatis judicium patuerit præsumptio pignerantis, ingenuus siquidem ea quæ caussa pigneris abstulerit, duplam idem amissam rem, cum simili re in satisfactione restituat. Servus autem qui talia commisisse detegitur, C. ictus accipiat flagellorum, atque turpiter decalvatus in integrum mox reformet rem, quam caussa pigneris occupavit. Illi vero qui ad pignerandum convenerint, si servi sint, & sua sponte concurrerint, centenis & ipsi verberentur flagellis. Si vero ingenui, aliud tantum domino restituant, quantum ei abstulisse probantur, sequestrata illius compositione, qui pignus indebite fecisse convincitur.

VIII. ANTIQUA.

De his qui in caussis alienis patrocinare præsumunt.

Quicunque habens caussam ad majorem perso-

ſonam ſe propterea contulerit, ut in judicio per illius patrocinium adverſarium ſuum poſſit opprimere, ipſam cauſſam de qua agitur, etſi juſta fuerit, quaſi victus perdat: liceat judici, mox ut viderit quemcunque potentem in cauſſa cujuslibet patrocinare, de judicio eum abjicere. Quod ſi potens contempſerit judicem, & proterve reſiſtens de judicio egredi vel locum dare judicanti noluerit, poteſtatem habeat judex, ab ipſo potente duas auri libras, unam ſibi, alteram parti ejus, cui potens ipſe adverſarius extitit, profuturas exigere, & hunc cum injuria violenta a judicio propulſare. Reliqui vero ingenui ſive ſervi, qui ammoniti a judice abſcedere de judicio non conſenſerint, ſinguli publice extendantur, & quinquagenis flagellorum ictibus verberentur.

IX. FLS. CHDS. REX.

Ut petenti ſervo alieno reſpondere ingenuus non recuſet.

Superflue excuſantem lex ideo corripit, ut omnis præſumptio coerceri facillime poſſit. Nonnulli enim ingenui ſervos alienos ludere prompti ſunt, & ad ſervi petitionem judicio adeſſe contempnunt, aſſerentes ſe utique cum eo cauſſam dicere non debere, a quo eis componi non poterit, ſi victores extiterint. Sed ne ſub hac dilatione, dum etiam ſervi dominus ſupra quinquaginta milliaria abſens eſt, aut utilitati domini ſui fiat impedimentum, aut ipſe ſervus indebite perferat fortaſſe periculum: ita conſultiſſime decernendum eligimus, ut nulli penitus audientia denegetur. Sed ſi cujuſcunque ſervus cum quolibet ſe aſſeruerit ſeu ſuum, ſive domini ſui, vel dominæ habere negotium, ſtatim ille contra quem habet, præſtus eſſe ad judicium compellatur, aut petenti procul dubio reſponſurus, aut compoſitionis ſummam legaliter impleturus, ſi a ſervo fuerit juſtiſſime ſuperatus. Ita ut ſi ſervus quod proponit, convincere non potuerit, ingenuus idem conſcientiam ſuam expiet ſacramentis, ſe nihil horum unde appellatur, ſcire vel habere, neque feciſſe vel fieri præcepiſſe. Et poſt tale ſacramentum, ſervus pro injuſta petitione, ſicut & ingenuus, componere non moretur. Nec tamen pro eadem compoſitione ultra reſultet dominus ejus: tantum ut ſi minor eſt actio, quam decem ſolidi poſſunt valere, ſervus compoſitionis medietatem, hoc eſt, duos ſemis ſolidos cogatur exſolvere. Quod ſi infra L. milliaria ſervi dominum eſſe conſtiterit, non aliter ſervus ingenuum petere poterit, niſi forte per ſe dominus ejus in judicio adeſſe non poſſit, & ad proponendum a ſervo negotium, epiſtolam manu ſua ſubſcriptam per eundem ſervum judici deſtinaverit. Quod ſi ſervus domini ſui proponens negotium, aut fraude aut negligentia, domini ſui vitiaverit vel perdiderit cauſſam, liceat domino ejus, eandem vitiatam cauſſam aut per ſe, aut per legitimum mandatarium ſuum revolvere, & juſtiſſimis iterum vocibus partis ſuæ negotium reparare.

X. FLS. GLS. EGIGA. REX.

De his qui negotia ſua juris principalis appetunt examine finienda, & poſtea renuentes inter ſe citra principale judicium ad convenientiam redeunt, & pacificare præſumunt.

Si cœpta cauſſantium negotia dirimentis non terminet diſcreta cenſura, non ſolum difficile ſedantur altercantium jurgia, ſed a diverſis cauſſatur objectibus juſtitia perquiſita. Solent enim plerique, poſtquam ſuarum intentionum jurgia principali appetunt examine finienda, quandoque reſoluti licentia, legalem fugiendo cenſuram, ad convenientiæ finem deducere, quam Regis auditibus protulerant cauſſam. Ne ergo ſub fraudis hujus ſacramento pars cauſſantium judicialem fori æquitatem effugiat, ideo præſentis legis ſanctione decernimus, ut quicunque deinceps cauſſam ſuam regio intimaverit culmini decernendam, nulla ratione ſe de judicio ſubmoveat; nec quamlibet cum ſuo adverſario convenientiam agat; ſed tamdiu cœpti negotii propoſitionem intendat, donec regalis clementia ſpeciale partibus judicium promat. Quod ſi inchoatum negotium coram Principe, vel quos idem Princeps arbitrio ſuo elegerit, expedire neglexerit, & quamcunque cum ſuo cauſidico definitionem peregerit, tam petitor quam pulſatus tantum regiæ poteſtati perſolvere ſe noverint, quantum ille cujus petitio extiterit, pro cauſſa ipſa conquirere poterat: ita videlicet, ut quod regia poteſtas exinde facere vel judicare decreverit, in arbitrio voluntatis ſuæ ſubjaceat. Simili quoque dampno & illi mulctandi ſunt, qui jurgia intentionum ſuarum judiciali appetunt examine finienda, & poſt cauſſæ initium renuentes judicium de inchoato præſumpſerint inter ſe depactire negotio. Sic quoque ut tam judex quam ſajo dampni ipſius exſolutionem inter ſe dividere debeant, ſuoque juri habituram obtineant. Quod ſi ipſi cauſſidici non habuerint unde dampnum ipſum perſolvant, centenos ictus flagellorum utrique accipiant. Et ſic denuo judex ille cauſſam ipſam terminandi licentiam habeat. Illos tantundem a legis hujus jactura indempnes efficiant, quibus aut regia juſſio licentiam deliberationis indulſerit, aut quos judex ille qui cauſſam terminat, inter ſe pacificandos abſolverit.

TITULUS III. De Mandatoribus & Mandatis.

I. FLS. RCDS. REX.

Quod Principum & Epiſcoporum negotia non per eos, ſed per ſuos ſint agenda.

MAgnorum culminum excellentiam, quanto negotiis rerum dare judicium

decet, tanto negotiorum moleſtiis ſeſe implicare non debet. Si ergo Principem vel Epiſcopum cum aliquibus conſtiterit habere negotium, ipſi pro ſuis perſonis eligant, quibus negotia ſua dicenda committant: quia tantis culminibus videri poterit contumelia irrogari, ſi contra eos vilior perſona in contradictione cauſſæ videatur aſſiſtere. Ceterum & ſi Rex voluerit de re qualibet propoſitionem aſſumere, quis erit qui ei audeat ullatenus reſultare? Itaque ne magnitudo culminis ejus evacuet veritatem, non per ſe, ſed per ſubditos agat negotium actionis.

II. RCDS. REX.

Ut judex primum a litigatore perquirat, utrum propria an aliena ſit cauſſa prolata.

Judex primum a litigatore perquirat, utrum propriam cauſſam dicat, an alienam fortaſſe ſuſceperit. Interrogetur etiam cujus mandatum habeat. Et poſtquam cauſſam judicaverit judex, comprehendat in judicio, quem aut ex cujus mandato audierit negotium proſequentem, ac præterea mandati exemplar accipiat illius aſſertoris apud ſe, cum judicati exemplaribus reſervandum. Liceat tamen illi qui pulſatus eſt, mandatum a petitore coram judice petere: ut quam ob cauſſam fuerit judicio præſentatus, vel quid tenor mandati contineat, indubitanter poſſit agnoſcere.

III. ANTIQUA.

Ut qui per ſe cauſſam non dicit, ſcriptis aſſertorem informet.

Si quis per ſe cauſſam dicere non potuerit, aut forte noluerit, aſſertorem (1) per ſcripturam ſuæ manus, vel teſtium ſignis aut ſubſcriptionibus roboratam, dare debebit. Ita ut ſi iſdem aſſertor aliquod conludium[1] fecerit, qualiter ab adverſario ſuo poſſit in judicio ſuperari, aliud tantum de facultate ſua mandatori reſtituat, quantum de rebus ejus perdidit aut evertit, vel etiam quæ ipſe mandator obtinere ſeu adquirere debuit. Servo tamen non licebit per mandatum cauſſas quorumlibet ſuſcipere, niſi tantum domini vel dominæ ſuæ, eccleſiarum quoque vel pauperum, ſive etiam negotiorum fiſcalium. (2)

IV. FLS. GLS. CHDS. REX.

Ut in perſonis nobilibus quæſtio per mandatum nullatenus agitetur; & qualiter humilior ingenuus ſive ſervus per mandatum quæſtioni ſubdatur.

Quæſtionem in perſonis nobilibus nullatenus per mandatum patimur agitari. Ingenuam vero & pauperem perſonam, atque in crimine jam ante repertam, non aliter ex mandato, ſubdendam quæſtioni permittimus, quam ut mandator de eadem perſona, non ſervo ſed ingenuo, per mandatum manu ſua ſubſcriptum, vel trium teſtium adnotatione firmatum, ſpecialiter committat agendum. Et ſi fortaſſe innocentem fecerit tormentis affligi, ſciat ſe idem mandator, cenſura illius legis noxium retineri, quæ continetur in Lib. VI. Tit. I. era ſecunda (3), ubi præcipitur, pro quibus & qualibus rebus ingenuorum perſonæ ſubdendæ ſint quæſtioni. Reliquas autem criminales cauſſas ita per mandatum liceat committendas, ut, ſicut prædictum eſt, contra perſonam ingenuam, ingenuo aſſertori quæſtionis actio committatur. Servum vero per mandatum ſubdere quæſtioni, tam ingenuo quam ſervo jure conceditur, hac videlicet conſtitutione ſervata: ut ſi tormenta vel dampna innocentibus fuerint irrogata, ad omnem ſatisfactionem mandator judicis compellatur inſtantia. Nec dimittendus eſt tam is qui mandatum accepit, donec aut mandator ſit coram judice præſtus, aut ſatisfactionem adimpleat legum. Et tamen qui quæſtionem ex mandato agitaturus eſt, ante ſe vel ut proprii juris dominus, per placiti vinculum a judice noverit obligandum.

V. ANTIQUA.

Ut ſi dilationem in cauſſa patitur, qui mandatum fecit, liceat ei immutare mandatum.

Qui cauſſam alicujus ex mandato ſuſceperit, ut negotium peragatur inſiſtat. Quod ſi protrahit tempus, & cauſſa quæ forſitan celerius

[1] *Colluvium.*

(1) *Aſſertorem.*) Qui ergo cauſſam per ſe dicere nolebat, patronum poterat ſubſtituere. In quo (ſicut & in aliis quampluribus Legis Gothicæ partibus) a vetere inſtituto receſſum eſt. Loccenius Antiq. Sveogothicarum lib. II. cap. IV. de ſequioribus quoque ævis verba faciens; *Priſci*, ait, *vel numquam vel raro advocatis & procuratoribus uſi ſunt, ſed ipſi litigantes, prout potuere, cauſſam ſuam egerunt.* Hos & antiquis Germanis exoſos extitiſſe exinde innuitur, quod in Variana clade maxime in cauſſarum patronos ſævitum ſit, prout colligimus ex Floro lib. IV. cap. 17. hæc ſcribente: *Nihil inſultatione Barbarorum intolerabilius; præcipue tamen in cauſſarum patronos. Aliis oculos eruerunt; aliis manus amputarunt; unius os ſuerunt, reciſa prius lingua, quam in manu tenens Barbarus*, Tandem, *inquit*, vipera ſibilare deſiſte.

(2) Villadiego hic affert legem, ſeu legis complementum hiſce verbis: *Otroſi dezimos, que todo ſiervo de Emperador o de Rey, puede fazer demanda in juyzio ſobre coſa que pertenecieſſe a ſu ſeñor, o por razon de ſu perſona miſma; e eſta mayoria fue otorgada a tales ſiervos como eſtos, por honra de los ſeñores cuyos ſon.*

(3) *Era ſecunda.*) Alluditur ad legem 2. Tituli I. Libri VI. *Era* hic eſt numerus, ſectio, caput. Conſule inter cætera formulam Baluzianam XVI. Volumine III. Collectionis noſtræ, ubi legitur: *Theodoſiano nono in ira prima*; hoc eſt Titulo I. Lege 9. Codicis Theodoſiani, *De accuſat. & inſcript.* Credo hanc eſſe vocem Latino-Barbaram derivatam ab *Ar*, principium. V. Wachter. Gloſſar. V. *Ar.*

lerius poterat expediri, aut occasionibus superfluis, aut fraudulenta dilatione suspenditur, mandator recurrat ad judicem: & qui mandatum acceperat, si maliciæ alicujus, aut cupiditatis vel negligentiæ vitio, adversario præsente vel judice, susceptum negotium ultra x. dies absque præcepto judicis dilataverit, is qui mandaverat, aut per se proponere, aut alicui quem elegerit suam liceat committere actionem.

VI. ANTIQUA.

Ne caussam suscipiat femina per mandatum; liceat vero ei ut propria exsequatur negotia.

Femina per mandatum caussam non suscipiat, sed suum proprium negotium in judicio proponere non vetetur. Maritus sane non sine mandato caussam dicat uxoris, aut certe ante judicem, seu alios quos judex elegerit, se tali obliget vinculo cautionis, quo uxor negotium ejus non revolvat: & si revolverit, dampnum quod cautio demonstrat, maritus excipiat, qui sine mandato caussam dicere præsumpsit uxoris. Quod si maritus caussam quam sine mandato conjugis suæ prosequebatur, amiserit, uxor nullum præjudicium pertimescat: sed aut per se negotium prosequatur, aut cui voluerit, ea quæ ipsi competunt prosequenda commendet. Ita ut si marito per judicium juste superato, denuo ad caussam dicendam adversarium illum, qui victor extiterat, pars mulieris crediderit convexandum, atque in judicio secundo patuerit, eandem ejus maritum non indebite victum fuisse: noverit eadem mulier non solum se judici, qui caussam prius examinavit, sed & illi caussidico, quem iteratim ad judicium compulit, juxta legis sententiam esse satisfacturam.

VII. ANTIQUA.

Ut sicut lucrum, ita & dampnum revertatur ad mandatorem: de commodis etiam mandatum accipientis.

Sicut lucrum ita & dampnum, juxta conditionem mandati, ad eum qui caussam mandaverit revertatur. Ita ut qui caussam ex mandato dixerit, & fideliter ut negotium peragatur, institerit, ab eo mandator nec mandatum repetat, nec ipsam postea ad alium transferat actionem. Quia injustum valde est, ut mercedem sui laboris amittat, qui pro suscepta caussa fideliter elaborasse cognoscitur. Ita ut is qui negotium prosequuturus est, ante caussæ principium cum mandatore definiat, quantum pro commodo sui laboris finito negotio ab eo sit accepturus. Quod si receptam rem prosequutor infra tres menses reddere neglexerit mandatori, quicquid de eadem caussa pro quacunque definitione consequi potuit, perdat, & mandator judicis instantia rem sibi competentem accipiat.

VIII. ANTIQUA.

Ut si mortuus fuerit is qui mandatum accepit, commodum illi debitum heredes ejus accipiant.

Qui mandatum fecit, si mortuus fuerit antequam caussa dicatur, mandatum quod fecerat, non valeat: & qui mandatum suscepit, si antequam caussa dicatur fuerit morte præventus, mandatum nullam habeat firmitatem. Quod si antequam moreretur, caussam dixisse dinoscitur, atque per suam instantiam ad fines usque legitimos perduxisse, & tamen quocunque casu intercedente necdum finita res aut exacta remansit: si ad hunc forte terminum fuerit caussa deducta, quo eam ille qui per mandatum secutus est jam antea acceleraverat, omne lucrum quod ipse fuerat habiturus, heredibus ejus a mandatoris partibus exsolvatur.

IX. FLS. GLS. CHDS. REX.

Qualibus personis potentes, & qualibus pauperes prosequendas actiones injungant.

Nulli liceat potentiori, quam ipse est qui committit, caussam suam ulla ratione committere, ut non æqualis sibi ejus possit potentia opprimi vel terreri. Nam etiam si potens cum paupere caussam habuerit, & per se asserere noluerit, non aliter quam æquali pauperi aut fortasse inferiori a potente poterit caussa committi. Pauper vero, si voluerit, tam potenti suam caussam debet committere, quam potens ille est, cum quo negotium videtur habere.

X. FLS. CHDS. REX.

Quod liceat his, quibus commissus est fiscus, pro re fisci quibuscunque voluerint injungere rationes.

Nullus quidem rerum fiscalium temerator debet existere. Tamen si quando quidem pro jure fisci contra quemlibet provenerit intentione moveri, ille cui commissa res est, apud Comitem civitatis vel judicem habebit licentiam legaliter negotium prosequendi. Quem si absentem a loco, ubi res agenda est, esse contigerit, vel occasio eum quæcunque suspenderit, aut etiam per se proponere fortasse noluerit, eandem utilitatis publicæ actionem per mandatum injungere prosequendam cui elegerit, sui sit indubitanter arbitrii.

TITULUS IV. De Testibus & Testimoniis.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De personis quibus testificari non liceat.

Homicidæ, malefici, fures, criminosi, sive venefici, & qui raptum fecerint, vel

vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos divinosque concurrerint, nullatenus erunt ad testimonium admittendi.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod testibus sine sacramento credi non possit, & si utraque pars proferat testem, cui debeat credi, & si vera testificari neglexerit testis.

Judex caussa finita, & sacramento secundum leges, sicut ipse ordinaverit, a testibus dato, judicium emittat; quia testes sine sacramento testimonium perhibere non possunt. Quod si ab utraque parte testimonia æqualiter proferantur, discussa prius veritate verborum, quibus magis debeat credi, judicis æstimabit electio. Certe si ammonitus quisquam a judice, de re quam novit testimonium perhibere noluerit, aut si nescire se dixerit, id ipsum etiam jurare distulerit, & per gratiam aut per venalitatem vera suppresserit: si nobilis fuerit, testimonium postea in nullo judicio dicere permittatur, nec testimonium ipsius recipiatur ulterius. Quod si licet ingenuæ, minoris tamen fuerint dignitatis personæ, & testimonio careant, & centena flagella infamati suscipiant: quia non minor reatus est vera supprimere, quam falsa confingere.

III. FLS. CHDS. REX.

De investiganda justitia, si aliud loquatur testis, aliud scriptura.

Quotiens aliud testis loquitur, quam ea scriptura continet, in qua ipse subscripsisse dinoscitur; quamvis contra scripturæ textum diversa verborum a testibus sit impugnatio, scripturæ tamen potius constat esse credendum. Quod si testes dixerint, eam quæ offertur scripturam minime roborasse; prolator ejus probare debebit, utrum ab eisdem testibus scripturam fuisse roboratam constiterit. Et si hoc ipse quibuslibet aliis documentis convincere fortasse nequiverit, experientia judicis id requirere sollerter curabit. Ita ut pro manus comprobatione testis ille qui negat, judice præsente scribat: qui etiam plus cogatur scribere, ut veritas facilius innotescat. Ubi scilicet hoc omnino quærendum est, ut scripturæ quærantur & præsententur, quas antea fecit sive subscripsit. Et si tota ista defuerint [1], tunc conditionibus editis jurare non differat, quod nequaquam illi subscriptor accesserit. Et si postea quocunque modo patuerit; pro extinguenda veritate mentitum eum fuisse, falsitatis notatus infamia, si honestior persona fuerit, quantum ille perdere potuerat, cujus parti testimonium perhibere contempsit, tantum dupla ei satisfactione compellatur exsolvere. Si certe inferior est persona, & unde duplam rem dare debeat, non habeat; & testimonium amittat, & c. flagellorum ictus extensus accipiat. In duobus autem idoneis testibus, quos prisca legum recipiendos sanxit auctoritas, non solum considerandum est, quam sint idonei genere, hoc est, indubitanter ingenui, sed etiam si sint honestate mentis perspicui, atque rerum plenitudine opulenti (1). Nam videtur esse cavendum, ne forte quisque compulsus inopia, dum necessitatem tolerat, præcipitanter perjurare non metuat.

IV. FLS. GLS. CHDS. REX.

Servo non credendum; & qualibus Regis servis debeat credi.

Servo penitus non credatur, si super aliquem crimen objecerit, aut etiam si dominum suum in crimine impetierit. Nam etsi etiam in tormentis positus exponat quod objicit, credi tamen illi nullo modo oportebit: exceptis servis nostris, qui ad hoc regalibus servitiis mancipantur, ut non immerito Palatinis officiis liberaliter honorentur: id est, stabulariorum, gillonariorum, argentariorum, coquorum quoque præpositi (2); vel si qui præter hos superiori ordine vel gradu præcedunt: quos tamen omnes & regia potestas jugiter non habet incognitos, & nullis eos esse constat pravitatibus aut criminibus implicatos. Quibus utique vera dicendi vel testificandi licentia, sicut & cæteris ingenuis, hac lege conceditur. De reliquis autem ad Palatinum servitium pertinentibus, qui-

[1] *Defecerint.*

(1) *Rerum plenitudine opulenti.*) In lege quoque Langobardica XXVII. Lotharii I. quoad caussas ibi memoratas in testimonium recipi inhibentur pauperiores personæ, hoc est, *illi qui non habent*, sed alia de caussa ab ea, quæ hic allegatur; scilicet *si convicti fuerint falsum dixisse testimonium, unde secundum legem compositionem plenam facere possint.*

(2) *Præpositi.*) Hos Italice diceremus, *Gran Scudieri, Gran Bottiglieri, Gran Tesorieri di Corte, Gran Mastri delle Cucine.* Quidam rati sunt *argentarios* hic esse eosdem ac monetarios. His favet Hispanica versio, quæ tamen tum hic, tum quoque aliis in locis non semper assequitur sensum legis. Profecto de officiis Palatinis sermo fit; & Argentarii Regis munus, docente Cangio in Glossario hac voce, in aula Regum Francorum is erat, penes quem Thesaurarii ex fisco quotannis certam pecuniæ summam deponebant ad Regiæ domus impensas. Ejus generis officium extitisse & in aula Gothorum Regum innuitur hac lege. Cæterum animadversione dignum est, ad quam illustria officia ascenderent servi fiscalini. Sed & communis sortis servos, atque libertos ad Palatina officia adspirasse colligimus ex Canone VI. Concilii Toletani XIII, quo id inhibitum fuit. Nil mirum ergo, si Tacitus Germ. cap. XXV. de libertis asserat, quod *in Gentibus, quæ regnantur . . . . & super ingenuos, & super nobiles ascendunt.*

quicunque aliquem ad testimonium crediderit advocandum, non aliter ei fides accommodabitur, nisi regiæ potestatis electio justa & honesta permiserit esse credendum, quod ille a se noverit esse testificandum.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne testes per epistolam testimonium reddant; & qualiter injungi testimonium possit.

Testes non per epistolam testimonium dicant, sed præsentes quam noverint non taceant veritatem. Nec de aliis negotiis testimonium dicant, nisi de his tantummodo, quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Certe si iidem testes, aut parentes, vel amici, sive ætate decrepiti, vel infirmitate gravati, aut in alia & longinqua provincia constituti, de re quæ ipsis est cognita testimonium aliquibus injungendum putaverint: & si non sint omnes de uno territorio, qui testimonium dicendum committunt, in eo tamen territorio, ubi ille commanet, qui plus ex his videtur idoneus, congregentur; & ante ejusdem territorii judicem, vel coram his quos judex elegerit: & mandatum faciant idoneis ingenuis quibus voluerint, & de quo illis est cognitum per conditionis seriem jurare procurent, qualiter quibus testificandi vicissitudo committitur, id indubitanter ubi necesse fuerit suo sacramento confirment, quod jurare mandatores suos justissime & evidentissime per semetipsos audierint. Aliter autem mandatum de talibus negotiis editum apud omnes judices erit semper invalidum.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui falsum testimonium dicunt.

Si quis contra alium falsum testimonium dixerit, & in mendacio inveniatur, aut si ipse certe dixerit, quod falsum testimonium dedit; si major loci persona est, det illi de propria facultate sua, contra quem falsum testimonium dixit, tantum quantum per testimonium ejus perdere debuit, & se testificare ultra non noverit. Quod si minor loci persona est, & non habuerit unde componat, ipse tradatur in potestatem illius, contra quem falsum testimonium dixerat, serviturus. Nam omnino per talium testimonium, qui se primitus falsa testificasse prodiderint, caussa ipsa revolvi non poterit; excepto si aliter evidentior ordo veritatis claruerit; id est, aut per legitimum alium & blioratum testem, aut per justos & legales ordines scripturæ. Quicunque autem vel beneficio corruperit aliquem, vel circumventione qualibet falsum testimonium dicere persuaserit, dum evidens hujus rei commentum patuerit, tam auctor sceleris, qui in interitum intendit alterius, quam is qui rerum aviditate cupidus testificandi præbuit falsitatis assensum, pari simul sententia ut falsarii teneantur, atque insuper ad aliorum terrorem (1) centenis flagellis, & turpiter decalvati perenni infamiæ subjacebunt.

VII. FLS. GLS. ERVIGIUS. REX.

De his qui falsum probantur testimonium protulisse; & de spatio sex mensium, quo testem liceat infamare, sive ut super mortuum non liceat testimonium dicere.

Falsorum testium obstinata nequitia, nescit habere modum falsa dicendi, sed crimini crimen nititur copulare perjurii. Et ideo quia detestandos hujusmodi sceleris præsumptores divina lex mortis sententia dampnat: illos scilicet, quos contra fratrem suum falsum dixisse testimonium potestas judiciaria comprobat: nos proinde tam nefariis personis ausum secundo testificandi subducimus, quos non humanis sed divinis vocibus jam mortuos approbamus. Et ideo si quis testimonium pro qualibet re in præsentia judicis dederit, & caussa per ejus testimonium probata extiterit, si forte in postmodum favore, terrore, vel munere pulsatus illius caussidici, qui victus primum per ejus testimonium fuit, dicat se idem testis falsum dixisse testimonium quod primitus protulit, & secundo aliud testificare, unde prima quæ dixerat subvertere velit, stante superiore lege, id novella tenendum sanctione præcipimus: ut nec testificare illi secundo sit licitum, nec caussa ipsa de qua ipse perjurus testis ante juraverat, ulterius per ejus testimonium revolvatur: excepto si aliis melioribus & legitimis testibus, sive etiam veridicis scripturis, revolutio ordinatæ caussæ possit accidere, ut secunda determinatione judicii per alium sicut dictum est testem, vel verissimæ scripturæ ostensionem, licentia sit negotium reparandæ caussæ retexere. Nam & si quis caussæ suæ cupiens accelerare propositum, testem in judicio protulerit: si ille, contra quem caussam habet, præsens adfuerit, & quid in reprobatione oblati testis opponat, nescire se dixerit; res siquidem ipsa de qua agitur, per oblatorum testium testimonium, in jure illius, a cujus parte testificaverunt, judicis instantia contradatur. Illi tamen personæ, quæ se in derogatione prolati testis, nescire se dixerit quod objicere possit, licentiam consulta pietate porrigimus, qualiter infra sex menses, & vitia ignorati testis perquirat, & caussæ negotium reparare intendat. Quod si infra sex menses non potuerit, & vitia prædictorum testium quærere, & coram judice eorum infamiam comprobare, transactis sex mensibus, nullum jam ei

(1) *Atque insuper ad aliorum terrorem.*) Hæc usque ad finem legis desunt in Hispanico.

ei ultra temporis spatium dabitur, quo aut prolatum testem infamem esse convincat, aut alium testem pro eadem caussa in judicio proferat: sed quod testimonio eorum extiterit alligatum, valebit perpetuo modis omnibus inconvulsum. Et tamen si is, cui licitum est per sex menses vitia testium accusare, legitimam fortasse infra constitutum tempus probationem invenerit, qua prolatum contra se testem infamem possit convincere, supra eos quos viventes potuerit infamare, licitum erit caussidico adductum testem producere. Nam si aliquem de numero illorum testium, qui primum jurasse noscuntur, constiterit fuisse defunctum, nullum super mortuum testimonium dabitur. Nec in talibus vel quibuslibet aliis caussis testimonium vivi super mortuum ullo modo admittetur: excepto si per legitimum & manifestum scripturæ textum, ubi ipse qui defunctus est, aut reum se criminis esse agnoscens subscripsit, aut justo æquitatis judicio publice denotatus apparuit. Et hæc quidem de infamatione, qua quisquis ille obnoxius, ad dicendum testimonium non admittatur, dicta sufficiant. Cæterum si debitum defuncti vel præsumptio accusetur, juxta legem aliam licitum erit caussidico, aut per veridicum testem, aut per legitimam scripturam, debitum mortui vel præsumptionem convincere & propositum partis suæ negotium consummare. (1)

VIII. FLS. CHDS. REX.

De his qui ad falsum testimonium dicendum alios provocant, vel servos alienos ad libertatem impellunt.

Si quis contra hominem ingenuum & adversus libertum, aliquem provocasse convincitur falsum dicere testimonium, tantum illi componat quem per falsam testificationem conabatur addicere vel damnare, quantum, si juste eum obtinuisset, poterat de statu vel de rebus ejus adquirere. Si vero testis simpliciter ab alio ad testimonium invitatus falsa contra ingenuum atque libertum testificasse dinoscitur, qualiter per ejus testimonium in servitutem quisquam humiliaretur; & tamen ille, qui testem protulit, conscius fraudis hujus non invenitur, solus testis ipse superiori sententia, id est, sicut ille qui testem ad falsum testimonium provocavit, ei, quem suo testimonio decipere voluit, obnoxius maneat. Ita ut si non habuerit unde componat, in potestate ejus, cum hoc quod habere videtur, perenniter serviturus tradatur. Id autem & de illis decernimus observandum, qui ut servos alienos ad libertatem perducerent, aut falsum testimonium dixisse reperiuntur, aut eam intentionem adhibere conati sunt, ut ab eis provocati per eorum instantiam ad ingenuitatis libertatem indebita possint aliquatenus insultatione venire.

IX. FLS. RCDS. REX.

In quibus caussis possint testificari servi.

Quod utilitati multorum est congruum, non est nostræ legis decreto prætermittendum: ne tanto cuiquam pateat nocendi facultas[1], quanto nihil esse putat ex lege quod metuat. Quia ergo multotiens inter ingenuos reperitur exorta cædes, & nullus adesse ingenuus, qui cædis ipsius patefaciat evidenter scelus; adeo si nullus ingenuorum adfuerit, credi servis omnino oportebit: ut qualiter inter eos cæsio facta constiterit, agnosci eisdem testificantibus possit. Verum quia & interdum justitiæ cognitio deperit, dum ingenuorum dignitas, aut longe posita, aut de proximo ignota consistit: tunc credi permittimus servis, cum ingenui nullatenus adfuerint, qui aut vicini sint, aut de re qua agitur cogniti habeantur. Certe nec de aliis caussis, nec de majoribus rebus esse sibi credendum sciant, nisi de minimis quibuscunque rebus, ac de terris, aut vineis, vel de ædificiis, quæ non grandia esse constiterint: propter quod solet inter heredes aut vicinos possessores instantia[2] exoriri. Sed & de mancipiis credendum est eis, quare contingit ea vel ab aliis occupari, vel indebite retineri, aut etiam a dominorum jure inlicite evagari: ut per eorum veram cognitionem valeant res ipsæ dominis reddi, & ipsorum indubitata notitia juste possit intentionis caussa sopiri. Non tamen illis aliter credi poterit, nisi & ab omni crimine alieni extiterint, & gravi oppressi paupertate non fuerint. Ita ut contra ingenuorum dignitatem, eorum testimonium

1 *Facilitas.* 2 *Intentio.*

(1) Post legem VII. adest lex in Hispanico præfatam legem corrigens, cujus tenor est: *Al Principe conviene demostrar justicia a so pueblo, e judgar derecho, segondo la ley, emendar los derechos segondo como es razon: e porque antiquamientre fu establecido en la ley, que si dalgun ome quisiesse desdizer la testimonia, e despues dixesse ante el juiz, que aun non sabie nada que dixisse luego contra ela, que oviesse seis meses de plazo para sabelo, e para mostrar so pleyto por otras testigos: e si enaqueles seis meses non podiesse nada probar, dali adelantre non puede dar ninguna testimonia, e lo que dixeran los primeros testigos valia: e esto tenemos nos por gran tuerto, que la justicia que ven de Dios que desperezca en poco tiempo, la que nunca deve afalecer. E porende establecemos en esta ley por todos los omes de nuestro Regno, que todos los pleytos, que furon compeçados depues que aquela ley fu fecha, e furon vengados por ela: ma los que an de ser daqui adelantre non ayan fermidumbre por aquela ley, mas aquel tiempo de los seys meses sea tollido, e todo ome daqui adelantre pueda provar so pleyto por bonas testimonias segundo la ley del Rey don Citasiundo, que fu fecha ante, e dar otras testimonias porque pueda provar so pleyto ata treynta anos.*

nium accipi nullatenus possit, nisi, ut supra dictum est, cædem exoriri contigerit.

X. FLS. CHDS. REX.

De his qui se placitorum scriptis obligant, ne pro aliorum caussis veritatem dicant,

Plerosque cognovimus, ita se interdum per placitum obligare, ut pro sua suorumque utilitate testificari non differant: si quis autem contra eos habuerit testimonium dicere, nullatenus adquiescant. Quod quia satis est contrarium veritati, hanc omnes judices se noverint habere licentiam, ut talia commenta instanter inquirant, & inventa disrumpant: atque quos eadem placita nominaverint, centenis flagellis verberandos insistant. Ita tamen ut ista disciplina non ad infamiæ notam eis pertineat; sed testificandi quod cognitum habuerint, sit illis ex lege concessa semper & indubitata libertas.

XI. FLS. GLS. CHDS. REX.

De quibus annis possunt testificari minores,

Hæc ætas erit constituta in minoribus annis ad testimonium admittenda: ut postquam puer aut puella quatuordecim vitæ suæ annos impleverint, sit illis in caussis omnibus testificandi indubitata licentia.

XII. ANTIQUA EMENDATAQUE NOVITER.

Ut contra extraneos parentela & propinquitas testimonium minime dicant.

Fratres, sorores, uterini, patrui, amitæ, avunculi, materteræ, sive eorum filii; item, nepos, neptis, consobrini, vel amitini, in judicium adversus extraneos testimonium dicere non admittantur: nisi forsitan parentes ejusdem cognationis inter se litem habuerint, aut in caussa de qua agitur aliam omnino ingenuitatem deesse constiterit. (1)

TITULUS V. De Scripturis valituris & infirmandis, ac defunctorum voluntatibus conscribendis.

I. NOVIT. EMD. FLS. CHDS. REX.

Quales debeant scripturæ valere.

SCripturæ quæ diem & annum habuerint evidenter expressum, atque secundum legis ordinem conscriptæ noscuntur, seu conditoris vel testium signis fuerint aut subscriptionibus roboratæ, omni habeantur stabiles firmitate. Simili quoque & illæ scripturæ valore constabunt, quas etsi auctor subscribere ægritudine obsistente non valuit, in eis tamen qui subscriptores accederent postulavit: sicque subscriptionem vel signum (2) ad vicem illius auctoris, ille qui est rogatus impresserit. Hoc tantum est observandum, ut si conditor talium scripturarum de hac ipsa ægritudine qua detinebatur revaluerit, si hoc ipsum quod in hujusmodi scripturis testatus est firmum esse voluerit, manu sua illud solita subscriptione corroboret, & sic plenam, quod testari visus est, obtineat firmitatem. Si autem eundem testatorem de hac ægritudine mori contigerit, testis ipse qui ab eo rogatus accessit, juxta aliam legem infra sex menses subscriptas a se scripturas roborare curabit.

II. ANTIQUA.

De pactis & placitis conservandis vel conscribendis.

Pacta vel placita quæ per scripturam legitime ac justissime facta sunt, dummodo in his dies & annus sit evidenter expressus, nullatenus immutare permittimus.

III.

Ne incognitam sibi scripturam quisquam testis subscribere audeat aut firmare.

Quarumlibet scripturarum seriem advocatus testis, si non aut per se antea legerit, aut coram se legentem audierit, subscribere penitus non audeat. Quod si præsumpserit, testimonium ejus quod ille incaute perhibuit, in nullo permittimus accipi: quia incognitus illic subscriptor accessit. Nec stabilis illa judicabitur scriptura, quam nulla testium firmaverit cognitio vera.

IV. ANTIQUA. FLS. GLS. EGIGA. REX.

Contra priorum definitionem filio vel heredi non licere venire.

Filio vel heredi contra priorum justam ac legitimam definitionem venire non liceat. Quia juste repellitur præsumptio illius, qui facta seniorum injuste conatur irrumpere.

V.

(1) Post legem XII. lex in Hispanico legitur, quæ sic effertur: *Si alguno per cuita negare la verdat, o se perjurare, el juez pues que lo sopiere, mandelo prender, e darle cien açotes, e sal retraydo por siempre, e non pueda ser testimonio contra ninguno, y el juez mande dar la quarta parte de su buena a aquel que enganò por su perjurio, assi como diximos de los falsos en la ley de suso.*

(2) *Subscriptionem, vel signum.*) Signum a subscriptione distinguitur. Idem & in Concilio Toletano X. occurrit cap. 4. *Scriptis professionem suam faciat, a se aut signo aut subscriptione notatam.* Obtinuisse tunc credo, quod & hodie apud nos obtinet, ut scribere nescientes signum crucis propria manu exarent pro subscriptione. Qui mos & in veteribus chartis se prodit. Vide in Volumine II. Collectionis nostræ Formulas, seu chartas Alamannicas Goldasti XVII. XVIII.

V. FLS. CHDS. REX.

De dampnis eorum, qui contra pacta & placita sua venire contendunt.

Qui contra pactum vel placitum juste ac legitime conscriptum venerit, quod non forsitan persona potentior violenter extorserit, antequam caussa dicatur, pœnam quæ in pacto vel placito legitime continetur exsolvat: deinde quæ sunt in pacto vel placito definita serventur. Pactum vero vel placitum convenienter ac justissime inter partes conscriptum, si etiam pœna in eis inserta non fuerit, revolvi aut immutari nulla ratione permittimus. Et ideo quæ in pactis vel placitis continentur vel monstrantur scripta, plenam habeant firmitatem, si tamen quisquis ille pactum vel placitum justissime & de re sibi debita conscripsisse videatur.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne valeant definitiones vel pacta servorum, sine jussu dominorum.

Et honestas hoc habet, & justitia hoc adfirmat, ut quæ servi non jubentibus dominis, seu per scriptum paciscuntur, sive per testem definunt [1], nullo firmo robore penitus habeantur.

VII. FLS. RCDS. REX.

De turpibus & illicitis rebus.

De turpibus & illicitis rebus inter quascunque personas, sicut nullum pactum aut mandatum vel placitum, ita nec dampnum, nec quamcunque definitionem ex omnibus nullo tempore decernimus posse valere.

VIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Ne sub unius nomine caussæ, res alia vel persona callidis definitionibus obligetur: de pœna etiam, quæ sit in placitis inferenda.

Pravis ac malignis moribus improborum justitiæ semper est sententiis obviandum. Ideoque quia dira perversorum cupiditas ita sæpe plurimos novarum fraudium molitione conlaqueat, ut cum pro re qualibet adimplenda sit pactio, res eorum simul obligent & personas: hoc fieri omnimodo prohibemus. Sed quotiens undelibet placitum conscribitur, non amplius in transgressoris pœna, quam duplatio reddendæ rei, vel triplatio rerum [2], in satisfactione taxetur: res tamen omnis aut persona nullatenus obligetur. Quia injustum penitus approbamus, ut unius caussa debiti, rerum fiat omnium perditio vel personæ. Quodcunque igitur contra legis hujus decretum, conscriptum placitum sive definitio facta fuerit, ubicunque sit reperta, vacua omnimodis & invalida reputetur. Sola vero potestas regia (1) erit in omnibus libera, qualemcunque jusserit in placitis inferere pœnam.

IX. ANTIQUA. [3]

Quod omnis scriptura vel definitio, quæ per vim & metum extorta fuerit, valere non poterit.

Pactum quod per vim & metum extorserit persona potentior vel inferior, sive placita vel reliquas scripturas, id est, si ille qui paciscitur, aut in custodia mittitur, aut sub gladio mortem forte timuerit, aut ne pœnas quascunque vel ignominiam patiatur, vel certe si aliquam injuriam passus fuerit; hujusmodi pactio vel scriptura quælibet nullam habeat firmitatem.

X. (2) FLS. GLS. RCDS. REX.

De superfluis scripturis confectis [4].

Plenæ discretionis ordo est incertis adhibere cognitionem, & dubiis conjicere fidem. Quia ergo de statu scripturarum solet dubietas in controversiis exoriri: ideo præcepto decernitur evidenti, ut quicunque virorum ac fœminarum, testamenta, donationes, dotes, vel quascunque scripturas conficit, amplius quam lex jubet, in quibuscunque partibus sive personis, vel contra sanctionem legis, de quarumcunque rerum distributione decreverit, non ideo ex toto habeantur invalida, quia ordo præfixus videtur esse transgressus: sed manentibus cunctis, quæ salubrius ex legis auctoritate subsistunt, illa sola decidant, quæ contra legem inveniuntur manere descripta atque decreta. Hujus rei evidenter judices negotiorum hoc tenore descripta ordinabunt: ut ille qui plus conficit per scripturæ seriem, quam oportuit, hoc solum accipiat quod auctoritas legis demonstrat, & reliqua hi quibus legitime debentur, vigore justitiæ consequantur.

XI. FLS. GLS. CHDS. REX.

Quæ scripturæ valere poterunt, si ab his factæ fuerint, qui sunt in annis minoribus constituti.

In minoribus annis constituti, si testari de rebus suis, vel alias quascunque definitiones facere, seu per scripturam, sive per idoneum testem, in quibuscunque personis elegerint, infra quartum decimum annum non illis aliter licentia erit, nisi gravis languor occurrerit,

1 *Definiunt.* 2 *Triplatio nummorum.* 3 FLS. CHDS. R.
4 *De superfluis scripturis & super ordinem legis confectis.*

(1) *Sola vero potestas regia.*) Hæc usque ad finem legis non habentur in Hispanico.

(2) Hæc lex non adest in Hispanico.

rerit, per quem eos fortasse mori suspicio sit. Quod si eos necessitas hujus caussæ compresserit, utrisque a decimo ætatis ipsorum anno (1) faciendi quod voluerint libertas plena manebit. Quod si [1] ab ægritudine convalescere potuerint, quicquid eos ordinasse constiterit, totum invalidum erit: donec aut rursus ægrotantes iterum quæ ordinaverant nova ordinatione reforment, aut venientes usque ad plenum quartum decimum annum in omnibus judicandi de rebus suis liberam habeant absolutamque licentiam. Ab infantia vero vel in qualibet ætate dementes effecti, & in eo vitio absque intermissione temporis permanentes, nec testimonium reddant; nec si quam forte voluntatem ediderint, nullam poterit firmitatem habere. Nam si [2] per intervalla temporum vel horarum salutem videntur recipere, & integra interdum mente persistere, de suis ferre judicium prohiberi non poterunt.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Qualiter confici vel firmari conveniat ultimas hominum voluntates.

Morientium extrema voluntas, sive sit auctoris & testium manu subscripta, sive utrarumque partium signis extiterit roborata, seu etiam & si auctor subscribere vel signum facere non prævaleat, alium tamen cum legitimis testibus subscriptorem vel signatorem ordinationis suæ instituat: sive quoque si tantummodo verbis coram probatione ordinatio ejus, qui moritur, patuerit promulgata, hæc ordinationum quatuor genera omni perenniter valore persistant. Id tantum magnopere procurandum est, ut scripturæ illæ, quæ secundum primi & secundi ordinis confectionem sunt alligatæ: id est, sive quæ auctoris & testium manu subscriptæ, seu quæ utrarumque partium signis extiterint roboratæ, infra sex menses juxta legem aliam sacerdoti pateant publicandæ. Et si forsitan contigerit, ut in hujusmodi scripturis auctor, qui subscribere debuit, signum impresserit, hoc ipsum testis, qui in eadem scriptura subscriptor accessit, jurare curabit, quia signum ipsum a conditore factum extiterit, & tunc stabilis erit. Illæ vero scripturæ, quæ sub tertii ordinis alligatione sunt editæ: id est, in quibus advocatus a conditore legitimus testis subscripsit, tunc omni habeantur stabiles firmitate, quando infra sex menses, & ille qui in eadem scriptura ad vicem morientis subscriptor accessit, & reliqui testes qui ab eo rogati sunt, coram judice conditionibus factis juraverint, quod in eadem scriptura a se subscripta nulla sit fraus impressa, sed secundum voluntatem ipsius conditoris habeatur conscripta, & quod ab eo, qui eam condere voluit, rogati extitissent, ut in eadem scriptura subscriptores accederent, & ad vicem conditoris eam legitime roborarent. Illa vero voluntas defuncti, quæ juxta quarti ordinis modum verbis tantummodo coram probatione promulgata patuerit, quæ instante quocunque periculo conscribi nequiverit, & tamen ab eo qui moritur jussa fuerit alligari, tunc robur plenissimum obtinebit; si testes ipsi, qui hoc audierint, & rogati a conditore extiterint, infra sex mensium spatium, hoc quod injunctum habuerint, sua coram judice juratione confirment, ejusdemque juramenti conditionem tam sua quam testium manu corroborent. Dumque hæc res plenum venerit in effectum, pro instantia sui laboris, iidem testes ex defuncti bonis trigesimæ precium portionis [3] prosequantur in solis tantummodo nummis, chartarum instrumentis, & librorum voluminibus sequestratis, quæ pertinebunt ad heredes integritate successionis. Qui testes infra sex menses procurent illi denunciare, in cujus nomine per talem ordinationem res translata dinoscitur extitisse. Quod si omne legis hujus decretum testes illi, quibus commissum est, infra constitutum tempus distulerint adimplere, noverint se falsorum [4] dampno mulctari: excepto si se aliorum fraude vel calliditate, seu etiam regia jussione, qua id infra sex menses explere nequiverint, impeditos esse probaverint.

XIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Qualiter firmentur voluntates eorum, qui in itinere moriuntur.

In itinere pergens, aut in expeditione publica moriens, si ingenuos secum habeat, voluntatem suam propria manu conscribat. Quod si litteras nescierit, aut per languorem scribere non potuerit, eandem voluntatem servis insinuet: quorum fidem Episcopus atque judex probare debebunt. Et si nullatenus antea fraudulenti fuisse patuerint, quod sub juramenti testatione protulerint conscribatur, & sacerdotis atque judicis subscriptione firmetur; ac postmodum auctoritate regia roboratum, firmum quod decreverit habeatur.

XIV. FLS. GLS. CHDS. REX.

Ut defuncti voluntas ante sex menses coram sacerdote vel testibus publicetur.

Scripta voluntas defuncti, ante sex menses coram quolibet sacerdote vel testibus publicetur. Et si quis eandem qualibet fraude suppresserit, tantum illis, quibus scriptura facta esse dinoscitur, de proprio cogatur exsol-

1 *Qui si.* 2 *Nam qui.* 3 *Tricesimam precii portionem.* 4 *Falsariorum.*

(1) *A decimo ætatis ipsorum anno.*) Nota libertatem pueris indultam disponendi de facultatibus suis.

ſolvere, quantum per ejuſdem ſcripturæ ſeriem conquirere poterant vel habere.

XV. FLS. GLS. CHDS. REX.

De comprobatione manuum, ſi ſcriptura vertatur in dubium.

Omnes ſcripturæ, quarum auctor & teſtis defunctus eſt, in quibus tamen ſubſcriptio vel ſignum conditoris atque firmitas teſtium reperitur, dum in audientia prolatæ extiterint, ex aliis chartarum ſignis vel ſubſcriptionibus comprobentur: ſufficiatque ad firmitatem, vel veritatis hujus indaginem agnoſcendam, trium vel quatuor ſcripturarum ſimilis vel evidens prolata ſubſcriptio. Quod ſi talibus ſcripturis legum tempora obviaverint, pro certo decernitur, quia valere non poterunt (1).

XVI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De olographis ſcripturis.

Quia interdum neceſſitas ita ſæpe concurrit, ut ſolempnitas legum libere adimpleri non poſſit: ideo ubi qualitas locorum ita conſtiterit, ut non inveniantur teſtes, per quos juxta legum ordinem unuſquiſque ſuam alliget voluntatem, manu propria ſcribat ea, quæ ordinare deſiderat: ita ut ſpecialiter adnotentur, quæcunque ordinare voluerit, vel quæ de rebus ſuis habere quemque elegerit. Dies quoque & annus habeatur in eis evidenter expreſſus. Deinde toto ſcripturæ textu conſcripto, rurſum auctor ipſe ſubſcribat. Et dum hæc ſcriptura infra XXX. annos ad eum, in cujus nomine facta eſt, vel ad ſucceſſores ejus pervenerit, eam Epiſcopo vel judici infra ſex menſes non differat præſentare. Quam ſacerdos idem vel judex allatis ſibimet tribus aliis ſcripturis, in quibus teſtatoris ſubſcriptio reperitur, ex earum comprobatione conſiderent, ſi certa & evidens ſcriptura eſt, quam idem conditor olographa ratione conſcripſit: & dum iſta præviderint, eadem chartula quæ offertur, vera nihilominus habeatur. Atque etiam continuo ſacerdos ipſe vel judex, ſive alii teſtes idonei, eandem olographam ſcripturam ſua denuo ſubſcriptione confirment, & ſic voluntas ipſius teſtatoris pleniſſimam obtineat firmitatem.

XVII. FLS. RCDS. REX.

De comprobatione ſcripturarum & earum pœna ſolvenda.

Sicuti ubi convenit miſeranter occurrere, ſalutaria remedia non negamus: ita ubi contentio irrationabilis exoritur, cenſuram ponere juſte debemus. Proinde cum de quibuslibet ſcripturis parentum, quas tamen juſtiſſime ac legitime de rebus ſibi debitis patuerit eſſe conſcriptas, fuerit exorta contentio: ſi ille, cui ſcriptura profertur, neſcire ſe dixerit ipſius ſcripturæ veritatem, mox prolator ille jurare cogatur, nil fraudis vel læſionis in ea quandoque aut a ſe factum eſſe, aut ab alio quocunque factum omnimodo cognoviſſe vel noſſe: ſed ita manere, ſicut auctor ejus eam voluit ordinare vel roborare. Deinde ille qui eam renuit accipere, cogatur jurare ſe hanc ſcripturam veram eſſe neſcire, nullaque evidenti cognitione ſapere, ſeu ab auctore ſuo legitime confectam exiſtere, neque ſubſcriptionem vel ſignum auctoris veridice factum cognoſcere. Poſt hæc quærenda ab utriſque partibus in ſcriniis domeſticis inſtrumenta chartarum: ut comprobatis aliarum ſcripturarum ſubſcriptionibus atque ſignis poſſit agnoſci, utrum habeatur idonea, an reprobetur indigna. Jam tunc ſi in domeſticis ſcriniis ſcripturæ auctoris repertæ non fuerint, ad quarum ſimilitudinem ſcriptura prolata formetur[1]; ita demum ille, qui ſcripturam profert, ubicunque potuerit, alias ſcripturas auctoris procuret inquirere, per quarum ſimilitudinem, ſcripturam quam profert, veram eſſe confirmet. Sicque per talem convenientiam, latenti veritate reperta, nec ille qui ſcripturam profert, in convincendo eam eſſe idoneam, ex longinquo teſtes advocans, dampna ſuſtineat; nec ille qui hanc contempſit recipere, pœnam ſcripturæ cogatur implere. Quibus ita actis, ſi ille qui ſcripturam illam indignam eſſe contendit, non pro veritatis cognitione, ſed pro ſola commotione partis adverſæ ad convincendam dignitatem ſcripturæ, & in adducendis teſtibus, & in ſuſtinendis diſpendiis laborare fecerit adverſantem; tunc ipſe, qui ſcripturam profert veram, exhibitis teſtibus eſſe idoneam & illæſam ſcripturam adfirmet: ac poſtea ſic ille, qui per contentionem indebitam, in adducendis teſtibus laborem intulit adverſanti, pœnam dampni, quam ſcriptura continet, evidenter adimpleat. Certe ſi aut tanta res non eſt unde pœnam ſuppleat, quam auctor ejus inſtituit, cum de rebus ſuis legitimum judicium ferret: aut etiam ſponte ſua hanc ipſam pœnam voluerit implere[2], rem quæ illi de ejuſdem auctoris competit jure, ei quem convexavit indebite cogatur ceſſionis ordine dare. Hanc ſane legem in ſolis parentum ſcripturis ſervandam eſſe decernimus: propter quod filios vel nepotes injuſta contentione ab alterutro, aut ſe, aut extraneorum partes, videmus convexare. Iſta evidenti conditione ſervata, ut ſi ex aliis oppoſitionibus legum eadem ſcriptura dicitur convellenda, vox impu-

1 *Firmetur.* 2 *Noluerit implere.*

(1) *Valere non poterunt.*) Ergo præſcriptio eo tum obſtiterat ſcripturis defuncti conditoris, & teſtium, ſi intra tempus lege definitum non fuiſſent productæ.

pugnantis pro certo sit libera.

XVIII. FLS. GLS. EGIGA REX.

Ne aliud quis per testem, aliud per scripturam alligare præsumat.

Cum sive sint verba, sive scripturarum quædam indicia, quæ tamen vera esse oporteat atque simplicia, per quæ unus in alterius cognitionem transferat notitiam suam: novellis nunc peragitur argumentis, ut in donationibus & transactionibus scripturarum prompta videatur quorundam donatorum voluntas, quæ tamen testibus aliud alliget occulte, quam quod patule per scripturæ seriem noscitur definisse. In qua bifariæ duplicitatis astutia, quid aliud quam duplex comprobatur voluntas? Quia simplicitatis puritate exclusa, aliud foris publicat, aliud per occultum alligat testem. Quapropter cum quisquis de quibuslibet rebus, scripturam donationis, vel venditionis in alterius faciens nomine, aliud reperiatur conligare per testem, quam quod per manifestam scripturam cognoscitur definisse: noverit se parti illi pœnam scripturæ persolvere, cui circumventione callida noscitur illusisse, & insuper cum infamia suæ personæ, quod semel eum constat dedisse, nulla unquam poterit repetitione reposcere. Nec testis illic ad testificandum aliud admittatur, qui aliquid aliud protestetur, quam quod prolata donatoris scriptura testatur: ut repulsa deinceps omni argumentationis sollicitudine, quicquid per manifestam & legitimam scripturarum seriem definitur, nulla unquam subordinati testis machinatione devocetur in irritum. Et hæc quidem lex inter æquales gradu vel ordine promulgata servabitur. Ceterum si ejusdem potestatis atque conditionis sit ille, qui scripturam se accepisse objecerit, ut potius exacta ab eo, quam oblata ei scriptura credatur, quicquid de hujusmodi occasionibus ab auctore scripturæ convinci poterit, tunc & ipsa scriptura invalida erit, & res in donatoris jura possessura transibit.

1 Al. *sapientia*.

XIX. FLS. EGIGA REX.

Ut nemo deinceps citra fidem regiam, vel propria caussarum negotia in deceptione regiæ potestatis, vel cujuslibet alterius, se juramenti vinculo alligare præsumat.

Plerumque solet humani generis inimicus pravis corda hominum suggestionibus irretire, & fidelium animos pestifero veneni poculo sauciare. Proinde quia quanto plebs regiæ celsitudinis culmen sincera debet reverentia honorare, tanto amplius vel in ejus deceptione, vel aliarum personarum, videtur mentes plebium excitare. Quidam enim dum sententiam illam canonis Tolerani (1) attendunt, in qua decretum est neminem licere, citra manifestæ evidentiam culpæ, induci ab honore sui ordinis, vel servitio domus regiæ dejici, & nec antea vinculorum nexibus illigari, vel quæstionibus subdi, nisi prius in publica fuerint examinatione deducti, subtili se quodammodo juramento in necem vel abjectionem regiam perfidiæ nituntur fraudibus alligare; ne ea quæ fraudis moliuntur peragenda consiliis, ab alterutro cernantur quandoquidem propalari. Quod & temporibus nostris detectum facinus, manifestis eorum confessionibus retinetur, qui nostram gloriam conati sunt, aut gladio interimere, aut mortifera veneni potione decipere. His igitur nefariæ argumentationis consiliis congruit obviare censuris legalibus: quo ut nec principalis honor qualibet possit gravitate [1] devolvi, & infidelium pectora condigna debeant ultione retundi. Unde speciali edicto decernimus, ut nemo deinceps citra fidem regiam, vel propria caussarum negotia secum alio præsumat vinculis nectere juramenti, aut in deceptione potestatis regiæ, vel cujuslibet alterius, tam sceleratæ fraudis audeat actione constringi. Si quis vero amodo (2) aliter, quam præmissum est, hujusmodi juramento se alligare præsumpserit, illius se noverit legis perculi sanctione, quæ perfidis noscitur & contra regem agentibus promulgata existere.

(1) *Canonis Toletani.*) Vide Concilium Toletanum XIII. c. 2.

(2) *Si quis vero amodo.*) Hæc usque ad finem legis non habentur in Hispanico.

LEGIS WISIGOTHORUM

LIBER TERTIUS

DE ORDINE CONJUGALI.

TITULUS I. De Dispositionibus Nuptiarum.

I. FLS. RCDS. REX.

Ut tam Gotho Romanam, quam Romano Gotham matrimonio liceat sociari.

SOllicita cura in Principe esse dinoscitur, cum pro futuris utilitatibus beneficia populorum providentur. Nec parum exultare debet libertas ingenita, cum fractas vires habuerit priscæ legis abolita sententia; quæ incongrue dividere maluit personas in conjuges, quas dignitas compares æquaverit in genere. Ob hoc meliori proposito salubriter censentes, priscæ legis remota sententia (1), hac in perpetuum valitura lege sancimus: ut tam Gothus Romanam (2), quam etiam Gotham Romanus, si sibi conjugem habere voluerit, præmissa petitione dignissima, facultas eis nubendi subjaceat: liberumque sit libero, liberam, quam voluerit, honesta conjunctione consulta perquirendo, prosapiæ solemniter consensu, Comite permittente, percipere conjugem.

II. ANTIQUA.

Si puella contra voluntatem patris alio nubat, quæ sit alteri disponsata.

Si quis puellam cum voluntate patris, aut aliorum propinquorum parentum, quibus ex lege hujusmodi potestas tribuitur, sponsatam habuerit: & ipsa puella contempnens voluntatem parentum, ad alium tendens parentibus contradicat, ut illi non detur cui a parentibus fuerit pacta: hoc ita eam nullo modo facere permittimus. Quod si ipsa puella contra voluntatem parentum, ad alium quem ipsa cupierat forte pervenerit, & ipse eam uxorem habere forte præsumpserit; ambo in potestate ejus tradantur, qui eam cum voluntate parentum sponsam habuerit. Et si fratres, vel mater ejus, aut alii parentes, malæ voluntati ejus consenserint, ut eam illi traderent, quem ipsa sibi contra paternam vel parentum voluntatem cupierat, & hoc ad effectum perduxerint: illi, qui hoc machinaverunt, libram auri dent, cui Rex jusserit: sic tamen ut voluntas eorum non habeat firmitatem; sed ipsi, sicut superius diximus, ambo tradantur cum omni substantia sua illi, cui antea fuerat sponsata. Eandem legem præcipimus custodiri, si pater de filiæ nuptiis definierit, & de pretio convenerit. Ac si ab hac vita transierit, antequam eam pater suus nuptui tradat, ut illi puella tradatur, cui a patre vel a matre pacta constiterit.

III. FLS. CHDS. REX.

De non revocandis datis arris.

Dum præteritorum facta recolimus, futuris ponere præsumptionibus terminum consultissimum arbitramur. Quia ergo sunt plerique, qui factæ sponsionis immemores, nuptialium fœderum definitionem differant adimplere; abrogare decet hujus rei licentiam, ut non unusquisque pro suo velle, alteri dilationem exhibeat. Ideoque a die latæ hujus legis decernimus, ut cum inter eos qui disponsandi sunt, sive inter eorum parentes, aut fortasse propinquos, pro filiorum nuptiis coram testibus præcesserit definitio, & anulus arrarum nomine (3) datus fuerit vel acceptus, quamvis scripturæ non intercurrant, nul-

---

(1) *Priscæ legis remota sententia.*) Igitur ex prisca lege vetita erant connubia Gothorum cum Romanis, seu Provincialibus. Matrimonia Romanorum, seu Provincialium, cum Barbaris jure Romano jam interdicta erant, & quidem sub pœna capitali, ut colligimus ex Lege I. *de Nuptiis Gentilium* Cod. Theodos. lib. III. Sed & ex antiquo Barbarorum instituto fluxisse credo, ut inhiberentur matrimonia cum exteris. Tacitus Germ. c. IV. *Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam, & sinceram, & tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur.* Rugi, gens Gothica, suis olim vivens legibus, Theodorico regnante cum Ostrogothis in unum corpus coaliti, *vitatis tamen mulierum alienarum connubiis, nationis suæ nomen pura sobolis successione apud se conservarunt.* Procopius de Bello Goth. l. III. c. 2. Idem ex Eginhardo de Saxonibus refert Adamus Bremensis Hist. lib. I. inquiens: *Generis quoque, ac nobilitatis suæ providissimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium, vel sibi inferiorum connubiis infecti, propriam, & sinceram, tantumque sibi similem gentem facere conati sunt.*

(2) *Gothus Romanam.*) Chindasvindus, & Recesvindus constituerunt, Gothos & Romanos iisdem legibus esse regendos. V. supr. lib. II. Tit. I. leg. 9. & 10. Huc Recesvindus matrimonia inter Gothos & Romanos permittit, & probat. Videtur, Reges hoc sibi proposuisse, ut ex communione legum, & ex permixtione nuptiarum ex duabus gentibus una gens efficeretur.

(3) *Anulus arrarum nomine.*) De annulo pronubo passim agunt veteres Scriptores. *Sponsæ cum solo annulo subarrhatæ* mentio fit quoque in Langobardica Lege Liutprandi Lib. V. leg.

nullatenus promiſſio violetur, cum qua datus eſt anulus, & definitio facta coram teſtibus. Nec liceat uni parti ſuam immutare aliquatenus voluntatem, ſi pars altera præbere conſenſum noluerit; ſed ſecundum legum ordinem, altera conſtitutione dotis impleta, nuptiarum inter eos peragatur feſti celebritas. (1)

IV. FLS. GLS. CHDS. REX.

Ne viris minoris ætatis majores fœminæ diſponſentur, & de biennio placiti.

Jus naturæ tunc directum in ſpem procreationis futuræ tranſmittitur, quando nuptiarum fœdus totius ſolempnitatis concordia ordinatur. Nam ſi aut ætate, aut perſonarum incompetenti conditione, adnectitur copula nuptialis, quid reſtat in procreationis origine, niſi ut quod naſciturum eſt, aut diſſimile maneat aut deforme? Nec enim poterit in pacis concordia naſci, quod per diſcordiam originis noſcitur ſeminari. Videmus enim quoſdam non avidos amore naturæ, ſed illectos cupiditatis ardore, filiis ſuis tam inordinate diſponere fœdera nuptiarum, ut in eorum actis nec ætate concors ſit ordo, nec moribus. Nam cum viris res illa dederit nomen, quod in fœminas agant, iſti per repugnantium naturæ conamina maribus puellas anteponunt, dum infantibus adulеſcentulas diſponſationis copula conjungunt: ſicque per ætatis præpoſteræ tempus, honeſtatis lucrum dilabi cogunt ad impudicitiæ lapſum, dum puellarum avidior & maxima ætas ſeros tardoſque virorum contempnit expectare proventus. Ut ergo male ordinata propagatio generis in ordinem tranſductionibus reducatur illicitis, hujus ſanctione decernitur legis, ut fœminæ minoris ſemper ætatis (2) viris majoribus in matrimonio diſponſentur. Aliter diſponſatio facta, ſi una pars contradicere videatur, nullo modo manere jubetur. A die vero ſponſionis uſque ad nuptiarum diem non amplius quam biennio expectetur: niſi aut parentum, aut cognationis, vel certe ſponſorum ipſorum, ſi perfectæ ſint jam ætatis, honeſta & conveniens adfuerit conſenſio voluntatis. Si autem in hoc fœdere inita pacta vel definitiones pro elongatione nuptiarum communis voluntas immutare decreverit [1], aut ſi per neceſſitatem una perſona defuerit, non amplius quam duorum annorum tempus prolongatio continebit. Et ſi rurſus vel quotiens fieri non [2] convenerit, biennii tantum in definitione ſpatium erit. Aliter quandoque aut arrarum aut ſcripturæ celebrata confectio non valebit. Si quis autem conſtitutum definitionis tempus abſque neceſſitate vel voluntatis conſenſione implere diſtulerit, ſuamque voluntatem a promiſſione conjugali removerit, & pœnam quæ in placito continetur adimpleat, & quod definitum eſt immutare non liceat. Mulierem autem, quam conſtiterit aut unum aut plures habuiſſe maritos, poſt eorundem virorum obitum, alii viro, ab adoleſcentiæ ejus annis, ſeu illi qui necdum uxorem habuit, ſive ei quem unius vel plurimarum conjugum vita deſtituit, honeſte ac legaliter nubere nullatenus inlicitum eſt.

V. FLS. CHDS. REX.

De quantitate rerum conſcribendæ dotis.

Cum de dotibus diverſa ſæpe inter nubentes oriatur intentio, plurimorum fit utilitati conſultum, ſi evidens hujus rei inſtitutio nihil ultra relinquat ambiguum. Decernimus igitur, ac legis hujus perpetim ſervatura ſanctione cenſemus: ut quicunque ex palatii noſtri primatibus, vel ſenioribus gentis Gothorum, filiam alterius vel cujuslibet relictam, ſeu ſibi ſeu filio ſuo popoſcerit in conjugio copulandam, ſeu quiſquis ex prædictorum ordine uxorem ſibi elegerit expetendam, non amplius unuſquiſque in puellæ vel mulieris nomine dotis titulo conferat vel conſcribat, quam quod decimam partem rerum ſuarum eſſe conſtiterit. Quod ſi contigerit, ut qui-

1 Al. *voluerit*. 2 Al. *ita*.

leg. I. Legere haud pigeat, quæ de annulo leguntur apud Gratianum c. *Fœminæ* cauſa XXX. qu. 5. ex Iſidori libro II. de officiis: *Item, quod in primis negotiis annulus a ſponſo ſponſæ datur, fit hoc nimirum, vel propter mutuæ fidei ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde & quarto digito annulus idem inſeritur, quod in eo vena quædam, ut fertur, ſanguinis ad cor uſque perveniat.*

(1) Poſt legem III. alia occurrit in Hiſpanico, ex qua colligimus, quid juris eſſet in caſu mortis ſponſi poſt celebrata ſponſalia de futuro oſculo interveniente; quem morem viguiſſe apud antiquiores Hiſpanos colligimus ex Codice Theodoſiano lib. III. Tit. V. Lege V. Lex autem hiſce verbis effertur, atque idem penitus continet, ac Aniani Interpretatio in præfatam legem Theodoſianam: *Si algun eſpoſo morio por ventura fechas las eſpoſayas, e el beſo dado, e las arras dadas, eſtonce la eſpoſa que ſinqua deve aver la meatad de todas las coſas que le diera el eſpoſo, e la otra meatat deven aver los erederos delo eſpoſo qualeſquier que devan aver ſua bona: e ſi el beſo non era dado, e el eſpoſo muerre, la manceba non deve aver nada daquelas coſas: e ſe el eſpoſo recebe alguna coſa, que le dai la eſpoſa, ſiquier ſea dado el beſo, ſiquier non, todo aquello deve ſer tornado a los herederos de la eſpoſa.*

(2) *Fœminæ minoris ſemper ætatis.*) Simile quid habet Lex Langobardica Caroli M. CXLV. niſi quod ſimilem utroque in conjuge ætatem requirat; cavens, *ut nullus præſumat ante annos pubertatis puerum, vel puellam in matrimonio ſociare, in diſſimili ætate, ſed coætanos, & ſibi conſentientes; quia multas ſæpius ex hujuſmodi contractu nuptiali ruinas animarum factas audivimus, & tales fornicationes perpetratas, quales inter Gentes eſſe non debent.*

cunque parentum pro filio suo, in nurus suæ nomine, dotem conscribere debeat: eodem modo de eo, quod eidem filio post obitum parentum suorum in portione evenire poterat, decimam exinde partem per dotis titulum conferat, quod mulier vel puella nuptiis traditura obtineat. Atque insuper decem pueros, decemque puellas, & caballos xxx. seu in ornamentis quantum mille solidorum valere summam constiterit, sit illi conscribendi dandique concessa libertas. Ita ut de his omnibus rebus in conjugio mulier assumpta, si non reliquerit filios, facere quod voluerit liberam se noverit habere licentiam: aut si intestata discesserit, ad maritum, aut ad propinquos mariti heredes, eadem donatio redeat. Nec erit ultra licitum puellæ parentibus, seu etiam puellæ vel mulieri, ab sponso vel ab sponsi parentibus plus quicquam petere, vel in suo nomine conscribendum optare, nisi quantum nunc legis hujus institutio continet. Aut si forte, juxta quod & legibus Romanis recolimus fuisse decretum, tantum puella vel mulier de suis rebus sponso dare elegerit, quantum sibi ipsa dari poposcerit. Quod si forsitan præventus sponsus scripturæ alicujus vel sacramenti vinculo nuptiarum tempore alligetur, amplius se sponsæ daturum, quam quod hac lege constat esse permissum, id postea ipse convellere, & in juris sui potestatem reducere, libero potietur arbitrio. Si autem juramenti reverentia pavidus, aut ut assolet negligentia deditus, quod amplius sponsæ dederat, revocare aut evacuare noluerit vel nequiverit, non oportebit unius tepiditate multis ad futurum damna nutriri. Sed dum sponsi parentes vel propinqui tale factum agnoverint, universa quæ, plus quam supra taxatum est, sponsæ conlata sunt, suo juri absque cujusquam præjudicio perenniter vindicabunt. Certe si jam vir uxorem habens, transacto scilicet anno, pro dilectione vel merito conjugalis obsequii, ei aliquid donare elegerit, licentiam incunctanter habebit. Nam non aliter infra anni circulum maritus in uxorem, seu mulier in maritum excepta dote, ut prædictum est, aliam donationem conscribere poterint, nisi gravati infirmitate periculum sibi mortis imminere perspexerint. De ceteris vero qui nubendi voluntatem habuerint, salubri etiam proposito providendum decernendumque curavimus: ut qui in rebus omnibus decem millium solidorum dominus esse dinoscitur, ad mille solidos rerum universarum comprobatione habita, in nomine sponsæ suæ dotem conscribat. Cui autem mille solidorum facultas est, de centum solidis tali de ratione dotem facturus est: & sic ista constitutio dotalis tituli ab ultima usque ad summam omni controversia sopita perveniat. Data & confirmata (1) hæc lex pridie Idus Januarii, Anno feliciter tertio Regni nostri, in Dei nomine Toleto.

VI. ANTIQUA.

Ut dotem puellæ pater exigat & conservet.

Dotem puellæ traditam pater exigendi vel conservandi ipsi puellæ habeat potestatem. Quod si pater aut mater defuerint, tunc fratres, vel proximi parentes, dotem quam susceperint, ipsi consorori suæ ad integrum restituant.

VII. ANTIQUA.

Ut patre mortuo, utriusque sexus filiorum conjunctio in matris potestate consistat.

Patre mortuo, utriusque sexus filiorum conjunctio in matris potestate consistat. Matre vero mortua, aut si ad alias nuptias forte transierit, fratres eligant cui dignius puer vel puella jungatur. Quod si fratres ejus ætatis non fuerint, ut eorum judicio debeat germanus aut germana committi, tunc patruus de conjunctione eorum habeat potestatem. Certe si germanus jam adulescentiæ habet ætatem, & proximorum renuit sollicitudinem, sit illi potestas condignam sibi conjunctionis quærere copulam. De puella vero, si ad petitionem ipsius, is qui natalibus ejus videtur æqualis accesserit petitor, tunc patruus sive fratres cum proximis parentibus conloquantur, si velit suscipere petitorem: ut aut communi voluntate jungatur, aut omnium judicio denegetur.

VIII. ANTIQUA.

Si fratres nuptias puellæ differant, aut si puella impudice nuptias præsumat.

Si fratres nuptias puellæ sub ea conditione suspendant, ut ad maritum illa confugiens juxta legem portionem inter fratres suos de bonis parentum non possit accipere, & bis aut tertio removerint petitorem: puella quia fratrum calliditate perspecta maritum natalibus suis æqualem crediderit expetendum, tunc integram a fratribus, quæ ei de parentum hereditate debetur, percipiat portionem. Quod si rursum nil fratres contra sororem meditentur adversum, & idcirco morentur ut sorori provideant digniorem; & illa honestatis suæ oblita, personæ suæ non cogitans statum, ad inferiorem forte maritum devenerit: portionem suam, sive divi-

sam

---

(1) *Data & confirmata &c.*) Hæc ita leguntur in Hispanico: *E esta ley fu dada e confirmada otro dia de Edos de Enero eno tercero ano, que regnò el Rey Don Rescindo, en era de seyscientos y ochenta y nueve anos, e es antigua.* Sed hæc epocha Roderico Toletano non consonat; qui consuli potest lib. II. de Reb. Hisp. c. 20.

ſam ſive non diviſam, quam de facultate parentum fuerat conſequuta vel conſequutura, amittat (1). In fratrum vero & ſororum & aliorum parentum hereditatem ingrediendi ei concedimus poteſtatem.

IX. FLS. RCDS. REX.

Ne ſine dote conjugium fiat, & ut de quibuſcunque rebus dos conſcripta fuerit, firmitatem obtineat.

Nuptiarum opus in hoc dinoſcitur habere dignitatis nobile decus, ſi dotalium ſcripturarum hoc evidenter præceſſerit manus [1]. Nam ubi dos nec data eſt nec conſcripta, quod teſtimonium eſſe poterit, in hoc conjugio dignitatem futuram? quando nec conjunctionem celebratam publica roborat dignitas, nec dotalium tabularum hanc comitatur honeſtas. Proinde cum quiſquis (2) aut pro ſe, aut pro filio, aut etiam proximo ſuo, conjunctionis copulam appetit: aut de rebus propriis, aut de Principum dono conlatis, aut de quibuſcunque juſtis profligationibus conquiſitis, juxta modum legis datæ conſcribendi dotem habeat poteſtatem. Quodcunque autem legitime in dote conſcripſerit, modis omnibus plenum robur habebit.

TITULUS II. De Nuptiis inlicitis.

I. ANTIQUA.

Si poſt mortem mariti infra annum mulier nubat.

SI qua mulier, poſt mortem mariti ſui, ſe alii infra annum conjunxerit, vel adulterium fecerit, medietatem rerum ſuarum filii ſui ex priori conjugio procreati recipiant. Aut ſi filii deſunt, alii propinquiores heredes defuncti viri per judicis inſtantiam, ipſarum rerum conſequantur medietatem. Quam idcirco mulierem præcipue huic volumus ſubjacere diſpendio: ne hæc quæ a marito gravida relinquitur, dum immoderato deſiderio ad ſecundi conjugii vota feſtinat, vel adulterium perpetrat, ſpem partus ſui (3) priuſquam naſcatur extinguat. Illas tantundem a legis hujus ſententia jubemus manere indemnes, quas principalis auctoritas, infra tempus hac lege conſtitutum, cuilibet in conjugio decreverit copulandas.

II. ANTIQUA.

Si mulier ingenua ſervo vel liberto proprio ſeſe conjungat vel commiſceat.

Si mulier ingenua ſervo ſuo vel proprio liberto ſe in adulterio commiſcuerit, aut forſitan eum maritum habere voluerit, & ex hoc manifeſta probatione convincitur, occidatur. Ita ut adulter & adultera ante judicem publice fuſtigentur, & ignibus concrementur. Cum autem per reatum tam turpis admiſſi, quicunque judex, in quacunque regni noſtri provincia conſtitutus, agnoverit dominam ſervo ſuo, ſive patronam liberto fuiſſe conjunctam, eos ſeparare non differat: ita ut bona ejuſdem mulieris, aut ſi ſunt de alio viro, idonei filii evidenter obtineant, aut propinquis ejus legali ſucceſſione proficiant. Quod ſi uſque ad tertium gradum defecerint heredes, tunc omnia fiſcus uſurpet: ex tali enim conſortio filios procreatos conſtitui non oportet heredes. Illa ergo, ſeu virgo ſive vidua fuerit, pœnam excipiat ſuperius comprehenſam. Quod ſi ad altaria ſancta confugerit, donetur a Rege, cui juſſum fuerit, perenniter ſervitura.

III. ANTIQUA.

Si mulier ingenua ſervo alieno, ſeu ingenuus ancillæ alienæ ſeſe conjungat.

Si mulier ingenua ſervo alieno, ſive Regis, ſe in matrimonio ſociaverit, ſive etiam per adulterium jungere præſumpſerit, ſtatim ubi primum hoc judex agnoverit, eos ad ſeparandum feſtinare non differat, ut pœnam quam merentur excipiant: hoc eſt, ſinguli eorum centena flagella ſuſcipiant. Et ſi poſt hanc contradictionem ſe iterum conjunxerint, eos judex comprehendi jubeat, & in ſua præſentia exhiberi: ut unicuique eorum iteratim centena flagella imponere non deſiſtat. Quod ſi tertia vice ſe ſeparare noluerint, ſimiliter centena flagella eis imponi jubemus, & ipſa mulier parentibus ſuis in poteſtate tradatur. Quod ſi poſtmodum eam parentes retrorſum dimiſerint, ſit ancilla domino ejus ſervi (4). Fi-

1 Al. munus.

(1) *Amittat.*) Antiqui fuit inſtituti inter Barbaros, ne quis extra ſuum ordinem conjugio ſociaretur. Vide dicta ad leg. Alamann. Tit. LVII. Juvat hic repetere Saxonum ſeveriſſimam diſciplinam, ex Adamo Bremenſi, ſeu verius ex Eginhardo deſcriptam, quam exhibui in Monito ad Leges Friſionum &c. Volumine III. hujus Collectionis.

(2) *Proinde cum quiſquis.*) Ex hiſce verbis incipit lex in Hiſpanico. Quæ in Latino Codice præcedunt, deſunt ibidem. Et revera illa ſunt Prologus ad legem potius quam legis pars eſſentialis.

(3) *Spem partus ſui.*) Jure quoque Romano inhibita erant viduabus matrimonia intra annum luctus. *Cod. Theodoſ. de ſecund. nupt. lege I.* De legis ratione plura apud interpretes. At vero huc præcipua redditur interdicti cauſa, *ne hæc quæ a marito gravida relinquitur .... ſpem partus ſui, priuſquam naſcatur, extinguat.*

(4) *Sit ancilla domino ejus ſervi.*) Alias animadverti ex juriſprudentia, quæ ſaltem ævo ſequiori vigebat, ſervitutem fœminæ liberæ ſervo nuptæ diſſolvi defuncto marito, adeo ut viduæ jus eſſet in libertatem redire. Conſule dicta ad Legem Alamannorum Tit. XVIII. Idem obtinuiſſe & in Hiſpania colligimus ex *Foro Alphonſi*, quem Villadiego allegat Comment. in

Filii tamen & quandocunque & quanticunque, qui ex ea iniquitate fuerint procreati, conditionem patris sequantur, ut in servitio permaneant. Facultatem vero mulieris propinqui sui legali successione conquirant. Quod si hi, qui de tali contubernio extiterint geniti, per triginta annos per testem legitimum se ingenuos mansisse docuerint, a servitutis cathena soluti, ingenuitatis se gaudeant titulo decorari. Si tamen parentes illorum infra illud tricennium, quo filii ipsorum se ingenui esse probaverint, nihil de conditione servitutis dominis suis persolverint, unde ipsi filii eorum videantur obnoxii servituti. Ipsam autem legem præcepimus custodiri & de viris ingenuis, qui regias ancillas, vel etiam cujuscunque habuerint copulatas conditionis, ut hæc forma servetur.

IV. ANTIQUA.

Si mulier liberta servo alieno, vel libertus ancillæ se societ.

Si mulier liberta servo alieno sese conjunxerit, aut in matrimonio sociaverit, contestetur ei tertio dominus servi, præsentibus tribus testibus, ut ab hac conjunctione discedat. Et post trinam commonitionem vel contestationem, si se separare noluerit, sit ancilla domino ejus, cujus servo se conjunxit. Si vero non contestata fuerit, antequam filii nascantur, illa in libertate permaneat. Agnatio autem servi domino deputetur; quia liberi esse non possunt, qui ex tali conditione nascuntur. Similis & de manumissis viris, qui se cum ancillis alienis miscuerint, hujus legis forma servetur. Nam si cum domini voluntate & permissione servo alieno manumissa se forte conjunxerit, & cum ipso domino servi placitum fecerit, omnino placitum ipsius jubemus stare.

V. FLS. GLS. RCHDS. REX.

Si quicunque servo alieno ancillam suam, vel servo suo alienam conjungat ancillam.

Quicunque ancillam suam servo alieno sine conscientia domini sui uxorem dederit, & hoc certis probationibus inveniatur; dominus servi ancillam ipsam cum filiis sibi omnimodis vindicabit. Similiter & de illis ordinamus, qui servo suo ancillam alienam conjunxerint, ut conditionis hæc forma servetur.

VI. ANTIQUA.

Si mulier absente viro suo alium sibi maritum assumat.

Nulla mulier absente viro suo, alteri viro se præsumat conjungere, usque dum de viro suo certis cognoscat indiciis, si vere mortuus fuerit. Quod similiter & ille inquirat, qui eam sibi vult in conjugio copulare. Si vero hoc facere distulerint, & sic se inlicita præsumptione conjunxerint, & postmodum prior maritus reversus fuerit, ambo in ejus potestate tradantur: ut quid de eis facere voluerit, seu vendendi, sive quid aliud faciendi, habeat potestatem.

VII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Si dominus servos suos esse mentientes ingenuos, mulieribus eos conjungat ingenuis.

Resistendum est pravorum ausibus, ne pravitatis amplius frena laxentur. Plerique enim studio cupiditatis illecti solent interdum mulieres ingenuas puellasque prave decipere, & simulantes ad tempus servos suos esse ingenuos, hortantur eas maritos illos accipere, quos postea natis prolibus in servitutem facile possunt redigere. Ut ergo fraudis hujus aditus extirpetur, præsenti jugiter mansura lege sancimus: ut deceptores rei istius manifeste detecti crimine notentur infamiæ, & illi quos sub nomine ingenuitatis antedictis personis reperiuntur associasse, sic ingenui cum filiis suis perenniter maneant, sicut eos ipsorum domini ingenuos professi jam antea fuerant. Sed & res omnes a tempore nuptiarum acceptas seu promissas, mulier vel puella sibimet vindicabit, si per idoneam probationem convicerit, maritum de quo agitur sub ingenuitatis spe sibi sociatum fuisse. Certe si puella vel mulier, aut etiam ipsorum parentes, id quod prædictum est, ita factum approbare nequiverint, servos pariter & eorum filios una cum rebus omnibus indubitanter petitor obtinebit. Hic & de illis ancillis ordo servandus est, quæ viris ingenuis tali noscuntur fraude esse conjunctæ. Nam & de libertis, quos ita constiterit copulatos existere cum ancillis aut servis, hujus servanda erit sanctio legis.

VIII. ANTIQUA.

Si absque voluntate parentum mulier ingenua marito sese conjungat ingenuo.

Si puella ingenua ad quemlibet ingenuum ve-

in Prologum ad *Fuero Juzgo* lege VIII. *Toda moller, que le toller su marido, siendo soterrado, ende vaya a la egreja con una albarda a las cuestas, y de ende tres vegadas con el cantero del albarda en el canto de la fossa, y diga alli:* Villano toma alla tu villania, que yo quiero me acoyer con mi fidalguia; *y ende dexe el albarda, y dende en adelante sea como deantes, y ella y sus bienes gozen de su fidalguia.*

venerit ea conditione, ut eum sibi maritum acquirat, prius cum puellæ parentibus conloquatur: & si obtinuerit, ut eam uxorem habere possit, precium dotis parentibus ejus, ut justum est, impleatur. Si vero hoc non potuerit obtinere, puella in parentum voluntate consistat. Quod si absque cognitione & consensu parentum eadem puella sponte fuerit viro conjuncta, & eam parentes in gratiam recipere noluerint, mulier cum fratribus suis in facultate parentum non succedat, pro eo quod sine voluntate parentum transierit pronior ad maritum. Nam de rebus suis si aliquid ei parentes donare voluerint, habeant potestatem. Ipsa quoque de donatis & profligatis rebus, faciendi quod voluerit libertatem habeat.

TITULUS III. De raptu virginum vel viduarum.

I. ANTIQUA.

Si ingenuus ingenuam rapiat mulierem, licet illa virginitatem perdat, iste tamen illi conjungi non valeat.

SI quis ingenuus rapuerit virginem vel viduam; si, antequam integritatem virginitatis aut castitatis amittat, puella vel vidua potuerit a raptu revocari, medietatem rerum suarum ille qui rapuit perdat, ei quam rapuerit consignandam. Si vero ad immunditiam, quam voluerit, raptor potuerit pervenire, in conjugio puellæ vel viduæ mulieris, quam rapuerit, per nullam compositionem jungatur; sed cum omnibus rebus suis tradatur ei cui violentus fuit, & ducentos insuper in conspectu omnium publice ictus accipiat flagellorum, & careat ingenuitatis suæ statu, parentibus ejusdem cui violentus extiterit, aut ipsi virgini, vel viduæ quam rapuerit, in perpetuum serviturus: ita ut ad ejus quam rapuerat conjugium nullo unquam tempore redeat. Quod si factum fortasse constiterit, quicquid de raptoris rebus pro contumelia sua perceperat, una cum ipso raptore amittat, illis procul dubio parentibus profutura, quorum hoc negotium fuerit exequutum instantia. Quod si vir de alia uxore filios habens legitimos, raptum postea fecisse convincitur, ipse videlicet solus in ejus quam rapuit serviturus potestate tradatur. Res tamen raptoris, filii ejus legitimi obtinebunt.

II. ANTIQUA.

Si a potestate raptoris puellam parentes eripere potuerint.

Si parentes mulierem vel puellam raptam excusserint, ipse raptor parentibus ejusdem mulieris vel puellæ in potestate tradatur, & ipsi mulieri penitus non liceat ad eundem virum se conjungere. Quod si facere præsumpserit, ambo morti tradantur. Si certe ad Episcopum vel altaria sancta confugerint, vita concessa omnimodis separentur, & parentibus raptæ servituri tradantur.

III. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si consentiant raptori parentes de disponsata puella.

Si parentes raptori consenserint, pretium filiæ suæ, quod cum priore sponso definisse noscuntur, in quadruplum eidem sponso cogantur exsolvere. Idem vero raptor legibus sponso inexcusabiliter maneat abdicatus.

IV.

Si fratres, vivo aut defuncto patre, consentiant raptori sororis.

Si vivo patre fratres raptori consenserint, aut in raptu sororis conscii comprobantur, excepta morte, dampnum quod de raptoribus est constitutum excipiant. Si vero post obitum patris fratres sororem suam raptori tradiderint, vel raptori levandam consenserint, pro eo quod eam vel vili personæ, vel contra voluntatem suam nuptui tradiderint, cujus etiam honorem debuerant exaltare, medietatem facultatis suæ amittant, ipsi nihilominus sorori tradendam: & insuper in præsentia aliorum, a judice quinquagena flagella suscipiant, ut hoc alii terrore commoti formident. Adjutores vero raptoris, qui cum ipso fuerint, disciplinam accipiant, sicut est in lege alia (1) constitutum. Raptor autem inexcusabiliter superiori lege, & in rebus, & in status sui dignitate dampnetur.

V. ANTIQUA.

Si quicunque rapiat alienam sponsam.

Si alienam sponsam quicunque rapuerit, de raptoris ipsius facultatibus medietatem puellæ, aliam vero medietatem sponso jubemus addici. Quod si minimam aut nullam habeat facultatem, is quem supra memoravimus, cum omnibus quæ habuerit tradatur ad integrum: ita ut venundato raptore de ejus pretio æquales habeant portiones. Ipse autem raptor, si peractum scelus est, puniatur.

VI. ANTIQUA.

Si quispiam de raptoribus occidatur.

Si quispiam de raptoribus fuerit occisus, ille qui percussit ad homicidium non teneatur, quod pro defendenda castitate commissum est.

VII.

(1) *In lege alia.*) In Hispanico: *en la otra ley postrimera del titol.* Quam consule.

VII. ANTIQUA.

Infra quod tempus liceat accusare raptorem; & si parentibus vel puellæ cum raptore de nuptiarum definitione conveniat.

Raptorem virginis vel viduæ infra xxx. annos omnino liceat accusare. Quod si cum puellæ parentibus, sive cum eadem puella vel vidua, de nuptiis fortasse convenerit, inter se agendi licentia negari non poterit. Transactis autem triginta annis omnis accusatio sopita manebit.

VIII. FLS. CHDS. REX.

Si servi mulierem ingenuam rapuerint.

Æquitatis opportunitas exigit legem ponere sequuturis, unde dubitationis occasio inter præsentes occurrit. Servi igitur si sciente domino vel jubente raptum facere præsumpserint, ad omnem legalem satisfactionem servorum dominus judicis instantia compellendus est. Quod si extra voluntatem domini, servi talia perpetraverint; judicis iidem sententia [1] comprehensi, ac decalvationis fœditate mulctati, trecentenis insuper singuli flagellorum ictibus verberentur. Ille tamen servus, qui ingenuæ mulieri per rapinam copulari quæsivit, pœnali sententiæ subjacebit.

IX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si servus mulierem libertati traditam rapuerit.

Si servus libertam rapuisse detegitur, quoniam jam non unius conditionis esse noscuntur, ideo, si idoneus servus est, qui talia commisisse detegitur, & idoneam libertam rapuisse invenitur; si voluerit dominus ejus, c. solidos pro eo componat; si certe noluerit, eundem servum tradere non desistat: ita ut ipsi mulieri ultra non liceat eundem raptorem sibi in conjugio copulare. Quod si ad ejus aliquando conjugium venerit, & filii exinde fuerint procreati; dominus ille, cujus servus rapti crimen admiserat, & servum & agnationem sibi vindicet servituram. Si autem rusticus, aut vilissimus servus esse noscatur, & similem libertam rapuisse cognoscitur; quantum ipsum servum valere constiterit, tantum pretium dominus servi prædictæ mulieri persolvere procurabit. Ipse vero servus, centenis flagellorum ictibus verberatus, ac turpiter decalvatus (1), in potestate domini sui erit perpetim permansurus.

X. FLS. CHDS. REX.

Si servus ancillam alterius rapuerit.

Si servus ancillam juris alieni rapuerit, ducentorum flagellorum verberibus cæsus ac decalvatus; ab ancilla etiam, si dominus ancillæ voluerit, absque dubio separetur.

XI. FLS. CHDS. REX.

De sollicitatoribus filiarum & uxorum alienarum, vel etiam viduarum; ac de his, qui puellam aut viduam ingenuam, absque regio jussu, violenter dare marito præsumpserint.

Omne quod honestatem vitæ commaculat, legalis necesse est ut censura coerceat. Idcirco sollicitatores (2) adulterii uxorum vel filiarum alienarum, atque viduarum vel sponsarum, si per ingenuum vel ingenuam, seu per servum aut ancillam, atque etiam libertam aut libertum, mox manifestis indiciis talium scelerum mandata deferentes patuerint, cum eis etiam a quibus missi fuerint, judicis instantia comprehensi, in ejus potestate tradantur, cujus uxorem, vel filiam, vel sponsam sollicitasse reperiuntur: ut illi quoque de his quod voluerit sit judicandi libertas, quem conjugalis ordo, vel parentalis propinquitas, hujus ultorem criminis legaliter esse demonstrat. Illi quoque qui puellam ingenuam vel viduam absque regia jussione marito violenter præsumpserint tradere, quinque libras auri ei, cui vim fecerint, cogantur exsolvere: & hujusmodi conjugium, si mulier dissentire probatur, irritum nihilominus habeatur.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De ingenuis atque servis, quos in raptu interesse constiterit.

Qui in raptu interfuisse cognoscitur, si liber est, sex auri uncias reddat, & quinquaginta ictus flagellorum publice extensus accipiat. Nam si servus fuerit, & sine domini

[1] Al. *judicis ejusdem instantia.*

---

(1) *Turpiter decalvatus.*) In Hispanico: *Desfolalo muy laydamientre toda la fronte.* Decalvatio, cujus pluries in Wisigothorum lege mentio fit, non erat, ut quibusdam visum est, simplex capillorum detonsio, vel rasura, sed cutem ipsam afficiebat, ita ut maneret perpetua dedecoris nota. De fœminæ decalvatione Villadiego in hunc locum ait recte fuisse declaratum, quod turpiter decalvare erat idem, quod *bazer calva, fea, y vergonçosa, y desollar la mollera;* adducitque Ambrosium de Morales Chronicæ Generalis Lib. XII. c. 4. dicentem, *que a los que assi eran penados, les corria sangre de la cabeça por el rostro:* concluditque decalvationis pœnam *publicæ, atque perpetuæ* infamiæ notam extitisse, quod & ex antiquis colligimus monumentis. Consule inter cætera infra legem 5. Tituli IV. Libri VI, ubi hæc leguntur: *Ad PERENNEM INFAMIAM deformiter decalvetur.*

(2) *Idcirco sollicitatores.*) Ridicula est pœna lenonibus in Hispania infligi solita. *Hodie de consuetudine flagellantur lenones uncti mele, & plumis cooperti, & cum mitra; ut notat Didacus Perez, aliique.* Villadiego in hunc locum.

ni voluntate hoc fecerit, c. publice flagella fuscipiat. Quod fi fervus in raptu interfuerit cum domini voluntate, dominus ita pro eo componat, ficut & de ingenuis eft conftitutum.

Titulus IV. De adulteriis.

I. Antiqua.

Si connibente, aut non connibente uxore cum alio viro adulterium fiat.

Si quis uxori alienæ adulterium intulerit violenter, fi ipfe adulter filios habens legitimos talia perpetraverit, ipfe folus abfque rebus addicatur marito mulieris. Si autem filios legitimos non habuerit, quibus facultas fua deberi legitime poffit, cum omnibus rebus fuis in poteftatem mariti mulieris deveniat, ut in ejus poteftate vindicta confiftat. Quod fi mulieris fuerit fortaffe confenfus, marito fimilis fit poteftas de his faciendi quod placet (1).

II. Antiqua.

Si puella vel mulier difponfata adulteraffe reperiatur.

Si inter fponfum & fponfæ parentes, aut cum ipfa forfitan muliere, quæ in fuo confiftit arbitrio, dato precio, & ficut confuetudo eft, ante teftes facto placito, de futuro conjugio, aut cum parentibus ejus, quibus lex poteftatem tribuit, facta fuerit definitio, & poftea puella vel mulier adulterium commififfe detegatur, aut fortaffe alteri viro fe difpondiffe, vel in conjugio fociaffe probatur, una cum adultero five injufto marito, vel fponfo illicito, quem fibi contra priorem definitionem fociare præfumpfit, in poteftate prioris tradantur fponfi, cum rebus fuis omnibus fervituri: fi tamen filios de priori conjugio adulter ille vel tranfgreffor, feu mulier ipfa non habuerit. Quod fi filios legitimos habere probantur, tunc omnes res ad eofdem filios pertinebunt. Ipfi tamen, id eft, tam mulier ipfa fcelerata, quam etiam vir ille qui illam adulteraffe, vel fponfaffe, vel in conjugio fibi fociaffe dinofcitur (2), in poteftate illius, cui primum prædicta mulier pacta fuerat, fervituri tradantur; ut de his quod voluerit faciendi habeat poteftatem, & pretium ad illum fponfum qui dederat, revertatur.

III. Antiqua.

De adulterio uxoris.

Si cujuslibet uxor adulterium fecerit, & deprehenfa non fuerit, ante judicem competentibus fignis & indiciis maritus accufet. Quod fi mulieris adulterium manifefte patuerit, adulter & adultera fecundum fuperioris legis ordinem ipfi tradantur: ut quod de eis facere voluerit, in ejus proprio confiftat arbitrio.

IV. Antiqua.

Si adulter cum adultera occidatur.

Si adulterum cum adultera maritus vel fponfus occiderit, pro homicida non teneatur.

V. Antiqua.

Si pater vel propinqui in domo adulteram occiderint filiam.

Si filiam in adulterio pater in domo fua occiderit, nullam pœnam aut calumniam incurrat. Si certe eam refervare voluerit, faciendi de ipfa & adultero quod voluerit, habeat poteftatem. Similiter & fratres five patrui, poft obitum patris, faciendi habeant poteftatem.

VI. Fls. Gls. Rcds. Rex.

Quod fervi præventos adulteros occidere non jubentur.

Sicut parentibus in domo repertos adulteros necare conceditur, ita præventi a fervis perimi non jubentur: fed cum eos fervi repererint, fub honefta cuftodia teneant, donec aut domino domus, aut judici præfentandos legalis pœna percellat.

VII. Antiqua.

Si puella vel vidua ad domum alterius pro adulterio venerit, eamque vir ipfe conjugem habere velit.

Si puella ingenua five vidua ad domum alienam adulterii cauffa venerit, & ipfam ille uxorem habere voluerit, & parentes, ut fe habeant, acquiefcant; ille pretium det parentibus, quantum parentes puellæ velint, vel quantum ei cum ipfa muliere convenire potuerit. Puella vero de parentum rebus nullam inter fratres fuos, nifi parentes voluerint, habeat portionem.

VIII.

---

(1) *Faciendi quod placet.*) In Hifpania hodie etiam, inquit Villadiego in hunc locum, adulterio probato tam adulter, quam adultera, per fententiam judicis ponuntur in manibus, & poteftate mariti, ut faciat de eis, & eorum bonis quicquid voluerit, etiam eos occidendo, vel aliam qualibet offenfam, vel injuriam inferendo. Sed debet ambos eodem genere pœnæ afficere, ut refolvit Didacus Perez.

(2) *Sociaffe dinofcitur.*) Severiorem hac in re legem exhibet lex Burgundionum Tit. LII, decernens crimina hujufmodi capitis amiffione fore plectenda. Hæc perpendo, ut dignofcantur cafta hac in re inftituta veterum Barbarorum.

VIII. ANTIQUA.

Si mulier ingenua sponte adulterio cuicunque se misceat viro.

Si ingenua mulier cuicunque viro se adulterio volens miscuisse detegitur: si eam ipse uxorem habere voluerit, habeat potestatem: si autem noluerit, suæ imputet culpæ, quæ se adulterio volens miscuisse cognoscitur.

IX. ANTIQUA.

Si mulier ingenua alterius marito sese adulterii jungat [1] *stupro.*

Si qua mulier ingenua marito alicujus (1) adulterio se sociaverit, & ex hoc manifestis indiciis & probatione convincitur, addicatur uxori, cujus marito se miscuit, ut in ipsius potestate vindicta consistat.

X. ANTIQUA.

Pro adulterio torquendos servos & ancillas in capite dominorum.

Pro caussa adulterii etiam in domini dominæve capite servi vel ancillæ torquendi sunt: ut veritas & certius possit inveniri, & indubitanter agnosci.

XI. ANTIQUA.

Si pro celando adulterii scelere mancipium libertati tradatur.

Si quis pro occultanda veritate mancipium manumittat, ne possit pro adulterii probatione torqueri, libertas data non valeat.

XII. FLS. CHDS. REX.

De adulterorum conjugum rebus.

Præteritæ quidem legis sanctione constitutum recolimus, adulteram mulierem pariter & adulterum marito ejus tradi debere. Tamen quia de rebus eorum sæpe judices dubitare contingit, ideo specialiter decernere necessarium extitit: ut si uxoris adulterium proponente viro manifeste patuerit, & tam adultera quam adulter de priori conjugio legitimos filios non habuerint, omnis eorum hereditas marito mulieris adulteræ cum personis pariter addicatur. Certe si filios legitimos de priori conjugio adulter habuerit, ipsis ejus hereditas ex omnibus pertinebit, & hujus tantum persona marito adulteræ subjacebit. Uxor autem adultera, si de priori conjugio & de postremo legitimos filios habere dinoscitur, sequestrata filiis de priore conjugio portione, & in eorum potestate relicta, sic suorum filiorum, ex eadem quæ postmodum in adulterio convincitur conjuge creatorum, maritus ejus portionem obtineat, ut post suum obitum eisdem filiis possidendam relinquat: ita tamen, ut postquam uxor adultera in potestatem fuerit mariti redacta, nulla sit illi ulterius vel fornicandi cum illa, vel in conjugio illam sibi sociandi licentia. Nam si fecerit, ipse quidem de rebus ejus nil habiturus est. Omnis tamen mulieris facultas, aut filiis ejus legitimis, aut, si filii defuerint, heredibus mulieris ex toto proficiat. Similis ratio & de sponsatis forma servetur.

XIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De personis quibus adulterium accusare conceditur, & qualiter perquiri vel convinci jubetur.

Si perpetratum scelus legalis censura non reprimit, sceleratorum temeritas ab adsuetis vitiis nequaquam quiescit. Ideoque quia quorundam interdum uxores viros suos abominantes, seseque adulterio polluentes, ita potionibus (2) quibusdam, vel maleficorum factionibus, eorundem virorum mentes alienant atque præcipitant, ut nec agnitum uxoris adulterium accusare publice vel defendere valeant, nec ab ejusdem adulteræ conjugis consortio vel dilectione discedant: id in caussis talibus omnino servandum est, ut si ejusdem adulteræ, vel decepti mariti ætate sunt legitimi filii, ipsis juxta quod maritus adulteræ requirere poterat, sit apud judicem mulieris adulterium accusandi vel comprobandi licentia. Certe si aut filii desunt, aut non ejusdem ætatis vel solertiæ, qui hoc expedire legitime possint, ne fortasse, dum dilatio ulciscendi adulterii intercedit, aut deceptum maritum fraudulenter adultera perimat, aut facultas ejus filiis suis vel propinquis ex hac occasione depereat, propinquis mariti adulteræ sub hac discretione accusandi adulteram lex ista constituit: ut si accusationis hujus fiduciam assumentes, adulterium mulieris eorum inquisitione coram judice manifeste patuerit, tunc adulter sive etiam adultera (3), qui hoc scelus convicti fuerint commisisse, cum omnibus rebus suis

[1] Al. *misceat*.

(1) *Marito alicujus.*) Jure Romano, ait Heineccius Elem. Jur. German. libro II. art. 153. in nota, adulterium admittebat uxor, quę alii, quam viro suo corporis usum præbebat, non maritus qui innuptam subagitaverat. At jure Wisigothorum etiam innupta ingenua, quæ alterius marito se substraxerat, uxori tanquam adultera addicebatur.

(2) *Ita potionibus.*) Persuasio Barbaris inoleta, quæ censeri potest ab antiquis Europæ incolis derivata, ut crederent poculis, seu phyltris, præcipue amatoriis, mentes hominum infici usque ad prodigium. De quo cursim egi in animadversionibus ad Indiculum Paganiarum N. XXII. Volumine Tertio hujus Collectionis.

(3) *Tunc adulter, sive etiam adultera &c.* usque ad *decernimus.*) Hæc desunt in Hispanico.

suis illis incunctanter [1] tradendi sunt servituri, qui hanc causationem [2] secundum institutionem legis visi fuerint justissime prosequi, salvis tantum animabus (1), quas ad lamenta pœnitentiæ pietatis indulgentia reservamus; ea tamen quæ in detruncatione [3] vel flagello corporis in eis impertire voluerint, licentiam per hujus legis sanctionem decernimus. Veruntamen, tam ejusdem adulteræ filii ex ipso jam tempore, quo convicta fuerit tale facinus perpetrasse; quam etiam propinqui sui, post ejus viri obitum, si filii defuerint, adulteræ mulieris obtineant facultatem. Si autem filii post ejus obitum superstites extiterint, & tamen aut non ejusdem ætatis, aut non talis experientiæ, qui mulieris adulterium accusare vel convincere competenter intendant; tunc ille propinquus mariti, qui manifestum mulieris adulterium ultus fuerit, quintam partem facultatis adulteræ pro labore suo percipiat: quatuor autem partes ad integrum prædictorum filii sibi vindicent ac defendant. Nam si aut propinquorum in hac parte tepiditas, aut filiorum negligentia, vel fortassis muneris acceptio, utrosque corrumpens, minime fuerit eadem actio a talibus personis quæsita; dum ad regiam cognitionem eadem caussa pervenerit, ipse procul dubio pro mercede sua constitutus est, vel a quo debeat tale negotium prosequi, vel quantum persequutor de rebus sceleratæ mulieris pro commodo sui laboris incunctanter consequi possit. Verum quia difficile fieri potest, ut per liberas personas mulieris adulterium indagetur, dum frequenter hoc vitium occulte perpetrari sit solitum: proinde quando ad convincendum adulterium accusatæ mulieris ingenuitas omnino defuerit, prædictis personis quibus ejus adulterium accusare præsenti lege permissum est, hoc etiam aperte licitum erit, ut per quæstionem familiæ utriusque domini accusatæ mulieris adulterium coram judice justissime requiratur.

XIV. ANTIQUA.

Si ingenuus sive servus virginem aut viduam ingenuam violenter polluisse adulterio detegatur.

Si virginem quisque vel viduam ingenuam violenter adulterandam compresserit, vel stupri forsitan commixtione polluerit: si ingenuus est, c. flagellis cæsus, illi continuo, cui violentus extitit, serviturus tradatur: servus vero comprehensus a judice ignibus concremetur. Ingenuus tamen pro hujusmodi scelere traditus, nullo unquam tempore ad ejus, quam compressit vel stupravit, pervenire conjugium admittatur. Quod si hæc ipsa mulier, quæ violentiam pertulit, postea eum sibi traditum servum acceperit, aut qualibet occasione eum sibi in conjugio copulare præsumpserit; tunc ipsa mulier, turpissimæ factionis suæ sentiens damna, cum omnibus rebus suis propriis heredibus servitura subjaceat.

XV. ANTIQUA.

Si ingenuus sive servus, sciente aut nesciente domino, alienam consentientem adulterasse convincitur ancillam.

Si extra domum domini sui se adulterio volens ancilla miscuisse convincitur, ancillam tantummodo judicandi dominus habeat potestatem. Si vero ingenuus aut servus cum ancilla ex consensu in domo domini ancillæ reperiantur talia commisisse: ingenuus quidem pro idonea ancilla absque infamia centum verbera ferat, pro inferiori vero quinquaginta: servus autem centum quinquaginta flagella suscipiat.

XVI. ANTIQUA.

De adulterio ancillæ, si cum adultero violenter id fecisse convincitur [4].

Si ancillam quicunque violenter compresserit alienam, eamque adulteraverit, & vel in domo domini sui fuerit comprehensus, vel in quocunque loco violentus extitisse convincitur, servus quidem ducentos ictus accipiat flagellorum: ingenuus vero quinquaginta, & insuper xx. solidos ancillæ domino coactus exsolvat. Dominus tamen, si id servo faciendum jussisse probatur, superiori ingenuorum & damno & flagello subjaceat.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De meretricibus (2) ingenuis vel ancillis, aut si earum scelus judices perquirere vel corrigere recusent.

Si aliqua puella ingenua sive mulier, in civitate publice fornicationem exercens, mere-

[1] Al. concite. [2] Al. accusationem: al. causam. [3] Damnatione. [4] Al. probetur.

(1) *Salvis tantum animabus.*) Hoc est, *excepta morte*. Manebat ex sententia judicis læso vel accusanti jus vindictæ, ita tamen, ut in casu, de quo hic agitur, mors non infligeretur. Quod sane firmare videtur regulam in contrarium, ut in aliis casibus in Wisigothorum Codice descriptis, in quibus absque exceptione læso potestas traditur *faciendi* in reum, *quod voluerit*, ex judicis sententia aut declaratione læso jus esset reum quoque morte mulctare. Quod privatæ ultionis genus Gothicæ genti insuetum certe non fuit etiam temporibus conditi Codicis. Infra lib. VII. Titulo III. lege 3. præscriptum est, ut plagiator filii *proximis parentibus in potestate tradatur, ut illi occidendi, aut vendendi eum habeant potestatem*. Jus privatæ vindictæ inter Barbaros quondam usitatum, Gothis perstrictum fuisse dignoscitur, sed non sublatum.

(2) *De meretricibus.*) Hæc lex, quæ infames fœminas publicæ libidinis victimas conatur e Regno tollere, pulchre nos edocet adhuc sub no-

retrix agnoſcatur, & frequenter deprehenſa in adulterio, nullo modo erubeſcens, jugiter multos viros per turpem ſuam conſuetudinem attrahere cognoſcitur, hujuſmodi a Comite civitatis comprehenſa trecentenis flagellis publice verberetur, & diſcuſſa ante populum dimittatur: ſub ea conditione, ut poſtmodum in turpibus vitiis nullatenus deprehendatur, nec unquam in civitatem ei veniendi aditus detur. Et ſi poſtmodum ad priſtina facta rediiſſe cognoſcitur, iteratim a Comite civitatis trecentena flagella ſuſcipiat, & donetur a nobis alicui pauperi, ubi in gravi ſervitio permaneat, & nunquam in civitate ambulare permittatur. Et ſi forte contingat, ut cum conſcientia patris ſui vel matris adulterium admittat, ut quaſi per turpem conſuetudinem & converſationem victum ſibi vel parentibus ſuis acquirere videatur, & ex hoc pater vel mater fuerint pro hac iniqua conſcientia fortaſſe convicti, ſinguli eorum centena flagella ſuſcipiant. Si vero ancilla cujuſcunque in civitate ſimili converſatione habitare dinoſcitur, a judice correpta trecentis flagellis publice verberetur, & decalvata domino reformetur, ſub ea conditione, ut eam longius a civitate faciat converſari; aut certe tali loco tranſvendat, ubi penitus ad civitatem acceſſum non habeat. Quod ſi forſitan nec ad villam tranſmittere, nec vendere voluerit, & hæc iterum ad civitatem reverſa fuerit; hujuſmodi dominus in conventu publice quinquaginta flagella ſuſcipiat. Ipſa vero ancilla donetur alicui pauperi, cui Rex, vel Judex, aut Comes (1) eligere voluerint: ita ut poſtmodum ad eandem civitatem illi veniendi aditus non præſtetur. Quod ſi contigerit, ut cum domini voluntate adulterium commiſiſſet, adquirens per fornicationem pecuniam domino ſuo, & ex hoc publice fuerit convictus, ipſe dominus eundem numerum flagellorum, qui ſuperius de eadem continetur ancilla, ſuſcipiat. Similiter & de ipſis præcipimus cuſtodiri, quæ per vicos & villas in adulterii conſuetudine fuerint deprehenſæ. Quod ſi judex per negligentiam, aut fortaſſe beneficio retentus, talia vitia requirere, aut conteſtari, vel diſtringere noluerit; a Comite civitatis c. flagella ſuſcipiat, & xxx. ſolidos reddat ei, cui a nobis fuerit ordinatum.

XVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De immunditia ſacerdotum & miniſtrorum.

Quia quanto magis munditiam carnis ſacra auctoritas imperat, tanto hanc appetere ipſius miniſtros ejus clamor informat: ideo & nos ponere finem inlicitis auſibus rite compellimur, quoniam & ipſi divinis nutibus devotiſſime placere conamur. Igitur quemcumque etiam presbyterum, diaconum atque ſubdiaconum, Deo votæ, viduæ, pœnitenti, ſeu cuicunque virgini, vel mulierculæ ſæculari, aut conjugio aut adulterio commixtum eſſe evidentiſſime patuerit, mox hoc Epiſcopus ſive Judex, ut repererint talem commixtionem, diſrumpere non retardent. Redacto autem illo in ſui Pontificis poteſtatem, ſub pœnitentiæ lamenta juxta ſacros Canones deputetur. Quam diſtrictionis ſeveritatem, ſi Pontificum torpor implere neglexerit, idem Pontifex duas libras auri fiſco perſolvat, & commiſſum malum vindicare non differat. Quod ſi corrigere hoc nequiverit, aut concilium appellet, aut Regis hoc auditibus nunciet. Mulieres vero, quæ illis fuerint prædictis immunditiis implicatæ [1], centenis flagellis a Judicibus verberentur, & commiſcendi ſe illis aditus omnino denegetur: ſervata ab Epiſcopis etiam ſuper hoc ſcelere in utroque ſexu patrum ſententia, quæ Canonum decretis agnoſcitur ordinata. In ulciſcendis autem talibus ſceleribus non paſſim damus accuſandi vel puniendi licentiam, niſi aut manifeſtis indiciis patuerit ſcelus, aut legitime fuerit idipſum malum accuſatum atque con-

1 *Copulatæ.*

noviſſima tempora Gothici Regni a legislatoribus aliquas ſaltem antiquæ hac in re ſeveritatis reliquias ſervatas fuiſſe, quam miris laudibus extollit Salvianus de Gubernatione Dei libro VII., cujus verba more ſuo in Romanos acria, in gloriam tamen Gothicæ, atque Vandalicæ gentis huc referri merentur: *Quid accedit inſuper ad mala noſtra? Inter pudicos Barbaros impudici ſumus. Plus adhuc dico; offenduntur Barbari ipſi impuritatibus noſtris. Eſſe inter Gothos non licet ſcortatorem Gothum; ſoli inter eos præjudicio nationis ac nominis permittuntur impuri eſſe Romani. Et quæ nobis, rogo, ſpes ante Deum eſt? Impudicitiam nos diligimus, Gothi execrantur: puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen, atque diſcrimen eſt, apud nos decus. Et putamus nos ante Deum poſſe conſiſtere? Putamus nos poſſe ſalvos eſſe, quando omne impuritatis ſcelus, omnis impudicitiæ turpitudo, a Romanis admittitur, & a Barbaris vindicatur. Hic nunc illos quæro, qui meliores nos putant eſſe quam Barbaros: dicant, quid horum vel pauciſſimi Gothi faciunt, vel quid non horum Romani omnes, vel pene omnes. Et miramur, ſi terræ vel Aquitanorum, vel noſtrorum omnium a Deo Barbaris datæ ſunt: cum eas quas Romani polluerant fornicatione, nunc mundent Barbari caſtitate.* Hæc Salvianus, qui inde præclariora adhuc de Vandalis diſſerens, ſic verſus finem libri concludit. *Erubeſcamus quæſo, & confundamur. Jam apud Gothos impudici non ſunt niſi Romani: jam apud Vandalos nec Romani. Tantum apud illos profecit ſtudium caſtimoniæ, tantum ſeveritas diſciplinæ. Non ſolum quod ipſi caſti ſint, ſed ut rem dicamus novam, rem incredibilem, rem pene etiam inauditam, caſtos etiam Romanos fecerunt. Si infirmitas id humana pateretur, exclamare ſuper vires meas cuperem, ut toto orbe reſonarem. Pudeat nos Romani ubique populi, pudeat vitæ noſtræ: nullæ pene urbes luſtris, nullæ omnino impuritatibus vacant, niſi illæ tantum, in quibus Barbari eſſe cœperunt.*

(1) *Rex, vel Judex, aut Comes.*) In Hiſpanico: *El Rey, o el Conde, o el Duc.*

convictum: quatenus nulla videamur intentione vel ordine patrum transgredi præcepta sanctorum, aut obviare sacris regulis antiquorum.

TITULUS V. De incestis & apostatis atque masculorum concubitoribus.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De conjugiis & adulteriis incestivis.

NUllus præsumat de genere patris vel matris, avi quoque vel aviæ, seu parentum, uxoris, fratris [1] etiam desponsatam aut viduam, vel propinquorum suorum relictam, sibi in matrimonio copulare, vel adulterio polluere: ita ut usque ad sextum generis gradum nulli liceat sanguinis propinquitatem libidinose fœdare, vel in conjugio appetere; exceptis illis personis, quas per ordinationem atque consensum Principum, ante hanc legem constat adeptas fuisse conjugium: quæ nequaquam per legis hujus edictum teneri poterunt ad reatum. Similis & de mulieribus ordo servandus est. Qui vero contra hanc constitutionem præsumpserint facere, judex eos non differat separare, ut a tam nefanda pollutione divisi, juxta qualitatem sexus, in monasteriis delegentur illic jugiter permansuri. Quid vero de eorum facultatibus observari conveniat, subterius correctæ legis sententia manifestatur.

II. FLS. GLS. RCHDS. REX.

Item de conjugiis & adulteriis incestivis, seu virginibus sacris ac viduis & pœnitentibus, laicali veste vel coitu sordidatis.

Universis provinciis Domino ordinante ad regni nostri ditionem pertinentibus. Noxia præteritorum operum pravitas fecit futuris temporibus legem ponere, & vitiosis facinoribus licentius inolitis termino justitiæ obviare. Audetur denique a multis, contra divinæ legis monita, vel contra honestos vitæ communis mores, devotas Deo virgines, & continentiam viduitatis cum benedictione sacerdotis juxta morem Canonum profitentes, seu affinitate consanguinitatis conjunctas fœminas, aut violenter, aut per consensum sibi conjuges sumere, & Deo dicatam castitatem vel reverendam generis copulationem, inconcessæ libidinis immunditia sordidare. Quæ temeritas, dum vel a viris vel a fœminis ejusdem professionis admittitur, & castis abhorret moribus, & fidem veram impugnat. Zelamus enim pro veritate zelo Dei, atque Ecclesiam sanctam catholicam, his fidei nostræ commonemus decretis: ut deinceps, sicut & Canones ecclesiastici prohibent, nullus Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam profitentem, seu agentem pœnitentiam, vel sui proximam generis, aut eam de cujus admixtione incestivæ notam possit subire infamiæ, non licito connubio, aut vi, aut consensu accipiat conjugem. Quia nec verum poterit esse conjugium, quod a meliori proposito deducitur ad deterius; & sub falsi nominis copula, incestiva pollutio & fornicationis immunditia perpetratur. Hoc vero nefas si agere amodo provinciarum nostrarum cujuslibet gentis homines sexus utriusque temptaverint, insistente sacerdote vel judice, etiamsi nullus accuset, omnibus modis separati exilio perpetuo relegentur, nec aliqua in defensione sui, quousque vixerint, longitudine temporis excusentur. Eorum vero bona qui talia gesserint, & pro talibus culpis dampna legis hujus exceperint, si eis de priori conjugio filii defuerint, ipsorum filiis absque infamiæ nota omnino proficiant, quia licet sint scelerate concepti, sunt tamen unda sacri baptismatis expiati. Quod si filii fortasse defuerint, illi ad capiendam hereditatem succedant, quibus priscarum legum sanctio legitima successione indulget. Similis quoque de religiosis forma servabitur, quibus nubere Canonum sententia prohibetur: illis tantum fœminis ab hac sententia segregatis, quæ violentiam conjunctionis indebitæ sine præcedenti vel sequenti consensione pertulerint. Sacerdotes vero vel judices, si talia cognoscentes ulcisci fortasse distulerint, quinas auri libras fisco cogantur exsolvere. Quod si forte id redarguere voluerint, nec potuerint, regis hoc auditibus insinuare procurent: ut quod eorum non potuit vindicare sententia, principalis dampnet omnino censura.

III. FLS. GLS. CHDS. REX.

De viris ac mulieribus tonsuram & vestem religionis prævaricantibus.

Apostaticæ calamitatis opprobrium ex hoc merito funditus extirpare compellimur, ex quo Dominum nobis fore propitium confidimus. Si enim cum minima peccata corrigimus, pietatem ejus fautricem nobis efficimus; quanto magis, si scelus in divinitate commissum severissimæ censuræ falce rescindimus? Ideoque hac in perpetuum valitura lege sancimus: ut quicunque religionis habitum per honorabile tonsuræ signum [2], aut tempore pœnitentiæ susceperint, aut non fraudulenta, sed pia parentum oblatione meruerint, aut propriæ voluntatis devotione tenuerint, & ad laicalem conversationem postmodum apostatizando redierint, juxta sententiam canonicam ad eundem religionis ordinem quolibet prosequente reducantur inviti, atque infamiæ nota respersi, & in monasteriis perenniter religati, districtiori macerentur pœnitentia corrigendi. Illis tantum supplicio severitatis hujus indulto, quos aut alienæ fraudis coegit impulsio, aut ad ordinis omissi regressum voluntatis propriæ reduxerit votum: si tamen

1 Al. *patris.* 2 Al. *censuræ signaculum.*

nec vir post hæc uxorem duxerit, nec mulier maritum alterum acceperit. Illos etiam ab hac sententia immunes efficimus, qui sic invalescente langore ad pœnitentiæ vel tonsuræ pervenerint ordinem: ut id se nec accepisse tunc noverint, nec petisse meminerint (1). Prævaricantium vero bona, eorum filiis aut propinquis hac discretione pertineant: ut vir habens uxorem, si filios etiam ex eadem habuerit & donatum aliquid ab ipsa perceperit: si superstes uxor est, ita possideat, ut post suum obitum communibus filiis possidendum relinquat. Certe si aut ipsa discesserit, aut communes filii desunt, proprietatem prævaricatoris viri propinqui ejus heredes incunctanter obtineant. Nam quod ab uxore quolibet tempore donatum fortasse perceperat, propinquis uxoris heredibus absque dubitatione proficiat. Hæc etiam de fœminis omnino servabitur forma: ut pœnitens virgo vel vidua, si veste religiosa deposita, secularia denuo sumpserint indumenta, aut inierint fortasse conjugia, similis eas & in amissione rerum, juxta superiorem de viris taxatum ordinem, censura redarguat, & districtionis pœna percellat: ita videlicet, ut proprietatem fœminæ ejus filii aut heredes habeant: donationem autem a viro perceptam propinqui mariti, a quo conscripta donatio dinoscitur, deberi sibi cognoscant. Et quoniam apostatizandi præcipitatio fraude potius mulierum sæpissime perpetratur, id etiam oportuit præsenti lege censendum: ut quicquid a viro seu ante nuptias, seu post nuptias, in nomine sponsæ vel uxoris titulo fuerit dotali conscriptum, non mulieris ejus heredes, sed heredes ejus qui dotem conscripsit, sibimet per omnia noverint vindicandum. Personis vero talibus accusandi, vel testificandi, atque aliena negotia prosequendi licentiam penitus abnegamus. Quia non poterunt in negotiis secularibus fideles existere, qui devotionem sanctam ausu comprobantur sacrilego temerasse.

IV. IN NOMINE DOMINI FLS. GLS. EGICA REX.

De speciali viduarum fraudulentia compescenda.

Solet quarundam infelicium viduarum astutia fraudem devotioni admiscere, & permixta vestium simultate [1], transgressionis sibi, cum voluerit, aditum reserare. Agunt enim tempore luctus sui, ut religiosa veste forte se induant, & postea transgressionis meditantes insaniam, replicatos abintus clavos suis tunicis insuant, quos induisse sub tali fraudum argumentatione contendant. Sicque per hoc intuentium fallunt oculos: quia aliud in eis publice videre non possunt, quam quod foris patula omnibus cognitione monstratur. Quapropter ut omnis de cætero simultatis [2] amputetur occasio, id tenendum præsenti sanctione legis decernimus, ut abinceps quæcunque vidua isto se fraudum argumento excusare voluerit, ut abintus aliud replicet, aliudque ostendat in superficie tunicæ, hoc illi religionis deputetur in signo, quod ex transgressionis delictis admissa vel adnisa est argumento: quia non quod illa ad transgressionem sibi usurpat, sed quod intuentium fides clamat, hæc certa, hæc vera religionis approbanda sunt signa. Jam vero vidua quæ deinceps tali se voluerit objectione defendere, vel excusatione celare, non solum quasi præcisæ vocis hujus sustinebit jacturam, sed transgressionis omnimodæ nexibus illigata, constituta Canonum & legum non effugiet dampna.

V. FLS. GLS. CHDS. REX.

De masculorum stupris.

Non relinquendum est scelus inultum, quod detestandum semper & execrabile morum pravitate censetur. Masculorum ergo concubitores, vel ii qui talia consentientes pertulerint, ista sunt legis hujus sententia feriendi: ut ubi scilicet mox tale nefas admissum judex evidenter investigaverit, utrosque continuo castrare procuret: & tradens eos Pontifici territorii ipsius, ubi id perpetrari contigerit, sequestratim arduæ mandentur [3] detrusioni, vel inviti saltem luituri commissa, qui voluntarie perpetrasse noscuntur inlicita. Hoc interim horrendum dedecus, si inferens quisque vel patiens, non voluntarius sed invitus explere dinoscitur: tunc a reatu poterit immunis haberi, si nefandi hujus sceleris ipse detector extiterit. Ille proculdubio tenendus est ad pœnam, quem in hanc sponte devolutum constat infamiam [4]. Habentes autem uxores, qui de consensu talia gesserint, facultatem eorum filii aut heredes legitimi poterunt obtinere. Nam conjugi sua tantum dote percepta, suarumque rerum integritate retenta, nubendi cui voluerit, indubitata illi manebit & absoluta licentia.

VI.

1 Al. *vestium simulata*. 2 Al. *simulatis*. 3 Al. *mancipentur*. 4 *Infamiam*.

(1) *Nec petisse meminerint.*) Vigebat in Hispania sententia, quod sicuti baptisma nescientibus parvulis collatum ipsos obstringit religioni Christianæ; ita tonsura, habitusque monasticus pœnitentiæ, ac pietatis caussa impositus iis quos repentina vis morbi sensu privasset, & facultate pœnitentiæ petendæ, illos obstringeret vitæ monasticæ; atque eo vel magis quod ipsimet in hoc consensisse censerentur, quod in eorum profectum cedere putabatur. Quare Tituli, quem exponimus, usus perstitisse non videtur, si vere a Chindasvindo lex edita fuit, prout in fronte legimus. Etenim Concilium præsertim Toletanum XII, quod post Chindasvindum ullo procul dubio celebratum est, canone 1. & 2. hoc pœnitentiæ genus conferendum quidem non probat, collatum tamen obstringere decernit.

VI. FLS. RCDS. REX.

De violantibus paternum ac fraternum thorum.

Superiori quidem lege de propinquorum inceſtu quid debeat obſervari, decretum eſt: tamen quia non minoris eſſe conſtat ſceleris, paternum thorum ſive fraternum commaculari, conſtituentes adjicimus, ut concubinam patris ſui vel fratris, aut eam quam ſcierit patrem ſuum aut fratrem vel ſemel adulteraſſe, ſeu ſit libera ſive ancilla, nullus unquam propinquorum adulterare præſumat: neque pater adulteratam a filio ſtupri fœditate aliquatenus polluat. Quod ſi talia quiſque ſciens facere fortaſſe præſumpſerit, facultatem ejus, ſi filios legitimos non habuerit, heredes quos ſucceſſio expectat, obtineant. Ipſe vero ſub pœnitentia relegatus, perennis exilii dampnationem excipiat.

VII.

De Sodomitis, qua debeant ultionis ſententia percuti.

Orthodoxæ fidei ratione compellimur, legalem cenſuram [1] inhoneſtis exhibere moribus, & continentiæ freno reſtringere carnis lapſibus implicatos. Nam tunc potius genti ac patriæ noſtræ clementi pietate conſulimus, cum & pravorum funditus ſcelera extirpare curamus, & in male actis vitiorum terminum ponimus. Illud ſane facinus deteſtandæ libidinis abrogare contendimus, quibus maſculi maſculos inlicita ſtupri actione, immundis ſordibus maculare non metuunt, tantique ſe flagitii coinquinationibus polluunt, quanto ea & divinis adverſa cultibus, & contraria caſtitati conſpicimus. At vero licet hujuſmodi lapſus & ſacræ ſcripturæ auctoritas, & mundanæ ſanctionis prohibeat omnino cenſura; novellæ tamen legis neceſſe eſt abrogari ſententia, ne dum emendatio opportuna differtur, pejoribus creſcere vitiis dinoſcatur. Et ideo hujus legis edicto decernimus, ut quicunque amodo vel deinceps, ſeu de religioſis ſive ex laicis, cujuslibet ætatis aut generis homo præſcripto fuerit ſcelere quibuſcunque indiciis manifeſte detectus, mox jubente Principe vel quolibet judice inſiſtente, non ſolum caſtrationem virium perferat; ſed inſuper illam in ſe jacturam accipiat ultionis, quam pro his cauſſis nuper, in anno videlicet tertio regni noſtri (1), ſacerdotalis decreti promulgata ſententia evidenti deſcriptione deprompſit.

1 *Regalem cenſuram*.

TITULUS VI. De divortiis nuptiarum & diſcidio ſponſorum.

I. ANTIQUA.

Si mulier viri ſui juſte vel injuſte divortium patiatur.

Mulierem ingenuam a viro ſuo repudiatam, nullus ſibi in conjugio ſociare præſumat (2). Quod ſi facere quicunque præſumpſerit, mox ut Comes civitatis, vel vicarius, aut territorii judex, tale nefas commiſſum agnoverit: ſi nobiles fuerint fortaſſe perſonæ, quos judex diſtringere aut ſeparare non poſſit, noſtris id auditibus confeſtim publicare non differat: ut ſeveritatem legis, quam merentur, excipiant. Nam ſi minoris loci perſonæ ſunt, judex eos continuo ſeparare nequaquam moretur. Ita ut tam mulier, quæ ſe adulterio extra voluntatem mariti prioris in conjugium copulavit, quam etiam ille, qui eam ſibi aſſumere uxorem præſumpſit, in poteſtate tradantur anterioris mariti; ut quid de eis facere voluerit, ſui ſit incunctanter arbitrii. Si tamen cauſſam inter priorem maritum & uxorem adhuc inauditam manere conſtiterit, aut ſi idem maritus alteri ſe mulieri in matrimonio non conjunxerit. Certe ſi maritus uxorem injuſte reliquerit, & donationem dotis amittat, quam ei contulerat, eidem mulieri procul dubio profuturam, & de rebus ejuſdem mulieris nihil ſe habiturum eſſe cognoſcat. Sed quicquid etiam de facultate ipſius mulieris vel alienaſſe vel fraudaſſe dinoſcitur, ad integrum diſtringente judice mulieri reſtituat. Quod ſi mulier ſub metu viri ſui conſiſtens, quocunque argumento perſuaſa ſive decepta, aliquam de ſuis rebus, in nomine illius viri qui eam reliquit, ſcripturam conſcripſerit, hujuſmodi ſcriptura nullam omnino firmitatem habebit: ſed univerſa, quæ per eandem ſcripturam mulier dederat, juri ſuo perenniter vindicabit.

II. NOV. EMD. FLS. CHDS. REX.

Ne inter conjuges divortium fiat.

Si alienam conjugem violare, ſine crimine non eſt; quanto magis illam contemnere, quam ſponte ſua unuſquiſque poſſidendam ſortitus eſt. Quia ergo pleroſque tam præcipites habet, vel rerum ambitio, vel effrenata libido: ut quadam fraude, conjugibus ſuis ſpretis, alias videantur uxores appetere, conſti-

(1) *In anno videlicet tertio regni noſtri.*) Alludere videtur ad Concilium Toletanum XVI. c. 3. ubi adeſt conſtitutio adverſus Sodomiticos. Sed ex ipſis actis Concilii dignoſcimus, illud celebratum fuiſſe anno ſexto (non tertio) Egicæ Regis. Quod & Rodericus Toletanus expreſſe ſcripſit de rebus Hiſp. lib. III. c. 13. Si forte in lege ſphalma eſt, ſphalma eſt antiquum, cum & in Hiſpanico legamus: *el tercer ano de noſtro Reyno*. Nodum ſolvere non valeo, & doctioribus ſolvendum relinquo.

(2) *Sociare præſumat.*) In Hiſpanico additur: *Si non ſubier, que la dexò certamentre per eſcripto, o per teſtimonias.*

ſtitutionis hujus eſt perenniter forma ſervanda. Ut nullus virorum, excepta manifeſta fornicationis cauſſa, uxorem ſuam aliquando relinquat; & neque per teſtem, neque per ſcripturam, ſive ſub quocunque argumento, facere divortium inter ſe & ſuam conjugem audeat. Sed ſi adulteram maritus dixerit fortaſſe redarguendam, juxta legem aliam, ejus publice ſcelere comprobato, a judice ſibi faciendi de ea quod voluerit, ſit illi poteſtas. Certe ſi converſionis ad Dominum [1] voluntas extiterit, communem aſſenſum viri ſcilicet & mulieris ſacerdos evidenter agnoſcat: ut nulla poſtmodum cuilibet eorum ad conjugalem aliam copulam revertendi excuſatio intercedat. Quod ſi aliter quiſque uxorem ſuam ſpernens, quamcunque calliditatem ſcripturarum ab ea ſibi ſuiſque voluntatibus [2] profuturam exegerit, non ſolum tale vinculum quandoque repertum fuerit, nihilominus firmitatem habebit: ſed eadem mulier, tam facultatem ſuam, quam dotem ab ipſo viro acceptam, ſibi in omnibus vindicabit: & ſi quid aliud facultatis ejuſdem peſſimi viri fuerit, cunctis eorum filiis ad integrum pertinebit. Quod ſi aut communes filii, aut ejuſdem viri ex conjugio præcedenti non fuerint, univerſam viri facultatem mulier, quæ per nequitiam illius a conjugio reſoluta eſt, incunctanter poterit obtinere. Et hanc cauſationem vel accuſationem, ſi mulierem conſtiterit fortaſſe defunctam, ejus filii in cujuſcunque voluerint proponendi judicio licentiam habituri ſunt: ut reperto tali crimine vir utique hujus ſceleris, iſtius legis mulctetur ſententia; & omnibus filiis, ſeu ex eodem pari conjugio, ſive ex præcedenti ipſius viri, ut diximus, procreatis, æqualiter facultas ejus obtinenda pateſcat. Certe ſi nec communes filii, nec ex priori ipſius viri conjugio geniti, ſuperſtites extiterint: & ea forſitan mulier, quæ relicta eſt, ex priori digno conjugio filios videatur habere, ipſis proculdubio licitum erit maternam vocem aſſerere: ut eorum inſtantia cum fuerit, juxta præſentem legem, ſcelerati perſona damnata, facultatem ejus indubitanter obtineant. Jam vero, ſi prædictarum perſonarum, vel viri vel mulieris, ſecundum præfatum ordinem, filii deeſſe noſcuntur; contemptæ mulieris hereditatem tunc recte propinquis ejus capiendi licitum erit, ſi deſpectum propinquæ vindicaturi, ſpernentis viri præſumptionem legaliter condemnandam inſtiterint. Maritus autem, qui vel divortii vel ſecuritatis a conjuge ſcripturam quamlibet exegerit, ſeu fortaſſe non exigens, contempta tamen uxore, aliam ſibi uxorem aſſumpſerit, ducentis publice verberibus flagellatus, ac turpiter decalvatione fœdatus, aut perpetuo condemnetur exilio, aut ſi donare illum cuicunque principis poteſtas elegerit, in ſuo conſiſtat arbitrio. Sed & mulier, quæ ſciens, aut occaſione qualibet agnoſcens, virum habere ſuperſtitem uxorem, ejus vanitati conſenſerit, ut ipſi ſe in conjugio copulet, illi protinus mulieri tradenda eſt, quæ contempta ab eodem marito, quem illa ſortita eſſe dinoſcitur: ita ut vita tantum conceſſa, faciendi de ea quod elegerit, ſit illi libertas. Certe ſi poſt mulieris obitum, filiorum ejus aſſertione tale nefas fuerit comprobatum; aut ſi filii deſunt, a propinquis heredibus extiterit hujus rei negotium perſequutum: ipſis ſimiliter prævaricatrix mulier tradatur in poteſtatem; ut eodem judicio, quo mulier contempta debuerat, de perſona ejus, abſque mortis interitu, ſententiam ferat. Sane, quia per mulieres etiam hujus rei interdum fieri ſolet ſcandalum, ut favore Regum vel judicum, viros proprios ſpernere videantur: ideoque, ſi quæcunque mulier, ſive Principis ope, aut quocunque ingenio, ſeu cujuslibet auxilio, intenderit inter ſe & virum ſuum divortium fieri, vel ad alterius viri conjugium tranſire conſenſerit, in ejuſdem legitimi viri ſui cum omnibus rebus ſuis poteſtatem redacta, eadem quæ ſuperius maritum pœna conſtringit, vel quæ de rebus eorum eſt ſententia conſtituta, ſceleratæ mulieris damnetur temeritas. Similis quoque & de viris forma ſervabitur, qui uxorem alterius vel ſponſam ſibi in conjugium ſociare præſumpſerint. Ea tantum conditione retenta, ut ſi mulieris maritus, maſculorum concubitor approbatur, aut ſi eandem ſuam uxorem, ea nolente, adulterandam cuicunque viro dediſſe vel permiſiſſe convincitur, quia tale nefas fieri nequaquam inter Chriſtianos oportet, nubendi mulieri alteri viro, ſi voluntas ejus extiterit, nullatenus inlicitum erit. Nam ſi in conjugio poſitis, uxore videlicet & marito, maritum forte conſtiterit juſte cuilibet ſervum addictum; ſi noluerit mulier manere vel habere illum in conjugali ſecum conſortio, tandiu ſe noverit caſtæ vitæ freno manere conſtrictam, nec nubendi alteri viro concedi ſibi licentiam, donec ejus maritus, de quo dictum eſt, debitam extremæ vitæ mortem exſolvat.

III. FLS. CHDS. [3] REX.

Ne inter ſponſos diſcidium fiat.

Æquali placet tranſgreſſum damnatione mulctari, quod illæſum æquali præſtabat dignitate manere. Igitur juxta præſentem ſuperiorem legem, de viris & mulieribus ſponſatis, tam in perſonis quam in rebus forma ſervanda eſt; qui poſt arrarum traditionem, aut factam ſecundum leges definitionis ſponſionem, conjugale fœdus contemnentes, aliis ſe perſonis in conjugium copulaverint, ſeu ſine pari conſenſu, aut ægritudinis fortaſſe manifeſto periculo, ad religionis propoſitum, calliditate magis quam devotione converſationis, aſpirare præſumpſerint, ſuperiorem legem præcipimus permanere.

L E-

1 Al. *& eum.* 2 Al. *voluptatibus.* 3 Al. FLS. RCDS.

LEGIS WISIGOTHORUM
LIBER QUARTUS
DE ORIGINE NATURALI.

Titulus I. (1) De Gradibus.

I. antiqua.

De primi gradus natura.

PRimo gradu continentur superiori linea, pater, mater: inferiori, filius, filia: quibus nullæ aliæ personæ junguntur.

II. *De secundi gradus affinitate* (2).

Secundo gradu continentur superiori linea, avus, avia: inferiori, nepos, neptis: transversa, frater & soror. Quæ personæ duplicantur. Avus enim & avia, tam ex patre quam ex matre: nepos, neptis, tam ex filio, quam ex filia: frater & soror, tam ex patre quam ex matre accipiuntur. Quæ personæ sequentibus quoque gradibus similiter per substantiam earum, quæ in quoquo gradu consistunt, ipso ordine duplicantur. Et istæ personæ in secundo gradu ideo duplices appellantur, quia duo avi, & paternus & maternus: item duo genera nepotum sunt, sive ex filio sive ex filia procreati. Frater & soror ex transverso veniunt, id est, frater patris, aut frater matris, qui aut patruus, aut avunculus nominantur. Qui & ipsi hoc ordine duplicantur.

III. *De tertii gradus parentela.*

Tertio gradu veniunt supra, proavus, proavia; infra, pronepos, proneptis: ex obliquo, fratris sororisque filius, filia: patruus & amita, id est, patris frater & soror: avunculus & matertera, id est, matris frater & soror.

IV. *De quarti gradus consanguinitate.*

Quarto gradu veniunt supra, abavus, abavia: infra, abnepos, abneptis: ex obliquo, fratris & sororis nepos, neptis. Frater patruelis, soror patruelis, id est, patrui filius filiave. Consobrinus & consobrina, id est, avunculi & materteræ filius, filia: amitinus, amitina, id est, amitæ filius, filia. Itemque consobrini, qui ex duabus sororibus nascuntur. Quibus adcrescit patruus magnus & amita magna, id est, avi paterni frater & soror. Avunculus magnus & matertera magna, id est, aviæ paternæ & maternæ frater & soror. Hoc plus exponi opus non est, quam lectio ista declarat.

V. *De quinti gradus origine.*

Quinto gradu veniunt, supra quidem, atavus, atavia: infra, adnepos, adneptis: ex obliquo, fratris & sororis pronepos, proneptis. Fratris patruelis, sororis patruelis, amitini, amitinæ, consobrini, consobrinæ filius, filia. Proprius subrinus, subrina, id est, patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ, filius, filia. His adcrescunt, propatruus, proamita: hi sunt proavi paterni frater & soror. Proavunculus, promatertera: hi sunt proavi materni frater & soror. Hæ species, nec aliis gradibus, nec aliis vocabulis declarari possunt.

VI. *De sexti gradus extremitate.*

Sexto gradu veniunt supra, tritavus, tritavia; infra, trinepos, trineptis; ex obliquo, fratris & sororis abnepos, abneptis. Fratris patruelis, sororis patruelis, amitini, amitinæ, consubrini, consubrinæ, patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ, nepos, neptis. Proprii subrini filius, filiave, qui consubrini appellantur. Quibus ex latere adcrescunt, propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ filius, filia. Abpatruus, abamita: hi sunt abavi paterni frater & soror. Abavunculus, abmatertera: hi sunt abavi materni frater & soror. Hæc quoque explanari amplius non possunt, quam auctor ipse (3) disseruit.

(1) *Titulus I.*) Integer hic Titulus præfixo nomine D. Isidori totidem pene verbis habetur apud Gratianum causa XXXV. qu. V. cap. VI; ad quod hæc scribunt Correctores Romani: *Caput hoc recitatum etiam ab Hugone, & Collectoribus, extat in Libro Sententiarum Pauli additis non uno in loco verbis Aniani Interpretis. Pleraque tamen habentur etiam apud Isidorum.* Legitur siquidem pene ad verbum libro IV. Tit. XI. Sententiarum Julii Pauli, prout ex Alariciano Codice extat, intermixtis quoque Anianicis interpretationibus. Quare Titulum hunc ex Aniani Breviario desumptum esse vix ambigam, vel ab eo, qui Wisigothorum Codicem concinnavit, vel ab Isidoro, ex quo concinnator noster hæc forte descripsit.

(2) *Affinitate.*) Colliges hinc, quod affinitas, quæ in hoc libro alias quoque memoratur, non sumatur pro necessitudine ex nuptiis orta, sed idem sit ac propinquitas.

(3) *Auctor ipse.*) Ex libris Sententiarum Pauli, apparet hæc esse Interpretis verba. Quare auctor hic est ipsemet Julius Paulus. At vero apud Gratianum legitur; *Auctor ipse (Anianus) disseruit*: exscriptorum, ut reor, arbitrio, qui in Breviario Aniani hæc viderant descripta; quamquam eruditorum nunc vigeat sententia, Anianum Codicis neque breviatorem, neque vel interpretem fuisse, sed recognitorem tantum, & subscriptorem. Consule Gothofredi Prolegomena ad Cod. Theodos. c. 5.

VII. *De personis septimi generis, quæ legibus non tenentur.*

Septimo gradu qui sunt cognati, recta linea supra infraque, propriis nominibus non appellantur; sed ex transversa linea continentur: fratris sororisve abnepos, abneptis, consubrini, consubrinæ, filii, filiæ. Successionis autem idcirco gradus septem constituti sunt: quia ulterius per rerum naturam, nec nomina inveniri, nec vita succedentibus propagari potest.

TITULUS II. De Successionibus.

I. ANTIQUA.

Ut sorores cum fratribus æqualiter in parentum hereditate succedant.

SI pater vel mater intestati discesserint, tunc sorores cum fratribus in omni parentum facultate, absque alio objectu, æquali divisione succedant.

II. ANTIQUA.

Quod in hereditatis successione filii primi sunt.

In hereditate illius qui moritur, si intestatus discesserit, filii primi sunt. Si filii desunt, nepotibus debetur hereditas. Si nec nepotes fuerint, pronepotes ad hereditatem vocentur. Si vero qui moritur, nec filios nec nepotes, seu patrem vel matrem relinquit, tunc avus aut avia hereditatem sibimet vindicabit.

III. NOV. EMD.

Si de superiori vel inferiori genere directi ordinis personæ defuerint, tunc a latere venientes facultatis capiant portionem.

Quando supradictæ personæ desunt, quæ aut de superiori aut inferiori genere discreto ordine veniunt, tunc illæ personæ quæ sunt a latere constitutæ requirantur, ut hereditatem accipiant defuncti, qui intestatus discesserit. Nam illæ personæ quæ sunt a longioribus constitutæ, nihil se existiment illis prioribus posse repetere.

IV. ANTIQUA.

Qui succedere possint in eorum facultatibus, qui nec scriptis nec testibus suam alligant voluntatem.

De successionibus eorum qui sic moriuntur, ut nec donationem, nec ullum faciant testamentum, nec præsentibus testibus suam ordinent voluntatem; qui gradu illis proximi fuerint, eorum obtinebunt hereditatem.

V. FLS. CHDS. REX.

De successione fratrum & sororum, sive illorum, qui de diversis parentibus generantur.

Qui fratres tantummodo & sorores relinquit, in ejus hereditate fratres & sorores æqualiter succedant: si tamen unius patris & matris filii esse videantur. Nam si de alio patre vel de alia matre, alii esse noscuntur, unusquisque fratris sui aut sororis, qui ex uno patre aut ex una matre sunt geniti, sequantur hereditatem. Filii tamen qui ex diversis patribus, & una matre sunt geniti, ad accipiendam maternam facultatem æquali successione deveniant. Similiter quoque hi, qui de diversis matribus & uno patre oriuntur, divisionis ordinem teneant.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si is qui moritur, avos relinquat aut avias.

Quotiens qui moritur, si avum paternum & maternum relinquat, tam ad avum paternum, quam ad avum maternum, hereditas mortui universa pertineat. Si autem qui moritur, avum paternum & aviam maternam reliquerit, æquales capiant portiones. Ita quoque erit, si avum maternum & paternam aviam, qui moritur, relinquere videatur. Et hæc quidem æquitas portionis de illis rebus erit, quas mortuus conquisisse cognoscitur. De illis vero rebus, quas ab avis vel parentibus habuit, ad avos directa linea revocabitur hereditas mortui.

VII.

Si is qui moritur sorores relinquat patris aut matris.

Qui moritur, si tantummodo amitam, hoc est, patris sororem, & materteram, hoc est, matris sororem relinquit, & intestatum eum obiisse contigerit, æquali jure succedant in hereditatem defuncti, qui intestatus discesserit.

VIII. ANTIQUA.

Si is qui moritur, filios fratris vel sororis relinquere videatur.

Qui moritur, si fratres aut sorores non reliquerit, & filios fratrum & sororum reliquerit: si ex uno fratre sit unus filius, & ex alio fratre vel sorore forsitan plures, omnem hereditatem defuncti capiant, & æqualiter per capita dividant portiones.

IX. FLS. CHDS. REX.

Quod in omni hereditate fœmina accipi debeat.

Fœminæ ad hereditatem patris vel matris, avorum vel aviarum, tam paternorum quam ma-

maternarum, ad hereditatem fratrum vel sororum, sive ad has hereditates, quæ a patruo vel a filio patrui, fratris etiam filio vel sororis relinquantur, æqualiter cum fratribus veniant. Nam justum omnino est, ut quos propinquitas naturæ consociat, hereditariæ successionis ordo non dividat.

X. ANTIQUA.

Item ut in omni hereditate fœmina accipi debeat; & quod qui in gradu alterum præcedit, ille successionem vicinior capiat.

Has hereditates, quæ a materno genere venientibus, sive avunculis, sive consobrinis, seu materteris relinquuntur, etiam fœminæ cum illis, qui in uno propinquitatis gradu æquales sunt, æqualiter partiantur. Nam omnem hereditatem, qui gradu alterum præcedit obtineat.

XI. ANTIQUA.

De successione mariti & uxoris.

Maritus & uxor tunc sibi hereditario jure succedant, quando nulla affinitas usque ad septimum gradum de propinquis eorum vel parentibus inveniri poterit.

XII. ANTIQUA.

De hereditate clericorum & monachorum.

Clerici vel monachi, sive sanctimoniales, qui usque ad septimum gradum non reliquerint heredes, & sic moriuntur, ut nihil de facultatibus suis ordinent; ecclesia sibi, cui deservierint, eorum substantiam vindicabit.

XIII. ANTIQUA.

Ut post mortem matris, filii in patris potestate consistant; & quid de rebus filiorum agere conveniat patrem.

Patre (1) mortuo, filii in matris potestate consistant. Quod si marito superstite uxor forsitan moriatur, filii qui sunt de eodem conjugio procreati in patris potestate consistant, & res eorum, si novercam non superduxerit, ea conditione possideat, ut nihil exinde aut vendere, aut evertere, aut quocunque pacto alienare præsumat: sed omnia filiis suis integra & intemerata conservet. Fructus tamen omnes cum filiis suis pro suo jure percipiat, & una cum ipsis filiis suis, communibus consumat expensis. Quod si pater novercam superduxerit, quia valde indignum est, ut filii ejus, patris potestate vel gubernatione relicta, in alterius tuitionem deveniant, filios suos pater ille qui novercam induxerit, non relinquat; sed filios & res eorum, juxta superiorem modum tuitionis, ordine regat. Ita tamen ut inventarium de rebus filiorum suorum, manu sua conscriptum coram judice, vel heredibus defunctæ mulieris, strenue faciat, & tali se placiti cautione in heredum illorum nomine constringat, quibus tutela ipsa pertinere, si pater defuisset, legitime poterat; ut nihil de rebus filiorum suorum evertat, sed filiorum suorum vitam sollicito voto vel actu servare intendat, & res eorum absque aliqua perditionis diminutione tuendas accipiat, si tamen voluerit. Quod si pater ipse qui novercam duxerit, tuitionem suscipere filiorum noluerit; tunc a judice propinquior ex matre tutor eligendus est, qui tuitionem pupillorum accipiat. Cum vero filius duxerit uxorem, aut filia maritum acceperit, statim a patre de rebus maternis suam accipiat portionem: ita ut usufructuario jure, patri tertia pars prædictæ portionis relinquatur. Pater autem tam filio quam filiæ, cum xx. annos ætatis impleverint, mediam ex eadem, quam unumquemque contigerit, de rebus maternis restituat portionem, etiamsi nullis nuptiis fuerint copulati. Medietatem vero, dum advixerit, pater sibi vindicet, filiis post obitum relinquendam. Qui autem novercam superduxerit, omnes facultates maternas filiis mox reformet; ne, dum filii cum rebus ad domum transeunt alienam, novercæ suæ vexentur injuriis. Eadem quoque & de nepotibus forma servetur. Quod si pater de his rebus aliquid everterit, aut super tempus, quod constitutum est, res filiorum tenere præsumpserit, omnia de rebus ejus, filiis illis, de cujus matre res esse videbuntur, & reddenda sunt omnimodis & sarcienda. (2)

XIV.

---

(1) *Patre . . . consistant.*) Hæc non habentur in Hispanico.

(2) In Hispanico hic alia lex subsequitur superioris legis correctrix; attamen idem pene in ea mandatur, ac quod in latina præfata mandatum legitur. Quod certe innuit, latinam ipsam emendatam fuisse subsequenti recognitione. Aliter enim rem se quondam habuisse docet eadem Hispanica lex, quam hic infero. *Ena ley de suso es dicho, que se el padre non casa depu's de la morte de la moyer, que los fios fiquen en so poder con todas sos cosas, ata que se casen, e que el padre deve aver los fruchos, e despender con sos fios comonalmientre: e que despois que se casaren, o que compliren veynte anos, que el padre les deve dar la meatat de la buena de quanto les pertenecia de la buena de la madre: e que el aya la otra metat en sua vida, e que no la poda vender, nin donar, e que los fios de la moyer lo deven aver depois de la morte del padre: E si el padre se casar, los fios tomen la bona de la madre, e que sean en poder dotre con toda su bona, e non en poder del padre: E esto nos semeya a nos moy desguisada cosa, que non les membra de lo que diz Salomon:* El myo fyo, porque eras enganado, que quieres seer mas en otra garda, ca ena mia. *En otro lugar diz Salomon:* El fyo que tole alguna cosa al padre, o a la madre, e dize que non es pecado, atal ye, como aquel que mata ome. *E en otro lugar*

XIV. ANTIQUA.

Si mater in viduitate permanſerit, æqualem inter filios capiat portionem; & quid de rebus filiorum agere conveniat matrem.

Mater ſi in viduitate permanſerit, æqualem inter filios ſuos, id eſt, qualem unuſquiſque ex filiis ſuis uſufructuario jure de facultate mariti habeat portionem, quam uſque ad tempus vitæ ſuæ uſufructuario jure poſſideat. Ceterum nec donare, nec vendere, nec uni ex filiis conferre præſumat. Quod ſi eam portionem filii, matrem evertere, ſeu per negligentiam, ſive per odium, forte perſpexerint; ad Comitem civitatis, vel ad judicem referre non differant; ut matrem ſuam conteſtatione commoneant, ne res quas uſufructuarias accepit, evertat. Nam uſumfructum quem ipſa fuerat interceptura [1], dare cui voluerit filio vel filiæ non vetetur. Sed & quod de ipſo uſu ſibi debito juſte conquirere potuerit, faciat quodcunque illi omnimodis juſtiſſime placuerit. Verum ſi ex ea uſufructuaria portione aliquid probatur everſum, filiis poſt mortem matris de ejus facultatibus ſarciatur. Poſt obitum vero matris, portio, quam mater acceperat, ad filios æqualiter revertatur; quia non poſſunt de paterna hereditate fraudari. Quod ſi mater ad alias nuptias forte tranſierit, ex ea die uſufructuariam portionem, quam de bonis mariti fuerat conſecuta, filii inter reliquas res paternas, qui ex eo nati ſunt conjugio, vindicabunt.

XV. ANTIQUA.

Ne uxor ſibi vindicet, quod maritum cum ſervis ejus adquiſiſſe conſtiterit.

Maritus ſi eum ſervis uxoris ſuæ aliquid adquiſierit, vel in expeditione aliquid lucri fuerit conſecutus, nihil exinde uxor a viro præſumat repetere, nec ipſo vivente, nec poſt ejus obitum: ſed vir qui uxorem ſuam ſecundum ſacram ſcripturam habet in poteſtate, ſimiliter & in ſervis ejus poteſtatem habebit, & omnia quæ cum ſervis uxoris ſuæ vel ſuis in expeditione acquiſivit, in ſua poteſtate permaneant. Pro eadem ſcilicet ratione: quia ſi ipſi ſervi, dum cum domino ſuo in expeditione converſabantur, aliquid admiſiſſent forte dampnoſum, ille qui eos ſecum duxerat, & ei aliquid fecerant augmenti, ipſe pro eis & reſponſum daturus eſſet, & compoſitionem, ſi culpabiles fuiſſent inventi. Unde bene jubetur, ut ſicut lucrum, ita & dampnum ad ſe dominus noverit pertinendum.

XVI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his quæ vir & uxor in conjugio conſtituti conquirere potuerint.

Dum cujuſcunque dignitatis aut mediocritatis mariti perſona & uxoris [2] fuerit nobiliter atque competenter adjuncta, & pariter viventes aliquid augmentaverint, vel in quibuſcunque rebus quippiam profligaſſe viſi fuerint, atque perveniat ut unus ex his majoris rei & facultatis dominus ſit: de omnibus augmentis, aut profligationibus pariter conquiſitis, tantam partem unuſquiſque obtineat,

1 Al. *perceptura*.

2 Et *uxori*.

gar diz: El yo, que eſcarnece ſo padre, o ſo madre, ſaquenle lo los cuerbos, o comale lo las aguilas. *E diz en otro lugar*: Meyor ya que te ruegen tos fyos, que tu tengas oyo a ſos manos dellos. *Porende eſto tenemos nos por moy ſen razon, que aquelos ayan ganança de los fyos, que non levaron pena por los criar. Doncas ſegundo eſta ley podemos nos retener a Dios lo que axamos ena ſanta Eſcriptura del igno*: Aſſi como el padre a piadat del fyo, aſſi el noſtro Senor a piadat de aquelos que lo temen. *E Salomon diz*: El fyo que es ſabio, es el enſinamiento de ſo padre. *E diz en otro logar*: Mio fyo entende tu la veyece de tu padre, e que non lo fagas enſanar en ſua vida, e ſel desfalecer el ſiſo, perdonayelo, e non lo deſpreces, mientre fueres mancebo. *E diz en otro lugar*: Quien amava ſo fyo ferlo a menudo, quen amoſtra ſo fyo, ſera laudado por ello, en medio de ſos enemigos, e diran aſſi: Morto es ſo padre daquel, e ſemeya que non es morto, ca dexo depos ſo fyo que lo ſemeya, violo en ſua vida, e alegroſe con el, e ena morte non fu contriſtado con miedo de ſos enemigos: ca dexo pos ſi tal fyo que defende la coſa de ſos enemigos, e ayuda a ſos amigos. *E porende mientras nos, nos acordamos deſtas coſas, e dotras que furon dichas per las prophecias de noſtro Senor, queremos enader en eſta ley, e toller las coſas, que non ſon bien poſtas, e poner otras que el noſtro Senor ordeno bien: onde mandamos a todos los que ſon de noſtro regno, que daqui adelantre, aſſi como es derecha e manda ſanta Eſcriptūra, ſea gardada eſta ley: en tal manera, que el marido que ſe caſar depois de la morte de la moyer, ſi ovier fyos della, ſean en poder del padre con todas ſos coſas, depos de la morte de la madre, con las coſas que le partenecen de parte de la madre, aſſi como es dicho ena ley de ſuſo: e mandamos que faga eſcripto por ſu mano, de las coſas de ſos fyos antel juiz, o ante los parientes de la madre: e dey recabdo en mano de los herederos que avian aver los fyos en guarda, ſi el padre foſſe morto, que nenguna coſa non pare mal: e ſi el padre que ſe caſa non quier aver los fyos en guarda; el juiz los deve dar al mas propinco de linage de la madre: e ſi algun dos fyos ſe caſar, dele ſua parte de la bona de la madre: aſſi que el padre retenga para ſi la tercia parte per uſofruto: e ſi el fyo, o la fya ovier veynte anos complidos, mager que non ſe caſe, aya la metat de quanto pertenece a la bona de la madre, e la otra meatat tenga el padre en ſua vida, e depois de ſua morte deve fincar a los fyos entregamientre. Otro ſi mandamos gardar de los nietos. E ſi el padre para mal alguna coſa a los fyos, o non les quiſier dar lo ſo ata aquel tiempo que es de ſuſo dicho, develo entregar el juiz de las coſas del padre a los fyos.*

neat, quantam ejus facultatem fuisse omnimodis sibi debita vel habita possessio manifestat. Ita ut si æquales abundantiæ domini sunt, pro parvis rebus contentionis intempe-rantiam non assumant. Quia difficile est, ut in tanta æquitate facultas eorum possit æquari, ne in quocunque videatur una pars alteri superesse. Nam si evidenter unius facultas alterius possibilitatem transgredi videatur, ut superius dictum est, juxta quantitatem debitæ possessionis erit & divisio portionis. Quam sibi post uniuscujusque mortem vindicabit persona superstes, & aut filiis suis aut propriis relinquat heredibus, aut certe de ea facere quod voluerit licentiam obtinebit. Eadem quoque ordinationis forma, tam in viris quam in uxoribus, erit omnimodis observanda. De illis autem rebus, quibus in amborum nomine inveniuntur scripturæ confectæ, juxta conditionem ipsius scripturæ, pertineat illis & divisio rei & possessio juris. Quod vero maritus, aut de extraneorum lucris, aut in expeditione publica acquisivit, aut de Principis, aut patroni, atque amicorum collatione promeruit, filii vel heredes ejus ad integrum vindicabunt; aut quod exinde voluerit judicare, licenter illi erit plenam potestatem habere. Similis & in mulieribus conditio erit, si quorumcunque munere videantur aliquid percepisse.

XVII. FLS. GLS. RCDS.[1] REX.

De parvulo, qualiter hereditatem capere possit.

Interdum rem dubiam, nisi ratiocinationis disceptatio deducat in lucem, frequenter hanc ambiguitas præcipitat in errorem. Contendunt namque plurimi, si genitus infans, non longe defunctus, hereditatis parentum possit jura sortiri: quorum litibus hos ponit ratio modos. Naturæ ratio ita condita manet, talique usu decurrit, ne is qui nascitur, prius aliud quam se suscipientem assumat heredem: & de tenebris genitalibus prodiens, illarum rerum sentiat tactum, quarum hunc partibus constat esse concretum. Quo ergo ordine libere capiet hereditatem terrenæ possessionis, qui vix extremæ capit primordia lucis? Quique sortitus vix est usum elementorum, quibus concretus est, quomodo sortietur bona rerum, ad quarum dominium natus non est? Quemque non hereditavit producta lux cœli, qualiter mortis contractu improvisa ditabit portio mundi? Quave etiam ratione aggredietur viventium jura, cui vicinius fuit, mortem adisse quam vitam? Sicque naufragiis in medio lucis angustias mox genitales exiit, mox fatalibus lapsus est in tenebris. Ut ergo proximis parentibus ad successionem hujus aditus referetur, & ipsa defuncti vita comprobetur, si vere clara sit vita, atque hanc ipsam licet parvi temporis vitam comitetur æternæ participatio vitæ, non aliter in utroque sexu hereditatem capiat qui nascitur, nisi post nativitatis ortum, & sacri baptismatis gratiam consequatur, & decem dierum spatiis vixisse probetur: ut successoris patris vel matris persona, quæ per hunc parvulum terrenæ cupit hereditatis acquirere commoda, ante morituro æternæ mansionis præparet vitam, & ita demum assequatur vivens cum rebus labentibus terram. Sicque salutari commercio, dum hereditat ille cœlum, hereditet iste seculum: dum illi providentur cœlestia, isti permittantur adire terrena: dumque assequitur ille vitalia, conquirat iste caduca. Ut & si defunctus terrena hujus non potuit possidere; terreno saltem comparato jure, cœleste lucrum valeat obtinere.

XVIII. FLS. CHDS. REX.

Qualiter hereditatem parvuli, parentes assequi possunt.

Patre defuncto si filius filiave decem sive amplius vel infra diebus vivens baptizatus ab hac vita discesserit, quicquid ei de facultate patris competere poterat, mater sibi debeat vindicare. Itemque matre defuncta non aliter defuncti filii portionem pater obtineat, nisi natum filium filiamve decem diebus (1), sive amplius, vel infra vixisse, fuisseque baptizatos edoceat. Ita ut pater aut mater, quibus ista successio competit, si filios non reliquerint, integram & intemeratam eandem luctuosam hereditatem, dividendam omnibus nepotibus derelinquant; nec meliorandi quemcunque nepotum amplius quam de tertia parte hujus rei habeant potestatem. Nam si ecclesiis vel libertis, seu cuilibet largiri de eadem facultate voluerint, de quinta parte, secundum superiorem legem, potestatem habebunt. Sin autem nec filii, nec nepotes, nec pronepotes superstites extiterint; quod de eadem facultate facere vel judicare voluerint, habeant potestatem. Quod si intestati decesse-

[1] Al. FLS. GLS. CHDS.

(1) *Decem diebus.*) Decem dies hic memorati ex doctrina Romana interpolati sunt, juxta quam lustricus dies, sive nominalia, puellis esse consueverat octavus, maribus nonus. Nomen tunc imponebatur infantibus; ante nominis vero impositionem mortui pro non susceptis habebantur. Vide Schulting. not. ad Fragmenta Ulpiani Tit. XV. & confer dicta ad Capitula addita ad Leg. Alaman. cap. XX. Villadiego in hunc locum subdit, apud Hispanos hodie sufficere, ut baptizatus sit, & vivat XXIV. horis, ad hoc ut partus legitimus dicatur, & patri, ac matri, ac parentibus succedere valeat. Alias autem ad Alamann. legem c. XCII. animadvertimus, Barbaros requisivisse, ut infans quædam sensibilia ederet vitæ signa, tum ne abortio venditaretur pro juste nato, tum forte ut ita inter homines vixisse censeretur, ut humanorum, civiliumque jurium capax moraliter haberi posset.

ſerint, tunc alii parentes defuncti patris, aut matris, qui gradu proximiores fuerint, prædictam facultatem procul dubio conſequantur. Ita ut mortuo filio, ſi pater qui filii defuncti ſucceſſionem capierit, inteſtatus diſceſſerit, heredibus patris ex lege propinquioribus eadem facultas pertineat. Similiter & ſi mater luctuoſam defuncti filii hereditatem capierit, & inteſtata diſceſſerit, omnis ſucceſſio ejuſdem facultatis ad propinquos mulieris heredes pertinere debebit. Ea conditione ſervata, ut nepotes ex filio vel filia, qui patre vel matre ſuperſtite mortui fuerint, integram de rebus avi vel aviæ, quam pater vel mater eorum, ſi vixiſſent, fuerant habituri, percipiant portionem. Quod ſi filius, habens uxorem & filios, patre vivente diſceſſerit, antequam ei pater ſuus omnem portionem, quæ ei contingebat, impleſſet: & filii, quos reliquerat, vivente avo mortui fuerint, tunc illa relicta hoc tantummodo accipiat, quod in maritum pater antea ſequeſtravit: nec plus illa vidua a ſocru vel cognatis requirat. Si vero filius cum patre in commune vivens, nihil ab eo portionis acceperit; tunc illa vidua tantummodo accipiat, quod ei tempore nuptiarum maritus ejus donationis titulo noſcitur contuliſſe. Si vero filius patri ſervans obedientiam, res quæ ei de materna ſucceſſione competebant, patrem poſſidere permiſerit: & poſtmodum eandem facultatem filio debitam, quam pater poſſidebat, idem filius uxori ſuæ vel cuicunque conceſſerit: firma talis donatio in nomine uxoris, & cujuſcunque conſcripta manebit, ſi tamen filii de eodem conjugio non fuerint. Nam ſi filii ſuperſtites extiterint, ordo ſuperioris legis incunctanter ſervandus eſt.

XIX. FLAVIUS GUNDEMARUS REX.

De poſthumis.

Divini principatus quodammodo peragimus vicem, cum necdum genitis miſericordiæ porrigimus opem. Ideoque quicunque vir præventus forte fatali fœtu gravidam cum filiis reliquit uxorem, eum qui naſcetur poſtmodum, cum cæteris qui nati ſunt, fieri cenſemus heredem. Quod ſi nuſquam forte reliquerit ſobolem, & ſuam quibuslibet donaverit facultatem, quarta rerum portio his dividenda ſervetur: tres vero quæ ſuperſunt, poſthumus abſque dubio ſortietur. Quod ſi vir & uxor in conjugio poſiti, antequam filios habeant, invicem ſibi unus in alterius nomine, de facultate propria donationis faciant ſcripturam, & poſt hujus teſtationis ordinem filios talibus habere contingat: talis parentum teſtatio, ſi filii ſuperſtites extiterint, omnino non valeat, ſed ex toto hujus tam indiſcretæ ordinationis voluntate diſrupta, debitam ſibi omnem parentum facultatem filii accipiant & aſſumant: de quinta tantum parte parentibus, ſi aliquid inde teſtaſſe contigerit, poteſtate conceſſa. Ceterum ſi unus ex ambobus, id eſt, vir aut uxor, antequam unius copulæ ſocietatem adiſſent, quicunque ex ambobus in alterius nomine ſcripturam de rebus ſuis probatus fuerit conſcripſiſſe, omni vigore valitura conſiſtat: & talis teſtatio per eorum vocem, qui poſtea ex illis nati fuerint, non erit ullo modo convellenda.

XX. FLS. RCDS. REX.

Ut qui filios non reliquerit, faciendi de rebus ſuis quod voluerit, habeat poteſtatem.

Omnis ingenuus vir atque fœmina, ſive nobilis ſive inferior, qui filios vel nepotes aut pronepotes non reliquerit, faciendi de rebus ſuis quicquid voluerit, indubitanter licentiam habebit: nec ab aliis quibuslibet proximis ex ſuperiori vel ex tranſverſo venientibus poterit ordinatio ejus in quocunque convelli: quia recta linea decurrens non habet originem, quæ ſucceſſione naturæ hereditatem poſſit accipere. Ex inteſtato autem, juxta legum ordinem, debitam ſibi hereditare poterunt ſucceſſionem.

TITULUS III. De pupillis & eorum tutoribus.

I. FLS. CHDS. REX.

Quod utroque relictus parente, pupillus vocetur.

Diſcretio pietatis eſt, ſic conſultum ferre minoribus, ut juſtæ poſſeſſionis dominum ſuſtinere damna non patiamur. Ob hoc licet hactenus, a patre tantum relicti parvuli filii, pupilli nuncupentur: tamen quia non minorem curam erga filiorum utilitatem, matrem conſtat frequenter impendere, ideo ab utroque parente, hoc eſt, patre vel matre infra XXV. (1) annos, filios poſt mortem relictos, pupillos per hanc legem decernimus nuncupandos.

II.

(1) *Infra XXV. annos.*) In Codice Manuſcripto Ludewigianæ Bibliothecæ, referente Heineccio, plenis litteris expreſſum legitur: *infra quindecim annos*. Conſonat & Hiſpanicus: *ata quinze anos*. Hanc lectionem firmat quoque lex III. hujus Tituli, ubi ad perfectam ætatem perveniſſe dicitur, qui XX. annorum eſt. Confer eundem Heineccium Elem. Jur. German. lib. I. art. CCCXXXVI. in nota, qui hinc ſubdit Wiſigothos minorennitatem exemplo Romanorum a pubertate diſcreviſſe; illam autem anno XX, hanc anno XV. finiri voluiſſe.

II. FLS. CHDS. REX.

Ex quo incipient computari anni in actionibus pupillorum.

Quotiens de amissione rerum intentio vertitur, illos annos in pupillorum actionibus computandos esse censemus, quibus parentes illorum, pater videlicet aut mater, re caruisse noscuntur: id est, ut ex eo tempore cum pupillaribus annis ad quinquagenarii (1) summam pertendant, de quo a prædictis eorum parentibus esse rem constat amissam. Si vero parentes pupilli dum viverent, rem per xxx. annos amiserint, pupillus propter hoc ultra loqui non poterit.

III. ANTIQUA.

Qualiter pupillorum tutela suscipiatur, vel de rebus eorum quæ pars tutoribus detur.

Si patre mortuo, in minori ætate filii relinquantur, mater eorum tutelam, si voluerit, suscipiat: si tamen in viduitate permanserit, ita ut de rebus filiis debitis inventarium faciat, per quod postmodum filii hereditatem sibi debitam quærant. Quod si mater alium maritum acceperit, & aliquis de filiis jam ad perfectam, id est, usque ad xx. annorum perveniat ætatem; ipse juniores fratres sua tuitione defendat, & res eorum nec ab ipsis, nec ab aliis permittat everti, nec aliqua negligentia deperire. Quod si eas ipse forte consumpserit, aut vendiderit, vel donaverit, aut per negligentiam suam perire permiserit: cum fratres adoleverint, ea, quæ per negligentiam suam deperierint, de sua illis portione restituat. Cui tamen de fructibus ad victum præsumendi partem decimam non negamus: ut non hæc, quæ debet minoribus reservare, nimiis evertat expensis. Si quis vero de suo pro communibus necessitatibus aut negotiis expensas fecerit, facta præsente judice ratione, de ea quæ ipsis a patre communis relicta est substantia, quod expenderit, consequatur. Quod si fratres ejus ætatis vel meriti non fuerint, qui defensionem suscipiant orfanorum, tunc patruus vel patrui filius, tutelæ, qualem de fratribus constituimus, conditionem[1] suscipiat. Quod si nec patruus, nec patrui filius, qui digne tutelam suscipiant orfanorum, fuerint, tunc tutor ab aliis parentibus in præsentia judicis eligatur: & sive mater tutelam, sive quicunque susceperit, præsentibus testibus vel propinquis, de omnibus rebus quas pater reliquit, brevis factus trium vel quinque testium subscriptione firmetur: & præsentibus ipsis qui ad brevem faciendum testes interfuerint, Episcopo aut presbytero, quem parentes elegerint, brevis commendetur, minoribus dum adoleverint reformandus. Statuentes etiam, ut si quæ contra minorum personas adversæ accesserint actiones, his intentionibus tutor si elegerit, debet parare responsum. Certe si neglexerit, repetenti quæ postulat a judice restituantur: salvo tamen minorum negotio, dum adoleverint, ad integrum reformando. Ille vero qui ad præsens rem ipsam petere cœperat; si in judicio, dum ipse minor adoleverit, ab eodem fuerit victus, id quod acceperat, cum retroactorum temporum fructibus sive servitiis, ipsi minori aut parentibus ejus, seu ad quem ipsa facultas juste transierit, vel cui collata fuerit, indubitanter restituat: & pro præsumptione sua, quia quod in judicio petierat vindicare non valuit, insuper x. solidos coactus exsolvat. Nam & si tutor pro pupillorum lucris vel eorum rebus intendere vel causare voluerit, licentia illi indubitata manebit. Quod si negotia pupillorum, negligentia tutoris fuerint vitiata vel deperdita, pupillis eam vicem ad futurum permittimus reparandam.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne tutores ab his, quos in tuitione habent, quascunque scripturas extorquere præsumant.

Dum minorum ætas in annis pupillaribus constituta, nec se, nec bona sua regere possit; bene legibus est decretum, eos & sub tutoribus esse, & in eorum negotiis, quot statuti anni debeant computari. Quia vero quidam tutores, aut persuasione, aut indignatione circumveniunt eos, quos tueri gratissime debuerunt, & de rebus reddendæ rationis securitates accipiunt, vel certe diversarum obligationum scripturas ab illis exigendas insistunt; quo extinctis vocibus eorum, quæ illis competunt nunquam inquirere, vel recipere permittantur: ideo, ut melioris mercedis partem nostra clementia consequatur, dum competentem curam eisdem minoribus irrogare perpenditur, hæc custodienda modis omnibus conditio ordinatur: ut sive in minori ætate, seu etiam quamvis quartum decimum ætatis annum videantur pupilli transire: tamen si tutores adhuc, vel ipsos, vel eorum res in sua potestate noscuntur habere; quamcunque scripturam securitatis, aut alicujus obligationis atque transactionis, ipsis tutoribus, vel cuicunque personæ, factione tutorum fecisse reperiantur, omnia invalida & exinanita penitus reputentur. Cum vero tempus illud advenerit, quando eum qui sub tuitione fuit rem in sua potestate oporteat redigere, tunc ille tutor coram sacerdote vel ju-

1 Al. tuitionem.

(1) *Ad quinquagenarii &c.*) Correctius, ut videtur, Hispanicus: *e que aquel tiempo de los quinze anos deve ser contado, desde que sos padres perdieran la cosa &c.*

judice, pupillo de cunctis rebus reddita ratione, ab eo quem tuitus est securitatis scripturam procuret accipere. Sicque remota omni occasione pressuræ, aut recipiat pupillus quod juste sibi deberi cognoverit, aut libero arbitrio de rebus suis, utrum cessionem, an qualem voluerit ordinare definitionem, plenam habeat libertatem. Si vero proveniat, ut cum in tuitione est, mortali langore vexetur; quid de sibi debitis rebus judicare elegerit, a decimo ætatis suæ anno, juxta ordinem qui in alia lege est definitus, plenissimam potestatem habeat. De rebus vero tutoris seu vivens sive moriens, idem tutor eas an filiis, an quibuscunque personis reliquerit, si pupillis reddita ratio non fuerit, juxta inventarium quod tempore acceptæ tuitionis est factum, sive quod evidenter apud tutorem fuisse extiterit manifestum, qui res tutoris habuerint, pupillis indubitanter omnia reformabunt. Hujus sane (1) legis remedium cunctis pupillis dabit indubitanter consultum: excepto si aliud tempus [1] advenerit, quando eorum vocem quinquagenario numero lex sopiri decrevit.

TITULUS IV. De expositis infantibus.

I.

Ut pro exposito infantulo ingenuo serviat qui projecit.

Si quis puerum aut puellam ubicunque expositum misericordiæ contemplatione collegerit, & nutritus infans a parentibus postmodum fuerit agnitus: si ingenuorum filius esse dinoscitur, aut servum vicarium reddant, aut precium. Quod si facere fortasse neglexerint, a judice territorii de proprietate parentum expositus redimatur, & parentes hujus impietatis auctores exilio perpetuo relegentur. Si vero non habuerint unde filium redimere possint, pro infantulo serviat, qui projecit; & in libertate maneat propria, quem servavit pietas aliena. Hoc vero facinus cum fuerit ubicunque commissum, judicibus & accusare liceat & dampnare.

II. ANTIQUA.

Si servus vel ancilla consciis vel nesciis dominis projicere videantur infantem.

Si servus vel ancilla, in fraudem fortasse dominorum infantem exposuerint, & ipsis insciis infantem projecerint; infans cum fuerit nutritus tertiam partem precii nutritor accipiat. Ita ut juret aut probet dominus, se quod servi sui infantem exposuerint, ignorasse. Si vero consciis dominis infans probatur fuisse jactatus; in ejus, qui nutrivit, potestate permaneat.

III. ANTIQUA.

Qui a parentibus infantulum acceperit nutriendum, quantum mercedis pro nutritione accipiat præmium.

Si quis a parentibus infantulum acceperit nutriendum, usque ad decem annos, per singulos annos, singulos solidos pretii pro nutrito infante percipiat. Si vero decimum annum ætatis excesserit, nihil postea mercedis addatur: quia ipse qui nutritus est, mercedem suam suo potest compensare servitio. Quod si hanc summam, qui repetit, dare noluerit, mancipium in nutrientis potestate permaneat.

TITULUS V. De naturalibus liberis.

I. FLS. CHDS. REX.

De non exheredandis filiis; & quod judicium ferant parentes de facultatibus suis.

DUm inlicita quæque perpetrari cognoscimus, legem ponere secuturis opportune compellimur. Plerique enim indiscrete viventes, suasque facultates interdum vel caussa luxuriæ, vel cujusdam malæ voluntatis assensu in personas extraneas transferentes, ita inoffensos filios vel nepotes, aut non ex gravi culpa forsitan obnoxios, inanes relinquunt, ut utilitatibus publicis nihil possint omnino prodesse, quos oportuerat cum virtute parentum injunctum sibi laborem inexcusabiliter expedire. Sed ne sub hac occasione aut utilitati publicæ quandoque depereat, quod perire non debet; aut naturalis pietas suspendatur a filiis vel nepotibus, quam circa eos exerceri competenter oportet: ideo abrogata legis illius sententia, qua pater vel mater, avus sive avia, in extraneam personam, facultatem suam conferre si voluissent, potestatem haberent; aut etiam de dote sua mulier facere quod elegisset, in arbitrio suo consisteret; ista magis servetur a cunctis moderata censura; qua nec parentibus nec avis adimatur judicandi de rebus suis ex toto licentia, nec filios aut nepotes a successione avorum vel genitorum ex omnibus repellat indiscreta voluntas. Igitur pater aut mater, avus aut avia, quibus quempiam filiorum vel nepotum meliorandi voluntas est, hanc servent omnino censuram: ut super tertiam partem rerum suarum meliorandis filiis aut filiabus, vel nepotibus atque neptibus, ex omnibus rebus suis amplius nihil impendant, neque facultatem suam ex omnibus in extraneam

[1] Si illud tempus.

(1) *Hujus sane &c.*) Intelligibiliora exhibet Hispanicus: *Onde per esta ley avemos dado consejo a todos los orfanos, fuerasende aquellos, que son de tal edat, que depoys de quinze anos passados, non manda la ley, que podan demandar lo que perdieran antes.*

neam personam transducant, nisi fortasse provenerit eos legitimos filios vel nepotes non habere superstites. Hoc tamen rationis intuitu prælucente observandum adjicimus: ut pater vel mater, avus vel avia, de supradicta tertia parte rerum suarum, si in nomine filiorum suorum atque nepotum aliquid specialiter scriptis conferre decreverint, juxta testationis eorum ordinem cuncta erunt observanda perenniter, qualiter testatio talium de eadem tertia portione, juxta quod eam in singulos voluerit prælargiri, plenam & inconvulsibilem obtineat firmitatem. Nec liceat filiis ipsis atque nepotibus, qui de hac tertia portione aliquid meruerint a parentibus suis vel avis percipere, quodcunque aliud judicare, excepto si a parentibus vel avis nulla adfutura videatur pro collatis rebus testationis conditio intercessisse. Sane si filios sive nepotes habentes, ecclesiis vel libertis aut quibus elegerint, de facultate sua largiendi facultatem [1] habuerint, extra illam tertiam portionem, quæ superius dicta est, quinta iterum pars separabitur: de qua quinta parte, judicandi potestas illis indubitata manebit. Sed sive tertia rerum pars, quæ meliorandis filiis impendi præcipitur: sive quinta, quæ pro collatione ecclesiarum, vel libertorum, seu quorumlibet impensione, separari jubetur, de propriis tantundem rebus separabitur. Nam quod quisque ille per auctoritatem percipere meruerit Principum, nullo modo in annumeratione hujus tertiæ vel quintæ partis quolibet titulo admiscetur: sed juxta legem aliam, qui hoc a Rege perceperint, habebunt licitum, quale voluerint de collatis sibi rebus a Principe ferre judicium. Exheredare autem filios aut nepotes, licet pro levi culpa, inlicitum jam dictis parentibus erit. Flagellandi tamen & corripiendi eos quamdiu sunt in familia constituti, tam avo quam aviæ, seu patri quam matri, potestas manebit. Nam si filius filiave, nepos vel neptis, tam præsumptuosi extiterint, ut avum suum aut aviam, sive etiam patrem aut matrem, tam gravibus injuriis conentur afficere, hoc est, si alapa, aut pugno, vel calce, vel lapide, aut fuste, vel flagello percutiant, sive per pedem, vel per capillos, ac manum etiam, vel quocunque inhonesto casu abstrahere contumeliose præsumpserint, aut publice quodcunque crimen avo vel aviæ seu genitoribus suis objiciant, tales siquidem manifeste convicti, & verberandi sunt ante judicem quinquagenis flagellis; & ab hereditate supradictorum, si idem avus aut avia, pater vel mater voluerint, repellendi. Tamen si resipiscentes a suo excessu, veniam a supra scriptis, quos offenderint, imploraverint, eosque in gratiam receperint paterna pietate, aut rerum suarum successores instituerint: neque prohiberi ab eorum hereditate, neque propter disciplinam, qua correpti sunt, infamiam poterint ullatenus sustinere.

II. NOV. EMD. FLS. CHDS. REX.

De quota parte liceat mulieribus judicare de dotibus suis.

Quia mulieres, quibus dudum concessum fuerat de sui sdotibus judicare quod voluissent, quædam reperiuntur, spretis filiis vel nepotibus, easdem dotes illis conferre cum quibus constiterit nequiter eas vixisse: ideo necesse est illos exinde percipere commodum, pro quibus creandis fuerat assumptum conjugium. Denique constituentes decernimus, ut de dote sua mulier habens filios vel nepotes, seu caussa mercedis ecclesiis vel libertis conferre, sive cuicunque voluerit, non amplius quam de quarta parte, potestatem habebit. Nam tres partes legitimis filiis aut nepotibus, seu sit unus sive forsitan plures, absque dubio relictura est. De tota interim dote, tunc facere quid voluerit, erit mulieri potestas, quando nullum legitimum filium filiamve, nepotem vel neptem superstitem reliquerit. Verumtamen fœminas, quas contigerit duobus viris aut amplius nubere, atque ex eis filios procreare, non eis licitum erit dotem ab alio marito acceptam, filiis aut nepotibus ex alio viro genitis dare: sed unusquisque filius filiave, nepos aut neptis, ex ipsa linea procreati, dotem, quam avus aut pater illorum contulerat, post mulieris obitum per omnia consequuturi sunt.

III. FLS. CHDS. REX.

De his quæ parentes tempore nuptiarum filiis dederint.

Quicquid indiscreta parentum voluntate decernitur, legali necesse est ut censura coerceatur. Idcirco, quia plerumque parentalis calliditas exigit, id tempore nuptiarum filiis donare, quod quandocunque voluerint, auferendi habeant potestatem: abrogata deinceps eadem, qua prædictum est, parentum calliditate, hanc perpetim legem mansuram per omnia noverint: ut si quid seu per traditionem rei, seu per scripturam, sive donationem cujuslibet rei, vel coram testibus traditæ, extra quod in ornamentis vel vestimentis, vel reliquis speciebus, sicut fieri assolet, pro dignitate nuptialium fœderum, ab aliis fuerit fortasse acceptum, quod utique commodantibus erit reddendum, in mancipiis, terris, vineis, ædificiis, vestimentis atque ornamentis, fuerit a parentibus, sive nuptiarum tempore, sive post nuptias, filiis quocunque modo donatum, quodcunque inde filii judicare voluerint, in eorum consistat arbitrio. Eodem tantum ordine reservato, ut post parentum obitum, dum filiis patuerit adeunda successio, excepto hoc quod parentes filiis suis juxta leges fortasse dona-

[1] *Voluntatem.*

verint, eadem inter heredes coæquatio fiat, ut quod nuptiarum tempore filius vel filia a parentibus, juxta prædictum ordinem, possidendum accepit, & licentia sit illi exinde quod voluerit judicandi, & post parentum obitum, adæratione adhibita, contropactis his, quæ tempore nuptiarum promeruit, atque heredibus cæteris eadem compensata æqualitate, quicquid superesse de parentum hereditate constiterit, æqualiter teneant, ac sequantur divisione.

IV. FLS. CHDS. REX.

De filiis ex diversis parentibus natis; & qua discretione parentum assequantur hereditatem.

Si provenerit unum virum plures habere uxores, atque ex omnibus filios procreare, & aliquem filiorum aut filiarum contingat intestatum ab hac vita discedere; facultatem ejus, si filios non reliquerit, aut nepotes, illius fratres aut sorores apprehensuri sunt, sibique vindicaturi, quos ex uno patre vel ex una matre constat esse progenitos. Quod si ex uno patre & diversis matribus filii nati fuerint, facultates quæ de patre venerint, illi tantum inter se erunt æqualiter divisuri, qui ex uno patre fuerint procreati. Similiter & si de una matre & diversis patribus, filii nati fuerint, id præcipimus observari. Nam & si una mulier de pluribus maritis filios habeat, similiter fratrum sororumque hereditatem, tam a paterna quam a materna successione sibi debitam, eorum qui ex his intestati, vel absque prole sive nepotibus discesserint, illius tantum fratres vel sorores habituri sunt, qui unius patris vel matris filii filiæve fore noscuntur. Ita ut juxta aliam legem qua constitutum est, trientem nepotes non perdere, licitum sit etiam nepotibus aut neptibus, qui patres aut matres amiserint, in omni facultate avorum vel aviarum, cum patruis aut avunculis æquales succedere. Illo tantum ordine permanente, quo superius decretum est, parentes vel avos de rebus suis filios nepotesque meliorare, aut in extraneam personam quamlibet quodcunque conferre.

V. CHDS. REX.

De his quæ filii patre vivente vel matre videntur acquirere.

Filius qui patre vel matre vivente aliquid acquisierit de munificentia Regis, aut patronorum beneficiis promeruerit, & exinde aliquid cuicunque vendere vel donare voluerit, juxta eam conditionem, quæ in aliis nostris legibus continetur, in ipsius potestate consistat. Nec sibi aliquid, dum vivit, exinde pater vel mater vindicare præsumat. Quod si inter leudes (1) quicunque nec regis beneficiis [1] aliquid fuerit consequutus, sed in expeditionibus constitutus, de labore suo aliquid adquisierit: si communis illis victus cum patre est, tertia pars exinde ad patrem perveniat: duas autem filius, qui laboravit, obtineat.

VI. IN NOMINE. FLS. GLS. WABA REX.

De coercitione Pontificum, qui pro rebus, quas a suis ecclesiis auferunt, tricennium intercessisse caussantur.

Deus justus judex, qui justitiam intemporaliter diligit, non vult servire justitiam tempori, sed tempora potius æquitatis lege concludit. Ipse igitur Deus, justitia est. Deo ergo datur, quicquid a fidelibus in Dei ecclesiis justissima devotione offertur. Nam & fidelis quisque justitiæ serviens, Deo mediante, qui justus est, vota sua astringit. Semper enim justa vota solvenda sunt, quæ a justitia processerunt, & per justitiam illigata noscuntur. Deo igitur fraudem facit, qui justitiæ aliquid subtrahit. Ergo & justitiam rescindit, quisquis aliena vota corrumpit. Cum igitur, ut dictum est, Deus justitia sit, qua præsumptionis insania agitur, ut de manu Dei quis auferat, quod tricennali temporum præscriptione se tenuisse contendat? Multorum enim mentes Pontificum, inlicito cupiditatis ausu præcipites, quædam de his, quæ in eorum diocesi fundatis ecclesiis pia fidelium oblatione donantur, insatiabili rapacitatis studio, aut juri [2] ecclesiæ principalis innectunt, aut donanda aliis, vel sub stipendio habenda distribuunt; sicque non solum aliena disrumpunt, sed & sacrilegium operantur, in eo quod ecclesiæ Dei fraudatores existunt. Ecclesiam quippe fraudare, sacrilegium esse a majoribus approbatur. Unde & cum eos evidens ratio persuadeat ad reddendum, aut tricennium in re possessa opponunt, aut non se fecisse respondent, quod decessores suos egisse non nesciunt, & tamen scita emendare refugiunt. Sicque cupiditatem tricennio fovent, & rapacitatis studia temporum proscriptionibus cumulant: & qui admissum facinus ad momentum delere debuerunt, annosa id oppositione solidare contendunt. Quantæ igitur impietatis ille credendus est, qui ad hoc laborat, ad hoc etiam propositionis suæ voces exaggerat, ut per tricennium se recognoscat, Deo injuriam intulisse, quam tamen exacto tricennio renuat emendare? Nunc vero cum hæc & talia nequissima, justitiæ defensione prolata sint; nos tamen non præterita ordinamus, sed futura di-

1 Al. *regiis beneficiis*. 2 Al. *in re*.

(1) *Inter leudes*. (De leodibus, nobilibusque vassallis, ut & de aliis quibusdam ad rem feudalem spectantibus, alibi, Deo dante, erit agendi locus. Interim hic serio animadverte leudem, qui *nec regis beneficiis aliquid fuerit consequutus*.

disponimus: nec præcedentium Regum, sed nostri regni tempora definimus. Abrogata ergo deinceps totius cupiditatis licentia, nulli Pontificum ultra licebit quicquam ab ecclesiis diocesis suæ auferre, aut ablatum quodcunque per oppositionem tricennii vindicare. Non enim in hac caussa deinceps tricennale tempus accipiendum est: sed quandocunque fuerit veritatis origo monstrata, justitiam partis suæ recipiat. Quia & ut multiplex annorum series sine repetitione pertranseat, facit hoc præeminentis dura potestas: quæ sic subdita sibi sacerdotum comprimit colla, ut pro ablatis rebus intendere contra præeminentis personam nec audeant, nec præsumant. Proinde ne talium silentio vox perenniter spoliatæ ecclesiæ conquiescat, licitum erit, hujus præsumptionis admissum & per quemcunque & quandocunque accusatum detegi, & imminentis ipsius caussæ negotium expediri: sub isto videlicet ordine, ut si heredes fundatores ecclesiæ adsunt, ipsi talia prosequantur. Si autem non fuerint, aut etiam si sint, caussare tamen noluerint, tunc Ducibus vel Comitibus, tyuphadis atque vicariis, sive quibuscunque personis, quos cognitio hujus rei attigerit, & aditus accusandi & licentia tribuitur exequendi. Quicunque ergo Episcoporum hæc quæ missa sunt in præteritis fecerit, & tricennium jam in hac perversa possessione impleverit, ea ipsa quæ in præteritis per xxx. annos tenuit, Deo potius vindicanda relinquimus, quam nostro rescindenda judicio definimus. Quicunque vero usque ad tempus, quo lex ista conderetur, in hoc ipsum quod rapuit, tricennium non implevit; rem ipsam, quæ ablata est, sine aliqua satisfactione, in omni integritate ecclesiæ, cui testata est, reformare cogatur. Jam vero a die hujus latæ legis vel tempore, quicunque Pontificum de his, quæ a fidelibus in Dei ecclesiis testata vel collata esse noscuntur, aliquid exinde abstulerit, suoque juri vel ecclesiæ principali, seu cuicunque personæ quolibet modo quodcunque tale concesserit, nulla temporum longævitate securus, juxta præmissum ordinem quandocunque & per quemcunque talia fuerit commisisse detectus, ea ipsa quæ præsumpsit, una cum legitima satisfactione rei propriæ, illi ecclesiæ cui tulit, vel in quam deliquit, reformare cogendus est. Quod si de rebus propriis non habuerit unde componat, in omni integritate ea quæ præsumpsit, ecclesiæ cui tulit, restituat: & ipse pro excessibus suis, juxta Canonem Toletani Concilii undecimi (1), excommunicationis plectendus erit sententia. Id est [1], ut si decem solidos rem ipsam quam tulit valere constiterit, xx. dierum pœnitentiæ satisfactione admissum facinus expurgabit. Similiter sive majoris sit precii sive minoris quod præsumpsit, geminata hoc semper dierum satisfactione vel pœnitentia emendabit. Simili quoque & ille sententia vel dampno mulctandus est, qui a decessore suo ablata deinceps quæcunque diocesanis ecclesiis, apud se tenere præsumpserit. Quicunque tamen judicum tenorem hujus legis adimplere neglexerit, quo aut judicare talia differat, aut judicanda regiis auditibus nullo modo innotescat, omnem rei taxationem, quam Episcopus ille persolvere debuit, qui talia fecerit, totam ecclesiæ illi de sua idem judex proprietate debebit componere, cujus accusatum sibi negotium destitit judicare. Hæc igitur lex, non solum pro rebus, quæ in ecclesiis absolutis vel diocesanis collatæ sunt, observabitur: sed sub generali nomine omnium ecclesiarum, id est, tam in monasteriis virorum, quam etiam fœminarum omnimoda constitutione complebitur. Id tamen adjiciendum huic legi manifesta ratio persuasit, ut Episcopi omnes quoscunque per ecclesias sive diocesis [2] sacerdotes rectoresque ordinandos elegerint, cognitiores eos efficiant de utilitatibus ecclesiæ illius, in quibus fuerint ordinati: Id est, ut quicquid unusquisque Episcoporum de scripturis ecclesiæ diocesis suæ apud se conservationis caussa habere se noverit, mox rectorem ecclesiæ cuilibet prætulerit, statim ei, quem ordinaverit, utilitates ecclesiæ vel scripturas in manifestam cognitionem deducat, nec non tantum ignorantia ordinati, sed quod pejus est obcelatione vel vitio ordinantis voluntas in quocunque lateat testatoris. Id tamen erit, ut & competentia sibi sacerdotes rectoresque ecclesiarum authentica videant [3], & aut exemplorum ipsorum exemplaria manu sui Episcopi roborata pro omni firmitate a Pontifice suo accipiant: qualiter per ea ipsa exemplaria, & negotia ecclesiæ sibi commissæ absque hæsitatione proponant, & veritatem partis suæ justitia intercurrente recipiant. Data & confirmata lex, a die undecimo Calendarum Januariarum, anno feliciter quarto regni nostri, in Dei Nomine Toleto.

VII. FLS. GLS. GABA REX.

Ne hi, qui retento ecclesiæ obsequio manumittuntur, ingenuarum personarum audeant adire conjugium.

Magna est confusio generis, ubi dissimilitudo unius parentis, statum degenerat progenitæ prolis. Hoc enim necesse est, ut inve-

1 Idem.

2 Al. per ecclesias suas diocesis. Forte, sua diocesis.

3 Authenticorum videant.

(1) *Juxta Canonem Toletani Concilii undecimi.*) Consule Canonem V. Toletani Concilii XI. acti VI. Idus Novembris anno IV. Wambæ Regis, qui eo ipso anno IV. Regni sui hanc edidit legem. Notandum duco, Concilium hoc recenseri ordine *undecimum*, quod Innocentius Papa III. in Epistola ad Petrum Compostellanum vocat undecimum Toletanum Concilium authenticum.

veniatur in frutice, quod tractum est ex radice. Quomodo enim absoluti decoris titulum reportabit, cujus parentes obligatio adhuc [1] innexa constringit? Et hæc quidem præmissa sunt, pro eo quod multi de familiis ecclesiarum libertate donantur, nec tamen absolutæ libertatis licentia potiuntur: in eo quod illi ecclesiæ, de qua originem ducunt, per obsequium illigantur; qui tamen dum diverso [2] ordine ingenuarum personarum connubium expetunt, contra naturam, quod ipsi non possunt, generare intendunt; & quod in augmentum publicæ utilitatis debuit crescere, hoc in manifestam illigationem personæ vel rerum cognoscitur devenire: dum is, qui de tam infami conjugio nascitur, inferioris parentis exequens [3] sexum, una cum rebus suis omnibus ecclesiasticæ servituti addicitur. Quapropter ut talis de cætero amputetur præsumptio, præsenti lege præcipimus: ut quicunque de familiis ecclesiæ retento patrocinio ecclesiæ ipsius, de cujus servitute exivit, libertatem a sacerdote acceperit, ingenuam sibi non audeat in matrimonio sociare personam. Illi tamen qui absoluti ab obsequio ecclesiæ, per canonicam sententiam debito ordine manumittuntur, & ingenuarum mulierum innecti copulis poterunt, & in prole omnimodæ dignitatis testimonium obtinebunt. Quod si hi qui sub ecclesiarum obsequio manumissi sunt, ingenuarum mulierum deinceps ausi fuerint se conjugio sociare: ubi hoc primum judex agnoverit, sub trina verberum ultione vel commonitione, sicut de ingenuis & servis lege alia continetur, eos separare non differat. Quod si ab invicem separari noluerint uniuscujusque personæ, sicuti fuerat conditione manente, quicquid ex illis natum fuerit, in Principis potestate serviturum deveniat. Res tamen omnes sive facultates, quæ de persona ingenua in talium libertorum jure quolibet modo transfusæ sunt, cum his etiam quæ sibi ex talium sexu procenitus filius potuit profligare, conquirere vel habere, totas in integrum aut heredes illius ingenuæ personæ possidendas obtineant: aut si heredes ei defuerint, in Principis jure deveniant possessuræ, qualiter judicare de his quid voluerit, absolutæ potestatis potiatur licentia. Hæc lex non solum in viris, sed & in fœminis observanda est; id est, sive sit libertus ecclesiæ sive liberta, quæ sibi personam ingenuam sociare præsumat. Hoc tamen in hac lege servandum est, ut quicunque de præteritis usque modo quo hæc lex conderetur, de talibus parentibus reperti fuerint intra tricennium generati, non obligationem sequantur illius parentis, qui ecclesiæ per obsequium illigatur; sed conditione omnimodæ ingenuitatis assumpta, cum omnibus rebus, quæ de parente nobili in ignobili parente quolibet modo transierant, in ingenuitatis forma, vel decore absoluti persistant. Data & confirmata lex, a die decimo Kalendarum Januariarum, anno feliciter quarto regni nostri, Toleto.

LEGIS WISIGOTHORUM

LIBER QUINTUS

DE TRANSACTIONIBUS.

TITULUS I. De ecclesiasticis rebus.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De donationibus ecclesiis datis.

SI famulorum meritis juste compellimur debitæ compensare lucra mercedis, quanto jam copiosius pro remediis animarum divinis cultibus, & terrena debemus impendere, & impensa legum soliditate servare? Quapropter quæcunque res sanctis Dei basilicis, aut per Principum, aut per quorumlibet fidelium cognationes collatæ reperiuntur, votive ac potentialiter pro certo censemus, ut in earum jure, inrevocabili modo, legum æternitate firmentur.

II.

De conservatione & redintegratione ecclesiasticæ rei.

Consultissima regni nostri credimus provenire remedia, dum pro utilitatibus ecclesiarum, quæ debeant observari nostris inseri legibus præcipimus. Ideoque præsenti sanctione censemus, ut mox Episcopus fuerit ordinatus, statim rerum inventarium de rebus ecclesiæ, præsentibus quinque ingenuis viris facere non moretur. Quod inventarium de rebus ecclesiæ, ingenui viri coram quibus factum fuerit, sua subscriptione corroborent. Post Episcopi vero ipsius obitum, dum alter fuerit Episcopus ordinatus, secundum rerum inventarium, res requirat ecclesiæ: & si aliquid diminutum de rebus ecclesiæ provenerit, proprii heredes Episcopi, vel quibus facultas ejus pertinere vel relicta esse videatur, de præcedenti satisfaciant facultate. Quod si & aliquid de rebus ecclesiæ vendere præsumpserint, succedens Episcopus, reddito precio quod a venditore susceptum est cum omni augmento, rem ad eam reducat ecclesiam, & nullam calumniam pertimescat. Quam legem & de presbyteris vel diaconibus, sicut su-

[1] *Ad hæc.* [2] *Perversa.* [3] *Absequens.*

ſuperius ſcriptum eſt, in omnibus obſervari & valere præcipimus.

III. ANTIQUA.

De venditionibus & donationibus eccleſiaſticarum rerum.

Si quis Epiſcopus aut presbyter, vel quicunque ex clericis, præter conſenſum cæterorum clericorum, aliquid de rebus eccleſiæ vendiderit vel donaverit, hoc firmum non eſſe præcipimus: niſi ita fuerit facta venditio ſive donatio, quemadmodum ſanctorum canonum inſtituta conſtituunt atque decernunt.

IV. ANTIQUA.

De rebus eccleſiæ ab his poſſeſſis, qui ſunt eccleſiæ obſequiis mancipati.

Heredes Epiſcopi ſeu aliorum clericorum, qui filios ſuos in obſequium eccleſiæ commendaverint, & terras vel aliquid ex munificentia eccleſiæ poſſederint: ſi ipſi in laicos reverſi fuerint, aut de ſervitio eccleſiæ, cujus terram vel aliquam ſubſtantiam poſſidebunt, diſceſſerint, ſtatim quæ poſſidebant amittant. Sed & in omnibus clericis, qui de rebus eccleſiæ quæcunque poſſederint, ſervetur hæc forma: ne quamvis longa poſſeſſio dominium eccleſiæ a rebus ſibi debitis quandoque ſecludat, quia & canonum auctoritas ita commendat. Sed & viduæ ſacerdotum (1) vel aliorum clericorum, quæ filios ſuos in obſequium eccleſiæ commendant, pro ſola miſeratione, de rebus eccleſiaſticis, quas pater tenuit, non efficiantur extorres.

TITULUS II. De donationibus generalibus.

I. ANTIQUA.

Ne valeat violenter facta donatio.

Donatio quæ per vim & metum fuerit extorta, nullam habeat firmitatem.

II. FLS. CHDS. REX.

De donationibus Regis.

Donationes regiæ poteſtatis, quæ in quibuſcunque perſonis conferuntur, ſive collatæ ſunt, in eorum jure conſiſtant, in quorum nomine eas poteſtas contulerit regia: ea videlicet ratione, ut ita hujus regalis munificentiæ collatio adtributa, in nomine ejus, qui hoc promeruit, transfuſa permaneat, ut quicquid de hoc facere vel judicare voluerit, poteſtatem in omnibus habeat (2). Quod ſi etiam is qui hoc promeruerit, inteſtatus diſceſſerit; debitis ſecundum legem heredibus res ipſa ſucceſſionis ordine pertinebit, & infringi collatæ munificentiæ gratia nullo modo poterit. Quia non oportet Principum ſtatuta convelli, quæ convellenda eſſe præcipientis culpa non fecerit.

III. ANTIQUA.

De rebus marito vel uxori a Rege donatis.

Speciali jure decernitur, ut de rebus regia collatione collatis, ſi in nomine mariti fuerit conſcripta donatio, nil ſibi exinde mulier, excepto quod in dote percepit, debeat vindicare. Ideoque & ſi in nomine mulieris invenitur facta donatio, nihil ſibi vir exinde poſt ejus obitum adtemptet aliquatenus uſurpare, vel juri proprio mancipare, niſi quod meruerit uxoris largitate percipere.

IV. ANTIQUA.

De rebus extra dotem uxori a marito collatis.

Si mulier a marito extra dotem, de quibuſcunque rebus quacunque donatione vel profligatione conquiſitis aut illi debitis, quocunque tempore, quodcunque donatum acceperit, ſi filii de eodem conjugio fuerint procreati, mulier uſque ad diem obitus ſui, & ſecundum voluntatem vel ordinationem teſtatoris ſecura poſſideat, & de quinta tantundem parte earum rerum faciendi quod voluerit poteſtatem obtineat. Fructus tamen ſicut teſtator ipſe, qui hoc teſtavit, expendendi vel utendi poteſtatem habere potuit: ita & illa quæ uſu hoc ad poſſidendum percepit, omnia dum advixerit, ſine cujuslibet inquietudine, ſuis incunctanter utatur expenſis: ſi tamen idem teſtator aliquam ſpecialem teſtationem de ipſis frugibus non inſtituerit. Poſt obitum vero ſuum, reliqua integra & intemerata filiis ex ipſo viro procreatis derelinquat, & nulla occaſione cuiquam exinde, excepta ut dictum eſt quinta parte, quicquam aliud mulier alienare præſumat. Quod ſi ex ipſo conjugio filii non fuerint procreati, quicquid mulier de rebus ſibi donatis, juxta præſcriptum teſtatoris ordinem facere elegerit, liberam habeat poteſtatem. Ceterum ſi inteſtata diſceſſerit, ad maritum ejus, ſi ſuperſtes extiterit, donatio revertatur. Si autem maritus non fuerit, ad

(1) *Viduæ ſacerdotum &c.*) Hic certe agi credo de viduabus Sacerdotum & Clericorum ante ordinationem ductis, itemque de filiis ante ordinationem ſuſceptis. Etenim Eccleſia Hiſpanica Gothis regnantibus aſſerendo majorum Clericorum cœlibatui nulli fuit ſecunda, ut ex pluribus Conciliis, & præcipue Toletanis evincit Thomaſſinus V. & N. Eccl. Diſcipl. Parte I. Libro II. cap. LXIII. Quod non obſcure innuit & noſtri Codicis lex, quæ habetur ſupra Libro III. Tit. IV. lege 18. quam hic repete.

(2) *Poteſtatem in omnibus habeat.*) In Hiſpanico additur: *e que pague los tribudos, que deven ſer fechos de la eredat.*

ad heredes mariti qui donationem conscripsit, eadem donatio pertinebit. Similem rationem de viris præcipimus custodiri, de his quæ ab uxoribus tempore quocunque donata præceperint.

V. ANTIQUA.

De rebus a marito mulieri concessis; vel si mulier fuerit adulterasse detecta.

Maritus si uxori suæ aliquid donaverit, & ipsa post obitum mariti sui in nullo scelere adulterii fuerit conversata, sed in pudicitia permanserit, aut certe si ad alium maritum (1) honesta conjunctione pervenerit, de rebus sibi a marito donatis possidendi, & post obitum suum, si filios non habuerit, relinquendi cui voluerit, secundum voluntatem testatoris habeat potestatem. Ceterum si filios non relinquens intestata discesserit, aut ad maritum ejus, si superstes extiterit, aut ad heredes mariti qui donationem conscripsit, eadem donatio pertinebit. Si autem per adulterium seu per inhonestam conjunctionem se miscuisse convincitur, quicquid de facultate mariti sui fuerit consecuta, totum incunctanter amittat, & ad heredes donatoris, vel ad filios legitimos revertatur.

VI. FLS. CHDS. REX.

De rebus traditis, vel per scripturam donatis.

Res donatæ, si in præsenti traditæ sunt, nullo modo repetantur a donatore. Quod si etiam provenerit, ut quod donatur sit longe positum, pro eo donatio evacuari non poterit: quia tunc videtur vera esse traditio, quando jam apud illum scriptura donatoris habetur, in cujus nomine conscripta esse dinoscitur. Hoc tantum observandum est, ut si donator dixerit, nec dedisse, nec direxisse scripturam, sed sublatam sibi fuisse: tunc ille, cui res donatæ sunt, per testem convincat, ab ipso donatore eandem rem aut traditam sibi aut directam, vel ex ejus voluntate in potestate sua redactam: & dum probaverit, stabilis habeatur. Quod si probare neglexerit, tunc ille qui scripturam fecerit, juraturus est, quia eandem scripturam, neque per se dedisset, neque direxisset, neque per voluntatem suam factum esset, ut eadem scriptura in manus ejus veniret, a quo eam videtur repetere: & sic invalida remanebit, si tamen qui donavit voluerit. Illud sane addi placuit, ut si quisque scripturam de suis rebus in quibuslibet personis ediderit, si eam vivendo illi in cujus nomine scripta est non tradiderit, quamlibet tradita non sit, tamen dum post ejus obitum reperta fuerit, ille sibi eam vindicabit cum omnibus rebus, quæ ibi conscriptæ sunt, in cujus nomine dator eam fieri voluisse agnoscitur. Quoniam justum omnino est, ut talis scriptura robur plenitudinis habeat, quam vivens donator ita salvavit, ut nequaquam videatur aliquatenus immutata. Nam si scripturam ipsam vel rem conditor dum viveret nullo modo tradidit, sed apud se retinuit, & voluntatem suam postmodum immutavit; illud potius firmissimum erit, quod post testationem non traditæ scripturæ definisse cognoscitur. Quod si ipsum, cui res donatæ fuerant, fatalis casus ab hac vita subduxerit, antequam rem sibi donatam caperet, ad donatorem, vel ad heredes donatoris, res ipsa pertineat. Qui vero sub hac occasione largitur, ut eandem rem ipse qui donat usufructuario jure possideat, & ita post ejus mortem ad illum cui donaverit res donata pertineat: quia similitudo est testamenti, habebit licentiam immutandi voluntatem suam quando voluerit, etiamsi in nullo læsum fuisse se dixerit. Ille vero qui falsa donatione circumventus, aliquid in utilitate donatoris expenderit, aut ab ipso donatore recipiat, aut ab ejus heredibus: ne injuste dampna sustineat, qui lucrum se habere de inani promissione putabat. Certe si quisquis ille rem donatam, sive per traditionem conditæ scripturæ, sive per consignationem vel traditionem rerum, in jure suo perceperit, & complacuerit ei, ut donator rem ipsam per voluntatem ejus qui eam donatam percepit possideat, jam si in postmodum fortasse contigerit, ut ipse qui rem donatam perceperat, vivente donatore moriens, ab hac vita discedat, quicquid de re sibi donata judicare vo-

---

(1) *Aut certe si ad alium maritum &c.*) Lex aliquanto mitior aliis, quæ tum demum a marito tradita uxorem possidere decernunt, dummodo casta vivat, atque in viduitate permaneat. Vide Leg. Bajuvar. Tit. XIV. c. 9. ibique annotata. Quod certe severiorem veterum Germanorum disciplinam sapit, quibus exosas fuisse secundas nuptias ex Tacito colligimus Germ. c. XIX. *Melius quidem adbuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum spe, votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium ament.* Ex eodem animo adversus secundas nuptias infenso ortum duxisse reor morem in aliquibus Galliæ civitatibus dudum usitatum, *ut vidui æque ac viduæ conjugium repetentes, tympanis, & ære resonante a plebe infestarentur.* Vide Ayrerum *de ritu connubiorum* articulo finali. Idem mos apud nos hodieque viget, ut qui ad secundas nuptias transvolant primis matrimonii noctibus strepitu æreorum, ferreorumque instrumentorum a vicinis popularibus infestentur; cui molestiæ evadendæ novi nupti cum Parœciæ Officialibus componere solent de cereis, vel de alia oblatione, quæ in usum Parochialis Ecclesiæ cedat. Hæc ritus tam frivoli in dissitis adeo regionibus conformitas ejusdem non minimam antiquitatem indigitat.

fuerit licentiam habeat. Quod si intestatus discesserit, non ad donatorem, sed ad heredes ejus, qui rem donatam percepit, res eadem sine dubio pertinebit.

VII. ANTIQUA.

De rebus inter maritum & uxorem invicem datis.

Maritus si uxori suæ aliquid donaverit, de hoc quod ipsa habere voluerit, scripturam manus suæ subscriptione vel signo confirmet: ita ut duo aut tres testes ingenui subscriptores vel signa facientes accedant, & sic voluntas ipsius habeat firmitatem. Similis & de uxoris voluntate, quæ in maritum conferre voluerit, donationis hæc forma servetur: si tamen violenter a viris non fuerit exacta donatio. Servata legum in omnibus sanctione, quæ in discendis facultatibus dinoscitur ordinata consistere.

TITULUS III. De Patronorum donationibus.

I. ANTIQUA.

Si is qui in patrocinio constitutus est, vel filii ejus, patronum aut filios patroni relinquat.

SI quis ei, quem in patrocinio habuerit, arma dederit, vel aliquid donaverit, apud ipsum quæ sunt donata permaneant. Si vero alium sibi patronum elegerit, habeat licentiam cui se voluerit commendare. Quoniam ingenuo homini non potest prohiberi, quia in sua potestate consistit: sed reddat omnia patrono, quem deseruit. Similis & circa filios patroni, vel filios ejus qui in patrocinio fuit, forma servetur: ut si tam ipse qui in patrocinio fuit, quam filii ejus, filiis patroni obsequi voluerint, donata possideant. Si vero patroni filios vel nepotes ipsis nolentibus crediderint relinquendos, reddant universa, quæ parentibus eorum a patrono donata sunt. Quicunque autem in patrocinio constitutus (1), sub patrono aliquid acquisierit, medietas ex omnibus in patroni vel filiorum ipsius potestate consistat. Aliam vero medietatem idem buccellarius, qui acquisivit obtineat. Quod si buccellarius (2) filiam tantummodo reliquerit, & filium non reliquerit, ipsam in potestate patroni manere jubemus: sic tamen ut ipse patronus æqualem ei provideat, qui eam sibi possit in matrimonio sociare, & quicquid patri vel matri fuerit datum ad eam pertineat. Quod si ipsa sibi contra voluntatem patroni inferiorem forte maritum elegerit; quicquid patri ejus a patrono fuerat donatum, vel a parentibus patroni, patrono vel heredibus ejus restituat.

II.

---

(1) *Quicunque autem in patrocinio constitutus.*) Hispanicus; *E si aquel que ayuda a so senor en oste, o en lid.* Infra libro IX. Tit. II. lege 9. *exercitales* memorantur, qui patronum suum sequuti non fuerint, sed per patrocinia diversorum se dilataverint, ita ut neque in wardia cum seniore suo persistant &c. Quibus profecto indigitantur non servi, aut liberti, domino, aut patrono ex onere proprii status addicti, sed liberæ conditionis militares viri, qui equitibus, seu militibus honoratioribus, sub quorum patrocinio constituebantur, ministrarent. Fuit hoc Celtarum vetus institutum. Cæsar de Gallis; *Omnes* (equites) *in bello versantur, atque eorum, ut quisque est genere, copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos, clientesque habet. Hanc unam gratiam, potentiamque noverunt.* Comment. de B. G. libro VI. *Ambacti* autem iidem vi vocis sunt, ac *ministeriales*. Vide Wachter. Glossar. h, v. Militum honoratioribus militibus ministrantium usus etiam apud Langobardos vigebat, prout colligimus ex Procopio de Bello Gothico lib. IV. cap. XXVI. *Auduinus Langobardorum Rex . . . . bis mille ducentos bellatores egregios auxilio miserat, hisque in famulatum addiderat amplius tria pugnatorum millia.* Famulantium militum quædam ministeria penes Celtas usitata, describit Pausanias in Phocicis. *Duo famuli circa unumquemque equitem erant, ipsi equestris rei periti & equitantes . . . . si forte equus caderet, alium ille equum, quem conscenderet, adducebat famulus; si dominus interdiceretur, in locum ejus succedens equum scandebat &c.* De eodem inter Germanos ministerio loquitur & Cæsar de B. G. lib. I. *Ariovistus bis omnibus diebus exercitum castris continuit; equestri prælio quotidie contendit. Genus hoc erat pugnæ, quo se Germani exercuerant. Equitum millia erant sex, totidem numero pedites velocissimi, ac fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos suæ salutis causa delegerant: cum bis in præliis versabantur: ad hos se equites recipiebant: hi, si quid erat durius, concurrebant: si qui graviore vulnere accepto, equo deciderent, circumsistebant: si quo erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum sublevati, cursum adæquarent.* Obiter hic adverte antiquam originem famulantium cursorum, quos vulgo appellamus *Lacchè*. Nomen ipsum eorum antiquitatem testatur, atque a Gothis derivationem. Scribit Wachterus in Glossar. V. *Lakei* hujus vocis radicem nusquam nisi in Gothico idiomate reperiri. In Evangelio Gothico Lucæ VI. 23. *Faginod in jainamma daga, jah laikod: Gaudete in illa die, & exilite.* Vox autem proprie indigitat illum, qui magnis saltibus jactisque in aerem calcibus, cursum accelerat. Piaculum est, hoc militare quondam, ac illustre ministerium hodie in summam vilitatem abiisse.

(2) *Buccellarius.*) *Cliens, Verna, qui Patroni panem edit, Buccio, Parasitus.* Ita Cangius in Glossario hac voce. At vero forte hi famulantes milites hoc nomine donati sunt, quod præcipuum, seu communius eorum ministerium esset nobilium Patronorum arma in aciem gestare. *Armigeros* dicerem, seu *Scutiferos*. Clypeus Islandis dicitur *Buklari*, Anglis *Buckler*, Gallis *Bouclier*, veteribus Francis *Buccellere*. V. Wachter. Glossar. v. *Buckel*. Si inde etymologiam nominis sumas, *Buccellarius* erit, qui Italice *Scudiero*. Hodieque in Anglia *Scutifer*, seu *Armiger* (*Esquire*) penultimus est nobilitatis gradus tenens locum inter Equitem, & Gentilem hominem, seu Generosum. Horum re-

II. ANTIQUA.

De armis quæ dantur ſajonibus in patrocinio conſtitutis, & de acquiſitionibus eorum.

Arma quæ ſajonibus (1) pro obſequio donantur, nulla ratione a donatore repetantur. Sed illa quæ dum ſajo eſt acquiſivit, in patroni poteſtate conſiſtant.

III. ANTIQUA.

De rebus in patrocinio conquiſitis, vel a patrono collatis.

Sicut ſuperius dictum eſt, ſi quis cum aliquo patrocinii cauſſa conſiſtat, & aliquid dum cum eo habitat, adquiſierit: ſi ei inveniatur infidelis, vel eum derelinquere voluerit, medietas adquiſitæ rei patrono tradatur. Aliam vero medietatem qui adquiſivit obtineat, & quicquid ei ipſe donavit recipiat.

IV. ANTIQUA.

De rebus in patrocinio acceptis & conquiſitis.

Ita, ut ſupra præmiſſum eſt, quicunque patronum ſuum reliquerit, & ad alium tendens forte ſe contulerit, ille cui ſe commendaverit, det ei terram. Nam patronus quem reliquerit, & terram & quæ ei dedit obtineat.

TITULUS IV. De commutationibus & venditionibus.

I. ANTIQUA.

Ut ita valeat commutatio ſicut & emptio.

Commutatio ſi non fuerit per vim & metum extorta, talem qualem & emptio habeat firmitatem.

II. ANTIQUA.

Ut ſi non fuerit idoneus venditor, fidejuſſor detur.

Si venditor non fuerit idoneus, ingenuum fidejuſſorem dare debet emptori, & emptio habeat firmitatem.

III. ANTIQUA.

Non valeat violenter facta venditio.

Venditio per ſcripturam facta plenam habeat firmitatem. Ceterum ſi etiam ſcriptura facta non fuerit, & datum precium præſentibus teſtibus comprobetur, plenum habeat emptio robur. Venditio vero ſi fuerit violenter & per metum extorta, nulla valeat ratione.

IV. ANTIQUA.

Si arris datis precium non fuerit impletum.

Qui arras pro quacunque re acceperit, id cogatur implere quod placuit. Emptor vero ſi per ægritudinem, aut gravem neceſſitatem, quæ vitari non potuerit, ad conſtitutum non occurrerit diem, quem voluerit pro ſe dirigat, qui precium tempore definito percomplaceat[1]. Quod ſi ad conſtitutum diem nec ipſe ſucceſſerit, nec pro ſe dirigere voluerit, arras tantummodo recipiat (2) quas dedit, & res definita non valeat.

V. ANTIQUA.

Si pars precii data non fuerit.

Si pars precii data eſt, & pars promiſſa non adimpletur, non propter hoc venditio facta rumpatur. Sed ſi emptor ad placitum tempus non exhibuerit precii reliquam portionem, pro precii parte quam debet, ſolvat

1 *Percompleat.*

reliquiæ videntur fuiſſe *Dienſtmanni*, (quos *liberæ conditionis* ſervos appellat Wachterus h. v.) bellico, aut aulico miniſterio Principum, atque Optimatum addicti. Hanc veterem eſſe compellationem colligimus ex Ortfrido in Evangelio Francico lib. I. cap. XIX. hæc ſcribente de S. Joſepho:

Vuas thionoſtman guater
Biſourgeta oub thie muater.
Erat miniſter bonus,
Et curam gerebat matris.

Dienſtmanni florebant & in Provincia Carneæ, & quidem nobilis conditionis, & feuda obtinentes, atque ex Tabulis Johannis de Moravia Patriarchæ Aquilejenſis datis ſub die IX. Augusti MCCCXCII. ediſcimus eos præclaris immunitatibus gaviſos fuiſſe, *remanente tamen ſervitio ſolitæ, & debitæ equeſtris militiæ &c.* V. de Rubeis Monum. Eccl. Aquil. pag. 607. In eadem Provincia hodieque ſuperſunt quamplures familiæ *Dienſtmannorum*, quos *Deſmans*, ſeu *Giſmans* corrupte noſtrates appellant, nobilitatis fulgorem præſeferentes, & privilegiis & immunitatibus gaudentes, quibus militaris ſervitii onus incumbit.

(1) *Sajonibus.*) Supra Libro II. Titulo I. Lege 17. animadvertimus, forenſem Sajonem fuiſſe Magiſtratum apparitorem. At vero hic ſermo eſt de ſajone militari, ſub alterius militis patrocinio conſtituto. Si ergo a re forenſi ad militarem deductio valeat, hic erit apparitor militaris, & forte idem, qui alias *Heraldus* nuncupatus eſt. Apud Caſſiodorum Var. lib. I. ep. 24. haud abſimili occurrit ſignificatione, dum Oſtrogothici exercitus compulſor, qui ſcilicet milites ad bellicam expeditionem ſummonet, *Sajonis* nomine donatur. Attamen ſi, ut quibuſdam placet, *Sajonis* vox derivetur a veſte, *ſago* nuncupata, ampliorem habet ſignificationem, quam quæ aſſequi facile poſſit.

(2) *Arras tantummodo recipiat.*) Optime Lindenbrogius conjectatus eſt, addendam eſſe particulam negativam: *arras tantummodo non recipiat.* Hiſpanicus: *perda ſo final, que dio, e non vala la vendicion.*

vat usuras nisi hoc forte convenerit, ut res empta venditori debeat reformari.

VI. FLS. RCDS. REX.

Si fraus in precio rei venditæ fiat.

Si in contractu venditionis minus precium datum fuerit, & per fraudem aut etiam contra voluntatem vendentis amplius datum precium nuncietur: quantum de justo precio fraudatum est, tantum duplum emptor restituat venditori. (2)

VII.

Si dicat quis rem suam vili precio vendidisse.

Venditionis hæc forma servetur: ut seu res aliquæ, vel terræ, sive mancipia, vel quodlibet animalium genus venditur, nemo propterea firmitatem venditionis irrumpat, eo quod dicat rem suam vili precio vendidisse.

VIII. ANTIQUA.

De his qui aliena vendere vel donare præsumpserint.

Quotiens de vendita vel donata re contentio commovetur, id est, si alienam fortasse rem vendere, vel donare quemcunque constiterit, nullum emptori præjudicium fieri poterit: sed ille, qui alienam fortasse rem vendere aut donare præsumpserit, duplam rei domino cogatur exsolvere. Emptori tamen precium quod accepit redditurus, & pœnam quam scriptura continet impleturus: & quicquid in profectu comparatæ rei emptor, vel qui donatum accepit, studio suæ utilitatis acceperat, a locorum judicibus æstimetur: atque ei qui laborasse cognoscitur, a venditore vel donatore juris alieni, satisfactio justa reddatur. Similis scilicet & de mancipiis, & de omnibus rebus, atque brutis animalibus ordo servetur.

IX. ANTIQUA.

Quod rem in contentione positam non liceat vendere vel donare.

Rem in contentione positam, id est, quam alter aut petere cœpit, aut recipere rationabiliter poterat, obtinere non liceat, nec donare, nec vendere, nec aliquo loco transferre.

X. ANTIQUA.

Si se permiserit ingenuus venumdari.

Quicunque ingenuus se vendi permiserit, & precium cum venditore partitus est, ut circumveniret emptorem, proclamans postea nullatenus audiatur; sed in ea servitute, quam voluit, permaneat. Quoniam non est dignus ut liber sit, qui se volens subdidit servituti. Et tamen si ipse, qui se vendiderit vel venundari permiserit, precium unde se redimat habere poterit: aut si parentes ejus redemptionem pro eo, qui se vendidit, dare elegerint; reddito ad integrum precio, quod pro venditi persona emptor accepit, ad ingenuitatis titulum ille, qui se vendiderat, poterit revocari.

XI. ANTIQUA.

De viris ac mulieribus ingenuis a servo vel ingenuo venditis.

Si ingenuus ingenuum vendere, vel donare præsumpserit, hujusmodi præsumptorem judex comprehendere non moretur: ita ut ingenuus ille in statum suum redactus centum auri solidos a præsumptore percipiat: aut si non habuerit unde componat, centum flagellis publice verberatus, in potestate ejus serviturus tradatur, quem vendere vel donare præsumpserat. Servus vero in ingenuam personam talia facere fortasse præsumens, comprehensus a judice ducentorum flagellorum ictibus publice verberetur, & decalvatus turpiter, ejus perenniter servitio addicatur. Atque etiam de mulieribus ingenuis venditis vel donatis, hujus ordinis forma servetur.

XII. ANTIQUA.

Non licere parentibus filios suos quocunque contractu alterius dominio subjugare.

Parentibus filios suos vendere non liceat, aut donare, vel oppignerare. Nec ex illis aliquid juri suo defendat ille qui acceperit, sed magis precium vel sepositionis commodum quod dederat, perdat, qui a parentibus filium comparavit.

XIII. FLS. CHDS. REX.

De servorum rebus venditis.

Res juris alieni sine domini voluntate ab eo, qui non habet distrahendi potestatem, alienari non patimur. Ideoque cum promulgata juris antiqui sanctio non sine dominorum dispendio servorum venditiones in irritum præceperit devocari, providentiori decreto consulimus, si leges patrias ad æquitatis regulam redigamus, sicque melius earum statuta corrigere, quam cum eis pariter oberrare.

(1) Hanc legem VI. in Hispanico subsequitur alia, hujusce tenoris: *Si algun ome libre toma cosa ayena, o la compra, o le es dada, e la toma sabiendo que es ayena, si el senor de la cosa lo podier mostrar, aquel que la tomara pechela en tres dublo al senor: e si fure ome franqueado, pechela en dublo, e si fure siervo, e la tomar sen voluntat del senor, peche la cosa, e reciba cien açotes.*

rare. Quapropter si quis servum vel ancillam alienam sciens, ab eis deinceps domum, agrum, vineam, seu mancipium, sub quacunque definitione percepit, donatio siquidem vel sepositio de talibus personis contracta non valeat. Ita ut nec datum commodum pro sepositione reddatur. Venditio vero cum dispendio comparantis irrupta, sic ad servi vel ancillæ dominum in integrum revocetur, ut emptor precium ex omnibus perdat. Juste enim quod per ambitionem dederat videtur amittere, qui suo dominio rem census alieni nititur applicare. Prædictæ vero serviles personæ si animalia quælibet bruta vendiderint, seu res quascunque & ornamenta distraxerint, quæ tamen aut sui sint peculii, aut a dominis suis vel aliis negotiandi occasione distrahenda perceperint, ita perenniter firma subsistant; ut si dominus ejusdem servi vel ancillæ qui vendidit, rescindere venditionem ipsam voluerit, seu rem domini quæ vendita est, non servi peculium, sed sui esse proprii domini asseruerit, non aliter venditio rescindatur, nisi ille qui rescindendam venditionem proponit, aut per testes legitimos, aut per sacramentum suum, non servi peculium, sed suum proprium doceat esse quod quærit, & sine voluntate sua venditum fuisse quod acquirere cupit. Et hoc quidem de vilibus aut parvis rebus: nam de majoribus & necessariis in domini potestate erit infringere aut stabilire negotium.

XIV. ANTIQUA.

Si servus venditus in priorem dominum crimen objiciat.

Si quis servum suum vendiderit, & ipse servus priori domino aliquod crimen objecerit; ille qui vendidit, recipiat, quem vendiderat, precium redditurus emptori: ut ipse in servo suo crimen quod sibi objectum est inquirere vel vindicare studeat. Id autem & de ancillis præcipimus custodiri. Idem tamen servus vel ancilla, seu venditi, sive donati, vel commutati, in priorum dominorum capite non torqueantur: neque credatur eis, si in prioribus dominis crimen objecerint.

XV. ANTIQUA.

Ut servi venditi facultatem dominus quærat.

Si quis servum suum vendiderit nesciens ejus facultatem, habebit inquirendi liberam potestatem, ut sibi vendicet ille qui vendidit, cum potuerit invenire rem servi venditi.

XVI. ANTIQUA.

Si servus sit de suo peculio emptus.

Si servus de peculio suo fuerit emptus, & hoc dominus ejus forte nescierit, de domini sui potestate non exeat; quia non precium, sed res servi sui dominus dum ignorat accepit.

XVII.

Ut nullus servum suum vendat invitus.

Sæpissime leges oriuntur ex caussis: & cum aliquid insolitæ fraudis existit, necesse est contra notandæ calliditatis astutiam præceptum novæ constitutionis apponi. Comperimus multorum servos vel ancillas ad ecclesiam quorundam sollicitatione confugere, & illic de injusto dominorum imperio sæpissime querelari: ut ita intercedentibus clericis, religionis obtentu, domino necessitatem venditionis extorqueant. Hinc etiam plerumque domino error imponitur: ut aut clericus, aut quicunque alius se vel ut emptor interponat, precium traditurus alienum: & sub hujus argumentatione colludii, interdum domino nesciente servus vendatur inimico: atque eveniat, ut in vicinia forsitan longa constitutus, eum ille possideat, qui publicæ nullatenus ad contractum venditionis accessit. Proinde hac lege profutura omnibus sancimus, ut nullus servum suum vendat invitus. Sed clericus aut ecclesiæ custos, sicut in aliis legibus continetur, excusatum a culpa domino servum amota dilatione restituat. Satis enim videtur indignum, ut in eo loco servi contumaciam rebellionis assumant, ubi castigationis disciplina & obtemperandi prædicantur exempla. Si quis itaque dominum suum in hunc inducit errorem, precium, qui per suppositam personam comparavit, amittat. Quod ille aut ipso commercii tempore, quo inducebatur, usurpet, suæ proprietati habiturus: aut si hoc postea quam fuerat inductus agnoverit, judicis exequutione percipiat, & servum nihilominus suæ vendicet potestati. Is autem qui se ministrum fraudulenter venditioni ingessit, alium paris meriti servum domino, cui instruxit insidias, reformare cogatur: & tam notandæ fraudis improbitas, præcepti hujus coerceatur objectu.

XVIII. FLS. CHDS. REX.

Si servus pro quocunque crimine, qualicunque contractu ad dominium transierit alterius.

Non prætermittendum est legali sanctione decernere, unde plerumque impugnationis occasio videatur existere. Idcirco, si criminis reatu servus obnoxius, ad alterum fortasse dominum donationis, venditionis, aut commutationis titulo transierit serviturus; idem prior dominus aut servum pro culpa tradere, aut pro eo componere compellendus est. Nam qui talem servum comparasse dinoscitur, si respondere vel satisfacere pro crimine ejus noluerit, hunc priori domino precio recepto restituat, & ipse quoque pro scelere servi redditurus est petenti responsum, sub cujus dominio servum constiterit perpetrasse reatum.

XIX. FLS. CHDS. REX.

De non alienandis privatorum & curialium rebus.

Si cura rei familiaris omitti non debet, quanto magis utilitatis publicæ, quam semper exerceri vel augeri necesse est? Curiales igitur vel privati, qui caballos ponere, vel in arca publica functionem exsolvere consueti sunt, nunquam quidem facultatem suam vendere aut donare, vel commutatione aliqua debeant alienare. Et tamen si contigerit, aut voluntate aut necessitate eos alicui, sive venditione aut donatione, sive commutatione omnem suam facultatem dare [1]: ille qui accepit censum illius, a quo accepit exsolvere procurabit, & hanc ipsam summam census, ejusdem scripturæ suæ ordo per omnia continebit. Sed & qui medietatem facultatis talium personarum, vel partem aliquam in mancipiis, terris, vineis, domibusque perceperit, juxta quantitatem acceptæ rei, functionem publicam impleturus est. Qui autem de talibus personis accipiens, aut per scripturam illius a quo accepit, non ostenderit quid exinde functionis exsolvat, aut uno forsitan anno reddere censionem ipsam distulerit: mox Regis auditibus, sive Comitis aut judicis hujus rei actio innotuerit: possessor amisso precio, & si quid e contra dederat, id etiam quod accepit ex omnibus perdat. Ita ut Principis potestas, seu illi qui dederat reddere voluerit, sive alii fortasse conferre, licentiam habeat. Ipsis interim curialibus vel privatis inter se, vendendi, donandi & commutandi, cui licitum erit, ut ille qui acceperit, functionem rei acceptæ publicis utilitatibus impendere non recuset. Nam plebeis (1) glebam suam alienandi, nulla unquam potestas manebit. Amissurus procul dubio precium, vel si quid contigerit accepisse, quicunque post hanc legem, vineas, terras, domosque, seu mancipia, ab officii hujus hominibus accipere quandocunque præsumpserit.

XX. ANTIQUA.

Si res illa vendatur aut donetur, quæ prius debuerat per judicium obtineri.

Si quis rem, quæ est per judicium repetenda, priusquam adversarium judicialiter superet, ita vendiderit, vel donaverit alicui, aut forte tradiderit occupandam, ut absque audientia judicis privetur dominium possessoris; ipse qui possedit per exequutionem judicis, rem quæ occupata fuerat, statim recipiat, nec de ejus postmodum repetitione contendat, etiamsi bona sit caussa petentis. Ille vero qui hoc vendidit, aut donavit, vel occupari præcepit, quod juste vindicare nullatenus poterit [2]; ejusdem meriti rem aut precium ei, a quo victus fuerit, repensare cogatur: quia rem antequam vinceret [3], fecit invadi.

XXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De mancipiis ab hostibus occupatis vel venditis.

Quæcunque mancipia de regionibus nostris ab adversis hostibus extiterint occupata, si ab hominibus regni nostri reperiantur excussa, ille qui ab hoste abstulit, ex quo unumquodque mancipium valere juste constiterit, tertiam partem precii habeat, & mancipia domino nihilominus reddat. Quod si venditum ab hostibus mancipium fuerit acceptum, cum juramento manifestetur precium datum: ac tunc ille qui dedit, integrum precium, & quantum mancipium melioravit acceptum, a domino recipiat, moxque illi suum mancipium inexcusabiliter reddat.

XXII. FLS. CHDS. REX.

Quo præsens liber debeat precio comparari.

Ut omnis de cetero & improbitas distrahentis, & dispendium temperari possit emptoris, id præsenti sanctione decernitur legis: scilicet ut quotiescunque hunc codicem constiterit venundari, non amplius quam XII. solidorum (2) numerum accipere venditori, vel dare licebit emptori. Si quis vero super hunc precii numerum accipere vel dare præsumpserit, C. flagellorum ictibus a judice verberari se noverit.

1 *Facultatulam dare.* 2 *Potuit.* 3 *Vindicaret.*

(1) *Nam plebeis &c.*) Hispanicus: *Mas el ome, que es solarego, non pode vender la heredat por nenguna manera.* Villadiego in hunc locum adductis auctoribus ait: *Solariego tanto quiere dezir, como ome, que es poblado en suelo de otro.* Additque *Solariegos* vocari homines de mansata; atque inter conditiones mansatæ recenseri, ut mansus alienari non posset, & homo mansatæ alibi se transferens mansatam amitteret.

(2) *XII. solidorum.*) Hinc aliqua nobis notitia valoris librorum, atque codicum, regnante Chindasvindo, hoc est, sæculo VII; cum XII. solidis taxetur pretium Codicis legum Wisigothorum, qui certe videtur non fuisse ejus molis, ac ille, quem præ oculis habemus; cum in hoc plures sint superadditæ leges sub posterioribus Regibus conditæ. Duodecim vero solidi exæquabant apud Wisigothos sextam partem libræ Romanæ auri, sed impuri, ut infra dicemus.

TITULUS V. De Commendatis & Commodatis.

I. ANTIQUA.

De animalibus in custodiam placita mercede susceptis.

Si quis caballum, vel bovem, aut quodlibet animalium genus, placita mercede ad custodiendum susceperit: si id perierit, alium ejusdem meriti, ille qui commendata vel commodata susceperit (1), exsolvat: si tamen mercedem fuerit pro custodia consequutus, vel pro conducto. Quod si ille qui nullum placitum pro mercede susceperat, rem mortuam esse probaverit, nec ille mercedem recipiat, nec ab illo aliquid requiratur. Ea tamen ratione, ut præbeat sacramentum ille, qui commodata [1] susceperat, quod non domino per suam culpam, neque per negligentiam, animal morte consumptum sit, & nihil cogatur exsolvere. Similis & de commodatis [2] forma servetur.

II. ANTIQUA.

De animalibus in angariam præstitis.

Si quis alicui jumentum, aut caballum, aut aliud animal præstiterit, & per aliquam infirmitatem apud eum qui accepit moriatur, sacramentum præbere debebit, quod non per suam culpam, neque per negligentiam morte consumptum sit, & nil cogatur exsolvere. Sin autem nimium sedendo, vel fasces carricando [3], aut quocunque onere vel percussione mortuum fuerit, ejusdem meriti animal domino sine aliqua excusatione restituat. Si vero præstitum animal alicui aliquid debilitatis intulerit, vel dampni, ille componat qui eum apud se susceptum habuisse dinoscitur.

III. ANTIQUA.

De rebus præstitis, incendio vel furto exterminatis.

Si alicui aurum, argentum aut ornamenta, vel species fuerint commendatæ, sive custodiendæ traditæ, aut forte vendendæ: id si perierit, vel in domo ipsius qui accepit cum rebus ejus fuerit incendio concrematum, una cum testibus veniat, & brevem (2) det ille, qui commendata susceperat, & præbeat sacramentum, quod nihil exinde suis profuisset compendiis, & nihil cogatur exsolvere, excepto auro & argento quod ardere non potuit. Et si quis, dum domum flamma consumit, se quasi auxilium præbiturus ingesserit, & aliquid forte rapuerit, dominus domus diligenter inquirat: & si eum invenire potuerit, ille qui rapuit in quadruplum rapta restituat: & si de commendatis rebus apud susceptorem aliquid forte repererit, domino restituere non moretur. Si vero quæ commendata [4] fuerant, furto probantur ablata ei qui commendata susceperat, spatium tribuatur, ut ordo docet, donec furem sua investigatione perquirat: & si eum invenerit, commendatori res suas proprias tantummodo reformare cogatur. Compositio vero furti ad eum qui habuit commendata pertineat. Certe si fur non fuerit infra statutum tempus inventus, medietas rerum commendatarum domino a suscipiente reddatur, ut dampnum ex medio uterque sustineat. Et si postmodum dominus rerum apud eum cui commendaverat, quæ fuerant suppressa forte repererit, cum hæc ille se prius dixerit perdidisse, vel furtim fuisse sublata, sicut fur pro his quæ celavit, secundum legum statuta, compositionem implere cogatur.

IV. ANTIQUA.

De pecunia perdita, & usuris ejus.

Si quis pecuniam sub conditione susceperit, daturus usuras, si per casum pecunia perierit, non culpa aut negligentia debitoris: ille qui pecuniam commodavit (3), solam pecuniæ summam recipiat, & non requirat usuras. Si vero per ipsius fraudem vel culpam factum est, & pecuniam & usuras solvat. Quod si aliqua lucra est ex ea pecunia consequutus, & postmodum contingat ut pecunia pereat; si tanta sunt lucra, quanta pecunia fuit, & pecuniam & usuras restituat.

V. ANTIQUA.

De rebus commendatis [5], & casu quocunque in naufragium missis.

Qui commendata vel commodata susceperit, & de ruina aut de incendio, vel hostilitatis naufragio, seu quolibet simili casu, sua omnia liberaverit, & aliena perdiderit, quod

1 *Commendata.* 2 *Et de commendatis.*
4 Pith. *commodata*, forte errore exscriptoris.
3 Ms. Lindenbrog. *reddendo vel fasces carrigando.*
5 *Commodatis.*

---

(1) *Qui commendata, vel commodata susceperit.*) Commendare medio ævo fuit rem alteri custodiendam credere, sive ille gratis, sive certa mercede hanc custodiendam susceperit. Vide legem Bajuvar. Tit. XIV. c. 4. Leg. Langobard. Liutprandi libro VI. lege 78. Hinc orta, ut reor, vox *commenda*. Hispanicus hic: *tomar en encomienda*.

(2) *Brevem.*) Innuitur repertorium, sive synopsis continens descriptionem eorum, quę suscepta fuerant custodienda, & quæ incendio perierunt.

(3) *Commodavit.*) Hujus verbi tam lata est notio, quam Italici *imprestito*; ut sumatur pro commodato, & pro mutuo, imo & pro concessione dominii utilis. *Neque adeo mirum est*, ait Heineccius Elem. Jur. Germ. Lib. II. art. 360, *veteres haud raro confudisse mutuum, & commodatum, quum eæ conventiones communi nomine designarentur.*

quod accepit, sine aliqua excusatione cogatur exsolvere. Si vero partem aliquam de rebus propriis liberasse cognoscitur, illi cujus res secum habuerat juxta modum perditæ rei vel liberatæ restituat, qualem judex ratione deducta æstimaverit portionem. Si autem sua omnia perdidit, cum liberaret aliena, & de liberatis & de perditis rebus similis ratio deducatur, ut partem, arbitrio judicantis, qui liberavit accipiat. Justum est enim in simili casu, ut ille non dampnum solus excipiat, qui se gravibus objecit periculis; & dum aliena minora conatur liberare, sua majora perdidisse cognoscitur.

VI. ANTIQUA.

De rebus servo, domino nesciente, commendatis [1].

Quod nesciente domino servo fuerit commendatum, si id perierit, nec dominus nec servus ullum dampnum incurrat. Suæ enim imputet culpæ, qui servo alieno res suas commendaverit, domino nesciente. Si vero alicujus animal sit, & per fraudem pastorum diminutum reperiatur, hoc reddere compellatur. Similis & de commodatis forma servetur, si fraude aut malitia consumpta aut dissipata noscuntur.

VII. ANTIQUA.

Si servus mentiatur dominum petere commodanda.

Si dominus per servum suum quodcunque sibi petierit commodandum, & servus cum rebus commodatis in fugam fuerit elapsus, tunc dominus obligetur ut commodata restituat. Si vero servus petiisse dominum mentiatur, & sic quasi deportanda ad dominum susceperit, & quæ susceperit aut everterit, aut forte perdiderit, & fugitivus non potuerit inveniri: dominus servi præbeat sacramentum, se eundem servum ut susciperet non misisse, & cum id peteret ignorasse, & nihil calumpniæ pertimescat. Servum tamen tam dominus, quam ille qui commodavit, quærere solicite procurabunt. Hæc eadem & de commendatis præcipimus custodire.

VIII. ANTIQUA.

De reddendis usuris.

Si quicunque pecuniam commodaverit ad usuram (1), non plus per annum quam tres siliquas de uno solido poscat usuras, si tamen fuerit unde detur. Sed de solidis octo, nonum solidum creditori, qui pecuniam ad usuram dedit, exsolvat; & sic summam pecuniæ & usuras ille qui dederat, a debitore recipiat. Quod si cautionem ultra modum superius comprehensum per necessitatem suscipientis creditor extorserit, conditio contra leges inserta non valeat. Si quis autem contra ordinationem hanc fecerit, eam rem quam commodaverit, recipiat; & quæ cautæ fuerant, in nullo solvantur usuræ.

IX. ANTIQUA.

De usuris frugum.

Quicunque fruges aridas & humidas, id est vinum & oleum, vel quodcunque annonæ genus alteri commodaverit, non amplius ab eo propter usuras, quam tertiam partem accipiat, id est ut super duos modios, qui accepit, tertium reddat (2). Quam legem, ad solas fruges præcipimus pertinere. Nam de pecunia commodata, secundum superiorem legem valere & observare censemus.

X. ANTIQUA.

Cui debeant testamenta vel scripturæ commendatæ [2] *restitui.*

Testamentum ab eo cui fuerit commendatum, postea quam hoc ante testes publicaverit, sicut est in legibus constitutum, illi, qui majorem partem de eodem testamento est consequuturus, reddatur heredi. Quod si alii red-

1 *Commodatis.* 2 *Commodata.*

(1) *Ad usuram.*) Haud semel in Wisigothorum lege usuræ fit mentio. Hanc non desumpserant Gothi ab antiquis Barbaris, penes quos erat, non dicam interdicta, sed ignorata. Tacitus Germ. c. XXVI. *Fœnus agitare, & in usuras extendere ignotum: ideoque magis servatur, quam si vetitum esset.* Romana prorsus doctrina est, atque ex vetere Romano jure deprompta, quo pro usuris *centesima* permittebatur, hoc est, ut in nummos centenos singuli nummi pro singulis mensibus præstarentur, nempe 12. pro 100. singulis annis. Vide Cod. Theodos. Tit. *de usuris*, ibique Gothofredum. Aniani interpretatio ad legem secundam præfati tituli *centesimam* sic explicat: *idest tres siliquas in anno per solidum*; quæ verba mutuatus est noster in lege, quæ sub oculis obversatur. Siliqua autem erat vigesimaquarta pars solidi (V. Gothofred. ibidem) & consequenter tres siliquæ octavam solidi partem exæquabant. Quod clarius Gothicus noster legislator declarat, dum *de solidis octo nonum solidum creditori* permittit exsolvendum; scilicet unum in usuras pro octo, & duodecim pro nonaginta sex. Quid plura? Sequens lex nona, quæ de usuris frugum agit, verbotenus exscripta est ex interpretatione Aniani ad legem primam præfati Tituli Codicis Theodosiani, ultima excepta periodo, cujus non verba, sed meri sensus referuntur.

(2) *Tertium reddat.*) In Aniani interpretatione loco in præcedente nota allegato additur: *Quod si conventus fuerit ille qui commodat, & pro majore usura noluerit debitum suum, adjecto tertio modio, a debitore recipere, etiam debitum perdat.* Hæc vero in Wisigothorum Codice omissa sunt, quod forte in proposito casu apud Gothos solvenda esset sors, non solutis usuris, prout & in superiore lege de pecunia constituitur; quod interpolatum videtur ex lege ultima supramemorati Tituli Codicis Theodosiani, & ex libro II. Sententiarum Pauli Titulo XIV.

redditum fuerit, vel adversario ejus traditum, qui tradiderit duplam compositionem restituat, quam illi cui fraudulentus fuerit, inferre voluerat. Illas vero scripturas, quæ simul tradi partibus debent, si commendatas quicunque susceperit, id est, testamenta, judicia, pacta, donationes, vel cetera talia, si alteri altero absente tradiderit, ille qui dederat, revocet quod dedit; & omnibus, quibus in commune debebatur, restituere non moretur.

Titulus VI. De pigneribus & debitis.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De non pignerando.

Pignerandi licentiam in omnibus submovemus; alioquin si non acceptum pignus præsumpserit ingenuus de jure alterius usurpare, duplum cogatur exsolvere. Servus autem simplum restituat, & centum flagella suscipiat.

II. ANTIQUA.

De pignere deposito & furato.

Si quis pignus alteri deposuerit pro aliquo debito, & illud, ipse qui deposuerit, furatus fuerit, pro fure teneatur.

III. ANTIQUA.

De pignere, si pro debito deponatur.

Pignus, quod pro debito deponitur, si per cautionem fuerit obligatum, & ille qui pignus deposuerat ad tempus constitutum, debitum reformare dissimulet, post diem cautionis exactum, usque ad decem dies pignus salvum domino suo reservetur: aut eidem domino, si in propinquo est, reportetur, atque ut restituat debitum moneatur. Quod si per negligentiam suam debitor ad diem constitutum adesse neglexerit, aut debitum implere distulerit, addantur usuræ. Cæterum si adesse usque ad decem dies, sicut supra dictum est, aut quod debet, reformare dissimulaverit [1]: tunc creditor judici vel præposito civitatis pignus ostendat, ut quantum judicio ejus, vel trium [2] honestorum virorum (1) fuerit æstimatum, sit licentia distrahendi, vel postmodum de precio venditi pigneris, creditor quantum ei debebatur, sibi evidentius tollat, & reliquum ille recipiat qui pignus deposuerat.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si pignus repræsentato debito non reddatur.

Si quis ei qui rem pro pignere crediderit, ad constitutum tempus, repræsentato debito, pignus acceptum distulerit reddere, & hoc aut ante tempus lege superiori taxatum vendere, vel in usus proprios atque in alienos conterendum præsumpserit adtemptare, vel malitiose differens noluerit assignare, pignus quidem quod accepit, integrum reddat, & medietatem quantum pignus valere constiterit, domino pigneris coactus impendat.

V. FLS. GLS. CHDS. REX.

Si una persona reatu vel debito multis teneatur obnoxia.

Si una persona plurimis rea vel debitrix maneat, qui prior in petitione præcesserit, & aut per placitum, aut per probationem, sive per professionem ejus, eum sibi reum vel debitorem esse docuerit, ipsi nihilominus aut juxta qualitatem debiti satisfacere compellendus est, vel damnandus a judice. Quod si quibus reus vel debitor manet, uno eodemque tempore contra eum agere cœperint; secundum quantitatem debiti vel reatus, aut reddere omnibus, aut omnibus addicendus est serviturus. Quærere tamen a judice ad liquidum oportebit, cui magis reus vel debitor maneat, ut ipsi majorem partem reddi præcipiat. Et de reliquo, quod de facultate rei vel debitoris remanserit, quantum reddatur cæteris judex ipse manifeste perpendat. Certe si non fuerit unde compositio exsolvi debeat, cum hoc saltim quod videtur habere, pro debito vel reatu perpetim serviturum judex petentibus tradere non desistat.

VI. FLS. CHDS. REX.

Qualiter defuncti debitum aut violentia post mortem possit inquiri.

Si viventis cujuslibet manifesta culpa non apparet, nefas esse non dubitandum est, ut eum quisquam post obitum mansisse sibi reum accuset. Ne ergo in fraude heredis defuncti quicunque post hæc talia conetur præsumere, hujus legis redargui sanctione se noverit: scilicet, ut si quis quemlibet defunctum sibi violentum, aut pervasorem suæ rei, sive direptorem, seu debitorem fuisse adstruxerit, eumque quodcunque inlicitum secundum superiorem ordinem dixerit perpetrasse; non aliter ejus assertioni credatur, nisi per quamcunque scripturam aut testificationem legitimam id verum esse indubitanter edocuerit. Quod si tale aliquid quisque convicerit, & defunctus ille de quo agitur, filios non relinquens, facultatem suam suis libertis aut quibuscunque personis dinoscitur contulisse: ipsi liberti vel aliæ personæ, juxta quod possident de rebus defuncti, quæ defunctus debuit vel commisit, insistente judice, cogatur ex-

1 Distulerit. 2 Ejus, & trium.

(1) *Ejus, vel trium honestorum virorum.*) Verba *ejus, vel,* non habentur in Hispanico; sed simpliciter hæc: *quanto asmaren tres omes bonos.*

exsolvere. Nam si filios reliquerit, & ipsi omnem ejus obtinent facultatem, ipsi procul dubio cogendi sunt illa supplere, unde auctor eorum, debitor aut præsumptor convincitur extitisse. Si certe prædictarum caussarum obnoxius sic ab hac luce discesserit, ut de suis rebus nil videatur aliquatenus ordinasse; propinqui ejus, vel qui facultatem ipsius adierint aut possederint, petitori de re vel caussa quam repetit, cogendi sunt reddere rationem: ita ut si ille, qui debitor aut præsumptuosus dicitur extitisse, nil rerum suarum moriens dinoscitur reliquisse, ab omni calumpnia repetentis ejus filii vel propinqui habeantur immunes. Sin autem quodcunque defunctus reliquit, & majus est quod petitur, quam quod reliquisse videtur; si filii ejus aut propinqui, aut qui ejus possident bona, noluerint pro reatu ejus vel debito satisfacere, de rebus a defuncto dimissis non morentur petenti facere cessionem.

TITULUS VII. De libertatibus & libertis.

I. ANTIQUA.

Si mancipia, sive per scripturam, seu per testem manumittantur.

SI quis moriens per scripturam, aut præsentibus testibus, manumiserit mancipia sua, voluntas ejus habeat firmitatem, dummodo infra sex menses, trium aut quinque testium, quibus credi possit, testimonio comprobetur. Sed & libertis si quid donaverit qui eos manumittit, aut libertatis ipsius scriptura contineat, aut testes qui adhibentur agnoscant; & res apud libertos donata permaneat.

II. ANTIQUA.

Si alienus servus, vel commune mancipium manumittatur.

Si quis alienum servum vel commune mancipium manumiserit in fraudem domini, libertas data non valeat. Ille vero qui manumiserit alienum mancipium, alterum præter illum domino dare cogatur. Si vero dominus adquieverit ut ille liber sit, duos vicarios servos pro manumisso servo percipiat, & libertas data habeat firmitatem. Hæc eadem & de ancillis præcipimus custodiri. Si quis sane vult ex integro manumittere commune mancipium, presbyterum qui præsens est vel diaconum commonemus, ne hujusmodi libertatem se fieri præsentibus permittant, quia hæc manumissio stare non poterit. Si quis autem commune mancipium vult a jugo servitutis absolvere, prius cum consortibus suis dividat, & suæ vindicet potestati: aut certe cum his qui ei consortes sunt, id fieri vel precio vel precibus elaboret: & si sic voluerit [1] præsente presbytero vel diacono manumittat, & libertas data firmetur. Quod si aliquis coram sacerdote vel diacono (1) commune mancipium ex integro manumiserit, proprietatis suæ partem de mancipio amittat, & mancipium ad integrum consors ille qui non manumisit, obtineat. Nam si partem suam quæ in eodem mancipio illi debetur, absolvere voluerit, prohiberi non poterit.

III. ANTIQUA.

De his qui se liberos esse proclamaverint.

Si mancipia se in libertate proclamaverint, spatium & tuitionem arbitrio judicis accipiant, ut testes possint ad libertatis suæ documenta perquirere. Sed tantum temporis spatium mancipiis concedatur, ut nec servitia dominis, nec beneficia proclamantibus denegentur.

IV. ANTIQUA.

Si ad servitutem repetatur, qui in libertate est constitutus.

Si in libertate constitutus ad servitium repetatur, non liceat eum in custodiam mitti ab illo a quo repetitur, sed judicis reservetur arbitrio, si debeat sub fidejussore consistere, dummodo nihil violentiæ a pulsante patiatur.

V. ANTIQUA.

Si ei qui ad servitutem repetendus est, aliquid auferatur.

Si quis homini ingenuo vel liberto aliquid tulerit & postea eum sibi voluerit servum addicere, prius reddat quod tulit, & sic de

ejus

1 Et sic si noluerit.

(1) *Coram sacerdote, vel diacono.*) Hoc est coram Parocho, vel Ecclesiæ Parochialis Custode. Certe in Ecclesia Hispanica Diaconis ætate, ac pietate provectis commendatam fuisse sacrarum rerum custodiam colligimus ex Isidoro de Eccl. Offic. lib. II. cap. 9. *Custodes sacrarii Levitæ sunt. Ipsis enim jussum est custodire tabernaculum, & omnia vasa templi: quique ab anno quinquagesimo eliguntur &c.* Ut inde innuatur, ejus generis manumissiones eo tunc spectasse ad jura parochialia, vel quasi. Cæterum Wisigothi accepisse videntur a Romanis hunc, de quo agimus, ritum, quo plena libertas, atque, ut Romano more loquamur, Romana civitas, &, ut infra Libro XII. Titulo II. lege 13. scriptum est, *Romanorum civium* privilegia manumissis conferrentur. De ritu namque a Constantino inducto, aut probato hæc scribit Sozomenus Hist. Eccl. lib. I. c. 9. *Nam cum ob nimiam legum severitatem potior libertas, quam* Civitatem Romanam *vocant, etiam volentibus dominis difficile admodum acquirerentur, tres tulit* (Constantinus) *leges, quibus constituit, ut quicumque in Ecclesiis sub testimonio Sacerdotum libertate donati essent*, Civitatem Romanam *consequerentur.*

ejus conditione contendat.

VI. ANTIQUA. FLS. RCDS. REX.

Si eum quem aliquis coram judice liberum esse dixerit, postea in servitio repetere velit.

Qui sub testimonio[1] coram judice quemlibet liberum esse dixerit, & postmodum eum ad servitium inclinare voluerit, aliud illi mancipium e contrario reddat: & quem opprimere nitebatur, in libertate permaneat.

VII. ANTIQUA.

Si timore compulsus quisquam servum se esse dicat.

Qui timore compulsus servum se esse extra judicium dixerit, nullum præjudicium libertatis incurrat, donec in judicio præsentetur: ut libertatem suam si probaverit, præsente judice obtineat; aut si servus convincitur, statim domino reformetur.

VIII. ANTIQUA.

Si ingenuus ad servitium repetatur, vel si servus se liberum esse dicat.

Si quis ingenuum ad servitium addicere voluerit, ipse doceat quo ordine ei servus advenerit: & si servus ingenuum se esse dixerit, & ipse simili modo ingenuitatis suæ firmam ostendat probationem. Judex vero eorum testimonium recipere debet, quos meliores atque pluriores esse providerit. Quod si muneris acceptione corruptus injuste turbaverit innocentem, tam judex quam petitor secundum legem aliam de his qui injuste judicaverint, componere non morentur.

IX. ANTIQUA.

Quare data libertas debeat revocari.

Qui servo suo vel ancillæ libertatem donaverit, & præsente sacerdote vel aliis duobus aut tribus testibus hoc factum esse constiterit, id est, si ipse aliam libertatis scripturam coram legitimis testibus manifeste tradiderit, atque ita per eandem libertatis scripturam definierit, ut ex tempore conditæ scripturæ liber ipse qui est manumissus permaneat, nihil sibi in eo conditionis reservans, hujusmodi libertatem revocari non liceat: excepto si manumissori, eum qui manumissus est, injuriosum aut contumeliosum, vel accusatorem, aut criminatorem esse constiterit. Pro quibus injuriis data libertas poterit revocari. Si vero ipse qui manumisit, dicat quod sub aliquo placito aut definitione eum libertaverit; si per scripturam definitio ipsa minime claruerit, testes qui præsentes fuerint ante judicem ipsum placitum vel definitionem dicere non graventur: & postmodum quod placitum & definitum fuerit, stare jubemus.

X. ANTIQUA.

Si libertus injuriam faciat manumissori.

Si libertus manumissori suo injuriosus fuerit, aut si patronum suum pugno aut quolibet ictu percusserit, vel eum falsis accusationibus impetierit, unde ipsi capitis periculum comparetur, addicendi eum ad servitutem habeat potestatem; ita tamen ut apud judicem probet caussas superius comprehensas.

XI.

Ne contra patronum vel filios ejus testificari audeat manumissus.

Filio vel heredi manumissi libertatem revocare non liceat, sed prioris sui vel parentum factum sine excusatione custodiat. Ita tamen ut nec contra filios filiorum, libertus vel omnis posteritas ejus testimonium dicere permittantur: & si dixerint non credatur a judice, sed redeant ad pristinam servitutem. De aliis vero rebus aut caussis, contra patroni filios aut nepotes tantum pro suo jure juste contendant.

XII. FLS. RCDS. REX.

Ne testificent manumissi.

Libertus vel liberta in nullis negotiis contra quenquam testimonium dicere admittantur, excepto in aliquibus caussis, ubi ingenuitas deesse cognoscitur, sicut præmissum est & de servis. Quia indignum pensat nostra clementia, ut libertorum testimonio ingenuis dampna concutiantur. Qui vero de iisdem fuerint procreati, omnimodis ad testimonium admittantur.

XIII. ANTIQUA. FLS. GLS. RCDS. REX.

De rebus manumissorum, si absque legitimis filiis moriantur.

Si manumissus sine filiis de legitimo conjugio natis transierit, & ei patronus in libertate aliquid donaverit, aut forsitan de ejus servitio discesserit, & alio se contulerit; omnia ad patronum, sive ad ejus heredes, sine dubio revertantur. Quod si forsitan in terra ipsius patroni consistens, qui eum manumisit, aliquid de labore suo acquisierit, medietas acquisitæ rei exinde in patroni potestate consistat, & de alia medietate libertus faciendi quod voluerit in ejus potestate permaneat. Quod si alium patronum sibi elegerit, & sub eo aliquid adquisierit, medietas adquisitæ rei ad manumissorem concurrat. Alia vero medietas ad manumissi proximos, sive servi sint sive liberi, sine dubio revertatur, vel in quem voluerit hanc medietatem conferendi habeat potestatem. Illud vero quod ei manumissor donaverit, in patroni

1 Qui suo testamento.

troni potestate permaneat. Similis & circa ancillas manumissas forma servetur. Hoc tantum justitia suadente adjicimus, ut nullus libertus sive liberta, a domino vel a domina sua libertate percepta, manumissores suos dum advixerint derelinquant. Quod si facere præsumpserint, & rem quam perceperunt amittant, & ad domini vel dominæ suæ inviti reducantur obsequia.

XIV. FLS. CHDS. REX.

De conditionibus a manumissore in scriptura manumissi conscriptis.

Qui mancipium suum per scripturam liberum faciens, constituerit fortasse non licere ei de peculio suo aliquid judicare; si quid exinde libertus libertave vel distraxerit aut donaverit, modis omnibus invalidum erit. Patronus ejus scilicet, aut patroni filii, omnia sibi vindicaturi sunt. Certe si nulla talis conditio intercesserit, liberum erit illi, qui liber est redditus, de peculio suo facere quod voluerit. Aut etiam si inordinatus moriens filios legitimos non reliquerit, vel aliam quamcunque conditionem dominus ejus per eandem libertatis scripturam non instituerit, ad patronum aut ad patroni filios universa res ejus ad integrum pertinebit.

XV. FLS. GLS. CHDS. REX.

De libertatibus servorum fiscalium.

Si res ambigua nequaquam occurreret, nulla futuris temporibus legem dandi necessitas immineret. Quia ergo sub libertatis obtentu, fiscalium sæpe subreptione servorum, fisci vires attenuantur, non invidemus bene meritis, sed obviamus fraudulenter incautis: statuentes scilicet ut non aliter deinceps collata servo fisci libertas ullatenus valeat, nisi regiæ manus fuerit stilo subscripta.

XVI. ANTIQUA.

De libertis & rebus fiscalium servorum.

Servis nostris sine permissu nostro libertatem mancipiis suis dare non sinimus. Quod si dederint, libertas data non valeat. Sed hæc tantummodo libertas habeat firmitatem, quæ ex nostra præceptione conceditur. Simili modo servis nostris mancipia sua aut terras ad liberos homines non liceat venditione transferre, nisi tantummodo aliis servis nostris vendendi habeant potestatem. Quod si terras sive mancipia ecclesiis sive pauperibus donare voluerint, donatio hæc vel voluntas nulla ratione subsistat. Illud enim eis tantum pietatis contemplatione concedimus, ut pro animabus suis ecclesiæ vel pauperibus de aliis facultatibus largiantur: & si præter terras vel mancipia nil habeant facultatis, tunc de terris atque mancipiis eis vendendi tribuimus potestatem. Ita ut, sicut supra dictum est, a servis nostris tantummodo, quod conservi eorum vendiderint, comparetur: nec liber ullus ad contractum hujus emptionis aspiret. Precium autem quod de terra vel mancipiis accesserit, erogare pro animabus suis ecclesiis vel pauperibus non vetentur.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne liberti vel progenies eorum cum posteritate patroni, aut conjugia connectant, aut eis insolentes existant.

Interdum vidimus excessum licentiamque servorum, & dolere coacti sumus ignominiam dominorum. Quidam enim a dominis suis libertate percepta, generationis progenie decurrente, attemptant aut ipsi aut posteritas eorum, cum progenie dominorum vel indecens copulare conjugium, vel molestias inferre posteritati manumittentium. Sicque in adversum parte conversa, quia ingenita libertas gratiæ dono fit nobilis, ideo generosa nobilitas inferioris tactu fit turpis. Atque inde claritas generis sordescit commixtione abjectæ conditionis, unde abdicata servitus attollit titulos libertatis. Ut ergo & naturæ splendor ortus sui dignitate non careat, & servitus sibimet reminiscens indebita & inconcessa non appetat, bene jubetur: ut si quorumlibet quicunque liberti, sive ex eorum stirpe quandoque progeniti, ex genere manumissorum, vel ex eis decurrente, quamvis longa progenie, conjugium præsumpserint attemptare: aut manumissores vel eorum posteritatem, ipsi vel eorum progenies, extra justa negotia sua, propter suas vel propter aliorum actiones[1] convexaverint, aut læserint, eisque molestias sive dampna concusserint, vel aliquid adversus eos factione quacunque egisse visi fuerint, in eorum quos molestaverint evidentem servitutem mox redeant. Quia impium satis est, ut dum conditio servitutis absolvitur, dignitas libertatis impediatur; & dum servus erigitur, filius abdicetur: atque inde filii dampna sustineant, unde ad nocendum potiuntur servi licentia.

XVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne liberti religiosi ad obsequium reducantur heredis.

Quoslibet de quorumcunque libertis aut specialiter de ecclesiasticis dignitas sublimavit honoris, aut præfixis sanctorum locis deputavit vel ordo religionis, vel ordinatio manumittentis, non erunt ad hominum patrocinium reducendi contentione qualibet heredis. Quod enim gloriosius Deo adhærere censetur, obsequiis hominum religari honestate nulla finitur.

XIX.

1 Aliorum actiones.

XIX. FLS. GLS. EGIGA REX.

De his qui ob novi Principis fidem ſervandam jurare diſtulerint; vel de illis, qui ex palatino officio ad ejus præſentiam venire neglexerint.

Cum divinæ (1) voluntatis imperio principale caput regnandi ſumat ſceptrum, non levi quiſque culpa conſtringitur, ſi in ipſo ſuæ electionis primordio aut juraſſe ut moris eſt pro fide regia differat: aut ſi ex palatino officio fuerit, ad ejuſdem novi Principis viſurus præſentiam venire deſiſtat. Si quis ſane ingenuorum de ſublimatione principali cognoverit, & dum diſcuſſor juramenti in territorio illo acceſſerit, ubi eum habitare contigerit, quæſita occaſione ſe fraudulenter diſtulerit, in eo ut pro fide regia conſervanda juramenti ſe vinculo alliget: aut ille qui ſicut præmiſimus ex ordine palatino fuerit, minime regis obtutibus ſe præſentandum injecerit: quicquid de eo vel de omnibus rebus ſuis principalis auctoritas facere vel judicare voluerit, ſui ſit incunctanter arbitrii. Quod ſi aut ægritudo illi obſtiterit, aut quælibet publicæ utilitatis actio eum retinuerit, ut regis obtutibus ſe nullatenus præſentet, dum regiæ electionis ſublimitas quibuſlibet modis ad ejus cognitionem pervenerit; ſtatim per ſuam juſſionem id ipſum clementiæ ſuæ auditibus intimare procuret, qualiter fidei ſuæ ſinceritatem oſtendens, hujus legis ſententiam evadere poſſit.

XX. FLS. GLS. EGIGA REX.

De libertis Regum eorumque poſteritate, qualiter exercitus tempore ad regiam poteſtatem concurrant, & cum quibus eos in publica utilitate proficiſci oporteat.

Tunc recte noſtri regiminis patriam, promulgatis legum cenſuris, legaliter [1] procuramus, cum & his qui contra hoſtes gloriæ noſtræ decertant, utilitate maxima providemus, & vindicatores terræ noſtræ procul dubio cernimus. Et licet favente Deo gentes noſtræ affluant copia bellatorum, nil tamen officit, ſi de illis augeatur inſuper noſtra acies ad repulſionem hoſtium externorum, qui ex famulis fiſci per regias auctoritates gratiam meruerunt libertatis. Unde quia neceſſe eſt, ut illic præbeant ex ratione ſuffectum [2], unde meruiſſe lætantur abſolutionis ſtatum: ob hoc ſpeciali ſanctione jubemus, ut deinceps tam ipſi, quam omnis eorum poſteritas, tempore exercitus, omnes ad regiam celſitudinem incunctanter occurrant: ut cum quibus exercitus expeditionem peragere poſſit, præſentaliter eos clementia principalis inſtituat. Quicunque vero ex eis, ut dictum eſt, tempore exercitus domi reſidere præſumpſerit, & minime cum cæteris, ſicut regalis ordinatio fuerit, in publicam expeditionem perrexerit: noverit ſe ad propriæ ſervitutis jugum reverti, ex quo ereptus libertatis meruerat perſonam aſſumere. Illi tantummodo hanc erunt ſententiam evaſuri, qui ordinante Principe, Duce vel Comite ſuo, aliquid injunctum pro publicis utilitatibus ad peragendum acceperint, vel quos patens ægritudo, aut quorundam impedimentum, nullatenus properare permiſit.

1 *Regie.* 2 *Natione ſuffectum.*

XXI. FLS. EGIGA REX.

De tranſgreſſoribus libertorum.

Sæpe audivimus multoſque cognovimus libertos, relinquentes manumiſſores ſuos, quos & dominos eſſe teſtamur; quia voluptuoſa voluntate, dum relaxato freno ſervitutis erumpunt, æquales ſe dominis ſuis vel eorum ſucceſſoribus eſſe affirment. Quod nos modo & debita veneratione & ſalubri ordinatione valituræ legis cenſemus atque jubemus: ut quicunque libertus aut liberta, vel filii libertorum, ſi manumiſſoribus ſuis, ſive etiam filiis prolibuſque vel nepotibus eorum, vel qui ex eis fuerint geniti, quocunque tempore ſuperbientes ac inobedientes extiterint, aut quocunque tempore de eorum patrocinio, quacunque ſubtilitate aut ingenio vel argumento fraudis, vel leviter de eorum patrocinio ſe auferre voluerint, tunc in tempore tranſgreſſionis eorum careant libertate. Filii tamen qui de iiſdem fuerint geniti ſic errantes, prædicta ſuperioris legis conſtitutione perenniter ſervituti tradendi ſunt. (2)

(1) *Cum divinæ &c.*) Hæc lex iiſdem verbis huc repetita eſt ex ea, quæ ſupra habetur Libro II. Titulo I. lege 34. Attamen & huc & illuc deeſt in Hiſpanico.

(2) Hanc legem alia ſubſequitur in Hiſpanico, quæ eadem omnino eſt ac illa, quam ſupra in notis retulimus ad Librum II. Tit. IV. poſt legem 13.

L E-

LEGIS WISIGOTHORUM
LIBER SEXTUS
DE SCELERIBUS ET TORMENTIS.

TITULUS I. De accusationibus criminosorum.

I. ANTIQUA FLS. CHDS. REX.

Ut domino vel senioribus loci petatur servus in crimine accusatus.

Si servus in aliquo crimine accusatur, judex prius dominum, villicum vel actorem ejus loci, cujus servus fuerit accusatus, admoneat ut eum in judicio præsentet. Quod si reum præsentare noluerit, ipse dominus vel actor aut villicus, donec servum præsentet, a Comite civitatis vel judice distringatur. Certe si dominus, vel quibus commissa res est, difficulter ad locum approximent, a judice tenendus & discutiendus est reus [1].

II. FLS. CHDS. REX. NR. EM.

Pro quibus rebus & qualiter ingenuorum personæ subdendæ sunt quæstioni.

Si in criminalibus caussis discretionis modus amittatur, criminatorum malitia nequaquam frenatur. Ideoque si in caussis regiæ potestatis, vel gentis, aut patriæ, seu homicidii vel adulterii, æqualem sibi nobilitate vel dignitate palatini officii, quicunque accusandum crediderit, habeat prius fiduciam comprobandi quod objicit, & sic alienum sanguinem temptet impetere. Quod si probare non potuerit (1) coram Principe, vel his quos sua Princeps auctoritate præceperit, trium testium subscriptione roborata inscriptio fiat, & sic quæstionis examen incipiat. Ita ut, qui subditur quæstioni, si innoxius tormenta pertulerit, accusator ei confestim serviturus tradatur: ut salva tantum anima, quod in eo exercere voluerit, vel de statu ejus judicare elegerit, in arbitrio suo consistat. Quod si componi sibi ab accusatore voluerit, tantum ei pars accusatoris componat, quantum ipse qui quæstioni subjacuit, inlata sibi taxaverit suorum tormentorum supplicia. Judex tamen hanc cautelam in judicio servare debebit, ut accusator omnem rei ordinem scriptis exponat, & judici occulte præsentata sic quæstionis examinatio fiat: & si ejus professio, qui quæstioni subdendus est, compar fuerit cum verbis accusatoris, criminis reus incunctanter habendus est. Certe si aliud dictio accusatoris habuerit, aliud ejus professio qui subditur quæstioni, quia dubitari non potest, quod per tormenta sibi crimen imponat, oportebit accusatorem superioris legis hujus sententiæ subjacere. Quod si accusator prius quam occulte judici notitiam tradat, aut per se aut per quemlibet de re quam accusat, per ordinem instruxerit quem accusat; non liceat judici accusatum subdere quæstioni, cum jam per accusatoris indicium detectum constet ac publicatum esse negotium. Similis quoque & de ceteris personis ingenuis ordo servandus est. Nam si capitalia quæ supra taxata sunt, accusata non fuerint, sed furtum factum dicitur, vel aliud quodcunque illicitum, nobiles ob hoc potentioresque personæ, ut sunt primates palatii nostri, eorumque filii, nulla permittimus ratione quæstionibus agitari. Sed si in hac caussa, pro qua compellitur, probatio defuerit, suam qui pulsatur debeat juramento conscientiam expiare. Inferiores vero humilioresque, ingenuæ tamen personæ, si pro furto, homicidio, vel quibuslibet aliis criminibus fuerint accusatæ, nec ipsi inscriptione præmissa subdendi sunt quæstioni, nisi major fuerit caussa, quam quod quingentorum solidorum summam valere constiterit. Si autem actio [2] minoris est quantitatis, quam quingenti sunt solidi, per probationem convictus qui accusatur, secundum leges alias componere compellatur. Aut si convinci non potuerit, sacramento se expians compositionem accipiat, quæ de mala petitione legibus continetur. Speciali tamen constitutione decernimus, ut persona inferior nobiliorem se vel potentiorem inscribere non præsumat. Sed si petendum in caussa putaverit, & probatio fortasse convincendi rei defuerit, nobilior ille vel potentior conscientiam suam sacramentis purgare non differat, quod nec amiserit, nec habeat penes se vel retineat rem, pro qua fuerit petitus: & reddito juramento, ille qui male petit, sicut alia lex continet, ei componere non moretur. Veruntamen, seu nobilis, seu inferior, seu ingenua persona, si quæstioni subdita fuerit, ita coram judice, vel aliis honestis viris a judice convocatis, accusator tales pœnas inferat, ne vitam extin-

1 *Servus*. 2 *Accusatio*.

(1) *Quod si probare non potuerit &c.*) Hispanicus: *E si lo podier probar, faga un escripto con tres testimonios, que meta so corpo a tal pena, como deve receber aquel a quien el acusa, si non lo pudier probar.*

tinguat, aut quamcunque ipse, qui quæstioni subjiciendus est, membrorum debilitationem incurrat. Et quia per triduum quæstio agitari debet, si imminenti casu, qui tormentis subditur, mortuus fuerit, & ex malitia judicis vel aliquo dolo, seu ab adversario accusati corruptus beneficio, talia tormenta fieri non prohibuit, unde mors occurreret, ipse judex (1) iniquitatis proximis parentibus simili vindicta puniendus tradatur. Si certe suo se sacramento innocentem reddiderit, & testes juraverint qui fuerint præsentes, quod nulla sua malitia vel dolo, aut corruptione beneficii mors ipsa provenerit, nisi solo tormentorum eventu, pro eo quod indiscretus judex superflua non prohibuit, quingentos solidos heredibus mortui compellatur exsolvere. Quod si non habuerit unde componat, ipse serviturus proximis heredibus mortui contradatur. Accusator autem in potestate proximorum parentum mortui traditus, eadem mortis pœna mulctetur, qua ille mulctatus est, qui per ejus accusationem morte damnatus interiit.

III. IN NOMINE DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI, FLAVIUS GLORIOSUS EGIGA REX TOLETI NOVITER EMENDATA,

FLS. GLS. VVITIZA REX.[1]

Quomodo judex per examen aquæ ferventis[2] caussam perquirat.

Multas cognovimus querelas, & ab ingenuis multa mala pati, credentes in CCC. solidis quæstionem agitari. Quod nos modo per salubrem ordinationem censemus, ut quamvis parva sit actio rei facti ab aliquo criminis, eum per examinationem aquæ ferventis[3] (2) a judice distringendum ordinamus: & dum facti temeritas patuerit, judex eum quæstioni subdere non dubitet: & dum suam dederit professionem, superiori legi subjacebit. Quod si per examen aquæ ferventis innoxius apparuerit, petitor nullam pertimescat calumniam. Hic quoque & de suspectis habitis personis, id est de vilibus scilicet

1 EGIGA ET HUNITA REX.

2 *Caldaria.*

3 *Caldaria.*

(1) *Ipse judex,*) Perspicuum tutando populo adversus judices proprio officio nequiter abutentes severitatis exemplum; ut judex ipse vindictæ privatæ consanguineorum in casu proposito traderetur, talionis pœna mulctandus.

(2) *Per examinationem aquæ ferventis.*) Hispanicus: *Como manda la ley caldaria.* Memoratur hic, ut & in lege Salica Tit. LVI, aquæ ferventis, seu caldariæ judicium; quod argumento est, inter Gothos hoc purgationis vulgaris genus præ cæteris ordaliis maxime usitatum fuisse. Ceterum ex more sequiori tempore noto colligere forte possumus, alia quoque vulgarium purgationum genera Gothos non latuisse. Nonnullas Constitutiones hac de re agentes citat Villadiego in hunc locum, & præcipue legalem Codicem, *Fuero de Baeça* nuncupatum, concinnatum tempore Regis Alphonsi *de las Navas*, in quo mulieri adscribitur purgatio *per ferrum candens*, viro autem per *Lid*; quæ vox in Hispania quondam usitata fuit, contentionem, seu jurgium significans, docente Cangio Glossar. V. *Lida*. Vocabulum ex Gothico derivatum videtur; nam *Lid* Sviogothice etiam *militem* significat. V. Ihre Glossar. V. *Lid*. Quare purgationem per *Lid* esse censeo monomachiam, de qua quamvis ne verbum quidem occurrat in Legibus Wisigothorum, apud eos tamen non inusitatam fuisse valde probabile est. Certe sequioribus ævis in Concilio Legionense celebrato regnante Alphonso V. Æra ML, hoc est, anno Christi MXII; hæc habentur cap. 40. *Si accusatus fuerit fecisse jam furtum, aut per traditionem homicidium, aut aliam proditionem, & inde fuerit convictus, qui talis inventus fuerit, defendat se juramento, & per litem cum armis.* Imo apertius antiquior Ermoldus Nigellus loquitur, dum refert monomachiæ exemplum inter Beram Comitem Barchinonensem, & Sanilonem, qui eum perfidiæ erga Augustum Regem Ludovicum Pium insimulaverat. Uterque Gothicæ nationis erat; ipsisque indultum fuit, ut secundum Gothicæ gentis ritum dimicarent, *arte nova Francis antea nota minus*. Ritum Nigellus descripsit, & ex eo Muratorius Antiquit. Italic. Differt. XXXIX. De ordalio autem ferri candentis, ut & de *Lid*, legere haud pigeat prælaudatum *Fuero de Baeça* a Villadiego exscriptum, ubi hæc leguntur:

La muger que abortare sabidamientre, si malfiesto fuere, sea quemada, e si non, salve por fierro caliente. E si alguna dixiere, que preñada es dalguno, y el varon no la creyere, prenda fierro caliente: e si quemada fuere, non sea creyda, mas si sana escapare del fierro, de el fijo al padre, e criel assi como fuero es.

Muger si legare omes, o bestias, o otras cosas, qual pueden legarse, sea quemada, e si negare, salvese por fierro caliente: e si varon fuere legador, sea açotado, e sacado de la vila, e si negare, salvese por lid.

Muger que erbolaria fuere, o fechizera, sea quemada, o se salve por fierro caliente.

La muger, que su marido matare, sea quemada, o se salve por fierro caliente.

Toda muger, que tales cosas faze, deve prender fierro: mas no por omecillo, que ela faga, si non fuere provada por mala, que aya yazido con cinco omes.

E las medianeras, o alcahuetas sean quemadas, o si negaren, salvense por fierro.

El fierro, que por justicia fazer fuere fecho, aya quatro pies assi altos, que la que a salvarse oviere la mano, pueda meter de yuso. Aya en longo un palmo, y en ancho dos dedos: e quandol tomare, lievel ocho pies, e pongal suavemient en tierra.

Mas antel benediga el Missacantano, e despues el y el juez calienten el fierro, e mientra el fierro calentare, ningun home non este cerca del fuego, que por aventura faga algun mal fecho: e la quel fierro oviere a tomar, primero confiesse muy bien, e despues sea escodriñada, que non tenga algun fecho escondido, e de si lave las manos ante todos, e las manos alimpiadas, prenda el fierro: mas antes fagan oracion, que Dios demuestre la verdad: e despues quel fierro oviere levado, luegol cubra el juez la mano con cera, e sobre la cera pongal estopa, o lino, e despues atengela con un paño, o lievela el juez a su casa, e acabo de tres dias cate la mano, e si fuere quemada, quemena.

cet & infamia notatis, qui ad teſtimonium venerunt dicendum, ordo ſervabitur.

IV.

Pro quibus rebus & qualiter ſervi vel ancillæ torquendi ſunt in capite dominorum.

Servus vel ancilla in capite domini vel dominæ non propter aliud torquendi ſunt, niſi tantum in crimine adulterii, aut ſi contra Regem, gentem vel patriam aliquid dictum vel diſpoſitum fuerit: ſeu ſi falſam monetam quiſque confixerit, aut etiam ſi cauſſam homicidii vel maleficii quærendam eſſe conſtiterit. Ita ut ſervi vel ancillæ pro talibus criminibus torti, ſi conſcii & occultatores ſceleris dominorum reperiuntur, pariter cum dominis, ſecundum quod voluntas Principis extiterit, condemnentur. Certe ſi ſua ſponte judices veritatis extiterint, ſufficiat eis quod pro veritatis indagine quæſtioni ſubditi tormenta pertulerint, a mortis tamen periculo habeantur immunes. Servus autem vel ancilla in tormentis poſiti, & de ſe interrogati, ſi etiam de dominis ſunt confeſſi, & fuerit culpa mortalis, ac declaratis ſignis potuerit approbari, eadem damnationis cenſura mulctentur, qua eorum domini fuerint condemnati.

V. FLS. CHDS. REX.

Pro quantis rebus & qualiter ſervus aut libertus tormenta portabunt.

Si ſervus in aliquo crimine accuſatur, antea non torqueatur, quam ille qui accuſat, hac ſe conditione conſtringat, ut ſi innocens tormenta pertulerit, pro eo quod innocentem tormentis tradidit, alium ejuſdem meriti ſervum domino reformare cogatur. Si vero innocens in tormentis mortuus aut debilitatus fuerit, duos æqualis meriti ſervos cum eodem domino reddere non moretur: & ille qui debilitatus eſt, ingenuus in patrocinio domini ſui permaneat. Nam & judex, qui temperamentum in tormentis non tenuit, & ita diſcretionem legis exceſſit, ut is qui quæſtionatus eſt mortem violenter incurrerit, ejuſdem meriti ſervum domino mox reformet. Verum ut de ſervorum meritis omnis ambiguitas ceſſet contentionis, non pro artificii qualitate excuſatio videatur haberi, ſed pro ſervis quæſtionandis contropatio adhibeatur ætatis & utilitatis: ut ſi artifex fuerit qui debilitatus eſt, & hujus artificii ſervum non habuerit, qui inſontem debilitavit, alterius artificii ſervum juxta prædictum ordinem domino cogatur exſolvere. Ita ut ſi artificem non habuerit ſervum, & alium ſervum ille, cujus ſervus quæſtioni addicitur, pro eo accipere noluerit, tantum precii ejuſdem ſervi artificis, qui quæſtioni ſubditur, ejuſdem domino perſolvatur, quantum ipſe artifex a judice vel bonis hominibus rationabiliter valere fuerit æſtimatus. Ita tamen ſervandum eſt, ut nec ingenuum quiſque nec ſervum ſubdere prius quæſtioni præſumat, niſi coram judice vel ejus ſajone, domino etiam ſervi vel auctore præſente diſtricte juraverit, quod nullo dolo vel fraude aut malitia innocentem faciat quæſtionem ſubire. Et ſi ſubditus quæſtioni mortuus fuerit, atque ille qui ſubdidit unde componere non habuerit, ipſe ſubdendus eſt ſervituti, qui innocentem fecit occidi. Si autem doloſe ſervum alienum quiſpiam ſubdendum quæſtioni intenderit, & dominus ſervi qui accuſatur, per probationem eum potuerit de objecto crimine reddere innocentem, accuſator ejus alium paris meriti ſervum accuſati domino cogatur exſolvere, & diſpendium quod dominus ejus in approbationem innocentis ſervi pertulerit, prout rationabiliter judex reddi perpenderit, ab injuſto accuſatore exactum domino ſervi reſtituatur. De rebus vero minimis culpa ſervi reperta, ſi dominus ſervi voluerit, componendi licentiam habebit. Ita ut omnis fur, juxta qualitatem culpæ flagella ſuſcipiat. Pro majori vero noxa, ſi compoſitionem dominus noluerit ſolvere, ſervum pro crimine non moretur tradere. Ingenuus ſane, ſi quemlibet libertum idoneum, pro capitali crimine ſive pro aliis ſcelerum cauſſis, quæſtioni pulſaverit addicendum, non aliter eum impetere poterit adſcribendum, niſi ducentorum quinquaginta ſolidorum quantitatem cauſſa ipſa valuerit, pro qua eum accuſator conatus fuerit ſubdere quæſtioni. Nam ſi inferior fuerit atque ruſticanus, quem liberum eſſe conſtiterit, tunc in eo permittatur quæſtio agitari, ſi cauſſam ipſam unde agitatur centum ſolidos valere conſtiterit. Quod ſi indiſcrete, qui quæſtioni ſubditur, in quacunque parte membrorum debilitationem incurrerit, tum judex qui temperamentum in tormentis non tenuit, ducentos ſolidos illi qui tormenta ſuſtinuit, perſolvet. Ille vero qui eum injuſte quæſtionandum appetit, CCC. ſolidos ei dare cogendus eſt. Certe ſi in tormentis poſitus mortem incurrerit, prædictam ſummam ſolidorum, tam judex quam petitor propinquis parentibus mortui perſolvent. Similiter & de inferioribus illis libertis, ſi debilitatione vel morte quis per intemperantiam fuerit condemnatus, medietas ſatisfactionis, quæ ſupra de libertis idoneis conſtituta eſt, ei qui indebite quæſtionatus eſt, ſi tamen vixerit; aut ſuis heredibus, ſi ipſe inde mortuus fuerit, exſolvenda eſt.

VI. FLS. GLS. CHDS. REX.

Qualiter ad regem accuſatio deferatur.

Si quis Principi contra quemlibet falſa ſuggeſſerit, ita ut dicat eum adverſus Regem, gentem vel patriam aliquid nequiter meditatum fuiſſe, aut agere vel egiſſe: ſeu in auctoritate vel præceptis regiæ poteſtatis, aut eorum qui ordinatione judiciaria funguntur,

tur, fraudulenter quippiam immutasse, atque etiam scripturam falsam fecisse vel recitasse, falsamque monetam ferisse: sed & si veneficium vel maleficium, aut adulterium uxoris alienæ fortasse prodiderit: horum vel similium criminum accusator, quæ ad capitis periculum, vel rerum amissionem pertinere videntur, si vera reperiantur quæ dixerit, nullam omnino calumniam sustinebit. Si certe quod opponit falsum esse constiterit, & per solam invidiam id fecisse patuerit, ut jacturam capitis, aut detrimentum corporis, vel rerum dampna pateretur, quem accusare conatus est, in potestatem tradatur accusati. Ille hanc pœnam in se suisque rebus suscipiat, qui hoc alium innocentem pati voluerit. Ita ut ille qui aliquid scire se dicit, quod ad cognitionem Principis possit deduci, & in eo loco fuerit ubi tunc regiam potestatem esse contigerit, aut per se statim suggerat omne quod novit, aut per fidelem Regis ejus auditibus denuntiandum procuret. Quod si procul a Rege eum esse provenerit, & per aliquem Principi mandandum crediderit, quod ad accusationem alterius dinoscitur pertinere, coram illo, cui hoc suggerendum committit, talem epistolam faciat, per quam evidenter quid mandet exponat. Quam etiam epistolam tres testes, quos sibi noverit esse fideles, evidentibus signis aut subscriptionibus simul cum ipso confirment, ut postea quod mandaverit, negare non possit.

VII. FLS. CHDS. REX.

De reservata Principi potestate parcendi.

Quotienscunque nobis pro his, qui in caussis nostris aliquo crimine implicati sunt supplicatur, & suggerendi tribuimus aditum, & pia miseratione delinquentibus culpas omittere nostræ potestati servamus. Pro caussa autem gentis & patriæ hujusmodi licentiam denegamus. Quod si divina miseratio tam sceleratis personis cor Principis misereri compulerit, cum adsensu sacerdotum, majorumque palatii (1) licentiam miserandi libenter habebit.

VIII. ANTIQUA.

Quod ille solus culpabilis erit, qui culpanda commiserit.

Omnia crimina suos sequantur auctores, Nec pater pro filio, nec filius pro patre, nec uxor pro marito, nec maritus pro uxore, nec frater pro fratre, nec vicinus pro vicino, nec propinquus pro propinquo ullam calumniam pertimescat. Sed ille solus judicetur culpabilis, qui culpanda commisit, & crimen cum illo qui fecerit, moriatur: nec successores aut heredes pro factis parentum ullum periculum pertimescant (2).

TITULUS II. De maleficis ac consulentibus eos, atque veneficis.

I. FLS. CHDS. REX.

Si ingenuus de salute vel morte hominis vaticinatores consulat.

Qui de salute vel morte Principis (3) vel cujuscunque hominis ariolos, aruspices, vel vaticinatores consulit, una cum his qui responderint consulentibus, ingenui siquidem flagellis cæsi, cum rebus omnibus fisco servituri associentur, ut a Rege cui erunt donati perpetuo servitio addicantur. Quod & si filii eorum tales fuisse reperiantur, parentibus criminis socii, simili dampnatione plectantur. Si vero ab scelere parentum habeantur extranei, & dignitatem & rerum omnium possessionem, quam parentes amiserint, plenissime obtinebunt. Servi vero diverso genere pœnarum[1] afflicti, in transmarinis partibus transferendi vendantur, ut severitas vindictæ non habeat excusatos, quos propriæ voluntatis excessus, nefariæ prævaricationis facit obnoxios.

II. FLS. CHDS. REX.

De veneficis.

Diversorum criminum noxii, diverso sunt pœnarum genere feriendi. Ac primum ingenuos sive servos veneficos, id est, qui vene-

[1] *Tormentorum.*

(1) *Majorumque palatii.*) Hoc est cum adsensu eorum, qui in Regni Comitiis primario suffragii jure gaudebant. Recolitur hic, quod aliis quoque Barbaris in more positum fuisse aliunde colligimus; atrocioribus scilicet criminibus in gentem, & patriam perpetratis, Regem jus miserendi non habuisse, nisi in Generalibus Regni Conventibus aut jus ipsum Regi speciatim attribueretur, aut Rex veniam miserendi impetraret. Vide dicta ad Leg. Bajuvar. Tit. II. c. IX. & Capitulare Saxonum cap. X. Quod & inter Gothos etiam sub finem Gothici regni servatum fuisse dignoscimus ex Concilio Toletano XVI. c. X. regnante Egica Rege celebrato.

(2) *Pertimescant.*) Romana themis severe animadvertit in filios eorum, qui rei essent quorundam criminum inter Majestatica relatorum. Cod. Theod. lib. IX. Titulo XIV. lege 3., ubi quoque consulas Gothofredum. Legem Romanæ haud absimilem (quamquam & verbis & reipsa mitiorem) tulerunt & ipsi Gothi in Toletano Concilio in præcedente nota laudato, quam retulimus in Monito ad hasce leges.

(3) *Qui de salute, vel morte Principis &c.*) Id cautum erat & in Concilio Toletano V. c. 4. ex quo colligimus id præcipue inhibitum fuisse, ut novarum rerum periculum, quod ex ejusmodi indagine exoriri potuisset, averteretur. *Censemus, ut quisquis inventus fuerit talia perquisisse, & vivente Principe in alium attendisse pro futura regni spe, aut alios in se propter id attraxisse &c.*

nena conficiunt, ista protinus vindicta sequatur: ut si venenatam potionem alicui dederint, & qui biberit mortuus exinde fuerit, illi etiam continuo suppliciis subditi morte turpissima sunt puniendi. Si certe poculo veneni potatus evaserit, in ejus potestate tradendus est ille, qui dedit: ut de eo quod facere voluerit, sui sit incunctanter arbitrii.

III. FLS. GLS. CHDS. REX.

De maleficis & consulentibus eos.

Malefici (1) & immissores tempestatum, qui quibusdam incantationibus grandinem in vineas messesque mittere perhibentur, & hi qui per invocationem dæmonum mentes hominum conturbant, seu qui nocturna sacrificia dæmonibus celebrant, eosque per invocationes nefarias nequiter invocant: ubicunque a judice vel actore, vel procuratore loci reperti fuerint vel detecti, ducentenis flagellis publice verberentur, & decalvati deformiter decem convicinas possessiones circuire cogantur inviti, ut eorum alii corrigantur exemplis. Quos tamen judex, ne ulterius evagantes talia facere permittantur, aut in retrusione faciat esse, ut ibi accepta veste, atque substantia ita vivant, ne viventibus nocendi aditum habeant: aut regiæ præsentiæ dirigat, ut quod de illis sibi placitum fuerit, evidenter statuat. Hi autem qui tales consuluisse reperiuntur, in populi conventu ducentorum ictus accipiant flagellorum: ut impuniti non remaneant, quos culpæ similis reatus accusat.

IV. FLS. CHDS. REX.

De his qui in hominibus, aut animalibus, vel quibuscunque rebus qualiacunque ligamenta, aut quodcunque contrarium reperiuntur fecisse.

Præsentis legis superiori sententia dampnari jubemus, seu ingenuus sit seu servus, utriusque sexus, qui in hominibus vel brutis animalibus, omnique genere quod mobile esse potest, seu in agris vel vineis, diversisque arboribus, maleficium, aut diversa ligamenta, aut etiam scripta (2) in contrarietatem alterius excogitaverit facere, aut expleverit, per quod alium lædere vel mortificare, aut obmutescere velit, aut dampnum (3) tam in corporibus, quam etiam in universis rebus fecisse reperiantur.

V.

De personis judicum, sive etiam ceterorum, qui aut divinos consulunt, aut auguriis intendunt.

Sicut pia veritas mendacii assertione non capitur: ita non est consequens, ut latens veritas mendacio investigetur. Omnis igitur veritas ex Deo est. Mendacium vero ex diabolo est: quia & ipse diabolus ab initio mendax est. Cum ergo utraque res suos Principes habeat, quid opus est, ut veritas cujuscunque mendacio admittatur exquiri? Quidam enim ex judicibus feruntur Dei spiritu pleni [1], qui acta maleficiorum dum investigare subtili perquisitionis perspicacia nequeunt, execrabiles divinorum propitiationes [2] intendunt. Veritatem enim se invenire non putant, nisi divinos & aruspices consulant (4): & eo sibi reperiendæ veritatis aditum claudunt, quo veritatem ipsam per mendacium addiscere concupiscunt. Dum enim maleficia per divinationes comprobare pertentant, quasi tertio loco ipsi se diabolo servituros illaqueant. Quapropter si quis ex quolibet judicum gradu vel ordine, per divinos aut eorum similes aliquid sciscitare tentaverit, vel approbare intenderit: si quis etiam hominum, cujuslibet sit ordinis vel personæ, qui a talibus aut salutis aut ægritudinis responsa poposcerit, vel consulendos eos pro quibuscunque rebus crediderit, ad legis illius teneatur satisfactionem obnoxius, quæ in hoc libro sexto, sub titulo secundo, era prima, eos, qui de salute vel morte Principis, aut quorumcunque hominum, vaticinatores quosque consulere prætentant, statuit serenitatis ordine resecari. Illi tantum judices ad hujus legis non tenebuntur sententiam condemnandi, qui divinos ipsos atque eorum similes non sciscitandi, sed ulciscendi voto, coram multis perquirendo detriburint, id est, si non ut aliquid de eo scire inquirendo intendant, sed detegi sibi hoc solum, unde feriantur, exquirant. At nunc, quia & auguriis deditos eodem modo novimus odibiles Deo: ideo speciali legis sanctione decernimus, ut quicunque sunt illi, quibus augures vel auguria observare contigerit, quinquagenis publice subjiciantur verberibus coercendi. Qui tamen ad solitum vitium ultra redierint, perdito etiam testimonio, simili erunt sententia flagellorum subjiciendi.

1 Al. *Dei spiritu vacui*. 2 *Pronunciationes*.

(1) *Malefici*.) De hujusmodi *maleficis* quædam dicta sunt in Animadvers. ad Indic. Pagan. n. XXII. Vol. III. huj. Collect.

(2) *Aut etiam scripta*.) De his quoque consule dicta loco in præcedente nota relato n. X.

(3) *Aut dampnum*.) Hispanicus: *Mandamos, que todel dano reciban en sos corpos, e en todas sos cosas, que fizieren a otre*.

(4) *Aruspices consulant*.) Altas profecto radices in gente fixerat aruspicina, cum neque illi, qui præerant juri dicundo, illius oblivisci potuissent.

TITULUS III. De excutientibus partum hominum.

I.

De his qui potionem ad avorsum dederint.

SI quis mulieri prægnanti potionem ad avorsum aut pro necando infante dederit, occidatur: & mulier, quæ potionem ad avorsum facere quæsivit, si ancilla est, CC. flagella suscipiat; si ingenua, careat dignitate personæ, & cui jusserimus servitura tradatur.

II. ANTIQUA.

Si ingenuus ingenuam avortare fecerit.

Si quis mulierem gravidam percusserit quocunque ictu, aut per aliquam occasionem mulierem ingenuam avortare fecerit, & exinde mortua fuerit, pro homicidio puniatur. Si autem tantummodo partus excutiatur, & mulier in nullo debilitata fuerit, & ingenuus ingenuæ hoc intulisse cognoscitur, si formatum infantem extinxit, CCV. solidos[1] reddat: si vero informem, centum solidos pro facto restituat.

III. ANTIQUA.

Si ingenua mulier ingenuam avortare fecerit.

Si mulier ingenua per aliquam violentiam aut occasionem ingenuæ partum excusserit, aut ex hoc debilitasse cognoscitur, sicut & ingenui superioris dampni pœna mulctetur.

IV. ANTIQUA.

Si ingenuus ancillæ partum effuderit.

Si ingenuus ancillam avorsum fecerit pati, XX. solidos domino ancillæ cogatur inferre.

V. ANTIQUA.

Si servus ingenuæ partum excusserit.

Si servus ingenuæ partum excusserit, ducentenis flagellis publice verberetur, & tradatur ingenuæ serviturus.

VI. ANTIQUA.

Si servus ancillæ partitudinem læserit.

Si ancillam servus avortare fecerit, decem solidos dominus servi, ancillæ domino dare cogatur; & ipse servus ducenta insuper flagella suscipiat.

VII. FLS. CHDS. REX.

De his qui filios suos aut natos, aut in utero necant.

Nihil est eorum pravitate deterius, qui pietatis immemores, filiorum suorum necatores existunt. Quorum quia vitium per provincias regni nostri sic inoluisse narratur, ut tam viri quam fœminæ sceleris hujus auctores esse reperiantur. Ideo hanc licentiam (1) prohibentes decernimus: ut seu libera seu ancilla natum filium filiamve necaverit; sive adhuc in utero habens, aut potionem ad avorsum acceperit (2), aut aliquo quocunque modo extinguere partum suum præsumpserit, mox provinciæ judex, aut territorii, ut tale factum repererit, non solum operatricem criminis hujus publica morte condemnet: aut si vitæ reservare voluerit, omnem visionem oculorum ejus non moretur extinguere. Sed etiam si maritum ejus talia jussisse vel permisisse patuerit, eundem etiam vindictæ simili subdere non recuset.

TITULUS IV. De contumelia, vulnere & debilitatione hominum.

I. FLS. CHDS. REX.

De cædibus ingenui atque servi.

SI ingenuus ingenuum quolibet ictu in capite percusserit, pro livore det solidos V. pro cute rupta solidos X. pro plaga usque ad ossum solidos XX. pro osso fracto solidos C. Quod si ingenuus hoc in servo alieno commiserit, medietatem superioris compositionis exsolvat. Si vero servus in servo hoc fecerit, tertiam partem ejusdem compositionis adimpleat, & L. flagella suscipiat. Si autem servus ingenuum vulneraverit, ita componat, sicut cum ingenuus servum vulneraverit alienum, & septuaginta flagella suscipiat. Si vero dominus noluerit pro servo componere, servus tradatur pro crimine.

II. ANTIQUA.

De præsumptoribus & operibus præsumptorum.

Si quis evaginato gladio, vel quolibet genere

[1] Al. CCL. solid.

(1) *Ideo hanc licentiam.*) Videtur pene creditum fuisse parentibus in filios saltem vel recens natos, vel etiam nondum natos competiisse jus necis. Quod ego Barbaris quondam licuisse suspicor, quamquam hanc non viguisse inter veteres Germanos licentiam tradant eruditi. In lege Frisionum, quæ multa Barbaricæ ruditatis monumenta servavit, Titulo V. inter eos, *qui sine compositione occidi possunt*, numeratur quoque *infans ab utero sublatus, & enecatus a matre*. Confer quæ ibidem annotavit Sibrandus Siccama Vol. III. huj. Collect.

(2) *Acceperit.*) Exasperat Rex Chindasvindus, quod lenius supra antiquis legibus statutum fuerat. Neque hic Legislator distinguit inter partum *formandum*, & *informem*, neque inter conditionem personæ, sive servilis, sive ingenuæ, quæ superioribus legibus plane secernitur.

nere armorum munitus, præsumptivo modo in domum alienam intraverit, cupiens dominum domus occidere, si ipse fuerit occisus, mors ejus nullatenus requiratur. Si autem ipse qui in domum alienam intravit, hominem occiderit, continuo & ipse moriatur. Quod si non criminalem culpam admiserit, secundum legum ordinem componere non moretur, juxta quod damnum in eadem domo fecerit. Nam si ille, qui in domum alienam violenter ingressus fuerit, aliquid exinde rapuerit, undecupli satisfactione quæ levavit cogatur exsolvere. Quod si non habuerit unde componat, ipse sine dubio serviturus tradatur: & si aliquid in domum, quam ingressus fuerat, damni non fecerit, nec aliquid subtraxerit, pro eo quod ingressus fuerit, x. solidos cogatur donare, & centum flagellis publice verberetur. Quod si non habuerit unde componat, cc. flagella suscipiat. Si vero aliqui ab ingenuis, cum eo in eadem domo, non ab illo jussi, neque in ejus obsequio vel in patrocinio constituti, unanimes tamen vel consentientes præsumptori ingressi fuerint, unusquisque eorum simili damno & pœnæ subjaceant. Quod si non habuerint unde componant, CL. flagella suscipiant: nam testimonium non amittant. Quod si in patrocinio vel obsequio præsumptoris retenti, ab illo hoc facere jussi fuerint, vel cum eo hoc eos fecisse constiterit, solus patronus ad omnem satisfactionem, & pœnæ & damni teneatur obnoxius. Nam illi non erant culpabiles, qui jussa patroni videntur esse complentes. Si autem servus hoc domino nesciente commiserit, cc. flagella suscipiat, & quod abstulerit, reddat. Si vero conscio domino servus hoc fecerit, ipse dominus pro eo componat, sicut de ingenuis superius est comprehensum.

III. FLS. GLS. RCDS. REX.

De reddendo talione, & compositionis summa pro non reddendo talione.

Quorumdam sæva temeritas sævioribus pœnis est legaliter ulciscenda: ut dum metuit quisque pati quod fecerit, saltem ab illicitis invitus abstineat. Quicunque ergo ingenuus ingenuum pertinaciter ausus decalvare aliquem, aut turpibus maculis in facie vel cetero corpore, flagello, fuste, seu quocunque ictu feriendo aut trahendo malitiose fœdare vel maculare, sive quamcunque partem membrorum trucidare præsumpserit, aut etiam ligaverit, vel in custodia aut in quocunque vinculo detinuerit, seu ligari ab aliquo aut custodia vel vinculo mancipari præceperit, juxta quod alii intulerit, vel inferendum præceperit, correptus a judice in se recipiat talionem. Ita ut is qui male pertulerit, aut corporis contumeliam sustinuerit, si componi sibi a præsumptore voluerit, tantum compositionis accipiat, quantum ipse taxaverit, qui læsionem noscitur pertulisse. Pro alapa vero, pugno vel calce, aut percussione in capite, prohibemus reddere talionem: ne dum talio rependitur, aut læsio major aut periculum ingeratur. Sed si quis hæc sine periculo membrorum aut aliqua læsione præsumptuosus intulerit, pro alapa x. flagella, pro pugno vel calce xx. pro percussione vero in capite, si sine sanguine fuerit, ab eo quem percusserit, xxx.[1] flagella suscipiat. Certe qui læsit, vel lædendum dicitur instituisse, si non ex priori dispositio, sed subito exorta lite & cæde commissa, aliquo casu id convicerit se nolente perpetratum fuisse, pro evulso oculo det solidos centum. Quod si contigerit, ut de eodem oculo ex parte videat, qui percussus est libram auri a percussore in compositione accipiat. Quod si in naribus ita percussus est, ut nasum ex integro perdat, c. solidos percussor exsolvat. Si vero nasus ita collisus est, ut pars turpata narium pateat, juxta quod deturpationem judex inspexerit, damnare non morabitur percussorem. Quod etiam similiter & de labiis vel auribus præcipimus custodiri. Cui ponderositas (1) facta fuerit, centum solidi dentur in compositione. Qui manum ex integro absciderit, vel etiam quolibet ictu ita percusserit, ut ad nullum opus ipse profaciat, centum solidos percussor componat. Pro pollice autem L. pro sequenti digito XL. pro tertio XXX. pro quarto XX. pro quinto X. solidos compositionis exsolvat. Quæ scilicet summa & de pedibus erit implenda. Pro singulis autem excussis dentibus duodeni solidi componantur. Qui cassos (2) alteri fregerit, & ex hoc qui percussus est debilis apparuerit, libram auri percussor componere procurabit. Et ista quidem inter ingenuos observanda & implenda sunt. Si vero servus hoc ingenuo fecerit, vel etiam ingenuum decalvaverit, in ejus potestate tradendus est, ut sui sit arbitrii de eo facere quod voluerit. Si certe ingenuus servum alterius decalvaverit, aut decalvare jusserit rusticanum, det ejus domino solidos x. Si vero idoneum, c. flagella suscipiat, & supradictam summam c. solidorum servi domino coactus exsolvat. Quod si qualibet corporis parte servum truncaverit, vel truncare jusserit alienum, ducentorum flagellorum ictibus

1 Al. XX.

(1) *Cui ponderositas.*) Cangius in Glossario: *Hernia*. Muratorius ad Legem LXXI. Libri VI. Liutprandi Regis Langobardorum ratus est, *ponderosi* nomine ibi eum intelligendum esse, qui ex ictibus baculi ineptus ad gradiendum factus fuerit, & lecto teneri coactus. Rectius, meo quidem judicio, vocem circumscribit Hispanicus: *A quien feren enas renes, que lo fazen encorcobado.*

(2) *Qui cassos &c.*) Hispanicus: *A quien le quebrantaren la pierna, o le fazen de la ser coxo, receba una libra doro por emenda.*

bus verberetur, & alium ejusdem facultatis & meriti servum cum eodem, proprio domino reddere compellatur. Quod si de supra taxatis capitulis quodcunque libertus ingenuo facere præsumpserit, pro eo quod æqualem statum non habet, & quod fecerit similiter in se factum recipiat, & centum insuper flagellorum ictus extensus accipiat. Quod si ingenuus in liberto hoc fecerit, tertiam partem compositionis, quæ de ingenuis continetur, exsolvat. Si servus servum inscio domino decalvare sive truncare præsumpserit, & quod fecit patiatur, & centum flagellis publice verberetur. Si vero servus domino nesciente ingenuum comprehendere vel ligare præsumpserit, ducentis publice verberetur flagellis. Quod si cum domini voluntate servus hoc fecerit, ipse dominus tantundem, & pœnam & damna, quæ de ingenuis in hac lege tenentur, suscipiat. Ingenuus autem si servum alienum ligaverit innocentem, det domino servi solidos tres. Nam si servus servum ligaverit absque voluntate domini sui, centum flagellis publice verberabitur. Si certe conscio domino suo servus hoc admiserit, idem servi dominus tres idemque solidos componere compellendus est. Tamen si ingenuus servum alienum innocentem die ac nocte in custodia detinuerit, vel ab alio fecerit detineri, pro uno die tres solidos, & pro una nocte similiter tres solidos domino servi componat: & si per plures dies id servus ab ingenuo innocens pertulisse convincitur, eandem trium solidorum summam per singulos dies ac noctes isdem ingenuus servi domino coactus exsolvat. Ingenuus sane, si servum alienum fuste, aut flagello, vel quolibet ictu indignans percusserit, ut sanguis & livor appareat, per singulas percussiones singulos solidos domino servi persolvat: aut si gravis percussio fortasse patuerit, per quam aut mortem aut debilitationem qui percussus est videatur incurrere, quantum pro tali re componere debeat, judicis æstimatio competenter inspiciat. Si vero servus in servo talia fecerit, idemque judex constituat, quantum vel a servo vel ab ejus domino, juxta livoris vel plagarum qualitatem, media pars de ingenuis componi debeat. Servus tamen pro præsumptione sua L. flagella extensus accipiat. Omnes autem sententiæ legis hujus tam in viris, quam in fœminis observandæ sunt: ita ut capitula, quæ in hac lege vel in aliis legibus ad arbitrium judicis reservantur, ejus instantia celeriter terminentur. Quod si judex amicitia corruptus vel præmio, juxta æstimationem rei liberare neglexerit, neque continuo ulciscendum institerit, judiciaria protinus potestate privatus, ab Episcopo vel Duce districtus, illi quem admonitus vindicare contempsit, secundum quod iidem inspexerint, juxta contemplationem de facultate propria componere compellatur: quatenus ipse suarum rerum compulsus damna sustineat, qui voluntarius defendere recusavit interpellantis injuriam.

IV. ANTIQUA.

Si itinerantem quis retinuerit injuriose atque nolenter.

Si in itinere positum aliquis injuriose sine sua voluntate retinuerit, & ei in nullo debitor existat, quinque solidos pro sua injuria consequatur ille, qui retentus est: & si non habuerit unde componat, ille qui eum retinuerit, L. flagella suscipiat. Quod si debitor illi fuerit, & debitum reddere noluerit, sine injuria hunc territorii judici præsentet, & ipse illud quod justum est ordinet. Quod si servus hoc sine jussione domini commiserit, centum ictus accipiat flagellorum. Si autem domino jubente hoc fecerit, ad superiorem compositionem dominus teneatur obnoxius.

V. FLS. CHDS. 1 REX.

Ut qui alteri ea intulerit, quæ legibus non continentur, ea recipiat quæ fecisse convincitur.

Non minoris est noxæ legum statuta nescire, quam sciendo prava committere. Quapropter quicunque hactenus vel post hæc illicita perpetrans, aut leges nescire se dixerit, aut in cujuspiam damno vel periculo illa præsumpserit excogitare vel agere, quæ dicat in legibus non contineri, atque ideo non posse reatui subjacere: hujus rei caussa convictus præsumptor, ea continuo pericula, ignominiam, tormenta atque cruciatum, vel damna sustineat, quæ alii intulit, vel inferenda molitus est: atque insuper publice C. flagellorum verberibus cæsus, ad perennem infamiam deformiter decalvetur.

VI. FLS. CHDS. REX.

Ne sit reus, qui percutere volentem ante percusserit.

Non est putanda resistentis improbitas, ubi violenter conspicitur præsumentis audacia. Quicunque ergo incaute præsumptuosus, fuste vel gladio seu quocunque ictu, percutere aliquem iratus voluerit, vel percusserit, & tunc idem præsumptor ab eo quem percutere voluit, ita fuerit percussus, ut moriatur, talis mors pro homicidio computari non poterit, nec calumniam patiatur qui præsumentem percusserit. Quia commodius erit irato viventem resistere, quam se post obitum ulciscendum relinquere. Ille sane, qui prior contra quemlibet iratus eduxerit gladium, quamlibet non percusserit, X. tamen solidos ei, quem percutere voluit, pro præsumptione sola dare cogendus est.

VII.

1 FLS. RCDS.

VII. FLS. RCDS.[1] REX.

Si servus ingenuo fecerit contumeliam.

Quamvis idoneus servus personæ nobili & illustri nullatenus indebite contumeliosus (1) aut seditiosus præsumat existere. Quod si fecerit, quadraginta verberibus coram judice subjacebit. Servus autem vilior L. flagellorum ictibus addicetur. Certe si eadem persona, ut sibi fieret contumelia, servum prius excitaverit alienum, suæ negligentiæ imputet, qui oblitus honestatis & patientiæ, quod merebatur a servo excepit.

VIII. ANTIQUA.

Si ingenuus ingenuum percutiat.

Si quis ingenuus ingenuo vulnus inflixerit, ita ut continuo qui vulneratus fuerit, moriatur, percussor pro homicidio teneatur: & si qui percussus fuerat, statim non extinguatur, percussor deputetur in carcere, aut certe sub fidejussore habeatur: & si evaserit vulneratus, pro sola præsumptione det ei solidos xx. Aut si non habuerit unde componat, CC. flagella publice extensus suscipiat, & extra hoc compositionem vulneris implere cogatur, sicut a judicibus fuerit æstimatum.

IX. ANTIQUA.

Si ab ingenuo servus debilitetur alterius.

Si quis ingenuus servum alienum volens debilitaverit, alterum paris meriti servum ejusdem domino dare non moretur. Illum vero debilem suo studio & sumptu ad curandum, donec recipiat sanitatem, retineat. Postea vero, si sanari potuerit, pro vulnere compositio detur, prout justum visum fuerit. Ac sic postea servus domino reddatur incolumis, & suum servum recipiat. Insuper autem pro facti temeritate, ut cædem evadat, pro eo quod servum alienum vulnerare præsumpserit, x. solidos domino servi persolvat.

X. ANTIQUA.

Si servus percutiat ingenuum.

Si servus ingenuo sine domini jussione percussionem intulerit, & ille exinde moriatur, percussor pro homicidio puniatur: & si qui percussus fuerit statim non moriatur, ipse servus continuo tradatur in carcerem. Et si evaserit vulneratus, ille qui percusserat, CC. flagella suscipiat. Dominus vero si voluerit, pro servo summam compositionis exsolvat, quantum a judicibus fuerit æstimatum. Sin autem noluerit, servum pro culpa tradere non moretur.

XI. ANTIQUA.

Si servus servum debilitet.

Si servus servo debilitationem intulerit, excepta vulneris compositione, C. flagella suscipiat. Et si exinde debilitatus agnoscitur, quantum deterior extiterit ipse servus, judex poterit æstimare. Et si ipse dominus compositionem accipere noluerit, similem servum aut pretium servi ab illo, cujus servus eum debilitavit, accipiat, & illum debilitatum[2] servum sibi usurpet. Hoc ipsum etiam & de ancillis præcipimus custodiri.

TITULUS V. De cæde & morte hominum.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis nesciens occiderit hominem.

Quicunque nesciens hominem occiderit, & nullum contra eum odium habuerit, juxta Domini vocem reus mortis non erit. Non enim est justum, ut illum homicidæ damnum aut pœna percutiat, quem voluntas homicidii non cruentat.

II. FLS. CHDS. REX.

Si quis hominem, dum non videt, occiderit.

Si quis hominem, dum eum non videt, stantem, venientem, vel prætereuntem ignorando occiderit: si nulla occasio inimicitiæ antea cum eo fuerit, & ille nolens homicidium admiserit, atque ante judicem hoc potuerit approbare, securus abscedat.

III. FLS. GLS. CHDS. REX.

Si quis impulsus occidat hominem.

Si quis aut casu aut re quacunque impulsus, vel præcipitatus, in alterum corruerit, hominemque occiderit, pro homicidio nec damnis nec pœnis damnabilis erit. Si certe homo impulerit alium, cujus impulsione illisus perimat alterum, si ille qui impulit, absque mala voluntate hoc fecerit, auri libræ damnum habebit, quare læsionem vitare neglexerit.

[1] FLS. CHDS.

[2] Al. *Et ille debilitatum.*

(1) *Contumeliosus.*) Heineccius Elem. Jur. Germ. antiqui Libro II. art. 103. scribit, præter hanc legem, quæ de verbali injuria verba facere videtur, Codicem Wisigothorum nihil admodum de verbalibus injuriis sancire. Attamen in Hispanico integer Libri XII, Titulus finalis legitur, qui inscriptus est: *De los denostos, e de las palaoras odiosas*; ac magna ex parte de verbalibus injuriis agit. Sintne hæc sub Gothis Regibus condita, an vero sequiori tempore Gothicis legibus addita, in medium relinquam.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis alterum percutere volens, alterum occidat hominem.

Quicunque exorta lite, dum eum cum quo contendit, percutere quærit, alterum nolens occiderit: quærendum est, a quo cædes exordium habuerit. Et si ab alio, quem percussor voluit percutere, exortam cædem esse constiterit: ille qui concitavit litem, licet evaserit percussionem, quia tamen per ipsum constat homicidium esse commissum, C. auri solidos det. Ille vero qui percussit, L. solidos reddat, defuncti nihilominus proximis profuturos. Ideo enim ambo damnum habebunt: quia ille volens aditum mortis dedit, iste autem nolens mortem injecit.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si homo exorta cæde moriatur.

Si exorta cæde ad faciendam pacem quicunque ingenuus advenerit, & eum percussione litis mori contigerit, atque ille qui percussit aut suo sacramento aut testibus numero & dignitate idoneis approbare potuerit, quod hoc ut fieret voluntatis ejus non fuit: quia percussor nec percutere nec occidere voluit, libram tantum auri parentibus persolvat occisi. Similiter & qualecunque vulnus tali casu fieri provenerit, tertiam partem compositionis qui percussit exsolvat. Quia mors ejus inulta esse non debet, qui pacis præmium ut conferret advenit.

VI. ANTIQUA.

Si dum levis injuria infertur, homicidium committatur.

Si dum quis calce, vel pugno, aut quacunque percussione injuriam conatur inferre, homicidii extiterit occasio, homicidio puniatur.

VII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si jocans aut indiscretus occidat hominem.

Quicunque incautus, aut indiscretus, aut jocari volens, aut in multitudine cujuscunque rei ex improviso ictu noxium admittens percussisse atque occidisse quempiam videatur, cum aut sacramento aut testibus convictum fuerit, quia id disposito malitiæ spiritu, aut nocendi voluntate commissum non fuit, non quidem erit percussor vel homicidio infamis, vel morte damnabilis: quia mortuum voluntarie non occidit. Quare tamen indiscrete percussit, nec vitare casum studuit, libram auri proximis occisi persolvere procurabit, & quinquaginta flagellorum ictibus vapulabit.

VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis per incautam disciplinam occidat hominem.

Quemcunque discipulum, in patrocinio aut in servitio constitutum, si a magistro, patrono vel domino incompetenti[1] & indiscreta disciplina percussum fortasse mori de flagello contingat, cum nihil ille qui docet aut corripit, in hunc invidiæ aut malitiæ habuerit: qui cecidit, homicidio nec infamari poterit nec affligi. Quia dicente Dei sacra scriptura: Qui disciplinam abjicit, infelix erit.

IX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si ingenuus servum casibus præscriptis occidat.

Si ingenuus servum non voluntate, sed suprascriptis casibus diversis occiderit, medietas compositionis, quæ est de ingenuis constituta, erit a percussore domino servi reddenda.

X. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si servus ingenuum casibus præscriptis occidat.

Si servus ingenuum non voluntate, sed suprascriptis casibus diversis occiderit, eam compositionem exsolvat, quam de ingenuis casu occidentibus superior sententia taxat. Quod si dominus pro servo componere noluerit, mox servum tradere oportebit.

XI. ANTIQUA.

Si homo voluntarie occidatur.

Omnis homo si voluntate, non casu occiderit hominem, pro homicidio puniatur.

XII. FLS. CHDS. REX.

Ne domini extra culpam servos suos occidant: & si ingenuus occidat ingenuum.

Si criminis quisque reus, vel nefandi consilii socius, nequaquam debet indemnis relinqui, quanto magis qui ex studio malitiæ temeranter homicidium dinoscitur perpetrasse? Ideoque, quia sæpe præsumptione crudelium dominorum (1) extra discussionem publi-

1 Pith. *competenti*.

(1) *Præsumptione crudelium dominorum.*) Apud veteres Romanos disciplinæ severioris exercitio animo deliberato usque ad necem sæviebatur in servos; quæ tamen licentia legibus Imperialibus coercita fuit. Apud Barbaros jus aliquod vitæ & necis in servos dominis competiisse edocemur ex Tacito cap. XXV. *Verberare servum, ac vincalis & opere coercere rarum. Occidere solent, non disciplina, & severitate, sed impetu, & ira, ut inimicum, nisi quod impu-*

blicam servorum animæ perimuntur, extirpari decet hanc omnino licentiam, & hujus legis ab omnibus perenniter adimpleri censuram: scilicet ut nullus dominorum vel dominarum, servorum suorum vel ancillarum, seu quaruncunque personarum, extra publicum judicium quandoquidem occisor existat. Sed si talis servus (2) vel ancilla, seu quicunque, crimen admiserit, ex quo possit mortis debitam damnationem excipere, eumque dominus vel domina propter aliquod pessimum facinus occiderit, vel occidendum præceperit, dum hoc ad cujuscunque judicis cognitionem pervenerit, confestim ipse dominus dominave ad judicium ire cogendi sunt; qualiter per probationem servorum vel ancillarum sibi suo sacramento confirment, quod tale facinus admiserint, unde digni essent mortis ultione percelli. Nam si ex disposito malitiæ, servum suum vel ancillam, seu per se, seu per alium quemlibet extra publicum examen occidere quicunque præsumpserit, pro facti hujus temeritate libram auri fisco persolvat, atque insuper perenni infamia denotatus, testificari ei ultra non liceat. Qui vero alienum servum vel ancillam ex deliberatione suæ voluntatis occiderit, vel occidendum præceperit, duos ejusdem meriti servos seu ancillas, occisorum dominus de facultate homicidæ consequuturus est: homicida tamen secundum superiorem ordinem perennis exilii pœnam indubitanter excipiat. Nam si dominus fortasse vel domina, in ancilla vel servo, tam proprio quam extero, vel incitatione injuriæ vel ira commotus, dum disciplinam ingerit, quocunque ictu percutiens homicidium perpetraverit, & vel testibus probari potuerit, vel certe sacramento suam conscientiam expiaverit, nolendo tale homicidium commisisse, ad hujus legis sententiam teneri non poterit. Veruntamen si servi vel ancillæ, instituentibus vel consentientibus dominis, in conservis suis vel quibuscunque personis dixerint se homicidium perpetrasse, & per exactionem tormentorum eosdem dominos suos talia sibi constituisse taxaverint; servi quidem vel ancillæ talia perpetrantes, centenis flagellis publice verberandi sunt, ac turpiter decalvandi. Eorum vero domini, si juraverint nil tale ordinasse, ad legis hujus sententiam nullatenus teneantur. Atque illi qui suos conservos occiderint, in potestate domini sui eorum caussa consistat, ut faciendi de eis quod voluerint licentiam habeant. Si vero alienum quis occiderit servum, ei procul dubio traditurus est, cujus servum vel ancillam dinoscitur occidisse. Quæcunque autem persona ingenua propter furti rapacitatem in itinere vel domi positum quenquam insidians occidisse detegitur, homicida continuo pro homicidio puniatur. Et quoniam consilio quisque vel jussu homicidium faciendum insistens, noxior judicandus est, quam ille qui homicidium opere perpetravit: id specialiter constituendum oportuit, ut excepta caussa servorum, de quibus supra taxatum est: si ingenuum vel ingenuam, per servum vel ancillam, dominus dominave occidendum præceperit, & per discussionem apud judicem talia de dominis fuerint manifeste confessi, si hoc per legitimum testem firmare nequiverint, servis super dominis suis credi non oportebit. Sed ipsi tunc domini, qui talia jussisse dicuntur, coram judice se suo sacramento innocentes reddere non morentur. Ipsi vero qui homicidium fecisse confessi sunt, aut pro homicidio puniantur, aut occisorum parentibus vel propinquis tradantur, ut quod de eis facere voluerint habeant potestatem. Quod si domini eorum jurare nequiverint, servus procul dubio vel ancilla tam noxia perpetrantes, ducentenis verberati flagellis, turpiter etiam decalvandi sunt. Domini vero, quibus jubentibus tale nefas admissum est, capitali se noverint supplicio perimendos. Nam si ingenui quilibet ex communi consilio homicidium perpetrare deliberaverint, illi qui fortasse percusserint, aut quocunque ictu hominem interfecerint, morte damnandi sunt. Illi vero qui cum eis consilium habuisse reperiuntur, quamvis non percusserint, propter ini-

---

pune. Adde Potgiesser de servis Lib. II. cap. 1. De Prussis narratur, quod servos, claudos, cœcos, morbo confectos, neci tradere soliti forent. Consule eundem in Prologo N. XLVIII. Sed hoc forte ex præsumpta pietate, quam Barbaræ quædam gentes etiam in liberos homines senio, vel infirmitate oppressos exercere consueverant; ut scilicet violenta morte perfuncti alterius vitæ languores effugere, gaudiis perfrui valerent. Repete hac de re dicta in Monito ad Leges Frisionum, Thoringorum, & Saxonum Vol. III. huj. Collect.

(2) *Sed si talis servus &c.*) Hic, & sequens legis articulus usque ad verba, *non liceat*, haud modice variant in Hispanico, ubi sic exarati leguntur: *Mas si el servo, o la serva fizier tal pecado, porque deve prender morte, mantinente su senor del, o aquel que lo quisier acusar, lo diga al juiz da quela tierra, o al senor, e pues que lo dixer, si el pecado fur demostrado, el servo prenda morte por el juiz, o por so senor, en tal manera que si el juiz lo quisier justiciar de morte, meta en escrito aquelo, porque lo condemna: e si el senor lo quisier fer matar, o lo quisier gardar de morte, sea en so poder. E si el servo, o la serva por moy mal asamiento contrastando a so senor, sil fiere con arma, o con piedra, o con otra cosa, o asmar de lo ferir, e el senor se quisier defender, si en aquela sana luego matar el servo, o la serva, non deve ser tenudo del omecio, si aquelo deve ser provado por testimonios de los servos, e de las servas, que estavan delantre, e por el sacramento del senor, que lo mato. Mas si el senor, o la senora mata so servo, o sua serva por crueldat, si non furen condenados por lo juiz, el que lo matar, por la locura que fizo, deve ser echado fuera della tierra por siempre, e deven aver su bona los mas propincos de so linage.*

iniquum tamen consilium, ducentorum flagellorum ictus publice extensi, & decalvationis fœditatem passuri sint, atque insuper proximis occisi parentibus quinquagenos solidos componere compellantur. Aut si non habuerint unde componant, perenniter serviturí tradantur.

XIII. FLS. GLS. EGIGA [1] REX.

Ne liceat quemcunque servum suum vel ancillam quacunque corporis parte truncare.

Præcedentium non vitia sed virtutes æmulando conlectus, invenimus hanc legem justissime editam, injuste abrasam. Et ideo ne humanis excessibus turpandæ imaginis Dei frena laxentur, IN NOMINE DOMINI, EGO FLAVIUS EGIGA REX, ipsis verbis, ipsisque sententiis illo dudum eam iterum ordine introduxi, quo dudum illam præviam judicii principalis auctoritas collocavit, quæ sic incipit. Superiori quidem lege, dominorum indiscretam sævitiam a servorum occisione privavimus. Nunc etiam ne imaginis Dei plasmationem adulterent, dum in subditis crudelitates suas exercent, debilitationem corporum prohibendam oportuit. Ideo decernimus, ut quicunque dominus dominave, absque judicis examinatione, & manifesto scelere servo suo vel ancillæ manum, nasum, labium, linguam, aurem etiam vel pedem absciderit, aut oculum evulserit, seu quamcunque partem corporis detruncaverit, aut detruncare vel extirpare præceperit, trium annorum exilio sub pœnitentia relegetur apud Episcopum, cujus in territorio aut ipse manere, aut factum scelus esse videtur. Omnes vero facultates ipsius, si filios habuerit, qui tamen non sint sceleris ejus participes, tueantur atque gubernent, redditurí cum redierit rei domino rationem. Si certe filii legitimi defuerint, aliis parentibus ita judex facultates ejus custodiendas committat, qualiter cum redierit, de rebus suis ratio illi reddatur. Sin autem nullus de proximis fuerit, judex ipse curam habebit, qualiter cuncta gubernet atque conservet, & de eisdem rationem postea reddat.

XIV. FLS. CHDS. REX.

Ut homicidam cunctis liceat accusare.

Si homicidam nullus accuset, judex mox ut facti crimen agnoverit, licentiam habeat corripere criminosum, ut pœnam reus excipiat, quam meretur. Nec enim propter accusatoris absentiam, aut aliquod fortasse colludium sceleris, debet vindicta differri: sed tam uxor mortem mariti, si quid noxium ab alio forte pertulerit, quam etiam maritus, si simile aliquid uxorem pati contigerit, licitum habebit inquirere, & juxta qualitatem criminis legaliter ulciscendum insistere. Ita ut si manente adversus reum tali intentione, maritus & uxor vitam finierint, & imperfectam caussam reliquerint, eorum filii seu propinqui, quibus ad capiendam hereditatem legitima successio competit, accusare reum vel homicidam, ac sicut parentes facere poterant, instanter persequi habeant potestatem. Nec enim dignum est, parentum aut propinquorum habere facultatem, si non reus vel homicida debitam sententiam condemnationis excipiat. Quod si judex admonitus hujus rei vindex esse distulerit, & dilatans accusantes ad regiam cognitionem ex hoc querela pervenerit, sciat se pro mortuo, quem vindicare noluerit, medietatem homicidii, hoc est, CCL. solidos petenti esse daturum. Facultates sane ejus, qui pro suo scelere est puniendus, non ante cuiquam usurpare conceditur, nisi per judicium ultionis ex lege sententia detur.

XV. FLS. CHDS. REX.

Quod & proximis & extraneis homicidam conceditur accusare.

Cum ceterorum criminum reos pœnas semper oporteat excipere quas merentur, nefas esse putandum est homicidas unquam indemnes relinquere, quos severiori magis condecet atrocitate puniri. Ne ergo possit evadere homicida quod fecit, aut aliquis scelus ejus præsumat forsitan excusando celare, primo proximis occisi conceditur licentia accusandi. Quod si iidem proximi ad quærendam defuncti mortem aut tepidi fuerint, aut forte distulerint, tunc accusandi homicidam omnibus generaliter, tam aliis parentibus, quam externis, aditum pandimus. Ita ut qui homicidam fraudulenter excusare conatus fuerit, vel defendere, commodum quod propterea fuerat consecutus, in duplum compellatur accusatori persolvere. Nam homicidii reus nunquam potest esse securus, cum contra eum accusationem deferre nulli penitus licentia denegetur.

XVI. FLS. CHDS. REX.

Si homicida ad Ecclesiam confugiat.

Non sumus immemores, de homicidis hactenus atque maleficis diversas quidem legum sententias præcessisse, [2] & juxta qualitatem sceleris pœnas esse propositas, quas unusquisque eorum merebatur excipere. Tamen quia nequitiæ hujus auctores, quantum in malis amplius prompti sunt, tantum ad evadendum supplicium occasiones sæpe prætendunt: ac se plerumque basilicarum Dei defensioni committunt, qui contra divinum præceptum scelera perpetrare non metuunt. Ideoque quia nunquam debet hoc scelus inultum relinqui, quod & vitam perimit, & quorundam mentes ad deterius frequenter impellit, hoc omne per ævum mansurum damus edictum: Ut quemcunque homicidam seu maleficum lex puniri præcipit, & præterea

1 Pith. RCDS.

2 Al. *sententias præcessisse.*

terea qui ex ſuo diſpoſito, vel malæ voluntatis aſſenſu, tale nefas committit, nulla hunc occaſio nullaque unquam ab hac ſententia poteſtas excuſet. Sed etiamſi contigerit eum ad altare ſanctum fortaſſe confugere, non quidem præſumat eum abſque conſultu ſacerdotis perſequutor ejus abſtrahere. Conſulto tamen ſacerdote ac reddito ſacramento, ne eundem ſceleratum publicæ mortis pœna condemnet, ſacerdos eum ſua intentione ab altari repellat, & extra chorum projiciat: & ſic ille, qui eum perſequitur, comprehendat. Cui ab eccleſia ejecto, non alias mortiferas inferat pœnas, ſed in poteſtate parentum, & eorum cujus propinquus occiſus fuerit, contradendus eſt: ut excepto mortis periculo, quicquid de eo facere voluerint, licentiam habeant. Quatenus dum malorum pravitas conſpicit conſtituta ſibi ſupplicia præterire non poſſe, vel metu ſaltem territus a malis abſtineat, quem malæ voluntatis intentio ad illicitum facinus ſponte ſæpe præcipitat.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De parricidis, & eorum rebus.

Dum nullum homicidium voluntate commiſſum noſtris legibus relinquatur inultum, & illum magis oporteat mortem excipere, qui conſanguinitate proximum præſumpſerit occidere: proinde hoc omne per ævum promulgamus edictum, ut quicunque parricidium fecerit, hoc eſt, patrem aut matrem, ſeu fratrem aut ſororem, vel quemcunque ſibi propinquum, propoſito vel intentione pravæ voluntatis occiderit, confeſtim comprehenſus a judice eadem morte puniatur, qua ipſe alium punire præſumpſerit. Ita ut ſi vir ſive mulier ſit, qui parricidii crimen admiſerit, ſi filios non habuerit, omnis parricidæ hereditas ad heredes & propinquos occiſi pertineat. Si vero filios de alio conjugio habuerit, medietas facultatis ejus filiis occiſi proficiat, & medietas filiis parricidæ, ſi tamen in ſcelere patris aut matris conſcii non fuerint approbati. Nam ſi conſcios eos ſcelus parentum habuerit, omnis parricidæ hereditas filiis occiſi proficiat. Quod ſi neque parricida neque occiſus filios reliquerint, tunc omnem facultatem parricidæ, parentes occiſi aut propinqui ſibimet in omnibus vindicabunt: vel proximi, qui ejus mortem ulciſcendam inſtiterint, juri ſuo applicare non dubitent.

XVIII. ANTIQUA NOVITER EMENDATA.

De his qui proximos ſanguinis ſui occiderint.

Si pater filium, aut filius patrem, ſeu maritus uxorem, aut uxor maritum, aut mater filiam, aut filia matrem, aut frater fratrem, aut ſoror ſororem, aut ſocerum gener, aut generum ſocer, vel nurus ſocrum, aut ſocrus nurum, vel quemcunque conſanguinitate (1) ſibi proximum, aut ſuo generi copulatum occiderit, morte dampnetur (2). Quod ſi propter hoc (3) homicida ad Eccleſiam vel altaria ſancta concurrerit, in poteſtate parentum vel propinquorum occiſi tradendus eſt: ut ſalva tantum anima, quicquid de eo facere voluerint, habeant poteſtatem. Omnem vero ſubſtantiam ſuam heredibus occiſi, juxta legis ſuperioris ordinem, jubemus addici, aut etiam fiſco, ſi heredes proximos occiſus non reliquerit, ſociari. Nam homicida nec facultatibus ſuis liberatus utetur, etiamſi pœnam mortis evadere mereatur.

XIX. ANTIQUA.

Si a proximo ſanguinis caſu proximus occidatur.

Si pater filium, aut mater filiam, aut filius patrem, aut frater fratrem, aut quemlibet

---

(1) *Vel quemcumque conſanguinitate.*) Nullum ergo diſcrimen inter occiſorem patris, aut matris, atque necatorem propinqui, aut conſanguinei cujuslibet; cum eodem contextu ut parricida cenſeatur atque puniatur hujus criminis reus. Quæ doctrina conformis eſt interpretationi Aniani ad Legem *de Parricidiis* Codic. Theodoſ. Lib. IX. Tit. XV.

(2) *Morte dampnetur.*) Parricidis jure Romano infligebatur pœna culei. Cod. Theod. loco in præcedente nota relato. Aniani interpretatio certe pro Romanis condita ſub Gothorum ditione degentibus eandem pœnam conſtituit: *facto de coreis ſacco, qui* culeus *nominatur, in quo cum miſſus fuerit, cum ipſo etiam ſerpentes claudantur: & ſi mare vicinum non fuerit, in quolibet gurgite projiciatur &c.* Capitula Iſidoro Juniori Epiſcopo Hiſpalenſi attributa, in quibus plurima dogmata Romani Juris traduntur, ex Tiliana editione hæc habent ſub finem: *Culeum . . . eſt uter ex corio factus, in quo parricidæ cum ſimia, & gallo, & ſerpente incluſi in mare præcipitantur.* Hæc præ cæteris ſingilatim notavi, quia idem recentius adhuc in Hiſpania ſervari ſcribit Villadiego, qui anno MDC. Gothicum Codicem edidit. " Parricidii pœna eſt, quod parricida mittatur vivus in culeo, vel arca cum cane vivo, & cum vipera, ſimia, & gallo, & ſic projiciatur in flumine. Et ita vidi in hac regia curia obſervari pluries, maxime in marito necante uxorem ſuam, & e contra in uxore, quæ maritum ſuum interfecerat, & etiam in matre, quæ filium ſuum infantem ſuffocavit. Verum eſt, quod priuſquam prædicta animalia introducantur in culeo cum delinquente ipſo, funiculo ſuffocatur, ut naturaliter moriatur. „ Villad. Comment. in hunc locum. At vero num eadem pœna ſub Gothis regibus edito Codice infligeretur, codex non exprimit, nec ego exprimere auſim.

(3) *Quod ſi propter hoc &c.*) Hinc uſque ad finem legis hæc Hiſpanicus habet: *E ſi por ventura el que lo mata fuyr a la Igleſia, y el Rey, o lo Senor lo quiſier librar de morte por piedat, ervíilo por ſiempre fora de la tierra, e toda ſua bona daquel que lo mato ayanla ſos herederos del morto, aſſi como es departido ena otra ley de ſuſo; e ſi el morto non ovier nengun pariente, aya la bona daquel deſterrado, el Rey: ca aquel que fizo el pecado, maguer que non prenda morte, non le deve fincar la bona.*

bet sibi propinquum, gravibus coactus injuriis, aut dum repugnat, occidit: & hoc idoneis testibus, quibus merito fides possit adhiberi, apud judicem potuerit approbare, quod parricidium, dum propriam vitam tuetur, admiserit, securus abscedat, nec ullum vitæ periculum, aut dispendia facultatum, vel tormenta formidet, illa discretione servata, quæ in cunctis casibus est de humicidis constituta.

XX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si servus servum casibus præscriptis occidat.

Si cunctis suprascriptis casibus, servus servum occidisse detegitur, omnem compositionis summam, quæ de casu tali est occisione taxata, servi dominus ex medietate domino servi persolvat. Quod si pro eo satisfacere contemnat, servum sine dubio tradat. (1)

LEGIS WISIGOTHORUM

LIBER SEPTIMUS

DE FURTIS ET FALLACIIS.

TITULUS I. De Indicibus furti.

I.

De indice, & his quæ indicare dicuntur.

JUdex reum qui accusatur antea non torqueat, quam ille qui accusat, si indicem præsentare noluerit, se per placitum trium testium roboratione firmatum ea conditione constringat, ut si is qui accusatus est, manifestis indiciis innocens comprobatur, ipse pœnam, quam alii intendit, excipiat; & tamen postquam innocentia patuerit accusati, accusator a judice distringatur, ut pro agnoscenda rei veritate, indicem præsentet invitus. Quem si præsentare nequiverit, saltem quis sit ex nomine manifestet, ut districtus a judice vera convincat esse quæ indicavit. Quod si eum ipse index [1] per alicujus potentis defensionem aut patrocinium, seu metu regiæ potestatis discussioni suæ præsentare non potuerit, ad regiam id cognitionem, si prope est, deferre procuret. Si autem longe est, Episcopo vel judici renuntiet (2), ut eorum major auctoritas, hunc judicio faciat præsentari. Quod si neglexerit nuntiare, de propria judicis facultate, omne quod periit, jussu Principis vel Episcopi atque judicis, querelanti restituatur. Index autem si non potuerit probare quod indicavit, pro omni satisfactione teneatur obnoxius. Quod si rei caussa est: si ingenuus est, cum infamia novecuplam, servus vero sexcuplam compositionem exsolvat, & centum insuper flagella idem servus accipiat. Quod si idem ingenuus unde componat non habuerit, & ei quem infamare tentavit, & ei cui mentitus est, pariter serviturus tradatur. Servus vero si compositionem pro se exsolvere non potuerit, aut si noluerit pro eo satisfacere dominus, servum pro reatu tradere non moretur.

II. ANTIQUA.

De non credendo indicanti servo, nisi cum domini testimonio.

Si servus sine conscientia domini sui aliquid indicaverit, aliter rei non credatur, nisi dominus pro persona servi testimonio suo dixerit esse credendum, de honestate mentis ejus proferens testimonium verum.

III. ANTIQUA.

Si index furti sit conscius.

Si index furti conscius comprobatur, nullam pœnam incurrat, sed dampnum absolutionis evadat. Mercedem vero pro indicio non requirat, cui sufficere debet, ut securus abscedat. Qui si forsitan rem quæ furtim ablata est, cum furti ipsius consorte diviserit, quæ in portionem suscepit, & apud se retinuit, sumpta tantum [2] restituat.

IV. ANTIQUA.

De mercede indicis.

Si quis furem prodiderit, si tamen furti ipsius conscius non est, non plus pro indicio accipiat, nisi quantum res valuerit, quæ furtim ablata est: si tamen domino rei compositio fuerit exsoluta. Sin autem talis sit forsitan conditio, ut necesse sit illum qui fur probatur occidi, & nihil de ejus facultatibus inveniatur: aut si servus fuerit, & dominus servi substantiam ejus suæ vendicet potesta-ti,

1 Pith. *judex*. 2 *Simpla tantum*.

(1) Post hanc legem alia additur in Hispanico tertio (nescio quo fato) repetita ex ea, quam tradidimus in nota ad Librum II. Tit. IV. Leg. 12.

(2) *Episcopo vel judici renuntiet.*) Hispanicus: *Digalo al Bispo, o al Senor de la tierra.* Anne pro *judici* legendum *Duci?*

ti, & in compositionem qui perdiderit res suas, nihil fuerit consecutus: tunc tertiam partem de reperta re, pro mercede indicii consequatur, & delator nil amplius jam requirat.

V. ANTIQUA.

Si innocens in quocunque crimine accusetur ab indice.

Quicunque accusatur in crimine, id est, veneficio, maleficio, furto, aut quibuscunque factis illicitis, accusator ejus concurrat ad Comitem civitatis, vel judicem, in cujus territorio est constitutus; ut ipsi secundum legem caussam discutiant: & cum cognoverint crimen admissum, reum Comes & judex comprehendant. Et si capitalia non admiserit, tunc ei cui reus est, aut componere compellatur, aut si non habuerit unde componat, serviturus tradatur. Si vero innocens approbatur, de judicio securus abscedat. Ille vero qui accusavit, & pœnam & dampna suscipiat, quæ debuit pati accusatus, si de crimine fuisset convictus. Comes tamen aut judex nullum discutere solus præsumat, ne aliquod possit esse colludium, ut innocens fortasse tormenta sustineat. Prius tamen pœnæ non subjaceat, quam aut sub præsentia judicum manifestis probationibus arguatur; aut certe, sicut in aliis legibus continetur, cum accusator inscribat: & sic in præsentia judicum superius nominatorum quæstionis agitetur examen.

TITULUS II. De furibus & furtis.

I. ANTIQUA.

Ut exponat quid quærit, qui furtivam rem se quærere dicit.

QUi rem furtivam requirit (1), quid quærat judici occulte debet exponere, ut ostendat per manifesta signa, quid perdidit: ne veritas ignoretur, si non evidentia signa monstraverit.

II. ANTIQUA.

Si servus ante datam, seu post datam libertatem faciat furtum.

Si quis in servitio constitutus furtum admiserit, & postea a domino suo fuerit manumissus, illa quæ antea admiserat, ad dampnum domini non pertineant; sed ipse sicut servus pœnam & dampnum legibus suscipiat constitutum, qui illicita perpetrasse dinoscitur. Quod si post datam libertatem hoc fecerit, ita ut servus & compositionem & centum flagella sustineat. Quod si tale factum non fuerit, propter quod servituti tradatur, in libertate accepta nihilominus permaneat.

III. ANTIQUA.

Si servus ad alium dominum transiens, quodcunque committat illicitum.

Si servus dum ad alium dominum transiens, aliquid de rebus prioris domini involaverit, aut abstulerit, seu quodcunque aliquid damnosum intulerit, dum pro crimine cupiditatis cupit addici, discutiatur a judice: & si hoc crimen admisisse convincitur, posterior dominus, si voluerit, pro servo dampnum compositionis exsolvat. Certe si noluerit; servus, secundum criminis qualitatem, tradatur ad pœnam.

IV. ANTIQUA.

Si ingenuus cum servo alieno faciat furtum.

Si quis ingenuus cum servo alieno in crimine inventus fuerit, ut furtum forsitan faciant, & aliquid rapiant, aut illicitum quodcunque committant; secundum superiorem legem medietatem ejusdem compositionis exsolvant, ita ut ambo publice fustigentur. Et si noluerit dominus pro servo satisfacere, ipsum servum pro compositione tradere non moretur. Quod si capitalia forte commiserint, simul servus cum ingenuo morte dampnetur.

V. ANTIQUA.

Si dominus cum servo suo faciat furtum.

Si dominus cum servo suo ad furtum faciendum ierit, hanc compositionem non servum sed dominum implere jubemus. Ita tamen ut dominus ejus juxta leges centum flagellis fustigetur. Servus autem ideo erit indempnis, quia domini jubentis obedivit imperiis.

VI. ANTIQUA.

Si servus alienus suadeatur ad illicita facienda.

Si quis servum alienum ad furtum faciendum, aut alias ad quascunque res illicitas committendas, vel etiam adversus se ipsum forte persuaserit, ut domino ejus perditionem

nem

(1) *Requirit.*) Mos nempe erat, ut damnum passus ex furto jus haberet ingredi domum, in qua rem furatam extare suspicio esset, ad rem ipsam perquirendam. Quo de more jam verba fecimus ad Leg. Burgund. Tit. XVI. lege I. Huc tantum addendum, morem ipsum veteribus Gothis cum Græcis, Romanis, Germanis, Norvegis communem fuisse, ut adductis testimoniis ostendunt Loccenius Antiq. Sveogoth. Lib. II. c. 6. & Ihre Glossarium V. *Iwi*. Quare antiquissimus esse videtur, & a vetustis Celtis & Scythis derivatus, cum tam semotæ & dissitæ gentes, inter quas aut vix ullum, aut penitus nullum in civilibus rebus extabat commercium, in hunc eundem morem conspirarent; imo & in eo exequendo circumspectiones quasdam servarent, quæ maximam inter se similitudinem præseferant. Qua de re vide citatos Scriptores.

nem exhibeat, quo facilius eum per malam & iniquam persuasionem ad suum servitium fraudulenter addicat, & fraus ipsa judicis fuerit investigatione detecta: dominus servi nec servum perdat, nec ullam calumniam pertimescat. Sed ipse cujus colludio vel suasione servus crimen admiserat, ut eum sibi per aliquam occasionem ad servitium potuisset addicere; ipsi ejus servi domino, quantum ille involaverit, aut quantum culpabilem rem admiserit, septuplam compositionem implere cogatur. Ipse autem servus in conventu publice centum flagella suscipiat, pro eo quod dominum suum despiciens insidianti consenserat, & sic postmodum domino suo servus reddatur.

VII. ANTIQUA.

De his qui cum furibus conscii fuerint.

Non solum ille qui furtum fecerit, sed etiam quicunque conscius fuerit, vel furtim ablata sciens susceperit, in numero furantium habeatur, & simili vindictæ subjaceat.

VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si de fure quis nesciens comparaverit.

Universam rem nulli ingenuo liceat de incognito homine comparare, nisi certe fidejussorem adhibeat cui credi possit, ut excusatio ignorantiæ auferatur. Quod si aliter fecerit, qui comparaverit, a judice districtus auctorem præsentet infra tempus sufficienter a judice constitutum. Et si fur ipse habuerit unde compositionem exsolvat, integram aut similem rem domino rei farciat: possideat autem emptor, si particeps fraudis non invenitur, secure quod emit: vel si dominus voluerit, rem furtivam sibi recipiat, & furem cum omni compositione furti tradat emptori. Si autem non habuerit fur, unde, sicut dictum est, compositionem domino aut emptori exsolvat, legibus institutus teneatur modus. Quem si non potuerit invenire, approbet se aut sacramento aut testibus innocentem, quod eum furem nescierit: & quod apud eum agnoscitur, accepta precii medietate, restituat. Atque ambo datis invicem sacramentis promittant, quod furem fideliter quærent. Quod si omnino fur inveniri nequiverit, rem tantum, quæ empta est, domino rei emptor ex integritate reformet. Si vero dominus rei furem noverit, & eum publicare noluerit, rem ex toto amittat, quam emptor quiete possideat. Hæc de servis forma servetur.

IX. FLS. RCDS. REX.

Si de fure quis cognitus comparaverit.

Si quis rem furtivam sciens a fure comparaverit, ille qui emit suum præsentet auctorem, & postea tanquam fur componere non moretur. Si vero furem non invenerit, duplam compositionem, quæ a furibus debetur, exsolvat: quia apparet & illum furi esse similem, qui rem furtivam sciens comparasse agnoscitur. Quod si servus hoc fecerit, aut medietatem compositionis de ingenuis persolvat, aut hunc serviturum dominus tradat.

X. ANTIQUA.

De pecunia & rebus Regis furto sublatis.

Si quis de thesauris publicis pecuniam aut aliquid rerum involaverit, & in usu suo transtulerit, novecuplum restituat.

XI. ANTIQUA.

De tintinnabulis furatis.

Si quis tintinnabulum involaverit de jumento vel bove, solidum reddat. De vacca tremisses duos. De berbicibus, vel quibuscunque pecoribus, tremisses singulos cogatur exsolvere.

XII. ANTIQUA.

De instrumentis molini furatis.

Si quis de molinis aliquid involaverit, quod furatum est restituat, & insuper componat, sicut de aliis furtis lege tenetur, & extra hoc centum flagella suscipiat.

XIII. FLS. RCDS. REX.

De dampno furis.

Cujuslibet rei furtum, & quantalibet precii æstimatione taxatum, ab ingenuo novies, a servo vero sexies, ei qui perdidit sarcietur, & uterque reus C. flagellorum verberibus coerceatur. Quod si aut ingenuo desit unde componat, aut dominus componere pro servo suo non annuat, persona quæ se furti contagio sordidavit, servitura rei domino perenniter subjacebit.

XIV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ut fur captus perducatur ad judicem, & ut ingenuus cum servo faciens furtum unam compositionem exsolvat.

Fur si captus fuerit, perducatur ad judicem: ita ut ingenuus novecuplo sublata restituat, & extensus publice coram judice centum flagella suscipiat. Quod si non habuerit unde componat, careat libertate, illi serviturus cui furtum fecerit. Servus autem sexcupli compositionem cogatur exsolvere, & centum flagella ante judicem extensus accipiat. Ipse vero in custodia a judice teneatur, quousque dominus ejus pro eo admoneatur, ut aut pro servo suo componere non moretur, aut si certe distulerit, eum pro crimine cui malum fecit, tradere non moretur. Id denique in hac lege servandum est, ut si

ut si servus & ingenuus, seu servi & ingenui, unum animal, aut quamcunque unam rem, pari consensu furaverint, unam compositionem exsolvant; id est ingenuus medietatem novecupli, & servus idem medietatem sexcupli: flagella tamen secundum superiorem ordinem accepturi. Nam & de majoris summa furti, a servo & ingenuo, vel servis & ingenuis facta, prædicta forma servabitur. Et quemadmodum superius constitutum est, ante judicem flagellandi sunt.

XV. ANTIQUA.

Si fur se gladio vindicans occidatur.

Fur qui per diem se gladio defensare voluerit, si fuerit occisus, mors ejus nullatenus requiratur.

XVI. ANTIQUA.

Si fur nocturnus, dum capitur, occidatur.

Fur nocturnus captus in furto, dum res furtivas secum portare conatur, si fuerit occisus, mors ejus nullo modo vindicetur.

XVII. ANTIQUA.

De malefactis & indebite contractis rebus; & ut tantum de illa re compositio fiat, quæ fuerit sublata.

Si quis res aut vestimenta aliena male tractaverit, aut in itinere constitutum in aliquo contigerit, vel furtim ei quodcunque sustulerit, non pro omni sarcina solutionem implere cogatur, sed de hoc quod furtim abstulit, vel male tractavit, secundum legem componere non moretur.

XVIII. ANTIQUA.

De his qui adversis naufragiis rapiuntur.

Quicquid de incendio, ruina, vel naufragio raptum fuerit, & aliquis ex hoc quicquam ab alio susceperit sive celaverit, in quadruplum reformare cogatur.

XIX. ANTIQUA.

De hereditate & successionibus furis.

Si quis furi mortuo in hereditatem, aut ex testamento, aut ex sanguinis propinquitate successerit, quia crimen cum fure defecit, pœnam quidem non sustineat, sed damni satisfactionem exsolvat, quod fur si vixisset fuerat soluturus. Si autem majus est dampnum quam hereditas, faciat cessionem.

XX. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui fures aut reos captos excusserint.

Si quis furem captum aut reum alicui excusserit, si majoris loci persona est, extensus coram judice pro sola præsumptione c. flagella suscipiat, & quem excussit repræsentare cogatur. Quod si alter eum prendiderit, cujus caussa non est, de ea compositione quam fur facere potuerat, pro labore suo quartam partem accipiat. Si autem fur inventus non fuerit, jam tunc & pœnam furis, qui hunc excussit, perferat, & tantum de suo ipse componat, quantum fur quem excusserat, convictus satisfacere potuerat. Si certe minor persona fuerit, & furem præsentaverit, pro præsumptione sola & ipse c. flagella suscipiat. Si autem furem invenire non potuerit, & pœnam furis & dampna ipse sustineat. Nam si præter furem alterius criminis quicunque reum excusserit, similiter c. flagella extensus accipiat; & si eum invenire vel præsentare nequiverit, eidem continuo vindictæ subjaceat, quam reum illum, qui excussus est, legalis sanctio pati demonstrat. Si vero servus domino nesciente ista commiserit, pro præsumptione sola cc. flagella suscipiat, & quem excussit præsentet. Quem si non præsentaverit, dominus ejus, si voluerit, pro eo summam compositionis exsolvat. Quod si componere noluerit, juxta crimen admissum, servum aut pro dampno, aut pro supplicio tradat.

XXI. ANTIQUA.

Si servus domino vel conservo fecerit furtum.

Si servus domino suo vel conservo aliquid involaverit, in domini potestate consistat, quid de eo facere voluerit; nec judex se in hac re admisceat, nisi dominus servi fortasse voluerit.

XXII. ANTIQUA.

Infra quod tempus fur captus judici præsentari jubetur.

Si quis furem aut quemcunque reum comprehenderit, statim perducat ad judicem. Ceterum suæ domui amplius quam una die ac nocte eum retinere non audeat. Si quis contra hoc fecerit, v. solidos pro sola præsumptione judici cogatur exsolvere. Et si servus hoc sine domini sui conscientia fecerit, c. flagella suscipiat. Si vero servus cum domini voluntate id commiserit, compositio redundet ad dominum. Ita ut si honestioris loci persona est, x. solidos judici cogatur exsolvere: ex quibus medietatem sibi judex usurpet, aliam vero medietatem illi det, qui dampnum noscitur pertulisse.

XXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si furtive alienus quadrupes occidatur.

Si quis caballum alienum, aut bovem, aut quodlibet animalium genus nocte aut occulte occidisse convincitur, novecupli compositionem dare cogatur. Quod si convinci non potuerit, quod talia fecerit, sacramentum

tum evidentiſſime dabit. Si vero hoc ſervus immittente domino commiſerit, & hoc ex manifeſtis indiciis invenitur, dominus ſervi tanquam fur novecupli compoſitionem implere cogatur. Quod ſi ſervus non convincitur, inſcribatur: & cum inventus fuerit talia commiſiſſe, aut ſexcuplum reddat, aut cui dampnum fecerit, ipſe ſerviturus ſubjaceat. Quod ſi innoxius fuerit inventus, juxta quod aliis legibus eſt decretum, ſatisfaciat petitor domino ſervi.

TITULUS III. De uſurpatoribus & plagiatoribus mancipiorum.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis mancipium alienum uſurpet.

QUicunque ingenuus mancipium uſurpaverit alienum, ejuſdem meriti mancipium alterum cum eo compellatur domino reformare. Si vero ſervus hoc fecerit, ipſum mancipium illi domino reddat, & centum flagella ſuſcipiat. Quod ſi uſurpatum mancipium præſens non fuerit, dominus ſervi ejuſdem meriti mancipium illi domino det, qui mancipium amiſit, donec qui ablatus eſt reſtituatur, & ſic ille qui pro eo donatus fuerat, ſerviturus domino reformetur.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si ſervum vel ancillam ingenuus plagiaſſe detegatur.

Si quis ingenuus ſervum alienum vel ancillam alienam plagiaverit, quatuor ſervos vel quatuor ancillas domino dominæve reformare cogatur, & centum flagellis publice verberetur. Quod ſi non habuerit unde componat, ipſe ſubjaceat ſervituti.

III.

De ingenuorum filiis plagiatis.

Qui filium aut filiam alicujus ingenui vel ingenuæ plagiaverit, aut ſollicitaverit, & in populos noſtros, vel in alias regiones transferri fecerit, hujus ſceleris auctor patri aut matri fratribuſque ſi fuerint, ſive proximis parentibus, in poteſtate tradatur, ut illi occidendi aut vendendi eum habeant poteſtatem. Aut ſi voluerint, compoſitionem homicidii ab ipſo plagiatore conſequantur, id eſt ſolidos CCC.[1] quia parentibus venditi aut plagiati non levius eſſe poteſt, quam ſi homicidium fuiſſet admiſſum. Quod ſi eum ex peregrinis ad propriam regionem potuerit revocare plagiator, CL.[2] ſolidos, hoc eſt medietatem homicidii exſolvat. Aut ſi non habuerit unde componat, ipſe ſubjaceat ſervituti.

IV.

Si ſervus plagiaverit ſervum alienum.

Si ſervus ſervum plagiaverit alienum domino neſciente, ſervus qui hoc fecerit, CL. flagella coram judice extenſus accipiat, & ſic etiam poſtmodum qui plagiatus eſt domino reformetur. Ille vero cujus ſervus plagiatus fuerat, mercedem capturæ a plagiatoris domino non requirat. Ita tamen ut ſi fortaſſe qui plagiatus eſt tarde reperiatur, plagiatoris dominus aliud ejuſdem meriti mancipium, aut etiam eundem plagiatorem ei, cujus ſervus vel ancilla plagiata eſt, dare compellatur, tamdiu ſibi ſerviturum, quamdiu ſuus ſervus aut ancilla ei reſtituatur; & ita ille poſtmodum domino reformetur.

V. ANTIQUA.

Si ſervus ingenuum plagiaverit domino imperante.

Si ſervus ingenuum plagiaverit ex domini juſſione, ipſe dominus compoſitionem, quæ eſt de ingenuis conſtituta, compellatur implere. Ita ut dominus centum flagella publice ſuſcipiat, & ſervum juſſa domini complentem moleſtia non attingat.

VI. ANTIQUA.

Si ſervus ingenuum plagiaverit domino neſciente.

Si ſervus ſine conſcientia domini ſui ingenuum plagiaverit, parentibus plagiati ſine aliqua dilatione tradatur, ut quod de eo facere voluerint, in eorum conſiſtat arbitrio. Quod ſi qui plagiatus eſt reduci potuerit, & dominus pro ſervo componere voluerit, libram auri pro injuria ingenui dabit.

TITULUS IV. De cuſtodia & ſententia damnatorum.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si judex pro crimine interpellatus poſtea contemnatur.

Si quis pro furto interpellaverit judicem, & eum contemnens poſtea ſine conſcientia ejus aliquid dederit, vel ab eo in compoſitionem acceperit, pro præſumptione ſua V. ſolidos judici invitus exſolvat. Quod ſi hoc ſervus ſine conſcientia domini ſui fecerit, centum flagella ſuſcipiat, & dominus ſervi nullam calumniam pertimeſcat. Nam ſi cum domini voluntate hoc fecerit, ipſe dominus compoſitionem ſuperius comprehenſam compellatur exſolvere.

II.

1 Al. *quingentos.*

2 Al. *CCL.*

II.

Ut Comes judici auxilium præbeat pro comprehendendis in crimine accusatis.

Quotiens Gothus seu quislibet in crimine, aut in furto, vel aliquo scelere accusatur, ad corripiendum eum judex insequatur (1). Quod si forte ipse judex solum illum comprehendere, vel distringere non potest, a Comite civitatis quærat auxilium, cum solus sibi sufficere non possit. Ipse tamen Comes illi auxilium dare non moretur, ut criminis reus insultare non possit.

III.

Si carcerem quis frangat, aut custodi persuadeat.

Si quis carcerem fregerit, aut custodi persuaserit, vel ipse carcerarius aut custos quos compeditos habuit, sine judicis jussione aliqua fraude laxare præsumpserit, eandem pœnam vel damnum, quod ipsi rei fuerant excepturi, sustineant.

IV.

De tollendis commodis ab his, qui in custodia retinentur.

Judex si aliquos in custodia retinuerit, vel hi qui reos capiunt aut custodiendos accipiunt, ab his quos in custodia miserint innocentes, cathenaticii (2) nomine nil requirant, nec pro absolutione eorum aliquid beneficii consequantur. Quos vero culpabiles in custodia retinuerint, per singulos quos capiunt, singulos tremisses sibi præsumere non vetentur. Si vero talis sit fortasse conditio, ut ille qui captus fuerat, ad exsolvendam compositionem relaxetur, ipse judex eandem compositionem cogatur implere. Quæ cum ad eum, cui debetur ad integrum, ipso insistente pervenerit, pro labore suo decimum consequatur. Si quis amplius quam nos statuimus, accipere fortasse præsumpserit, ei cui abstulit reddat in duplum.

V. ANTIQUA.

Si judex criminibus favens criminosum absolvat.

Si judex quolibet beneficio corruptus aliquem innocentem occiderit, simili morte dampnetur. Si vero eum qui morte dignus est criminosum absolverit, septuplum quantum pro ejus absolutione acceperat, illi cui erat culpabilis, cogatur exsolvere. Et de judiciaria potestate repulsus, infamis a sibi successore judice distringatur, ut eum quem relaxavit, præsentet in judicio, qualiter de crimine convictus pœnam excipiat, quam meretur.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De dampno judicis, criminosum indebite absolventis.

Judex criminoso non parcat pro patrocinio aut amicitia alicujus. Nam si favens criminibus non judicaverit innocentem, & absoluerit criminosum, non quidem moriatur aut debilitationem corporis patiatur, sed tam pro homicidio, quam pro omni negotio, summam compositionis exsolvat.

VII. ANTIQUA.

Ut reus non in absconso, sed publice percipiat sententiam legis.

Judex quotiens occisurus est reum, non in secretis aut in absconsis locis, sed in conventu publice exerceat disciplinam.

TITULUS V. De falsariis scripturarum.

I.

De his qui regias auctoritates & præceptiones falsare præsumpserint.

HI qui in auctoritatibus nostris vel præceptionibus aliquid mutaverint, demerint, substraxerint aut interposuerint, vel tempus aut diem mutaverint sive designaverint, & qui signum adulterinum sculpserint vel impresserint: persona honestior mediam par-

(1) *Judex insequatur.*) " Facit textus hic, ait Villadiego in hunc locum, quod quando judex, vel officialis non habet sufficientem familiam ad capiendum reum, vel malefactorem, vel ad exequendam justitiam, potest impetrare brachium, vel auxilium alterius judicis, & adclamare dicens: *Aqui del Rey*; & tunc alter judex, imo quilibet alius, tenebitur ei præstare suum auxilium. „ Hæc ex Villadiego refero, quod Gothicam, seu Septemtrionalem antiquitatem sapiant. Aliquam quippe hæc habent analogiam cum clamore *Haro*, quem adhuc in Normannia usitatum ferunt, qui veteribus Normannis refertur acceptus, & cujus mentio fit in Codice Consuetudinum Normannicarum. *Haro* inclamabatur *in discrimine criminoso*. Part. I. cap. LVI. *Ad hunc autem clamorem omnes debent exire, qui illum audierint, & si maleficium vitæ vel membrorum periculosum viderint, vel latrocinium, propter quod malefactor pœnam deberet reportare amissionis vitæ, vel membrorum; ipsum debent retinere, vel clamorem supradictum post ipsum increscere, & levare.* Porro de significatione vocis *Haro* variæ sunt Interpretum sententiæ. Schilterus inter cæteros putat, *Haro* Latinis esse *huc*. Thesaur. Antiquit. Teuton. Tomo III. pag. 455. Atque ejus certe sententia respondet parallelæ ferme allegatæ consuetudini Judicum Hispanorum inclamantium: *Aqui del Rey*.

(2) *Cathenaticii.*) Vel quod *catenarum* nomine solvendum erat *commentariensi*; vel quod pro jure pessuli, quod nos *jus clavium* dicimus, penderetur.

tem facultatum suarum amittat, fisco modis omnibus[1] profuturam: minor vero persona manum perdat, per quam tantum crimen admisit. Quod si contingat illos auditores vel judices mori, quibus audientia vel jussio destinata fuerat: aut Episcopo loci, aut alio Episcopo, vel judicibus vicinis territorio illius, ubi jussum fuerat, negocium terminare liceat, & datam præceptionem offerre, & eorum judicio negocium legaliter ac justissime ordinare.

II. FLS. CHDS. REX.

De his qui scripturas falsas fecerint, vel falsare tentaverint.

Si quis scripturam falsam fecerit, aut recitaverit, vel supposuerit sciens, vel in judicium protulerit, & qui veram suppresserit, subtraxerit, disruperit, & designaverit, aut diluerit, & quisquis signum adulterinum sculpserit, fecerit vel impresserit, talium scelerum rei, eorumque conscii, dum fuerint publicati: si potentiores sunt, quartam partem facultatum suarum amittant. Si vero alieno juri debitam scripturam subtraxerint aut vitiaverint, eandem scripturam subtraxisse vel vitiasse coram judice sua professione depromant: quæ professio a testibus roborata prædictæ vel vitiatæ scripturæ robur obtineat. Quod si evidentissime quid scriptura continuerit, recordari non potuerit, tunc ille cujus scriptura fuit, habeat licentiam comprobare per sacramentum suum aut testem, quid ipsa scriptura continuit evidenter; & ita datum veridice testimonium, scripturæ reparet veritatem. Si vero minor extiterit facultas eorum, quam quod alii facere conati sunt damnum: ipsi procul dubio, cum his quæ habere videntur, ejus servituti subjiciantur, cui fraudem fecisse noscuntur. De quarta vero parte, quam dari præcipimus, Principe ordinante vel judice tres portiones ille accipiat, qui damnum pertulit, aut pati potuerit: quarta vero regiæ potestati servetur, ut quid exinde fieri debeat, in arbitrio ejus consistat. Humiliores sane vilioresque personæ, qui talia detecti fuerint commisisse, & juxta superiorem ordinem conscribere debebunt professionem, & perpetuo cui fraudem fecerint, addicantur ad servitutem. Insuper autem tam humiles, quam potentes personæ, centenis flagellorum erunt verberibus coercendæ. Quod si servi hoc fecerint, & eos alieni juris esse patuerit, illis consignentur perenniter servituri, quibus scripturam subtraxisse, aut celasse, vel læsisse, fuerint approbati. Quod si jubentibus dominis suis talia fecerint, omne damnum redundet ad dominum. Ita etiam & de his præcipimus observari, qui lucro suo studentes, aliena testamenta vel alias scripturas suppresserint aut vitiaverint, ut his quibus competunt, impedire aliquid possint: & hi similiter tanquam falsarii teneantur, & juxta qualitatem personæ superiori damno mulctentur. Quod si de supra taxatis capitulis nil videatur accidere, id est, qui scripturam alterius reperiatur vitiasse, disrupisse, falsasse, celasse, vel si quid in hac lege constitutum est, admisisse: sed sola negligentia, casu atque incuria, suam quisque perdiderit scripturam, vel sibi dixerit fuisse ablatam; si testis qui in eadem scriptura subscripsit, adhuc superstes existit, per ipsum poterit coram judice omnis ordo scripturæ perditæ reparari. Quod si testem ipsum qui in ea scriptura subscriptor accessit, mortuum esse contigerit; tunc si legitimi & cognitiores reperti fuerint alii testes, qui eandem scripturam se dicant vidisse, & omnem textum vel firmitatem ejusdem scripturæ plenissime nosse, similiter publica judicum investigatione, per eorum testimonium ille qui scripturam perdidit, poterit suum reparare, & percipere veritatem.

III.

De his qui sub nomine Regis aut judicis commonitoria falsa sive finxerint sive detulerint.

Qui falsa (1) commonitoria sub nomine Regis sive judicis nesciens protulerit, non incurrat falsitatis invidiam, sed eum qui commonitorium dederit, non moretur ostendere. Quod si eum noluerit nominare, aut quod ab eo commonitorium acceperit, noluerit approbare, pro qualitate personæ, ipse reatum falsitatis incurrat, sicut superius continetur de his, qui falsas scripturas confecerint. Quod si ambo falsitatis conscii habeantur, ambo falsarii teneantur.

IV.

De his qui testamentum contra viventis voluntatem aperuerint.

Qui viventis testamentum, aut ordinationis ejus quamcunque scripturam, contra ipsius falsaverit vel aperuerit voluntatem, ut falsarius judicetur.

V.

De his qui voluntatem defuncti celare vel falsare tentaverint.

Qui defuncti celaverit voluntatem, aut in eadem aliquid falsitatis intulerit, lucrum quod

1 *Fisci commodis.*

(1) *Qui falsa &c.*) Hæc lex aliquantulum varians in Hispanico sic effertur: *Quien mostra falso escripto, o falso mandado del Rey non lo sabiendo, non deve ser tenudo por falsario; e si podier provar aquel que le lo dio, aquel deve recibir la pena que es de suso dicha, que deven aver los que fazen falsos escriptos; e si ambos lo sobieren, ambos sean penados como falsos.*

quod forsitan judicio testatoris per ipsam scripturam fuerat habiturus amittat, illis quibus fraudem facere conatus est profuturum, & insuper pro falsitate ferat infamiam. Nam si parvam aut nullam rem exinde consequi potuisset, ut falsarius condemnetur.

VI.

Si quisque sibi nomen falsum imponat, aut parentes vel genus mutet.

Qui sibi nomen falsum imponit, vel genus mutat, aut parentes finxerit, aut aliquam imposturam fecerit, reus falsitatis habeatur.

VII. FLS. CHDS. REX.

De callide & fraudulenter anterioribus scripturis confectis.

Quorundam sæpe calliditas exigit, ut novæ sanctionis constituamus edictum, dum eorum nova & abhorrenda fraudis molimina in aliorum deceptionem concinnata cognoscimus. Proinde quia sunt plerique tanto alios circumveniendi studio dediti, ut sub unius caussæ nomine in multis capitulis per scripturæ seriem interdum aliquos obligent, hujus perpetim valituræ legis constitutione decernimus: ut quicunque cum alio de negotio speciali definiens, generalem scriptis constitutionem subintroduxerit, atque ita circumvenerit aliquem: ut dum de una caussa sit convenientia, callide per scripturam intexat, unde omnem de aliis negotiis alterius vocem extinguat: vel etiam fortasse proveniat, ut non quidem per scripturam, sed sub aliis verbis aliud simulans, quicunque aliquem dolose ac fraudulenter in quocunque decipiat; hujus rei præsumptor, & publice notetur infamia, & ei quem circumvenerit manens obnoxius, eandem quæ de falsariis lata est, censuram legis incurrat. Simili quoque dampno vel pœna multandi sunt, qui propter evacuandam fraudulenter posteriorem scripturam, per anteriorem scripturæ seriem res easdem, quas posterior scriptura continet, in alterius nomine callide obligasse reperiuntur. Ita ut tam ille, qui sub hac fraude talem scripturam fecisse detegitur, quam ille in cujus nomine factam fuisse constiterit, si conscius fraudis hujus invenitur, eadem, qua supra taxatum est, & in rebus & in corpore jactura dampnetur; & evacuata priori scriptura, firma nihilominus posterior habeatur.

VIII. FLS. CHDS. REX.

De callide & fraudulenter posterioribus scripturis confectis.

Non immerito cogitur debitum heredis exsolvere, qui successor hereditatis noscitur extitisse. Quia ergo nullius fraudis necesse est occasionibus excusari, hujus perpetim valituræ legis sanctione censemus: ut quicunque cuilibet per cujuscunque scripturæ contractum res quascunque dederit, quæ tamen reperiantur quandoquidem, aut non ejus juris fuisse qui dedit, aut id quod dedisse videtur, per priorem scripturam, aut quamcunque definitionem, in cujuscunque prius nomine obligasse, & sub quodam argumento id postmodum alteri dedisse, aut quod suum non erat, aut jam prius alteri dederat, dum fraudis hujus commentum manifeste patuerit: ipse quidem qui fecit, si superstes est, & promissionem & pœnam, quam ab eo edita scriptura testatur (1), supplere cogendus est. Si vero post ejus obitum eadem, quæ prædicta est, fraus inveniri poterit, id quod auctor spopondit de re ejus, aut heredes cum pœna etiam scripturæ compellendi sunt petenti persolvere. Aut si fortasse major est auctoris sponsio vel pœna per scripturam taxata, quam esse constat ejus hereditas, si noluerint heredes satisfacere pro auctore, de eo saltim quod ex rebus ejus possident, cogendi sunt causidico facere cessionem. Quod si heredes non sint, ab iis quibus res ipsa vel facultas, quæ relicta est, possessa fuerit, universa reddi juxta præsentem sententiam oportebit. Eadem etiam in caussis talibus ratione servata, ut si repertum fuerit, conscio illo eandem fraudem intercessisse, in cujus nomine prior scriptura conscripta dinoscitur, tam ille qui fecit, quam ille qui conscius extitit, ad satisfactionem promissionis vel pœnæ quam posterior scriptura continet, secundum superiorem ordinem æqualiter teneantur: atque etiam juxta tenorem superioris legis, de his qui falsas scripturas confecerint, in corporibus & in rebus dampna pariter sortiantur. (2)

(1) *Scriptura testatur.*) In ejusmodi Instrumentis, seu scripturis, pœna seu mulcta taxabatur persolvenda ab iis, qui contra ipsas agebant. Hæc autem pœna inter Barbaros cæteroquin esse consueverat, non tantum conventionalis, inter contrahentes, vel eorum hæredes, sed infligebatur & cuicumque extraneæ personæ eam pactionem violaturæ. Vide dicta ad Legem Alamann. Tit. I. Lege 2.

(2) Post hanc octavam legem, aliam quoque exhibet Hispanicus, hisce verbis: *Los males de dalgunos omes nos fazen poner ley para los que son de venir, e que aquellos que se non quieren castigar por paraula, si al que non, que se castigue por la pena de la ley: e porque vimos ya algunos que escrevian leyes del Rey falsamentre, e que las alegavan falsamentre, o que las fazian escrevir a los notarios por las confirmar, onde metian mochas cosas en nuestras leyes, e escriven, que non eran ordenadas por nos, nen eran convenibles a nostro pueblo, nen provechosas; e que fazen gran dano a nostro pueblo. Porende defendemos en esta nova ley, que nengun ome daqui adelantre, si non fur escrivan comunal del pueblo, o del Rey, o atal ome a que mande el Rey, que non ose alegar falsas constituciones, nen falsos escri-*

Titulus VI. De Falsariis Metallorum.

I. Antiqua.

De torquendis servis in capite dominorum pro corruptione monetæ: & eorum mercede, qui visi extiterint revelasse.

Servos torqueri pro falsa moneta in capite domini dominæve non vetamus, ut eorum tormentis veritas facilius possit inveniri. Ita ut si servus alienus hoc prodiderit, & quod prodiderit verum extiterit, si dominus ejus voluerit, manumittatur, & domino ejus a fisco precium detur. Si autem noluerit, eidem servo a fisco tres auri unciæ dentur. Si vero ingenuus fuerit, sex uncias auri pro revelata veritate merebitur.

II. Fls. Gls. Rcds. Rex.

De his qui solidos aut monetas adulteraverint.

Qui solidos (1) adulteraverit, circumciderit sive raserit, ubi primum hoc judex agnoverit, statim eum comprehendat: & si servus fuerit, eidem dextram manum abscindat. Qui si postea in talibus caussis fuerit inventus, Regis præsentiæ destinetur, ut ejus arbitrio super eum sententia depromatur. Quod si hoc judex facere distulerit, ipse de rerum suarum bonis quartam partem amittat, quæ omnimodis fisco proficiat. Quod si ingenuus sit qui hæc faciat, bona ejus ex medietate fiscus acquirat: humilior vero statum ingenuitatis suæ perdat, cui Rex jusserit, servitio deputandus. Qui autem falsam monetam sculpserit sive formaverit, quæcunque persona sit, simili sententiæ & pœnæ subjacebit.

III. Antiqua.

De his qui acceptum aurum alterius metalli permixtione corruperint.

Qui aurum ad facienda ornamenta susceperit, & adulteraverit, sive æris aut argenti, vel cujuscunque vilioris metalli permixtione corruperit, pro fure teneatur.

IV. Fls. Gls. Rcds. Rex.

Si quorumcunque metallorum fabri de rebus creditis reperiantur aliquid subtraxisse.

Aurifices, argentarii, vel quicunque artifices, si de rebus sibi commissis aut traditis aliquid subtraxerint, pro fure teneantur.

V. Antiqua.

Ut aureum solidum integri ponderis nemo recuset.

Solidum aureum integri ponderis, cujuscunque monetæ sit, si adulterinus non fuerit, nullus ausus sit recusare, nec pro ejus commutatione aliquid monetæ requirere, propter hoc (2) quod minus forte pensaverit. Qui contra hoc fecerit, & solidum aureum sine ulla fraude pensantem accipere noluerit, aut petierit pro ejus commutatione mercedem, districtus a judice, ei cui solidum recusaverit, tres solidos cogatur exsolvere. Ita quoque & de tremisse (3) servandum.

LE-

---

escriptos del Rey, nen escrevir, nen dar a nengun escrivan falsamentre, mas los escrivanos del pueblo, o los nostros, o quien nos mandarmos, las escrivan, e las leyan las nuestras constituizones, e non otre: e si algun ome far contra este nostro defendemento, si quier sea libre, o servo, el juyz le faga dar dozientos açotes, e sea senalado laydamentre, e faganle demas cortar el pulgar destro, porque vieno contra nostro mandado, e contra nostro defendemento.

(1) *Qui solidos &c.*) Covarruvias de Vet. numm. cap. VI. n. 4. & Villadiego Comment. in lib. II. Tit. I. Leg. 17. Hispanici Codicis ex superstitibus aureis nummis Gothorum colligunt, eos ad solidorum Romanorum pondus exactos fuisse; atque inde Gothicam auri libram LXXII. solidis computatam fuisse valde pronum est credere, prout inde a Valentiniano Seniore apud Romanos constitutum erat. Cod. Theodos. Lib. XII. Tit. VI. Lege 13. & Cod. Justinian. Lib. X. Tit. LXX. Lege 5. Consule Gothofr. in Cod. Theodos. Lib. VII. Tit. XXIV. lege I. In Hispanico hic, & non semel, solidi interpretantur *Moravidis*, vel *Maravidis*. Ergo hi *Marabotini*, vel *Marapetini* integrum aureum solidum quondam referebant; imo ego reor vocem ipsam Gothicam esse, atque a Gothis usurpatam, & Gothica lingua eandem pene significationem exhibuisse, quam Latino sermone exhibet solidus. *Fetz*, *vod*, *vodde*, *&c.* prout hæ voces varie juxta varias Germanicas dialectos efferuntur, non secus ac vox Latino-Barbara *petia*, significant laciniam, frustum, segmentum. Et *mer*, *mara*, *mera*, *mere &c.* est vocula augens tum qualitatem, tum quantitatem, ceu continuam, ceu discretam. Quare si inde derivemus vocem *Maravidi*, ea verbotenus ferme indicabit idem, ac quod Italice de monetis dicimus: *pezzo duro*, *pezza grossa*, *pezza forte*. Quod tamen ulterius discutiendum relinquo iis, qui linguas Germanicas veteres exactius callent.

(2) *Propter hoc &c.*) Hispanicus: *Fuera si pesar menos*. Legendum: *præter hoc*. Quam lectionem ipse legis sensus confirmat.

(3) *De tremisse.*) Et hæc solidi in tremisses divisio quamplurimis Barbaris gentibus usitata, ut ex earundem legibus apparet, ex moribus & jure Romanorum deprompta videtur, qui eadem solidi divisione utebantur. Vide Cod. Theodos. lib. VII. Tit. VI. lege 4, ibique Gothofredum. Observo, huc de tremisse tantum fieri mentionem, quod argumento est, hanc unam solidi divisionem Gothis innotuisse. Etenim si aliæ quoque solidi partes extitissent, ut semissis, quadrans &c. huc memorandæ erant. Recenset Covarruvias de vet. nummis cap. VI. n. 4. superstitem monetam sub Vuitiza Rege cusam, inscriptione notatam: *Vuitigis Rex*; & ex adverso: *Toleto pius*. Villadiego Comment. in hunc Titulum aliam a se visam asserit inscriptam: *Egica Rex*; & ex adverso: *Toleto pius*.

LEGIS WISIGOTHORUM
LIBER OCTAVUS
DE INLATIS VIOLENTIIS ET DAMPNIS.

TITULUS I. De invasionibus & direptionibus.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ut solus patronus vel dominus culpabiles habeantur, si eisdem jubentibus ingenuus vel servus inlicita operentur.

HOc principaliter generali sanctione censetur, ut omnis ingenuus, atque etiam libertus aut servus, si quodcunque inlicitum jubente patrono vel domino suo fecisse cognoscitur, ad omnem satisfactionem & compositionem patronus vel dominus obnoxii teneantur. Nam qui ejus jussionibus obedientiam detulerunt, culpabiles haberi non poterunt, quia non suo excessu, sed majoris imperio id commisisse probantur.

II. ANTIQUA.

Si possessor per violentiam expellatur.

Quicunque violenter expulerit possidentem, priusquam pro ipso judicis sententia procedat, si caussam meliorem habuerit, ipsam caussam de qua agitur perdat. Ille vero qui violentiam pertulit, universa in statu quo fuerant recipiat quæ possedit, & securus teneat. Si vero illud invasit, quod per judicium obtinere non potuit, & caussam amittat, & aliud tantum, quantum invasit, reddat expulso.

III. ANTIQUA.

Si ad faciendam cædem turba coadunetur.

Qui ad faciendam cædem turbas congregaverit, aut qui seditionem alteri, unde contumeliam corporis sentiat, fecerit vel faciendam incitaverit, aut præceperit; mox ut judex crimen agnoverit, eum comprehendere non moretur. Ita ut captus hujus sceleris infamia notatus, extensus publice coram judice sexaginta flagella suscipiat, & omnes qui cum eo venerint, vel qui id fecerint, nominare cogatur. Ut si in ejus patrocinio non sunt, unusquisque ingenuorum L. flagella suscipiant: servi autem hujus criminis socii, si alterius domini sunt, singuli in conventu publico, ad aliorum terrorem extensi, coram judice CC. ictus accipiat flagellorum.

IV. FLS. GLS. CHDS. REX.

Si intra domum vel januam suam violenter aliquis includatur.

Quicunque dominum vel dominam intra domum, vel cortis suæ januam violenter incluserit, eisque aditum egressionis negaverit, sive ut id fieret aliis præceperit, pro ausi temeritate auctor sceleris det domino vel dominæ auri solidos numero XXX. & insuper centum flagella suscipiat. Hi vero qui malis voluntatibus ejus consenserint, auxiliumve ut hoc fieret præstiterint, si in ejus patrocinio non sunt, singuli ingenuorum quindenos solidos illis, quibus violentiam intulerunt, cogantur inferre, & pro admissi præsumptione centena flagella suscipiant. Servi autem si id domino vel domina non jubente commiserint, ducentos ictus accipiant flagellorum. Si vero ita dominus vel domina a violento vel præsumptore extra suam domum vel januam excludatur, ut continuo, quod est gravius, potestas ejus ab ea domo, vel familia, cæterisque rebus auferatur, commissor sceleris damnum invasionis incurrat, atque etiam centum ictus accipiat flagellorum. Ingenui autem hujus criminis socii, si in ejus patrocinio non sunt, centum flagella suscipiant, & singuli XXX. solidos cogantur exsolvere, illis procul dubio profuturos, quibus hanc injuriam intulisse noscuntur. Quod si hoc servi ignorantibus dominis sua sponte commiserint, servi pœnam sustineant superius comprehensam, domini vero nihil injuriæ vel detrimenti perferant. Idipsum etiam patiantur, qui domum alienam sua auctoritate, sine Regis vel judicis jussione, apprehendere, describere (1), aut obsignare præsumpserint.

V.

---

pius. Cum nonnisi de solido, & tremisse agatur, ex earum pondere pondus aurei solidi facile colligere fuit. Ex auro autem impuro, & *de muy baxa ley* illas conflatas fuisse jam dictum est in notis ad Leg. Burgund. Addit. II. lege 6. Prætereundum non est, quod qui in Latino Codice *tremissis* dicitur, in Hispanico haud semel vertitur, *meaya del oro*. Ut inde colligamus, monetam, quæ *medalea*, sive *metallica* appellari consuevit, non dimidio solido, ut quibusdam placuit, sed tertiæ solidi parti æquipollentem extitisse.

(1) *Describere*.) Heineccius Elem. Jur. Germ. lib. II. art. 212. in nota ex quodam veterum more colligit, quod *describere domum* idem esse videatur, ac titulum domui affigere, quo dominus ejus exprimeretur. Atqui locus, quem exponimus, aptius de repertorio aut synopsi, atque obsignatione rerum in aliena domo existentium privata auctoritate facta congrue intelligitur. Cui explicationi favet & Hispanicus: *escriven lo que fallan en ela*.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ut nulla res ab alio possessa absque judicio usurpetur.

Nullus Comes, vicarius, villicus, præpositus, actor aut procurator, seu quilibet ingenuus, atque etiam libertus, aut servus, rem quæ ab alio possidetur, post nomen regiæ potestatis, vel dominorum suorum, ausu usurpare præsumat ante judicium. Quod si non expectata discussione id quod ab alio possidetur, aut juris alterius esse dignoscitur, invaserit, omne quod abstulit & præsumptuosus invasit, tam in mancipiis quam in ceteris rebus, in duplum ei restituat, de cujus rure visus est abstulisse, ac singulorum annorum fruges, quas inde fideliter collegisse juraverit, petitori compellatur exsolvere. Et tamen si servus absque domini voluntate hoc fecerit, CC. insuper extensus flagella suscipiat. Ita ut si dominus pro rei duplatione noluerit satisfacere, rem quæ ablata est in eo statu cum frugibus restituat, & eundem servum pro facti temeritate insistente judice ei, cujus res invasit vel abstulit, serviturum tradere non desistat. Omnimodis tamen erit sollicite perquirendum, ne qualibet suasione, vel fraudis alicujus commento, idem servus cum illius domini voluntate hoc fecerit, cujus rem ablatam esse constiterit: & si ita repertum fuerit, juxta legem aliam dominus qui suasit, vel malum fieri fraudulenter permisit, quantum servus tulerat, septuplum dominus rei domino servi persolvat, & servum suum dominus ejus securus possideat.

VI. ANTIQUA.

Si ad diripiendum quisque alios invitasse reperiatur.

Si quis ad diripiendum alios invitaverit, ut cujuscunque rem evertant, aut pecora vel animalia quæcunque diripiant, illi cujus res direpta est, in undecuplum quæ sublata sunt restituantur. Hi vero qui cum ipso fuerint, si ingenui sunt, quinos solidos componere compellantur. Aut si non habuerint unde componant, L. flagella suscipiant. Si vero servi hoc sine domini voluntate commiserint, CL. flagellis verberentur, & ab eis res omnis in statu suo reddatur.

VII. ANTIQUA.

Ne absente domino, vel in expeditione publica constituto cujusquam domus inquietetur.

Nullus domum inquietet absentis, nec in expeditione publica constituti: & si quod per judicium recipere potuisset, absente eo quem fuerat conventurus, invaserit, reddat in duplum. Si vero invaserit, quod per nullum judicium ei debebatur, reddat in triplum. Si quis autem antequam in expeditionem proficiscatur, ad negotium dicendum judicis fuerit ammonitione conventus, aut per se caussam dicere non moretur, aut per mandati scripturam personam eligat, quæ adversario suo judice præsente respondeat. Quod si nec mandatum dederit, nec respondere voluerit, & sic in expeditionem profectus caussam non dixerit, postquam fuerit conventus a judice, judex adversario suo, quæ repetebat, jubeat reformari. Illi tamen dum reversus fuerit, actio reservetur.

VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si aliquid inlicitum faciant servi ejus, qui in expeditione est publica constitutus.

Si illius servi, qui in publica expeditione est constitutus, in aliquo crimine aut inlicito facto præventi extiterint vel detecti, a judice corripiantur, & secundum legem juxta qualitatem culpæ dampnentur. Quod si res ad componendum, & ad eosdem servos tradendos fuerit, in custodia teneantur a judice, donec dominus veniens, aut compositionem, si voluerit, adimpleat: aut si noluerit, eos evidentius tradat. Si vero servus injuste occisus fuerit, aut subditus quæstioni, contra judicem dominus servi, cum reversus fuerit, caussam dicere non vetetur.

IX. ANTIQUA.

De his qui in expeditionem euntes, aliquid auferre & deprædari præsumunt.

Qui in expeditionem vadunt, quæ abstulerint, quadrupli satisfactione restituant. Quod si non habuerint unde componant, rem sumptam reddant, & CL. flagella suscipiant. Quod si non jubentibus dominis servi hoc fecerint, rem ablatam in statu reforment, & CC. flagella extensi sustineant. Cujus rei exactionem, provinciarum Comites, vel judices, aut villici (1) studio suo non

(1) *Villici.*) Papias ex Isidoro lib. IX. c. 4. *Villicus, Dispensator, vel Gubernator. Proprie Villæ est Gubernator, unde a Villa nomen habet.* Significari videntur quidam Præpositi villis, ut inibi iis, quæ juris regii forent, præessent. In Hispanico actor, procurator, villicus, præpositus haud semel interpretatur *Mirino*. Manet adhuc in quibusdam villis nostris, ut villicæ Communitati Præfectus appelletur *Meriga*; qui Latine verti posset *Præpositus*. Certe in Vallicis Legibus *Maer* interpretatur *Præpositus* lib. I. c. 38. & lib. II. c. 26. Vide Wottoni *Glossar. Vocum Forensium: Maer y Biswail*: Præpositus fimo bovillo: *Maer y casdell*: Præpositus Castello. Keyslerus quoque Antiquit. Sept. pag. m. 395. *Maer*, inquit, *etiam Celtis Præpositus est, a qua voce mallem Anglorum Major* (ut Lord *Maire*, qui Londinensi, aliisque Angliæ civitatibus præficitur) *arcessere, quam e Latino fonte.*

non morentur impendere : quia provincias nostras non volumus hostili prædatione vastari.

X. ANTIQUA.

Ut socios nominet, apud quem pars rapinæ inventa agnoscitur.

Apud quem scelus aut pars rapinæ fuerit inventa, statim socios suos cogatur nominare. Quod si nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Quod si honestioris loci persona est, aut pro scelere rationem reddat, aut quæ ablata vel eversa fuerint, undecupli compositione restituat, & c. publice flagella suscipiat. Si certe apud servum rapinæ pars reperitur, cc. flagella publice extensus suscipiat, & socios suos nominare non differat.

XI. ANTIQUA.

De his qui diripienda indicare reperiuntur.

Quicunque ingenuus vel servus aliqua diripienda indicaverit, ut cujuscunqne res evertatur, aut pecora vel jumenta diripiantur, & ex hoc certis probationibus publice convictus invenitur, pro eo quod indicaverit centum flagella publice extensus accipiat.

XII. ANTIQUA.

De his qui itineranti, vel in opere rustico constituto, aliquid abstulerint, vel molestiam inferre præsumpserint.

Qui in itinere vel in opere rustico constituto, aliquid violenter intulerit vel abstulerit, ubi ex hoc a judice fuerit interpellatum, ille qui abstulerit, quadruplum restituat. Quod si aliud aliquid cædis vel dampni fecerit, legaliter satisfaciat. Quod si hoc servus domino nesciente commiserit, & centum flagella suscipiat, & dominus pro servo compositionem exsolvat. Nam si dominus componere noluerit, servum tradere non moretur.

XIII. ANTIQUA.

Si ille qui diripit, in ipsa direptione morte necetur.

Qui aliena diripit, si in ipsa direptione percussus aut occisus fuerit, ille qui percussit, nullam calumpniam patiatur.

TITULUS II. De incendiis & incensoribus.

I.

De his qui sive in civitate, sive extra civitatem domibus immiserint ignem.

QUi alienæ domui in civitate ignem supposuerit, correptus a judice ignibus deputetur, & de bonis ejus domino domus, si tamen aliquid dampni pertulerit, componatur, ac precium domus reddatur incensæ. Sed ille cujus domus incensa est, coram testibus, quantos statuerit sententia judicantis, præbeat sacramentum, se fideliter quod in domo sua habuit profiteri, nec plus quam illic conditum fuerat postulare, nec domus suæ precium amplius taxare, quam valuit. Et si post datum sacramentum aliquid fefellisse convincitur, in duplum, quæ sunt supra modum debitæ compositionis exacta, illi cogatur inferre, qui compositionem exsolverat. Quod si in domum, sicut superius diximus, ignis immissus ad proximas domos forte transierit, juxta modum dampni inter eos etiam, qui domos vel res suas incendio perdiderunt, ejus substantia dividatur; si tamen post compositionem illius, in cujus domum ignem misit, impletam, aliquid de facultatibus ejus cognoscitur residuum esse, ita ut simili modo coram testibus sacramento defendant, se non amplius repetere, quam incendio perdiderunt. Et si post datum sacramentum perjurasse noscuntur, hæc quæ amplius exegerint, in duplum ei, quem fraudulenta ambitione dampnare voluerant, cogantur exsolvere. Qui vero extra civitatem in domum mittit incendium, omnia quæ sunt in domo incensa restituat, & precium domino domus reddere non moretur : sed is cujus domus incensa est, coram testibus jurisjurandi interpositione confirmet, se non amplius postulare, quam perdiderat: & si post datum sacramentum amplius quam perdiderat exegisse dinoscitur, in duplum ei, qui damnum sustinuit, coactus exsolvat. Quod si etiam vicinæ domus ex eo, quod immissum est incendium, forte consumptæ sunt, si de bonis ejus superfuerit, unde eis etiam componatur, hi quoque amissa recipiant. Prius tamen eum sacramento coram testibus profiteantur, se non amplius quam perdiderant postulare : & si perjurasse noscantur, aut amplius exegisse, in duplum ei, quem tali fraude dampnaverint, male exacta restituant. Ita ut pro correptione, qui domum incenderat, c. flagella suscipiat: & quicunque tale dampnum admittens non habuerit unde componat, servituti subjaceat. Si certe cujuscunque servus, sive in civitatem, seu extra civitatem incendium intulisse cognoscitur, dominus, si servum tam nocentis admissi voluerit liberare a supplicio, pro ejus crimine non moretur componere. Ita ut ipse servus publice cc. ictus accipiat flagellorum: sed ille, cujus domus incensa est, jurare cogatur, se amplius non repetere, quam in domo ejus flamma consumpsit. Et si componere dominus pro servo noluerit, tradatur servus ad pœnam, ut supplicio capitali admissa persolvat.

II. ANTIQUA.

Si ignis immittatur in silvam.

Si quis qualemcunque silvam incenderit alienam, sive piceas arbores vel caricas, hoc est ficus, aut cujuslibet generis arbores cremaverit, correptus a judice centum flagella su-

ſuſcipiat, & pro damno ſatisfaciat, ſicut ab his qui inſpexerint fuerit æſtimatum. Quod ſi ſervus hoc domino neſciente commiſerit, CL. flagellorum verberibus addicetur. Et ſi pro eo dominus componere noluerit, cum duplum aut triplum dampni fecerit, quam quod eundem ſervum valere conſtiterit, ipſum ſervum pro facto tradere non moretur.

III. ANTIQUA.

Si dum iter agitur, ignis longius dilabatur.

Qui in itinere conſtitutus cujuſcunque forſitan campo applicaverit, & ad coquendum cibum, aut frigoris neceſſitate compulſus ignem fecerit, cautus ſit ne ignis longius dilabatur. Aut ſi in ſpinis, ſive in pabulis ſiccis, in quibus plerunque flamma nutritur, incendium convaleſcat, ignem cum creſcit, extinguat. Quod ſi ſe longius flamma extenderit, & meſſis, aut area, vel vinea, aut domus, ſive pomarium incendio concremetur, tantum quantum flamma conſumpſit, reddere vel componere compellatur: quia ignem, quem fecerat, neglexit extinguere.

TITULUS III. De damnis arborum, hortorum & frugum quarumcunque.

I. ANTIQUA.

De compoſitione arborum inciſarum.

SI quis inſcio domino alienam arborem inciderit: ſi pomifera eſt, det ſolidos III. ſi oliva, det ſolidos V. ſi glandifera major eſt, det ſolidos II. ſi minor eſt, det ſolidum unum. Si vero alterius ſunt generis & majores atque prolixiores, binos ſolidos reddat, quia licet non habeant fructum, ad multa tamen commoda utilitatis præparant uſum. Et hæc quidem compoſitio erit, ſi tantundem abſciſæ fuerint. Nam ſi præſumptive inciſæ alicubi ferantur: aut ſimiles arbores cum illis inciſis dabuntur, aut prædictum precium duplo ſolvetur.

II. ANTIQUA.

Si hortum quis vaſtaverit alienum.

Si quis alienum hortum vaſtaverit, ſtatim juxta damni æſtimationem a judice coactus domino horti cogatur exſolvere. Ita ut ſi ſervus hoc fecerit, ſuper compoſitionem ipſius damni, L. flagella extenſus accipiat.

III. ANTIQUA.

Si de inciſæ arboris ruina debilitatio vel homicidium perpetretur.

Si quis arborem inciderit, vel aliquid dampni fecerit, aut ſi dum cadit arbor aliquem occiderit, dampnum qui incidit, perſolvat. Quod ſi in circuitu arboris homines fuerint, priuſquam cadat arbor, admoneat. Et ſi de ramis arboris corruentis, poſtea quam commonuerit, aliquis debilitatus aut mortuus fuerit, nullam ille qui arborem incidit, calumniam pertimeſcat. Certe ſi aut debilem, aut dormientem, aut ſenem, aut qui ſibi cavere non potuit, aut pecudem fortaſſe ruina hujus arboris debilitaverit vel occiderit, pro quadrupede uno, domino alium ejuſdem meriti mox reformet, & pro occiſo homine tanquam homicida teneatur: pro debilitato vero juxta formam legum ſatisfacere compellatur. Et ſi aliquis alienam arborem inciderit per violentiam, componere non moretur. Quod ſi dominus arboris inciſorem fuerit conteſtatus, & poſtea inciſor fuerit, dum incidit, occiſus, mors ejus nullatenus requiratur.

IV. ANTIQUA.

Si arbor ex parte inciſa, ſive combuſta, damna concutiat.

Si arbor ex parte inciſa ſit, aut ex aliqua parte igne combuſta, & illo qui inciderat, vel incendere cœperat, abſente arbor ceciderit, nulla ei pro damno, quod per ruinam arboris factum eſt, calumnia moveatur.

V. ANTIQUA. NOVITERQUE EMENDATA.

De vinea inciſa vel evulſa ſive concremata, atque de frugibus uſurpatis.

Qui vineam inciderit, eradicaverit, vel incenderit alienam, aut in deſertum produxerit, duas æqualis meriti vineas, domino ejus vineæ reformare cogatur, & præterea dominus vineæ illius deſertæ hanc ad uſum [1] ſuum revocare non dubitet. Si vero per violentiam fruges collegerit, & frugem in duplo reſtituat, & quidquid evertit, redintegrare procuret; ita tamen, ut cum ſacramento colligentium per tempus vindemiarum duplam ipſius frugis compoſitionem reſtituat. Servi vero ſine dominorum juſſu talia facientes per ſingulas vites decena flagella extenſi accipiant, & fruges domino reſtituant: aut ſi dominus componere noluerit (1), per ſex vites ſolidum reddant. Quod ſi majus damnum creverit, & dominus componere noluerit, ſervum tradere feſtinabit.

VI. ANTIQUA.

Si ſepes incidatur vel incendatur.

Si quis per aliquod ſpatium ſepes incenderit, vel inciderit alienas, ſi majoris loci per-

1 *Ad jus.*

(1) *Componere noluerit.*) Lege: *componere voluerit.* Hiſpanicus: *E ſi el Senor quiſier fazer emenda.*

persona est, sepes reparet, & pro damno satisfaciat. Si quid tamen damni domino de fructibus accidisse cognoscitur, & damnum solvat sicut inspectio habuerit æstimantium, & præterea decem solidos reddat. Sed & de eodem campo, qui fructus habet vel habuit, & de prato sive de concluso v. solidos compellatur exsolvere. De eo vero campo, in quo nulli fructus sepibus claudebantur, sepem tantummodo reformare cogatur. Si vero hoc persona inferior fecerit, solvat damnum de æstimatis fructibus, ac sepem reparet, & L. flagella publice suscipiat. Quod si servus hoc domino nesciente fecerit, & damnum solvat, & sepem reparet, & centum flagella suscipiat. Quod si de casu factum fuerit, sepem tantummodo reformet, quæ collisa est. Quia crimen videri non potest, quod non est ex voluntate commissum.

VII. ANTIQUA.

Si pali de sepibus incidantur.

Qui de sepibus palos inciderit vel incenderit alienis, cum campus ille fructus ullos eo tempore non habuerit, in quadruplum reformare cogatur. Si autem fructus aliqui de his sepibus claudebantur, per singulos palos singulos tremisses compellatur exsolvere: ita ut ex fructibus si aliquid perierit, ex integro reformetur. Eadem & de hortis sepe conclusis præcipimus custodiri.

VIII. ANTIQUA.

Si in aliena silva quis cum vehiculo capiatur.

Si quis aliquem comprehenderit, dum de silva sua cum vehiculo vadit, & circulos ad cupas, aut quæcunque ligna, sine domini jussione aut permissione asportare præsumpserit, & boves & vehiculum alienæ silvæ præsumptor amittat, & quæ dominus silvæ cum fure aut violento comprehenderit, indubitanter obtineat.

IX. ANTIQUA.

Si loca fructifera vel pascuosa nimia angustia coartentur.

Si quis cum frugibus vineam, pratum vel pascua habere cognoscitur, & fossas per circuitum pro solo terrore constituat, ut non nisi per vineam aut messem transitus esse possit, dampnum quod viator intulerit, ad viatoris culpam redundare non convenit. Campos autem vacantes si quis fossis cinxerit, iter agentes non hæc signa deterreant, nec aliquis eos de his pascuis præsumat expellere.

X. ANTIQUA.

De animalibus voluntarie in messem vel in vineam missis.

Qui jumenta, vel boves, aut quæcunque pecora voluntarie in vineam vel messem immiserit alienam, dampnum quod fuerit æstimatum, cogatur exsolvere. Et si major persona est, pro caballis aut bubus per singula capita singulos solidos reddat: per minora vero capita singulos tremisses ei, cui dampnum factum est, compellatur exsolvere. Certe si inferior est forte persona, & dampnum ex integro reddat, & compositionem ex medietate restituat, atque quadraginta flagella publice extensus accipiat. Si vero servus hoc sine jussu domini fecerit, omne dampnum aut ipse aut ejus dominus reddat, & ipse servus sexaginta flagella suscipiat.

XI. ANTIQUA.

Si cujuslibet animalia in frugibus dampna concutiant.

Si cujuslibet qualiacunque animalia vineam vel messem everterint alienam, ille cujus animalia dampnum intulerint, tantum vineæ vel agri cum frugibus ejus meriti domino de suo restituere non moretur, quantum exterminatum esse cognoscitur. Ita ut collectis frugibus ille recipiat, qui dedisse videtur. Quod si non habuerit agrum aut vineam unde componat, tantum de frugibus reddat, quantum in æquali parte agri vel vineæ fuerit æstimatum.

XII. ANTIQUA.

Si pratum defensum a pecoribus naufragetur.

Qui in pratum eo tempore quo defenditur (1), pecora miserit, ut postmodum ad secandum non possit herba succrescere: si servus est, qui hoc fecerit, XL. ictus flagellorum accipiat, & fœnum reddatur domino ejus,

(1) *Qui in pratum eo tempore, quo defenditur &c.*) Hæc verba innuunt, prata non toto anni tempore defensa fuisse, sed pro ea tempestate, qua herba ad secandum succresceret. Mos ut videtur ab antiquo inter Barbaros observatus, clarius elucescit ex libro Consuetudinum Normannicarum p. I. c. 9. v. 26. *Quodam tempore terræ sunt defensivæ, quodam communes. Defensivæ sunt omnes terræ cultæ, quarum fructus per bestiarum accessum læderentur, & de facili perirent. Terræ vero vacuæ a medio Martio usque ad festum Sanctæ Crucis in Septembri defenduntur Alio vero tempore sunt communes; tempus bannovii vulgariter nuncupatur.* Tempus bannovii, seu potius bannonii in Gallica editione est *Temps de banon*; quo scilicet magno banno indicto aperitur agri libertas in communem pascuorum usum. Mos adhuc inter nostrates acriter servatur, ut prata tempore, quod appellamus *herbæ mortuæ*, in communem usum evadant pascuis habitantium pagi, intra cujus confinia sita sunt. Quem profecto morem ex reliquiis esse reor antiqui Germanici instituti, quo agri ut communes habebantur.

ejus, quantum fuerit æstimatum. Si liber & inferioris loci persona est, pro duobus capitibus tremissem unum reddat, fœnum nihilominus juxta æstimationem ei qui dampnum pertulit redditurus. Si vero major persona est, pro duobus capitibus solidum unum reddat, & fœnum habita æstimatione restituat.

XIII. ANTIQUA.

Si fructifera loca ab animalibus fuerint dissipata.

Si quis caballum aut pecus alienum, in vinea, messe, prato, vel horto invenerit, non expellat iratus, ne dum de dampno expellit, evertat: sed ad domum suam inclusurus adducat, & dominum caballorum vel pecorum faciat certiorem, ut præsentibus his aut vicinis eorum dampnum, quod illatum fuerit, æstimetur, & ad campum utræque partes conveniant; ut postquam dampnum inspexerint, pars campi, vel vineæ, sive prati, vel messis quæ defracta fuerat, mensuretur, & donec fructus colligantur, expectetur ut tantundem de impasto loco ei, cui dampnum intulerit, facta spatii exæquatione tradatur præsentibus testibus: & de eo loco qui eversus est, & de eo qui est integer, fructus colligantur: & quidquid minus in his locis, quæ a pecoribus eversa fuerint, reperitur, ille cujus pecora fuerint, reformare cogatur. Pecora vero, postquam ipsorum locorum spatia mensuraverint, sicut est in legibus constitutum, domino reformentur. Et si pecora, dum per iracundiam immoderationis expellit, everterit, domino pecorum dampnum simpla tantummodo satisfactione restituat, & sibi quæ debilitavit aut occidit usurpet; si tamen ut, quæ evertit, ante persolvat. Quod si pecora per casum, non culpa, dum expelluntur, debilitentur, aut pereant, aut in sudes sive in palos, dum expelluntur, inciderint, dampnum solvatur ex medio, & quæ superioribus legibus sunt statuta permaneant.

XIV. ANTIQUA.

Si expellenti de frugibus pecora quisquam excutiat, vel de clausura furto aut violentia tollat.

Si quis expellenti de frugibus pecora excusserit: si honestior est forte persona, det solidos v. & duplum dampnum, quod fuerit æstimatum, cogatur exsolvere. Si certe humilioris loci persona fuerit, & non habuerit unde componat, L. flagella suscipiat, & duplum dampnum exsolvere compellatur. Si vero servus hoc fecerit, ante judicem centum ictus accipiat flagellorum, & domino ejus nulla calumpnia moveatur. Quod si de domo ejus aut clusa [1] involaverit, aut per violentiam tulerit, octo solidos qui injuriam pertulit consequatur, & præterea duplum dampnum ille qui abstulit reddere compellatur. Si vero servus hoc fecerit, centum flagella suscipiat, & dominus ejus nil dampni sustineat.

XV. ANTIQUA.

De animalibus in vinea, messe vel prato præventis.

Si quis in vinea sua, messe, prato vel horto, jumenta vel pecora invenerit aut prendiderit, statim domino pecudum ipsa aut altera die nunciaturus includat. Quod si dominus pecorum mittere vel venire noluerit, dampnum a vicinis, quod factum est, æstimetur, & ad satisfactionem ille, cujus pecora fuerint, judicis exsequutione venire cogatur, & dampnum exsolvat. Si tamen probaverit aut certe juraverit ille qui prendidit, dampnum ipsum ab ipsis animalibus factum fuisse, ille vero cujus pecora sunt, si ad æstimationem dampni aut pecora recipienda non venerit, adaquentur tantummodo, ac triduo teneantur inclusa. Et pro retentis triduo pecoribus nullam calumpniam inferre poterit, qui ad æstimationem venire neglexit. Post triduum autem animalia dimittantur, & dimissis animalibus si dominus eorum venire contempserit, pro contemptu ipso, quia inspicere noluit, juxta æstimationem testium in duplum cogatur exsolvere. Quod si ille cujus pecora sunt, ad eum cui dampnum factum est, venerit, rogans eum ut ad æstimationem dampni accedat, ut pecora relaxentur, & ille non adquiescat, volens pecora interficere: si hoc ita fecisse convincitur, per singula capita majora singulos solidos reddat, per minora singulos tremisses. Similiter hæc lex continet & de illis, qui ante triduum pecora clausa non publicaverint. Si autem servus hoc fecerit sine domini voluntate, centum flagella suscipiat, & dominus ejus nihil dampni sustineat.

XVI.

Si priusquam expellantur animalia, de frugibus exierint.

Si jumenta vel pecora de frugibus, priusquam expellantur, exierint, ea non licet comprehendi, quia utrum ipsa dampnum fecerint, nescitur. Nam si ea ipse cujus sunt, aut quicunque vicinus expulerit, dominus jumentorum vel pecorum æstimationem dampni implere cogatur.

XVII. ANTIQUA.

Si in frugibus suis animalia præventa quacunque aliquis detruncatione turpaverit.

Si labia pecoribus aut cæteris animalibus, vel aures, quæ in frugibus suis comprehenderit, inciderit; illa quæ deformavit obtineat,

[1] Al. *clusura*.

neat, & domino pecorum alia sana & similia restituere non moretur.

TITULUS IV. De dampnis animalium vel diversarum rerum.

I. ANTIQUA.

Si caballus vel animal alienum, aut de ligamine tollatur, aut extra voluntatem domini in aliquo fatigetur.

Si quis caballum alienum vel aliud animal de pedica sive de ligamine tulerit sine conscientia domini sui, unum solidum ei det: & si per hanc occasionem perierit, ejusdem meriti caballum vel animal restituat. Quod si cum aliquo [1] ambulare coegerit, vel laborare fecerit domino nesciente, alium æqualis meriti cum eo dare cogatur; si tamen ipsa aut altera die eum dominus suus invenerit. Quod si tertia die animal inventum non fuerit, ille qui animal alienum præsumpserit, pro fure teneatur.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si præstitum animal contra definitionem & voluntatem domini fatigetur.

Quicunque citra voluntatem ejus qui præstitit animal supra definitionem cursu, oneribus, vel itinere fatigaverit, per decem millia det solidum unum. Quod si minus quam decem millia fuerint, æstimato itinere pro labore æstimetur & compositio dampni. Nam si debilitatus & mortuus fuerit, debilem sibi habeat, & similem reddat: pro mortuo vero vivum talem sine excusatione restituat.

III. ANTIQUA.

Si caballi aut cujuscunque animalis coma vel cauda turpetur.

Si quis alieni caballi comam turpaverit, aut caudam curtaverit, ejusdem meriti alium cum eo sine dilatione domino restituat. Si vero alterum qualecunque animal curtaverit, per singula capita singulos trientes reddere compellatur.

IV. ANTIQUA.

Si alienum animal testiculis desecetur.

Qui alienum animal, aut quemcunque quadrupedem, qui ad stadium (1) fortasse servatur, invito domino vel nesciente castraverit: vel bovem, vel quæ non secantur castraverit, domino in duplum cogatur exsolvere: quia propter invidiam hoc videtur intulisse dispendium.

1 Al. *Quod si cum alibi.*

V. ANTIQUA.

Si jumenti partus excutiatur.

Si quis quocunque pacto partum equæ prægnantis excusserit, pulletrum anniculum illi, cujus fuerit, mox reformet.

VI. ANTIQUA.

Si cujuscunque animalis partus excutiatur.

Si quis vaccam prægnantem avortare fecerit alienam, talem aliam cum vitulo domino reformare cogatur, & illam cui partum excusserit, ipse accipiat: hæc de aliis quadrupedibus forma servetur.

VII. ANTIQUA.

Si qualiacunque animalia ab invicem evertantur.

Si cujuslibet jumenta, vel armenta, aut alia pecora se invicem forte colliserint vel occiderint, dominus jumenti vel aliorum animalium ejusdem meriti domino reddat, & illud debilitatum sive occisum sibi obtineat.

VIII. ANTIQUA.

Si dampno vel injuria impellente, aut sine dampno, alienum animal occidatur.

Si quis alienum animal occidisse aut vulnerasse convincitur, non dampno qualicunque compulsus, alium ejusdem meriti reformare cogatur. Et si servus est, L. flagella suscipiat. Ingenuus vero quinque solidos det. Nam si eundem dampni commovit injuria, ut eum occideret aut debilitaret, precium pecudis aut animalis reddatur occisi vel debilitati, & nihil patiatur injuriæ.

IX. ANTIQUA.

Si bos alienus sine domini voluntate operibus subjugetur.

Si quis bovem alienum junxerit sine conscientia domini sui ad aliquid carricandum, sive pro voluntate sua retinendum, ejusdem meriti cum eo alium domino reddat.

X. ANTIQUA.

Si qualiacunque animalia aliena trituris areæ fatigentur.

Si quis caballum aut aliud quodcunque animal alienum in aream miserit, per singula capita singulos solidos reddat: & si per hanc occasionem animal mortuum fuerit, & solidum reddat, & ejusdem meriti animal domino cogatur exsolvere.

(1) *Ad stadium.*) Hæc denotant & sub Wisigothis in Hispania cursus ad stadium non infrequentes fuisse.

XI. ANTIQUA.

Si pecus absque dampno in clusuram mittatur.

Qui absque aliquo dampno inclusum pecus detinuerit alienum, si servus hoc nesciente domino fecerit, tantummodo quadraginta ictus accipiat flagellorum. Si ingenuus fuerit, per duo capita tremissem unum, ei cujus pecus inclusum est, cogatur exsolvere. Quod si ex ipsis pecoribus aliquid debilitatum aut mortuum fuerit, juxta superiorem legem compositio fiat.

XII. ANTIQUA.

Si animal cuicunque faciat quodcunque dampnosum.

Si cujuscunque quadrupes aliquid fecerit fortasse dampnosum, in domini potestate consistat, utrum quadrupedem noxium tradat, an ei qui dampnum pertulit, & aliquid excepit adversi, juxta judicis æstimationem componat.

XIII. ANTIQUA.

Si quodcunque animal quacunque percussione debilitetur aut occidatur.

Si quis alienum jumentum percusserit, ita ut debile efficiatur, aut de ipsa fortasse percussione mortuum fuerit, ille qui percussit, alium ejusdem meriti domino reformare cogatur, & illud debile suæ vendicet potestati. Quod si jumentum non habuerit, pretium juxta æstimationem domino jumenti restituat. Et similis ordo, tam de caballo, quam de bove, & reliquis animalibus ab omnibus observetur.

XIV. ANTIQUA.

Si pecus alienum sciente aut ignorante domino gregi alterius misceatur.

Si cujuslibet pecora cum alicujus se miscuerint, & hoc ipse perspexerit, & sic de ipsius grege abierint, ut nullam ex hoc conscientiam habeat: dominus pecorum sacramenta ab eodem accipiat, quod non ipsius fraude vel culpa exinde abscesserint, & nec sibi ea præsumpsit, nec alicui tradidit; & nihil cogatur exsolvere. Quod si ad domum suam adduxerit, & judicem non monuerit, vel in conventu publice infra octavum diem non contestaverit, in duplum satisfaciat.

XV.

Si animali quodcunque pavidum inligetur, per quod ruptum aut debilitetur, aut moriatur.

Si quis caput mortui pecoris, aut ossa, vel aliquid unde animal terreatur, ad caudam caballi crediderit alligandum, & per hoc currendo ruptus probetur aut mortuus, alium sanum caballum domino reformare non moretur, quia legum statuta transcendit. Quod si caballus nihil debilitatis incurrerit, quinquaginta ictus accipiat flagellorum. Si servus hoc fecerit, centum verberibus addicatur.

XVI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si vitiosum animal, cum apud dominum est, cujuscunque hominem videatur ætatis occidisse.

Si quis bovem, aut taurum, vel quemcunque quadrupedem noxium habuerit aut vitiosum, eum, antequam noceat alicui, non moretur occidere. Quod si de vitio quadrupedis ex vicinorum contestatione cognoverit, & postea eum reservaverit, aut paverit, vel distulerit occidere, ac postea alicui mortem, aut debilitationem, sive vulnus intulerit, juxta hanc legem componere non moretur, sicut est de homicidiis, id est, de viris ac mulieribus infantibus, servis vel ancillis, compositio constituta. Ita ut si jugulaverit (1) aliquem ipse quadrupes in annis viginti, ccc. solidi componantur: & ab hoc usque ad eum, qui annos L. habuerit, unam compositionem jubemus stare. A quinquaginta autem annis, usque ad illum qui habet sexaginta quinque, cc. sol. componantur. Qui vero super hoc habuerit, c. sol. componantur. Qui quindecim annos habuerit, CL. sol. componantur. Si in quatuordecim annis fuerit, CLX.[1] sol. componantur. Si in tredecim, CXXX. sol. dentur. Si in duodecim, CXX. solid. componantur. Si in undecim, CX. solidos det. Si in decem, C. Si vero novem, aut octo annorum fuerit, vel septem, XC. sol. componantur. Si sex, aut quinque, aut quatuor annorum fuerit, LXXX. sol. componantur. Si certe trium aut duorum annorum, LXX. sol. det[2]. Nam si unius anni fuerit, LX. solidi componantur. Et si filiam alicujus, aut uxorem jugulaverit, a decimo quinto anno usque ad quadragesimum, CCL. sol. componantur: & a quadragesimo usque ad sexagesimum, CC. sol. componantur. Quod si superior annorum

1 CXL. 2 Reddat.

(1) *Ita ut si jugulaverit.*) Hispanicus: *Assi que si aquela animalia matar ome ondrado, peche el Senor por omecio quinientos soldos, e por ome libre de menor guisa, que aya veynte anos, peche trezentos soldos; por ome franqueado pecha la meatat desta emenda.* In numeris quoque alias in hac lege contentis Hispanicus variat a Latino; ut & in toto Codice plurima deprehenduntur in numeris variantia, quæ ego prosequutus non sum.

rum numerus fuerit, c. folidi componantur. A quinto decimo vero anno aut inferius, ficut & de pueris est constitutum, medietatem compositionis ejus, secundum ætatis vel sexus ordinem, reddere compellatur. Pro libertis autem medietas hujus compositionis, sicut superius est comprehensum, pro eo qui occisus est, in satisfactione dabitur. Si autem servum alicujus occiderit, duos ejusdem meriti servos dominus ejus qui occisus est, in satisfactione recipiat.

XVII. ANTIQUA.

Si animal vitiosum quis a se abjiciat, vel non abjectum retineat.

Si quis bovem aut aliud animal nocuum vel vitiosum habuerit, eum occidere non moretur, vel a se projicere: ita ut vicinis omnibus notum faciat, quia eum a se projecit. Quod si eum non occiderit, sed reservaverit, quicquid dampni postea admiserit, ille componat, qui eum apud se reservasse cognoscitur.

XVIII. ANTIQUA.

Suæ habendum culpæ, si irritatum animal noceat irritantem.

Si quis vitiosum bovem, aut canem, vel aliud animal contra se irritatum concitaverit, quicquid passus fuerit, culpæ ejus qui hoc pertulerit, oportet adscribi.

XIX. ANTIQUA.

Si juste aut injuste concitatus canis quempiam debilitasse vel occidisse probetur.

Si aliquem canis momorderit alicujus, & de morsu illius aliquis debilitatus probetur, aut mortuus, domino canis nil calumpniæ moveatur: si tamen eum canem ut morderet, non irritasse cognoscitur. Quod si canem suum ut furem, aut quemcunque criminosum comprehenderet irritavit, & ita momorderit fugientem, si de morsu illius fuerit debilitatus aut mortuus, nihil ex eo caussationis existat. Nam si eum ad innocentem forsitan irritatum incitaverit [a], tanquam si ipse vulnus intulerit, juxta leges componere non moretur.

XX. ANTIQUA.

De cane dampnoso.

Si cujuslibet canis dampnosus fuerit, & devastet berbices, & alia pecora forte evertere cœperit, & deprehensus fuerit: ipse dominus canis, ubi ex hoc fuerit commonitus, eum illi tradat, cui dampnum primitus constat fuisse inlatum, ut eum occidat (1). Quod si eum occidere noluerit, vel illi tradere cui dampnum primitus fecit: quicquid postmodum canis dampni admiserit, dominus canis duplam compositionem reddere non moretur.

XXI. FLS. RCDS. REX.

De læsione vestis.

Si quis qualibet occasione vestem abscideri, vel ruperit alienam, atque sordibus maculaverit, & talis macula in veste patuerit, ut extra fœditatem minime tolli possit; pro facti crimine obnoxius teneatur, ita ut similem vestem integram restituat. Quod si talem vestem non habuerit, hujus vestis pretium, quantum integra illa, quæ rupta vel scissa atque maculata est, valere potuit, tradere compellatur: vestem vero ruptam, vel quæ maculata est, ille accipiat, qui hanc compositionem exsolverit. Si vero servus hoc fecerit & dominus pro eo componere noluerit, servum pro qualitate criminis tradere non moretur.

XXII. ANTIQUA.

Si fraudulenter quis ambulans, in laqueos feris præparatos incidat.

Si quis sudes in vinea posuerit, sive in campo propter feras, & ibi aliquis dum furtum facere tentat, inciderit; culpæ ejus oportet adscribi, qui vulnus excepit, quod in rem alienam fraudulenter ingressus est.

XXIII. ANTIQUA.

Ut qui laqueos feris ponit, & loca discernat in quibus ponat, & vicinos ammoneat.

Si quis in terris suis foveas fecerit (2), ut feras in eisdem foveis comprehendat, aut laqueos vel arcus prætenderit, seu balistas in locis secretis vel desertis, ubi nulla via est, quæ consueverit frequentari, nec ubi pecudum possit esse accessus: si alicujus animal, per hanc occasionem quæ ad feras paratur, extinguatur aut occidatur, pecus quod periit incautus venator exsolvat, quia quadrupes sibi ea cavere non potuit. Omnes vero proximos & vicinos venator ante commoneat: & si

a Al. *injuriandum incitaverit.*

(1) *Ut eum occidat.*) Legendum: *vel eum occidat.* Hispanicus: *ol mate luego.*

(2) *Foveas fecerit.*) Venationis genus, Cæsare teste, Germanis usitatus, capiendis præsertim majoribus, magisque feris quadrupedibus. Ejusmodi erat venatio Uri in sylva Hercinia. *Hos*, ait ille *de Bello Gallico* lib. VI. *studiose foveis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genus venationis exercent: & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem.* De hujusce venationis modo agit Pelloutierius *Hist. des Celtes Lib. II. c. 12.*

& ſi poſt commonitionem quiſquam in hæc incautus irruerit, nihil ex hoc calumpniæ venatori oportet opponi: quia ſe ille periculo, qui commonitionem audire neglexit, objecit. Si quis vero de locis longinquioribus veniens, qui non fuerat ante commonitus, ignorans inciderit, & fuerit debilitatus aut mortuus; hic qui feris inſidias vel laqueos præparavit, tertiam partem compoſitionis exſolvat, quæ fuerat hactenus debilitatis hominibus vel occiſis, in legibus comprehenſa: quia in itinere hominibus hoc periculum neſcientibus apparare non debuit.

XXIV. ANTIQUA.

De dampnis iter publicum concludentium.

Si iter publicum clauſum aut conſtrictum ſit, rumpenti ſepem aut vallum nulla calumnia moveatur. Ille vero qui viam clauſerat vel conſtrinxerat, quæ conſueverat frequentari, ſi ſervus eſt, a judice perducatur ad ſepem, & centum flagella ſuſcipiat, & per diſtrictionem judicis priorem viam aperire cogatur, etiam ſi meſſis ibidem eſſe videatur. Si vero id fuerit a potentiore commiſſum, exigantur ei ſolidi xx. Reliquæ autem perſonæ talia committentes, decenos ſolidos exſolvere compellantur, ita ut omnis hujus rei compoſitio fiſci viribus [1] inferatur.

XXV. ANTIQUA.

De ſervando ſpatio juxta vias publicas.

Viam per quam ad civitatem aut ad provincias noſtras ire conſuevimus, nullus præcepti noſtri temerator exiſtat, ut eam excludat vel adſtringat: ſed utrinque medietas aripennis libera reſervetur, ut itinerantibus applicandi ſpatium non vetetur. Si quis autem hujuſmodi legis præcepta tranſcenderit, ſi major perſona eſt, det ſolidos quindecim: inferiores perſonæ octonos ſolidos ſolvant fiſco profuturos. Qui certe juxta hujuſmodi viam meſſem, aut vineam, vel pratum, ſive concluſum habere cognoſcitur, ſepe utrunque concludat. Quod ſi propter paupertatis anguſtiam campum ſepibus non poſſit ambire, foſſatum protendere non moretur.

XXVI. ANTIQUA.

Si de campis vacantibus iter agentium animalia expellantur.

Si aliquis de apertorum & vacantium camporum paſcuis, licet eos quiſque foſſis præcinxerit, caballos, aut boves, vel cetera animalia generis cujuſcunque iter agentium ad domum ſuam incluſurus adduxerit, per duo capita tremiſſem cogatur exſolvere. Si vero ut non paſcantur expulerit, per quatuor capita tremiſſem accipiat, qui excepit injuriam. Quod ſi hæc, & quæ ſuperius dicta ſunt, ſervus neſciente domino commiſerit, a Comite civitatis vel a judice centum flagellorum ictibus verberetur, & dominus ſervi nullum dampnum [2] aut detrimentum ſuſtineat.

XXVII. ANTIQUA.

Ne iter agentibus paſcua non concluſa vetentur.

Iter agentes in paſcuis quæ concluſa non ſunt deponere ſarcinam, & jumenta vel boves paſcere non vetentur: ita ut non in uno loco plus quam biduo, niſi hoc ab eo cujus paſcua ſunt obtinuerint, commorentur. Nec arbores majores vel glandiferas, niſi præſtiterit ſilvæ dominus, a radice ſuccidant. Ramos autem ad paſcendos boves non prohibeantur competenter incidere.

XXVIII. ANTIQUA.

Ut qui in tranſitu fluminis culturam facit, laborem ſepe circumdet.

Qui in eo loco ubi tranſitus fluminis eſt culturam fecerit, vel præruptum ripæ, aut ubi pecora tranſeunt potuerit excludere, & fecerit fortaſſe culturas, ſepem etiam facere non moretur. Quod ſi non fecerit, & aliquid dampni fuerit per hanc negligentiæ ſuæ inutilitatem perpeſſus, nihil compoſitionis ab aliquo accipiat: quia negligentiam illius ad dampnum alterius redundare non convenit.

XXIX.

De diſcretione concludendorum fluminum.

Flumina majora, id eſt per quæ meſoces [3] (1) aut alii piſces maritimi ſubriguntur [4], vel forſitan retia aut quæcunque commercia veniunt navium, nullus ad integrum, contra multorum commune commodum, ſuæ tantummodo utilitati conſulturus excludat, ſed uſque ad medium alveum, ubi maximus ipſius fluminis concurſus eſt, ſepem ducere non vetetur, ut alia medietas diverſorum uſibus libera relinquatur. Si quis contra hoc fecerit, excluſa ipſius a Comite civitatis aut judice ſine aliqua excuſatione rumpatur: & ſi honeſtioris loci perſona eſt, x. ſolidos det illis quos impedire conatus eſt. Si vero inferior perſona fuerit, quinque ſolidos det, & L. flagella ſuſcipiat. Quod ſi ab utraque parte hujus fluminis duo manſerint, non liceat integrum flumen excludere, ut dicat unuſquiſque eorum, quod medietatem ſuæ partis excluſerit: ſed alter ſuperius, alter inferius, cluſuram facere ex medietate fluminis

1 Al. *fiſci juribus.*
2 Al. *nullam calumpniam.*
3 Ms. *per quem eſoces.* Lindenbrog. tamen rectius eſſe putat: *per quæ eſoces.*
4 Ms. *ſubricuntur.*

(1) *Meſoces.*) Hiſpanicus: *los ſalmones.* Ergo legendum, *eſoces*: prout in variantibus ſcriptum eſt.

nis non prohibeatur. Si vero locus non fuerit nisi tantummodo in uno transitu, sic excludatur, ut & naves & retia per medium discurrere possint. Quod si Comes civitatis, aut aliquis cujuscunque clusuram contra hanc ordinationem nostram evertere præsumpserit, v. solidos domino clusuræ dare debeat. Certe si minor persona hoc fecerit, quinque solidos clusuræ domino cogatur exsolvere, & v.[1] flagella a judice ejus loci accipiat. Si servus hoc fecerit, centum verberibus subjacebit.

XXX.

De confringentibus molina, & conclusiones aquarum.

Si quis molina violenter effregerit, quod fregit infra xxx. dies[2] reparare cogatur, & insuper triginta solidos cogatur exsolvere. Quod si infra statutum tempus non reparaverit, alios xxx.[3] solidos implere cogatur, & centum insuper flagella suscipiat. Eadem & de stagnis quæ sunt circa molina conclusiones aquarum, præcepimus custodiri. Quod si servus talia præsumpserit, & disrupta reparet, & centum verberibus subjacebit.

XXXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De furantibus aquas ex discursibus alienis.

Multarum terrarum situs si aquis indiget pluviis, foveri aquis studetur irriguis: cujus rei jam experimentum tenetur, ut si defecerit aquarum solitus usus, desperetur confisus ex fruge proventus. Proinde ubi majores aquæ sunt, si qui furtive aut malitiose aquam ex decursibus substraxerit alienis, per quatuor horarum spatium det solidum unum. Ubi autem minorum[4] sunt derivationes aquarum, per quatuor horas exsolvat tremissem unum. Aqua vero quantis horis alibi dilapsa convincetur, tantis ad irrigandum competenti tempore domino reformetur. Servus si sua sponte ista præsumpserit, pro majoribus aquis centum flagella suscipiat, pro minoribus vero L. verberum cessionibus[5] succumbat.

TITULUS V. De pascendis porcis, & animalibus errantibus denuntiandis.

I.

De porcis in glandem præsumptive aut placito missis.

QUi porcos in silva sua tempore glandis invenerit, primum custodiæ aliquid velut pigneris tollat indicium, & domino pastoris vel parentibus mandet, ut si convenerit usque ad tempus decimarum, porcos in silva sua permittat, & pignus quod pastori tulerit reformare procuret. Quod si noluerit porcos illius in silva sua intromittere decumandos, & ille eos alia vice in sua silva invenerit, etiam si porci pauci fuerint, unum exinde qui silvam suam defendit, occidat. Si autem plures porci fuerint, duos tollat & præsumat occidere, & nullam calumpniam pertimescat. Et nihilominus tertia vice eum cujus porcos invenit admoneat, ut porcos suos in silvam suam si voluerit introducat, & decimam juxta consuetudinem solvat. Quod si nec tunc voluerit de dandis decimis definire, & ille eos tertia vice in silva sua qui introduxit invenerit, decimam ex omnibus pro suo jure præsumat. Si vero aliquis sub pactione decimarum porcos in silvam suam intromittat alienam, & usque ad brumas porci in silva alterius paverint, decimas sine ulla contradictione persolvat. Nam si post brumæ tempus porcos suos in silva quam conduxerat noluerit retinere, vicesimum caput, sicut est consuetudo, domino silvæ cogatur exsolvere.

II.

De porcis inter consortes ad glandem in communi fructu susceptis.

Si inter consortes de glandibus fuerit orta contentio, pro eo quod unus ab alio plures porcos habeat: tunc qui minus habuerit, liceat ei secundum quod terram dividet, porcos ad glandem in portione sua suscipere, dummodo æqualis numerus ab utraque parte ponatur. Et postmodum decimas dividant, sicut & terras diviserunt.

III.

Si porci ad pastum in glande suscepti, ante datas decimas furto leventur.

Si quis ad glandem sub placito decimarum porcos in silvam intromittit alienam, & eos occulte priusquam decimentur amoverit, pro fure teneatur, & decimam abjecta furti compositione restituat. Si vero servus hoc domino nesciente commiserit, centum ictus accipiat flagellorum: & dominus nullum dampnum aut detrimentum sustineat, sed reddat decimas quas debet. Si autem hoc domino jubente commissum est, ipse qui jussit, furti compositionem cogatur exsolvere.

IV.

De porcis errantibus in silva præventis.

Qui porcos errantes in silva invenerit, aut contestari vicinis debet, aut claudere. Et si dominus porcorum non affuerit, unum porcum prima vice præsumat, & judici qui fuerit in proximo nunciet, apud se porcos qui vagabantur inclusos. Deinde si dominus porcorum vel pecorum non inveniatur, custodiat tanquam suos, & pro glandibus decimam consequatur: & cum dominus affuerit, mercedem custodiæ, facta præsentibus judicibus ratione, de temporis spatio percipiat.

1 Al. L. 2 Al. XX. dies. 3 Al. XX. 4 Al. *minores*. 5 *Cæsionibus*.

V. ANTIQUA.

Si quorumcunque animalium grex in pascua intraverit aliena.

Si in pascua grex alienus intraverit, sive ovium sive vaccarum, hoc quod de porcis constitutum est, præcipimus custodiri. Consortes vero vel hospites nulli calumniæ subjaceant: quia illis usum herbarum, quæ conclusæ non fuerant, constat esse communem. Qui vero sortem suam totam forte concluserit, & aliena pascua absente domino invadit, sine pascuario non præsumat, nisi forte dominus pascuæ voluerit.

VI.

Ut pro inventis animalibus erroneis publice denuntietur.

Caballos vel animalia errantia liceat occupare, ita ut qui invenerit denuntiet aut Episcopo, aut Comiti, aut judici, aut senioribus loci, aut etiam in conventu publico vicinorum. Quod si non denuntiaverit, furis dampnum habebit. Similis & de aliis rebus ordo manebit.

VII.

Ut errantia animalia occupata qui invenerit, diligenter habeat & conservet.

Qui errantia animalia & sine custode invenerit, ita diligenter occupet, ut non evertat: sed sicut proprium diligat atque custodiat. Quod si dominus qui perdidit caballum suum vel animal, non eversum, sed dilectum & sanum invenerit, per singula capita majora quaternes siliquas ille, qui invenerit, accipiat, & quantum in substantia ipsius caballi expendisse juraverit, a domino caballi recipiat. Cæterum si evertit, duplum animal domino cogatur exsolvere.

VIII.

Ne animalia errantia occupata, aut tondantur, aut caractere notentur, vel in alienum jus deducantur.

Caballum captum errantem nullus tondere aut vendere præsumat. Caballis etiam aut bobus, vel aliis quibuslibet pecoribus errantibus nulli liceat caracteres infigere (1). Quod si quis inventum animal vendere aut dare præsumpserit, secundum leges sicut fur teneatur: qui vero totonderit, tres solidos compulsus exsolvat. Ita erit etiam ei, qui caracterem infixerit.

TITULUS VI. De Apibus & earum dampnis.

I.

De inventis apibus defendendis. [1]

SI quis apes in silva sua, aut in rupibus, vel in saxo, aut in arboribus invenerit, faciat tres decurias (2), quæ vocantur caracteres: unde potius non per unum caracterem fraus nascatur. Et si quis contra hoc fecerit, atque alienum signatum invenerit & irruperit, duplum restituat illi cui fraus illata est, & præterea .xx. flagella suscipiat.

II.

Si dampnum faciant apes.

Si quis apiaria in civitate, aut in villa forsitan construxerit, & alii dampnum intulerit, statim moneatur, ut eas in abditis locis transferre debeat, ne forte in eodem loco hominibus aut animalibus dampnum inferant. Et qui hæc præcepta aut testationem neglexerit, & dampnum suffocationis in quadrupedes intulerit, quod mortuum fuerit, duplum restituat: quod vero debilitatum, ille obtineat, & simile dampno reddat: & pro judicis contestatione, quam audire neglexit, v. solidos coactus exsolvat.

III.

De furatis apibus.

Si quis ingenuus in apiario furti caussa fuerit comprehensus: si nihil exinde abstulerit, propter hoc quod ibidem comprehensus est, tres solidos solvat, & L. flagella suscipiat. Cæterum si abstulerit, novecuplum cogatur exsolvere, & prædictum numerum flagellorum excipiat. Si servus vero nihil ingrediens abstulerit, centum verberibus addicatur: quod si abstulerit, sexcuplum reddere compellatur. Pro quo si dominus satisfacere noluerit, eum serviturum illi, qui dampna pertulit, tradat.

1 Al. *devendendis*.

(1) *Caracteres infigere.*) Mos hodiernus alicubi vigens ex antiquiori more descendisse videtur, ut equorum clunibus signum, aut nota indelebilis inureretur, qui veluti domini tessera foret.

(2) *Decurias.*) Vide infra ad Lib. X. Tit. III. Leg. 3.

LEGIS WISIGOTHORUM

LIBER NONUS

DE FUGITIVIS ET REFUGIENTIBUS.

TITULUS I. De fugitivis & occultatoribus, fugamque prævenientibus.

I. ANTIQUA.

Si ingenuus vel servus fugitivum celasse reperiatur.

SI quis ingenuus fugitivum celatum habuerit, alium paris meriti cum eodem servo domino dare cogatur. Si vero servus sine conscientia domini sui fugitivum celaverit, servi ambo publice centena flagella suscipiant, dominus vero hujus servi nihil damni sustineat.


II.

Si fugitivus vinctus quocunque ligamine absolvatur.

Si quis alienum servum in fuga lapsum, ferro vinctum (1), aut in quocunque ligamine constitutum absolverit: pro præsumptione sua, qui hoc fecerit, det domino servi solidos x. Si vero non habuerit unde componat, a judice c. flagella suscipiat, & servum requirere ac domino restituere non moretur. Quod si eum non potuerit invenire, servum æqualis meriti domino reddere non moretur: aut si non habuerit unde componat, ipse subjaceat servituti, illi cujus servum laxaverit addicendus. Quod si hoc servus fecerit sine domini voluntate, coram judice c. flagella suscipiat. Et si vinctus inveniri non potuerit, servus qui solvit, tradatur in servitio domini vinculatus. Quandocunque autem, qui vinctus fuit, inventus extiterit, domino reformetur, & datus pro eo servus ad proprium dominum revertatur. Si autem conscio domino id fecerit, ipse dominus componat, sicut est de ingenuis superius constitutum.

III.

(1) *Ferro vinctum &c.*) Servos disciplina, & severitate vinculis coercitos non ignoramus. Insuper ego reor veteres cujusdam generis servis annulum imposuisse, non quidem in personæ gravamen, sed in signum servitutis. Certe in Assisiis Hierosolymitanis ad Superiorem Curiam pertinentibus cap. CXXXIX. cautum est, ut si debitor militiæ honore non donatus solvendo non sit, tradatur in servitutem creditori, qui, ut in ipsis Assisiis Italice versis scriptum est, *lo die tenire senza ferri, eccetto che uno annello de ferro al brazzo, per recognitione che è nel poter d'altrui*. Id vero ex antiquiori more, ut mea quidem fert opinio, derivatur. Anno MDCCLXXXI. in agro, vulgo dicto *la Mainiza*, Goritiensis, seu Gradiscani districtus, vetus sat amplum monumentum detectum fuit, quod quondam fuisse videtur miseræ plebi commune sepulchrum. Ibi adinventa sunt quamplurima cadavera, non quidem alterum alteri superinjectum, sed singula in proprio quasi sarcophago e rudi, & laminosa petra constructo, & omnia pedibus versis ad Orientem. Res pauci momenti cadaveribus consepultæ; inter quas pluribus observatum est conjacere pecten asseus, parvus culter. Quorundam autem brachium, aut pedem, ornabat exilis annulus ex metallo flavo confectus, cujus schema hic exhibeo, prout Nobilis Comes Hieronymus Asquinus antiquarum rerum diligentissimus inquisitor ad me transmittere dignatus est. Hunc indicem, symbolumque servitutis quondam fuisse ego profecto indubius credo.



III.

Infra quod tempus mancipium latens inventum judici debeat præsentari.

Si cujuslibet servus ad aliquem latens advenerit, statim eum præsentari judici non differat. Quod si eum non præsentaverit, & usque ad octavam noctem (1) apud eum moratus fuerit, aut si ad longinquiora loca transierit, duos ejusdem meriti servos domino cogatur exsolvere. Nam si apud eum mancipium, quod susceperat, subcelatum inveniatur, alterum cum eo dare domino non moretur: quia inter diem legibus constitutum noluit contestari.

IV.

Si nesciens quis fugitivum susceperit humanitate concessa.

Si quis nesciens fugitivum susceperit, & ei humanitatem dederit, & non amplius ibidem fuerit quam una die vel nocte immoratus, domino quærenti fugitivum suum præbeat sacramentum, se nescisse quod fugeret. Aut si certe potuerit approbare, quod fugitivum non celaverit, ab omni calumpnia liber abscedat. Si vero ibi biduo, aut triduo, aut quatriduo, pro reparandis sumptibus, vel cujuscunque occasionis caussa præter eas, moras afferre voluerit, conventus a domino, ubi postea manserit, vel a quo humanitatem fugitivus susceperit, cogatur ostendere: & infra sex menses, aut inveniat fugitivum, aut eos, apud quos postea fuerit, ostendat. Quod si non potuerit invenire, conscientiam suam ex hoc sacramento purgare debet: & apud quem novissime venit, aut repræsentet qui fugit, aut paris meriti servum domino reddat. Et si servus postea fuerit inventus, illum quem pro eodem dederat recipiat, & ab omni calumpnia securus abscedat.

V. ANTIQUA.

Si alienum mancipium quis persuadeat ut fugiat, vel humanitatem impendat.

Si quis alieno mancipio persuaserit ut fugiat, aut ei, cum sciret fugitivum, humanitatem dederit, aut forte detruderit[1] fugientem (2): si fugitivum poterit invenire, duos cum eodem paris meriti domino reformare cogatur. Si autem inventus non fuerit fugitivus, tres servos ejusdem meriti domino compellatur exsolvere. Eadem quoque & de ancillis præcipimus custodiri.

VI.

Si ignotus homo susceptus multis diebus apud alium commoretur.

Si apud quemcunque quinque aut sex dies homo ignotus aut latens moretur, ille qui eum hospitio suscepit, vel humanitatem dedit, ante diem testetur octavum judici vel vicario proximæ civitatis aut territorii, ut secundum legem de susceptione fugitivorum, quam nuper edidimus, idem ipse qui fugit, illius qui in loco major est interrogatione discussus, quis sit, aut propter quid venerit, possit agosci: sicque omnis constitutio prædictæ legis, de susceptione scilicet fugitivorum, quæ nuper[2] a nostra gloria condita esse dinoscitur, in omnibus impleatur. In limitibus præterea provinciarum major sollicitudo præstetur, ita ut ipsa aut altera die ejus publicetur adventus. Quod si intra hos octo dies non contestatus fuerit, qui suscepit, & omnem constitutionem præmemoratæ legis implere neglexerit, & mancipium in domo sua moram amplius fecerit, alium talem cum eo domino restituat, quia noluit contestari. Si vero in fuga celatus evaserit, hospes requirat fugitivum: quem si non potuerit invenire, duos æqualis meriti domino cogatur exsolvere.

VII. ANTIQUA.

Si servus fugitivum sciens viam ostenderit fugiendi.

Si servus alterius fugitivum sciens viam ostenderit, si fuerit fugitivus inventus, sive etiam non potuerit inveniri, servus qui iter monstravit, tantummodo centum flagellorum ictibus verberetur, & domino ejus nulla calumnia moveatur.

VIII. FLS. ERVIGIUS REX.

Ut ad cujus domum fugitivus advenerit, vicinis sex loci prioribus contestetur.

Ad cujus domum venerit (3) fugitivus, prio-

1 *Detonderit.* 2 Al. *quæ noviter.*

(1) *Octavam noctem.*) Hoc est, *octavam diem.* De more computandi per noctes repete dicta ad legem Alamannorum Tit. XXXVI. leg. 2. & consule, si placet, ea, quæ quamplures in Barbaris antiquitatibus versati hac de re congessere.

(2) *Detruderit fugientem.*) Lege, *detonderit*; ut in variante lectione. Certe non inter omnes saltem populos detondebantur servis crines, ut ferunt quidam cæteroquin eruditi antiquitatum studiosi. Inter Langobardos etiam communis sortis servos cæsariem aliquam gestasse innuit Lex Rotharis CCCLXXXVI. quam hic repetere juvat: *Si servum ministerialem, aut aldium, aut servum alienum rusticanum per barbam, aut capillos traxerit, componat ei, sicut pro una ferita, unum solidum.* Ex hac autem Gothica lege facile colligimus, servos talem gestasse comam, ut per illam a cæteris discerni possent.

(3) *Ad cujus domum venerit &c.*) Hispanicus: *A cuya casa viene el servo fuydo, el senor de la casa luego lo faga saber a los mirinos, o al senor daquela tierra.* Quæ lectio firmatur quoque ex iis, quæ habentur lege sequenti.

prioris loci illius villicus atque præpositus, quibuscunque testetur: & si eum in domum suam retinere voluerit, habeat potestatem. Quacunque hora dominus ejus supervenerit, recipiat, & nullam calumniam qui suscepit, incurrat. Quod si se fugitivus ad alia loca transtulerit, sacramentum præsentibus illis, quibus testis est, præbere debebit, se ut fugeret non persuasisse vel præcepisse, & se ubi lateat nescire: & post hæc nullam calumniam patiatur.

IX. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

De susceptione fugitivorum: si dominus vel servus suscipiat alterius fugitivum.

Ad cujus domum transiens advenerit fugitivus, si accepta ex incognito eleemosyna confestim alibi pertransierit, calumpnia illi, qui quasi peregrinum ad horam hospitio suscepit, moveri omnino non poterit: cum se hujusmodi susceptor sacramentis purgaverit, quia incognitum habuerit eum, cui prætereunti eleemosynam dedit. Quod si duobus aut tribus diebus fugitivus apud alterum quolibet modo permanserit, statim ille qui eum susceperit, secundum quod superiori lege præcipitur, ante diem octavum prioribus loci illius, judici, villico, atque præposito, coram idoneo teste [1], eum quem suscepit præsentare procuret. Sicque interrogetur ac strenue perquiratur a judice, aut cujus sit servus, aut quando a domino suo fugerit, aut quando aut ubi ille, qui eum præsentat, susceperit. Sicque tota in unum collecta atque conscripta, judex aut alii qui adfuerint, manu sua hæc, quæ perquisita fuerint vel inventa, subscribere debeant. Ita ut & fugitivum, & hoc ipsum quod scriptis de eodem alligatum est [2], ille qui eum præsentavit, in potestate sua recipiat, qualiter eum infra dies octo suis dominis reddat. Quod si dominus fugitivi longe fortasse sit positus, viginti per dies singulos millibus computatis spatio ille qui fugitivum suscepit sibi concesso in præfinito die, ubi dominum fugitivi reperit, fugitivum ipsum domino suo, aut per se aut per quem voluerit, serviturum restituat: & commodum suum, quantum lege altera constat, per triginta millia tremissem unum a domino fugitivi accipiat. Quod si eidem, qui fugitivum susceperit, gravosum fortasse extiterit, propter terrarum longinquitatem fugitivum domino suo præsentare, saltem vel ubi vicinas possessiones domini fugitivi agnoverit, actori vel procuratori fugitivum coram legitimo teste præsentet: & accepta superioris commodi summa, securus ipse qui fugitivum suscepit, abscedat. Jam vero si fugitivum judici præsentaverit, & a judice perquisitus ipse qui præsentavit, cujus servus sit nullo modo dixerit; apud judicem ipse qui eum præsentaverat, eundem fugitivum relinquat. Judex vero sub ardua custodia eundem qui præsentatus est, infra tempus, & juxta modum superius constitutum, regiis obtutibus præsentare non differat: ut principali potestate manente manifeste quæsitus, ubi cunctorum constat adesse conventum, cognitio fugitivi per plurimos habeatur. His igitur omnibus necessaria sanctione præmissis, quicunque deinceps fugitivum cognitum vel incognitum, non sub isto quo præmissum est ordine, aut judici non præsentaverit, aut suo domino non reddiderit, domino fugitivi, & ipsum qui fugerit, & alium cum eo in satisfactione restituat serviturum. Quod si fugitivus perierit, duos similes servos a susceptore dominus fugitivi recipiat. Hoc quoque & judex damno multabitur, si ordinem implere distulerit superius constitutum. Si vero servus contra voluntatem domini sui fugitivum alterius susceperit, extensus coram judice centum flagella suscipiat, & fugitivus petenti domino mox reformetur. Quod si idem, qui a servo susceptus est fugitivus, minime repertus extiterit, alium similem servum pro eo dominus servi susceptoris reddere compellendus est. Certe si dominus pro servo componere noluerit, servum ipsum tradere non moretur.

X.

Ut bis venditus servus, per fugam rediens, in libertate permaneat.

Si quis proprium servum extra provincias nostras ad alias regiones venditione transtulerit, ac postmodum servus reversus fuerit, & dominus eum iteratim venundaverit, cogatur a judice ut eum ab emptore recipiat, & receptum deinceps servum nullo modo inquietet, sed liber permaneat. Ipse vero qui eum ex peregrinis locis ad patriam remeantem notanda iterum cupiditate distraxerat, alium servum paris meriti priori reddat emptori: nihilominus & illi, qui postea comparavit, pretium redditurus. Sed tamen servum ex peregrinatione reversum, nec vendere prior dominus, nec servitio suo applicare præsumat, sed perenniter idem servus in libertate persistat.

XI.

Ut discutiatur mancipium fugitivum, ne propter lucrum capiendum fuerit ad domum suscipientis immissum.

Mancipium fugitivum discutiatur, ut nomen domini sui exprimat & diligentius præsente judice requiratur: ne forte propter lucrum capiendum ad domum fuerit suscipientis immissum. Et si ita esse constiterit, dominus tantæ fraudis inventus illi, quem in crimine occultati servi implicare conatus est, damnum quod occultatoribus impositum est, ipse persolvat. Æquum enim est, ut tam no-

1 Al. idoneis testibus. 2 Al. allegatum est.

nocentium insidiarum reatus in suum recurrat auctorem.

XII.

Si ingenuum se esse mentiens servus sub mercedis conditione apud alium commoretur.

Si servus fugiens ingenuum se esse dicat, & unde sit ignoretur: sicque apud quemlibet fuerit immoratus sub certa conditione mercedis, secundum superiorem legem judici ante præsentetur & discutiatur. Et si mercenarium eum non fugitivum investigatio judicis perquirentis invenerit: si in postmodum, apud quemlibet fuerit, inveniatur a domino, non potest tanquam reus teneri, qui nesciens fugitivum mercenarii loco susceperit. Dominus vero fugitivi, mercedem quæ placita fuerat consequatur. Quod si servus a Domino de fuga reductus iterum fugerit, & eum iterato fugientem receperit, qui mercenarium eum ante susceperat, continuo aut judici tradat, aut domino remittere non moretur. Cæterum si hoc non fecerit, damnum occultatoris accipiat.

XIII.

Si fugitivus in domo cujuscunque fuerit inventus.

Si fugitivus in domo potentis, aut cujuslibet fuerit inventus, qui liberum se esse dicat, aut fortasse non dicat, repetenti sine dilatione reddatur. Ille vero qui recepit, se judicio caveat ad futurum, nullis ante judicium tormentis eum traditurus, donec aut iste suam vindicet libertatem, aut certe ille approbet servum qui repetit. Quod si petitor ista cavere noluerit, fugitivus ille sub illius, apud quem inventus est, fidejussione tandiu consistat, quandiu agnosci possit, quid de eodem rationabiliter judex absque retardatione definiat.

XIV.

De mercede ejus qui prendiderit fugitivum.

Si quis fugitivum comprehenderit, per xxx. millia vel infra tremissem accipiat; per centum autem millia unum solidum pro beneficio consequatur; sicque dum creverit numerus millium, crescat & numerus solidorum: ita ut qui invenerit fugitivum, eum cum rebus omnibus, quas cum eo invenerit, præsentare suo domino non moretur. Quod si fugitivus ab eo a quo fuerat captus fugerit, dominus servi ab eodem sacramentum accipiat, quod non ipsius fraude vel studio fugitivus evaserit, & nullam postea calumniam pertimescat. Et si post datum sacramentum aliquid a fugitivo convincetur accepisse mercedis, aut ejus fraude doceatur admissum, ut fugitivus ad longinquiora pertenderet: si fugitivus fuerit inventus, paris meriti alium servum domino reformare cogatur. Sin autem inventus non fuerit, duos ejusdem meriti servos domino ejus compellatur exsolvere.

XV. ANTIQUA.

Si servus fugiens se esse mentiatur ingenuum.

Si servus in fuga positus ad ignotos advenerit, & sibi mulierem ingenuam in conjugio copulaverit, eo quod dicat se ingenuum esse: & hoc mulier vel ejus parentes ita factum convicerint, aut certe judex talem probationem a parte mulieris inspexerit: dum dominus servi hanc veritatem agnoverit, nihil ipsi mulieri dampni aut calumniæ moveatur, sed sit libera, & filii (1) qui ex eis sunt procreati, conditionem matris sequantur. A servo vero si voluerit non separetur; si tamen hoc & dominus servi voluerit.

XVI.

Si servus fugiens dicat se esse ingenuum, & ob hoc mulieris ingenuæ connubio sociatur.

Quia sæpe, dum servi dominos suos fugiunt, mentientes se esse ingenuos, mulieribus ingenuis contra legum decreta in conjugio copulantur: ideo hujus legis valitura promulgatione decrevimus, ut si quis servus in fuga positus, vel quibuscunque modis de jure domini sui evagans, ad quemlibet pervenerit, utrum ingenuum se esse dicat, aut fortasse non dicat: & sub hac occasione ingenuæ mulieri petierit copulari: quidquid de tam inhonesta conjunctione fuerit procreatum, conditionem patris procul dubio sequatur: ut dum ejus dominus advenerit, non solum eundem fugitivum, sed & filios exinde progenitos, omneque eorum peculium suo debeat vindicare dominio. Similis quoque & de ancillis ordo servandus est, quæ fugientes dominos suos viris ingenuis se copulare præsumpserint.

XVII. ANTIQUA. FLS. CIND. REX.

De his quæ servus fugiens adquisisse videatur.

Si servus in fuga positus, aliquid dum in ea fuga est de artificio suo vel quocunque justo labore adquisierit, dominus ejus dum eum invenerit, sibi vindicet omnia. Cæterum si cum rebus furatis eum dominus suus repererit, nihil exinde sibi defendere poterit,

---

(1) *Et filii &c.*) Hispanicus: *Mas los fiios deven ser servos como el padre, e non se deven quitar de so padre, si el senor non quisier.* An recte? videant alii.

rit, ſed ei qui perdidit reddere non tardabit. Si vero damnum aut quodcunque crimen iſdem fugitivus admiſiſſe convincitur, ille componat qui latebras ei præbuiſſe convincitur.

XVIII.

De his qui præventos ſervos dominis reformare contemnunt.

Dum plerique controverſiis vacare nituntur, legum quaſdam ſententias inique pervertunt, & pro eo quod antiqua lege decretum eſt, ut dum fugitivi dominus ſupervenerit, eum recipiat, differunt ejus domino reddere fugitivum: ut dum ſub hac fortaſſe occaſione dilatio prætenditur, ſibi eum cum prolixitate temporis vindicent ſerviturum: præſertim quia ſit omnino ſuperfluum, pro vilis interdum ſervi perſona dominum ducentis aut trecentis millibus vel amplius fatigari. Et talis objectio callide magis quam veraciter videtur opponi. Proinde conſtituentes decernimus, ut quicunque domino ſeu per ſe, ſive per hominem ſuum requirenti fugitivum ſuum & agnoſcenti reddere diſtulerit, vel comprehenſum excuſſerit: quatuor ejuſdem meriti ſervos, & eundem fugitivum domino ejus reddere compellatur. Aut ſi idem fugitivus perierit, quinque procul dubio ſimiles ſervos exſolvere non moretur: unum ex eis ille qui compoſuit poſtmodum recepturus, ſi vel ab ipſo, vel a domino ſuo fugitivus inventus, in ſervitium proprii domini fuerit reſtitutus. Ita ut ſi talia neſciente domino ſervus admiſerit, ſi voluerit dominus, duos ejuſdem meriti ſervos pro eo ſervi domino det. Si autem voluerit (1), ſervus tradatur fugitivi domino perenniter ſerviturus. Et talis etiam de ancillis ordo ſervetur.

XIX.

Si ingenuus vel ſervus latrones celandos ſuſceperint.

Si quis ingenuus vel ſervus ſciens latrones celandos ſuſceperit, præſentet quos celavit, & ducentos ictus accipiat flagellorum. Quod ſi non præſentaverit abſconſos, pœnam quam illi merebantur incurrat.

XX.

Ut judex cum omnibus rebus, cum quibus fugitivum invenerit, domino veniente reſtituat.

Ut id quod judex apud reum aut fugitivum invenerit, abſente eo qui reum aut fugitivum perſequitur, Comiti civitatis oſtendat, & ſic apud ſe retineat, ei qui perdidit cum adfuerit redditurus. (2)

T I-

(1) *Si autem voluerit.*) Lege, *noluerit.* Hiſpanicus: *E ſi non quiſier.*

(2) Poſt hanc legem alia exhibetur in Hiſpanico, ſeu lex, ſeu conſtitutio, cujus Epocha in calce legis appoſita neſcio qua ratione Egicæ regi conveniat, cui tribuitur. Sic autem conſcripta eſt: *Por las leys antiguas avemos moſtrado en quales maneras los ſervos fuydos deven ſer peſquiridos que ſe non podan aſconder; mas porque los enganos ſon mochos de los que fuen, e de los que los encuebren: porende el mandado de la ley non puede ſer comptido, e la maldat, que les creſce los faze mas encobrir, aſſi que non es cibdade, nen caſtiello, nen burgo, nen villa, u los ſervos non ſean abſcondidos. Onde mandamos gardar la ley de ſuſo de los ſervos que fuen: e eſtabelecemos demas por eſta nueva ley, que todo ome que recibir ſervo ayeno fuydo daqui adelantre, maguer que diga que es libre, luego lo preſente antel juyz, e el juyz peſquira ſi es ſervo, o ſi es libre, e ſi fur ſervo, entreguelo a ſo ſenor. E ſi dalgun ome recibe ſervo ayeno fuydo, e non lo preſenta luego al juyz, o non lo entrega a ſo ſenor; ſi es ſervo, o ome franqueado aquel que lo recibe, reciba ciento y cinquenta açotes paladinamentre; e ſi es ome libre, reciba cien açotes, e demas peche una libra doro al ſenor del ſervo; e ſi non ovier donde la pague, reciba dozientos açotes. E los otros vezinos daquel lugar, ſi quier ſean ſervos, ſi quier ſean libres, o fur de noſtra gente, o de otros omes, o de las Ygleſias, otra tal pena mandamos que reciba como es de ſuſo dicha, ſi non moſtraren el ſervo que es fuydo, o ſi non lo echaren del lugar, o ſe lo aſconden: e eſto mandamos gardar e tener por tal, que en todos los lugares u furen los ſervos fuydos, todos los omes que furen en aquel lugar, ſe ayunten, e que los peſquiran, e los tormenten, o los fagan otra pena, ata que ſaban ſi ſon ſervos, o ſervas ayenas, o porque fuyron de ſos ſenores, o donde venieron en aquel lugar; que depoys que lo ſobieren, que los entreguen a ſos ſenores, o que le los embien, aſſi como es de ſuſo dicho: E ſi eſto non quiſieren guardar, e non quiſieren peſquirir los ſervos fuydos, o preſentar antel juyz, o entregar a ſos ſenores, ſi depoys los ſervos furen axados en aquel lugar, todo los omes daquel lugar, aſſi los varones, como las moyeres, de qual gente que ſean, e da qualquier linaye, o de qualquier dignidat, reciba cada uno dozientos açotes: E ſi los mirinos, o los juyzes, o los que deven de tener juſtiza en la tierra, o los perlados de las ygleſias, o los noſtros ſacerdotes, non quiſieren fazer eſta juſtiça de ſuſo dicha en los omes que non quieren peſquirir los ſervos fuydos, o que los encubren: los Obiſpos, o los Senores de la tierra, les fagan recibir a cada uno trecientos açotes: e ſi los Obiſpos, o los Senores, o por amor, o por aver, o por medo, non quiſieren fazer eſta juſtiza en aquelos, por treynta dias fagan penedencia como deſcomongados, aſſi que en aquellos treynta dias non coman condocho, nen bevan vino: fueras que a ora de veſpra coman un poco de pan dordio por ſuſtentaminto del corpo, e bevan un vaſo dagua, e ſofran pena damargura, porque non quiſieron fazer justiça. E mandamos a los Senores de la tierra, que eſta pena den a los juyzes que non quiſieren fazer la juſtiza: e ſi los Senores non lo quiſieren fazer, pechen tres libras doro al Rey. E todo los omes que ſon de Spania, que quiſieren comprar ſervos de dalgunos omes, que non conocen, mandamos que los non compren ata que los ſervos ſean apreſentados antel juiz, e ante buenos omes de la tierra, e que ſea ſabido ſi es el ſervo daquel que lo vende, o dotre, e que lo diga el que lo vende, e jure lo que dixere, e dopoys el ſervo ſea penado: E ſi podier ſer ſabido, que el ſervo es*

aye-

Titulus II. De his qui ad bellum non vadunt, aut de bello refugiunt,

I.

Si hi qui in exercitu præpositi sunt, commodis corrupti aliquem de expeditione domum redire permiserint, vel a domibus suis exire non coegerint.

Si thiufadus (1) ab aliquo de thiufadia sua fuerit beneficio corruptus, ut eum ad domum suam redire permitteret, quod acceperat in novecuplum reddat Comiti civitatis, in cujus est territorio constitutus. Et si ab eo nullam mercedem acceperit, sed sic eum dum sanus est ad domum dimiserit, vel de domo in exercitum exire non compulerit, reddat solidos xx. quingentenarius vero xv. & centenarius x. si certe decanus fuerit v. solidos reddere compellatur: & ipsi solidi dividantur in centena, ubi fuerint dinumerata.

II.

Si compulsores exercitus aliquid, dum exercitum ad hostem compellunt, de domibus eorum auferre præsumpserint.

Servi dominici, id est, compulsores exercitus (2), quando Gothos in hostem compellunt exire, si eis aliquid tulerint, aut ipsis præsentibus vel absentibus, sine ipsorum voluntate, de rebus eorum auferre præsumpserint, & hoc ante judicem potuerit approbari, ei cui abstulerint in undecuplum restituere non morentur. Ita tamen ut unusquisque eorum in conventu publice quinquaginta flagella suscipiat.

III.

Si præpositi exercitus relicto bello, aut domum redeant, aut alios redire permittant.

Si quis centenarius dimittens centenam in hostem, ad domum suam refugerit, capitali supplicio subjacebit. Quod si ad altaria sacra, vel ad Episcopum confugerit, trecentos solidos reddat Comiti Civitatis, in cujus est territorio constitutus, & pro vita sua non pertimescat. Ipse tamen Comes civitatis notum faciat Regi, & sic cum nostra ordinatione partiantur solidi illi ad ipsam centenam, quæ ei fuerit adscripta. Ipse autem postmodum centenarius nullo modo præponatur, sed sit sicut unus ex decanis. Et si centenarius sine conscientia aut voluntate præpositi hostis, aut thiufadi sui, de centena sua ab aliquo pro beneficio persuasus aut rogatus, quemquam ad domum suam redire permiserit, vel in hostem ut non ambularet relaxaverit, quantum ab eo acceperit, in novecuplum Comiti civitatis, in cujus est territorio constitutus, satisfacere compellatur: & sicut superius diximus, Comes civitatis nobis in notitiam referre non differat, ut ex nostra præceptione dividatur inter eos, in cujus centena fuerat adscriptus. Quod si centenarius ab eo nullam mercedem acceperit, & sic eum ad domum suam ambulaturum dimiserit; ille centenarius, sicut superius est comprehensum, det Comiti civitatis solidos decem.

IV.

Si præpositi exercitus, aut relicta expeditione domum redeant, aut alios exire minime compellant.

Si decanus relinquens decaniam suam de hoste ad domum suam refugerit, aut de domo sua, cum sanus est, exire & ad expeditionem proficisci noluerit, det Comiti civitatis solidos x. Quod si alicui forte mercedes dederit, reddet solidos v. Comiti civitatis, in cujus est territorio constitutus: & ipse Comes civitatis notum nobis faciat, ut cum nostra [1] jussione dividantur inter eos, in quorum centena fuerat adscriptus. Quod si aliquis, qui in thiufadia sua fuerat numeratus, sine permissu thiufadi sui, vel quingentenarii, aut centenarii, vel decani sui de hoste

[1] *Al. utrum nostra.*

ayeno, e non es daquel que lo vende, el servo sea entregado al senor cuyo era, e el juyz tenga en garda a quel que lo vendie, ata que venga el senor del servo, e aya del sua emenda, qual le mandare derecho. Dada e confirmada esta ley ena cibdade de Corduba en tiempo de diezeseys anos andados que regnamos.

(1) *Si thiufadus.*) De Thiufadis, Centenariis, & Decanis, qui in hac & sequentibus legibus, & alibi quoque in Wisigothorum codice memorantur, ut & de Thiuphadiis, Centenis, & Decaniis, agetur in Monito ad Leges Anglosaxonum.

(2) *Compulsores exercitus.*) Exercitui cogendo missi ex reliquiis barbari moris, & præcipue Germanorum Septemtrionalium, ex quibus Wisigothos derivasse censent eruditi quamplurimi. Septemtrionales veteres, prout Barbarorum mos habebat, literarum ignari bacillum, aut sagittam, quasi symbolum belli, aut publici conventus, per pagos, villasque mittebant; quo signo exercitus, aut cœtus indiceretur. Ritum memoravit Snorro in Historia Haquini Boni cap. XXIII. *Sagitta, sive bacillo belli nuntio, quoquoversus misso; milites exciri jussit Rex, civesque arma parare, quorum brevi magnus ad eum confluxit numerus.* Et in Historia Olafi Trygguini cap. LIII. *Ormus, missa sagitta belli nuntia per quatuor vias ad loca vicina, omnes moneri jussit, ut arreptis armis ad Hakonum Jarlum occidendum tenderent; misit præterea nuntium ad Halidorum in Skeringstadis, qui etiam, missa belli nuntia sagitta, cives ad arma vocavit . . . . . Dicta igitur missa sagitta magna hominum multitudo e domibus excita, ad Medalhusum convolavit.* Hoc de more agunt Olavus Magnus Lib. VII. cap. 3. Johannes Ihre Glossar. V. *Budkafle*, & V. *Hoer*, aliique Scriptores.

hoste ad domum suam refugerit, aut de domo sua in hostem proficisci noluerit, in conventu merentium [1] (1) publice centena flagella suscipiat, & reddat solidos decem.

V.

Si compulsores exercitus, beneficio accepto, aliquem sine ægritudine domi stare permiserint.

Servi dominici qui in hostem exire compellunt, si ab eisdem aliquis se forte redemerit, quantum ab eo acceperint, in novecuplum Comiti civitatis cogantur exsolvere: & eos quos rogavit dum esset sanus, ut eum in expeditionem non compellerent, etiam si ab eo nullam mercedem acceperint, illi qui eum relaxaverint, reddant pro eo Comiti civitatis solidos v. Thiufadus vero quærat per centenarios suos, & centenarii per decanos: & si potuerint cognoscere, quia per precem aut per redemptionem ad domum suam confugerint, aut de domo in hostem proficisci noluerint; tunc thiufadus præposito Comitis civitatis notum faciat, & scribat Comiti civitatis in cujus est territorio constitutus: ut Comes civitatis vindictam, quæ in lege posita est, de his qui pro se rogant, aut qui se redimunt a thiufadis, vel centenariis, aut decanis, vel servis dominicis, omnia ad integrum implere non differat. Quod si exegerit, & celaverit, & in notitiam non protulerit, omnia quæ exegerit in novecuplum reddat. Et si corruptus ab aliquo vel rogatus exigere distulerit, in duplum de propria facultate satisfaciat illis, qui inter se hanc solutionem fuerant divisuri. Quod si post exactam rem notum regi non fuerit, ut ipse hoc jubeat in thiufadia sua cui debeatur dividere, aut Comes civitatis reddere fortasse dissimulet, undecupli compositione [2] eis satisfacere non moretur.

VI.

De his qui annonas distribuendas accipiunt, vel fraudare præsumunt.

Hoc justum elegimus, ut per singulas civitates vel castella quicunque erogator annonæ fuerit constitutus, Comes civitatis (2) vel annonæ dispensator, annonam quam eis est daturus, ex integro in civitate vel castellis jubeat exhiberi, & ad integrum eis restituere non moretur. Quod si contigerit ut ipse Comes civitatis aut annonarius, per negligentiam suam non habens, aut forsitan nolens, annonas eorum dare dissimulet, Comiti exercitus sui querelam deponant, quod annonas eorum dispensatores tradere noluerint: & tunc ille præpositus hostis hominem suum ad nos mittere non moretur. Ita ut numerentur dies, ex quo annonæ eorum juxta consuetudinem eis impletæ non fuerint. Et tunc ipse Comes civitatis vel annonarius in quantum temporis eis annonas consuetas subtraxerat, in quadruplum eis invitus de sua propria facultate restituat. Similiter & de his, qui in thiufadia numerati fuerint, observari præcipimus.

VII.

Quam mercedem accipiat qui mancipia vel quaslibet res de manu hostis excusserit.

Quicunque de vitæ suæ statu desperans inimicos fuerit aggressus, ita ut mancipia, vel quodcunque genus pecuniæ, aut aliarum rerum, ab inimicis possit excutere, & certus rei dominus apud eum videatur aliquid agnoscere, de eis ex toto duas partes pro intuitu misericordiæ domino certo restituat: tertiam vero partem pro laboris sui præmio consequatur. Similiter & si quis qualecunque mancipium ab inimicis sollicitaverit, & ipsi mancipio patrocinium aut consilium præstiterit, & eum ad certum dominum perduxerit: quicunque fuerit agnitus hoc fecisse, decimam partem mercedis pro tali caussa aut eventu omnino excipiat habiturus.

VIII. IN NOMINE DOMINI WAMBA REX.

Quid debeat observari si scandalum infra fines Hispaniæ surrexerit.

Cogit nostræ gloriæ saluberrima intentio, ut sicut in dirimendis negotiis populorum, legum est auctoritas promulgata, ita in rebus bellicis mutuo suffulta præsidio habilis ad expugnandum maneat, fraternitatis dilectione retenta. Prodesse enim hominibus tranquillitas nostra non ambigit, si cunctorum animos ad bonum propositum classica legis tuba evocando constringat: scilicet ut quæ in præteritis non bene ordinata discurrunt, deinceps disposita opitulante domino in melius proficiscantur. Et ideo hujus male usitatæ consuetudinis mores nostra clementia perhorrescit, & tædiose tolerat, quod per quorundam incuriam frequentia occurrant patriæ dampna. Nam quotienscunque aliqua infestatio inimicorum in provincias regni no-

1 Al. in conventu mercantium.

2 Al. in decupli compositione.

(1) *In conventu merentium.*) Rectius in variante lectione: *in conventu mercantium*. Hispanicus: *eno mercado*.

(2) *Comes civitatis.*) Ergo Comes non modo ut belli Dux spectabatur, sed & ut annonæ militari Præfectus. Huc faciunt, quæ Garivay profert, atque ex eo Villadiego Comment. ad Lib. II. Tit. I. leg. 25. Hispanici Codicis: *Que en criando el Rey a un Conde, luego traya pendon y caldera, en significacion que con el pendon podia levantur y hazer gente de guerra, como Caudillo, y Capitan de pueblos, y gentes: y con la caldera mantener y darles de comer, dandoles sus raciones, y todo lo que avian menester.*

ſtri ſe ingerit, dum noſtris hominibus, qui in confinio externis gentibus adjunguntur, hoſtilis ſurrexit bellandi neceſſitas; ita quidam facillima ſe occaſione diſpergunt, modo tranſductione loci, modo livore odii, modo etiam impoſſibilitatis diſſimulatione ſubnixi, ut in eo præliandi certamine unus alteri fraterna ſolatia non impendat: & ſub hac occaſione, ut qui præſentare ſe pro publicis utilitatibus audacter voluerit, caſu imminentis periculi ab adverſariis perimatur. Ideo præſenti ſanctione decernimus, ut a die legis hujus prænotato vel tempore, ſi quælibet adverſitas inimicorum contra partem noſtram commota extiterit, ſeu ſit Epiſcopus, ſive etiam in quocunque eccleſiaſtico ordine conſtitutus, ſeu ſit Dux aut Comes, thiufadus aut vicarius, gardingus vel quælibet perſona, cui aut ex ipſo ſit commiſſum, ubi adverſitas ipſa occurrerit, aut ex altero qui in civitate adjungitur, vel quicunque in eaſdem provincias vel territoria ſuperveniens infra centum millia poſitus, ſtatim ubi neceſſitas emerſerit, mox a duce ſeu comite, thiufado vel vicario, aut a quolibet fuerit admonitus, vel quo modo ad ſuam cognitionem pervenerit, & ad defenſionem gentis vel patriæ noſtræ paratus, cum omni virtute ſua qua valuerit, non fuerit, & quibuslibet ſubtilitatibus vel requiſitis occaſionibus alibi ſe transferre vel excuſare voluerit; ut in adjutorio fratrum ſuorum promptus atque alacer pro vindicatione patriæ non exiſtat: & ſuperveniens adverſariorum hoſtilitas aliquid dampni vel captivitatis in populos vel in provincias regni noſtri amodo intulerit: quiſquis tardus vel formidoloſus, vel qualibet malitia, timore vel tepiditate ſuccinctus extiterit, & ad præſtitum vel vindicationem gentis ſuæ & patriæ exire vel intendere contra inimicos noſtræ gentis tota virium intentione diſtulerit: ſi quiſque ex ſacerdotibus vel clericis fuerit, & non habuerit unde dampna rerum terræ noſtræ ab inimicis illata de rebus propriis ſatisfaciat, juxta electionem Principis deſtrictiori mancipetur exilio. Hæc ſola ſententia (1) in Epiſcopis, presbyteris, & diaconibus obſervanda eſt. In clericis vero non habentibus honorem, juxta ſubtiliorem de laicis ordinem conſtitutum, omnis ſententia adimplenda eſt. Ex laicis vero, ſive ſit nobilis, ſive mediocrior viliorque perſona, qui talia geſſerint, præſenti lege conſtituimus, ut amiſſo teſtimonio dignitatis (2), redigatur protinus ad conditionem ultimæ ſervitutis: & de ejus perſona quicquid Princeps vindicare voluerit, poteſtas illi indubitata manebit. Nam juſtum eſt, ut qui nobilitatem generis ſui & ſtatum patriæ, quod priſcæ gentis adquiſivit utilitas, conſtanti animo vindicare nequivit, legis hujus ſententia feriatur, qui ignobiliter ſuperioribus culpis adſtrictus degenerat, qui inutilis reperitur. De bonis autem tranſgreſſorum, laicorum ſcilicet atque etiam clericorum qui ſine honore ſunt, id decernimus obſervandum: ut qui deinceps hoc fortaſſe commiſerint, inde cuncta dampna terræ noſtræ, vel his qui mala pertulerint, ſarciantur, ut recte doleat, & dignitatem ſe amiſiſſe nobilium, & prædia facultatum, cujus maligna vel timida factio, nec lædentem repulit hoſtem, nec ſe oſtendit in adverſariorum converſione virilem. Nam & ſi quilibet infra fines Hiſpaniæ, Galliæ, Galliciæ, vel in cunctis provinciis, quæ ad ditionem noſtri regiminis pertinent, ſcandalum in quacunque parte contra gentem vel patriam, noſtrumque regnum, vel etiam ſucceſſorum noſtrorum moverit, aut movere voluerit, dum hoc in vicinis locis ipſius partis, juxta numerum milliorum ſupraſcriptum, nuntiarum fuerit: aut etiam ſpecialiter quiſquis ille a ſacerdotibus, clericis, ducibus, comitibus, thiufadis, vicariis, vel quibuslibet perſonis, juxta ordinem ſupraſcriptum admonitus fuerit, vel ad ſuam cognitionem quoquo modo pervenerit: & ſtatim ad vindicationem aut Regis, aut gentis & patriæ, vel fidelium præſentis Regis, contra quem ipſum ſcandalum excitatum extiterit, non citata devotione occurrerit, & præſtitum ſe in eo-

rum

(1) *Hæc ſola ſententia &c.*) Agitur de territorii limitrophi defenſione ex ingruente neceſſitate adverſus excurſus, & ſubitas aggreſſiones; quibus reprimendis omnes indiſtincte tenerentur ſuppetias ferre. Id apprime neceſſarium viſum eſt diebus Wambæ hujuſce legis latoris; quibus conjuratorum, Maurorum, aliarumque gentium incurſus vel evenerant, vel timebantur, ut colligimus ex Roderico Toletano lib. III. c. 2. ſeqq. & ex Roderico Santio lib II. c. 32. Non vero inde infertur, quod Eccleſiaſtici in hoſtem pergere, perſonaleſve factiones obire tenerentur in Gothico Regno. Perſonalis ſaltem Clericorum immunitatis exemplum exhibet Concilium Toletanum IV. cap. 47. *Præcipiente Domino, atque excellentiſſimo Siſenando Rege, id conſtituit Sanctum Concilium, ut omnes ingenui Clerici pro officio religionis ab omni publica indictione, atque labore habeantur immunes; ut liberi Deo ſerviant. nullaque præpediti neceſſitate ab Eccleſiaſticis officiis retrahantur.*

(2) *Ut amiſſo teſtimonio dignitatis &c.*) Hanc eſſe reor conſtitutionem, cui remedium moderaminis adhiberi e re poblica viſum eſt Patribus Concilii Toletani XII. celebrati regnante Ervigio Wambæ ſucceſſore, ubi canone 7. hæc leguntur: *Et ideo, quia legem illam a Domino Wambane Principe editam, quæ de progreſſione eſt exercitus annotata, hujus Principis noſtri & Domini Ervigii manſuetudo temperare diſpoſuit; ideo annuente nobis glorioſo, & religioſiſſimo Ervigio Principe noſtro, neceſſarium hoc Sanctum Concilium definivit, ut hi qui ſuper prædictam legem teſtificandi dignitatem perdiderant, recepto teſtimonio priſtinæ dignitatis cauſas exequi poſſint debitæ actionis; qualiter nobilitatis ſolitæ titulum reportantes &c.* Revera in Tomo Regio ejuſdem Concilii Patribus oblato conqueritur Ervigius, quod hujus *ſeveritatis inſtitutio, dum per totos Hiſpaniæ fines ordinata decurrit, dimidiam fere partem populi ignobilitati perpetuæ ſubjugavit.*

rum adjutorio ad destruendum exortum scandalum non exhibuerit: si Episcopus vel quilibet ex clero fuerit, aut fortasse ex officio palatino, in quocunque sit ordine constitutus, vel quælibet persona fuerit dignitatis, aut fortasse inferior, hujus infidelitatis impublicatus scelere, non solum exilio relegetur, sed & de eorum facultatibus quidquid censura regalis exinde facere vel judicare voluerit, arbitrio illius & potestati per omnia subjacebit. Illos tantum a superioribus capitulis lex ista indemnes efficiet, qui ita ab infirmitate fuerint prægravati, ut progredi vel proficisci in consortio fidelium secundum superiorem ordinem minime possint. Qui vero & si ipsi morbis quibuslibet fuerint præpediti, omnem tamen suam virtutem in adjutorio Episcoporum, vel clericorum, atque fratrum suorum sinceriter pro utilitate regiæ potestatis, gentis & patriæ fideliter laborantium dirigent. Quod si hoc non fecerint, superiori sententia pariter cum transgressoribus feriantur. Persona autem illa tunc erit a superscripta dampnatione innoxia, dum per idoneum testem convicerit, ita se esse per ægritudinem impossibilem, ut nullum habuisset in tempore præstandi vel proficiscendi vigorem: ut vitium, quod ex præteritis temporibus male usque hactenus inoleverat, & severa legis hujus censura redarguat, & consors atque unanimis assensio quietem plebium, & patriæ defensionem adquirat.

DATA ET CONFIRMATA EST LEX DIE KALENDARUM NOVEMBRIUM, ANNO FELICITER SECUNDO REGNI NOSTRI.

IX. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

De his qui in exercitum constituto loco vel tempore definito non successerint, aut refugerint; vel quæ pars servorum uniuscujusque in eadem expeditione debeat proficisci.

Si amatores patriæ hi procul dubio approbantur, qui se periculis ultronee pro ejus liberatione objiciunt, cur desertores potius non dicantur, qui vindicatores ejus esse non desistunt [1]. Nam quando hi tales voluntarie terram salvaturi credendi sunt, qui etiam animo acri [2] (1) pro liberatione patriæ non insurgunt, dum aut de bellica profectione se differunt, aut (quod pejus est) remorari contra monita cupiunt, vel destituti contra ordinem proficiscuntur: cum quidam illorum laborandis agris studentes servorum multitudines celant, & procurandæ salutis suæ gratia nec vigesimam quidem partem suæ familiæ secum ducunt. Quin potius auctiores volunt fieri fruge, quam corporis sospitate: dum sua tegunt, & se destituunt, majorem diligentiam rei familiaris, quam experientiam habentes in armis, quasi laborata fruituri possideant, si victores esse desistant. Consulendum est ergo talibus per disciplinam, quos studia utilitatis propriæ non invitant. Unde id cunctis populis regni nostri sub generali & omnimoda constitutione præcipimus, ut in constituto ac præfinito die vel tempore, quo aut Princeps in exercitum ire decreverit, aut quemlibet de Ducibus vel Comitibus profecturum in publica utilitate præceperit: quisquis ille sive admonitionem cujuslibet suscipiat, seu etiam nec admonitus, qualibet tamen cognitione id sentiat, vel quocunque sibi indicio innotescat, quo in loco exercitus bellaturus accedat, domi ulterius residere non audeat, vel qualemcunque remorationem vel excusationem profectus exhibeat: sed definitis locis atque temporibus, juxta quod eum vel jussio principalis monuerit, vel admonitio Ducis vel Comitis, vicarii seu cujuslibet curam agentis tetigerit, præstum [3] se unusquisque definito loco vel tempore exhibeat. Jam vero si quisquis ille admonitus, vel etiam si nec admonitus, & tamen qualibet cognitione sibimet innotescente non nescius, aut progredi statim noluerit, aut definitis locis atque temporibus præstus [4] esse destiterit: si majoris loci persona fuerit, id est Dux, Comes, sive etiam Gardingus, a bonis pro his ex toto privatus, exilii relegatione jussu regio mancipetur: ita ut quod principalis sublimitas de rebus ejus judicare elegerit, in suæ persistat potestatis arbitrio (2). Inferiores sane vi-

1 Lindenbrog. delendum putat τὸ *non*. 2 Al. *ammoniti*.
3 Pith. *Prastitum*. 4 Pith. *Prastitus*.

(1) *Animo acri.*) Lege: *ammoniti*; prout in variante lectione. Hispanicus: *quando los amonestan*.

(2) *Arbitrio.*) Heineccius Elem. Jur. Germ. lib. II. art. 350. in nota, sic in hanc legem animadvertit. "Vel maxime necessaria in hac gente videbatur tam severa animadversio. Quamvis enim Gothi per totum pene orbem Romanum arma circumtulissent, & sæpe pene ad incitas redegissent invictam antehac Rempublicam: multitudo tamen eorum magis quam virtus, terrori fuisse Romanis videtur; nisi credere malis, in Provinciis Romanis idem illis contigisse, quod in Capuanis hibernis exercitui Hannibalis, ut magis magisque quotidie imbelles fierent. Observarunt sane plerique, veteres Gothos pavidos esse, ac timidos, quin plane imbelles. Sidonius Apollinaris carm. VII. v. 305.

Et nihil est gravius, si forsitan unquam
Vincere contingat trepido.

Loquitur autem de Gothis, quos ipse paulo ante v. 2. *Gætas*, & v. 303. *Scythicum hostem* vocaverat. Similia sunt apud Gregor. Turon. qui Histor. lib. II. c. 27. *ut Gothorum*, inquit, *pavere mos est*. Et c. 37. *Quumque secundum consuetudinem Gothi terga vertissent*. Sed hæc jam observavit Hertius notit. pop. Germ. part. III.

viliores que perſonæ, thiufadi ſcilicet, omniſque exercitus compulſores, vel hi qui compelluntur, ſi aut in exercitum venire diſtulerint, aut in loco vel tempore conſtituto minime occurrerint, vel proficiſci neglexerint, ſeu de expeditione publica quocunque fraudis commento effugiendo ſe ſubtraxerint, non ſolum ducentenis ictibus flagellorum verberati, ſed & turpi decalvatione fœdati, ſingulas inſuper libras auri cogantur exſolvere, quas principalis poteſtas cui largiri decreverit, ſui maneat incunctanter arbitrii. Quod ſi non habuerit (1) unde hanc compoſitionem exſolvat, tunc regiæ poteſtatis ſit licitum hujuſmodi tranſgreſſorem perpetuæ ſervituti ſubjicere (2), ut quod de eo ſuiſque ordinare decreverit, habeat ſine dubio poteſtatem. Illos ſane ab hujuſmodi legis ſententia decrevimus permanere innocuos, quos aut principalis abſolverit juſſio, aut minoris adhuc ætatis retinuerit tempus, aut ſenectutis vetuſtas, aut etiam ægritudinis cujuſcunque gravida repreſſerit moles. Si tamen is qui in ægritudinis languore in exercitum proficiſci nequit, omnem virtutem rei ſuæ ipſe ægritudine prægravatus, ſecundum legis hujus inſtitutionem, in publicis utilitatibus cum Duce vel Comite ſuo dirigere non moretur. Nunc vero quia de generali omnium progreſſione prædiximus, reſtat ut de progreſſorum virtute vel copiis inſtitute ponamus. Et ideo in decreto ſpeciali decernimus, ut quiſquis ille eſt, ſive ſit Dux ſive Comes atque Gardingus, ſeu ſit Gothus ſive Romanus, nec non ingenuus quiſque, vel etiam manumiſſus, ſeu etiam quislibet ex ſervis fiſcalibus, quiſquis horum eſt in exercitum progreſſurus, decimam partem

---

III. cap. VII. art. 4., ex iiſque ſatis patet, quam juſta cauſa fuerit Wiſigothorum Regibus pœnas paulo acriores comminandi deſertoribus, militiamque ſubterfugientibus.,,

(1) *Quod ſi non habuerit &c.*) Hinc uſque ad finem legis plura variantia occurrunt in Hiſpanico. Ibi enim ſic legimus: *E ſi aquel a quien las diere el Rey, las perdiere por algun malfecho, aſſi que tornen otra vez en poder del Rey, el Rey las deve dar a otre, e non a aquel cuyas fueron primeramentre que fuyo de la oſte, o no quiſo yr en la oſte, e poys que las perdio, non deven mas ſer ſuyas. E los Duques e los ricos omes del Rey deven aver eſta pena ſi non fizieren el mandado del Rey. E eſta miſma pena deven aver aquelos que fuen de la bataya, o que ſe van della ſen mandado del Senor. Eſtos mandamos gardar aſſi de los grandes como de los pequenos, que aquel que ovier grant infirmidat, que non pode yr en la oſte, faga venir el Obiſpo de la tierra, que vea ſua enfermidat, o bunos omes, ca non le lo creeran a aquel, ſi non fure por teſtimonio del Obiſpo, o de los que mandar el Obiſpo catar; e los Obiſpos deven catar las enfermedades deſtos atales, o por ſi, o por otros, ſi poden yr por alguna manera, o pueden lidar; e ſegundo cuemo viren las enfirmidades, aſſi lo deven judgar, o ſi los mandaron yo, o ſi los mandaren fincar en caſa; aſſi que aquel que fur enfermo, ſi por nenguna manera non pode yr ena oſte, ſegun el poder que a envii ena oſte de ſos coſas con el Rey, o con el ricome, con que a de yr; e qual ora ſe ſentire que es meyorado, mantenent por ſi miſmo va a en la oſte con todo ſo poder, aſſi como es mandado ena ley de ſuſo, e va a en aquel lugar, o le mandaron, o uſobier que ſe mudo e la oſte. E que diremos a ora generalmentre de todos aquellos que deven yr en la oſte, digamos eſpecialmentre de lo que deven levar: E por ende eſtabelecemos eſpecialmentre, que todo ome que ſea, Duc, o Conde, o Ricome, o Godo, o Romano, ome libre, o franqueado, o ſervo qualquier que ſea que deva yr en oſte, lieve la meatat de ſos ſervos conſigo de veynte anos fata cinquenta, e non los lieve ſin armas, mas bien armados, e mueſtre los bien armados delantre el Principe, o el Conde, de lorigas, e de purpuntos, con la primera parte, e ala poſtrimeran otros ſean armados de lanças, e de eſcudos, o de eſpadas, e de ſaetas, o de fondas, e dotras armas, aſſi como es coſtombre de cada uno. E ſi algun ome leva menos de la meatat de ſus ſervos conſigo a la oſte, ſea toda peſquirida la meatat de ſus ſervos; e quantos fallaren que leva menos de la meatat, todos ſean en poder del Rey, e faga dellos lo que quiſier. E poys eſta coſa aſſi es demandada de ſuſo, ahora devemos poner freno a la cobdiza daquellos, que mandamos que fagan los omes yr en la oſte: E por ende eſtabelecemos, que nengun Conde, nen Duc, nen ricome, nen nengun ome del pueblo que a de mandar, que non dexe que non vaya en la oſte por nengun ruego, nen por nenguna eſcuſacion, nen los lexe partir de la oſte: e ſi lo fizier, e tomar dalguna coſa de los porende, o ye la dieren ellos, ſi es ome de los mayorales de la Corte, lo que tomo entreguelo a quien lo tomo, en quatro dublos, e peche al Rey treynta ſoldos doro, ſolamentre, porque lo oſo tomar: e ſi es ome de menor guiſa, lo que tomo entreguelo en dublo, e demas reciba cinquenta açotes.*

(2) *Perpetuæ ſervituti ſubjicere.*) Ex Libro, Foro *Alphonſi* nuncupato, colligimus in Hiſpania conſuetudinem viguiſſe, ut quis poſſet ſe a progreſſione in hoſtem eximere, ſeſe lubens volens in ſervorum gregem adſcribens. Quæ conſuetudo quamvis ſequiore ævo deſcripta, morem tamen ſapit multo vetuſtiorem. Virgæ avellanæ, ſeu coryli, in hac cæremonia adhibitæ, barbara Septemtrionalium inſtituta facile deſignant, quæ haud immerito dici poſſent ab ipſo Ethniciſmi tempore derivata. Repete, quæ de corylo dicta ſunt in notis ad Concilium Dingalvingenſe, Vol. II. Collectionis noſtræ pag. 395. Hæc ergo leguntur in Foro Alphonſi allegato a Villadiego Comment. ad Leg. VIII. Prologi Codicis Hiſpanici: *Quandoquier ome fidalgo, que es tenudo de yr a las batallas, ſi ende quiſier dexar la ſu fidalguia, lo puede fazer en eſta guiſſa, vaya a la egreja, e diga a los omes buenos del conceio, que ende quier dexar la ſu fidalguia, y los omes buenos del conceio tomen ende en las manos tres varas de avellano, y paſſe tres vegadas por baxo dellas, y diga aſſi:* Villanos dexo my fidalguia, y tomo vueſtra villania: *y fecho eſto non vaya mas adelantre a las nueſtras batallas conuſco, nen devengue mas noſtros ſollos: e ſi el, o ſus parientes ſe retraxeren a los nueve dias, torne a la ygreja, y los villanos le den ende las varas de avellano, y las ponga ende en el ſuelo, y diga:* Villanos dadme mi hidalguia, y tomad a la vueſtra villania; *y paſſe en cima de las tres vegadas, y ende ademas vaya a las batallas, y goze de los noſtros ſollos,*

tem servorum suorum secum in expeditionem bellicam ducturus accedat: ita ut hæc ipsa pars decima servorum non inermis [1] existat (1), sed vario armorum genere instructa appareat. Sic quoque ut unusquisque de his, quos secum in exercitum duxerit, partem aliquam zavis (2) vel loricis munitam: plerosque vero scutis, spatis, seramis [2] (3), lanceis, sagittisque instructos; quosdam etiam fundarum instrumentis, vel ceteris armis, quæ noviter forsan unusquisque a seniore vel domino suo injuncta habuerit, Principi, Duci, vel Comiti suo præsentare studeat. Si quis autem extra hanc decimam partem servorum suorum in exercitus progressionem accesserit, omnis ipsa decima pars servorum ejus studiose quæsita atque descripta, quidquid minus inventum fuerit de hac instituta decima parte servorum in bellicam unumquemque secum expeditionem duxisse, in potestate Principis reducendum est: ut cui hoc idem Princeps prælargiri decreverit, in ejus subjaceat potestate. Quicunque vero ex palatino officio ita in exercitus expeditionem profectus extiterit, ut nec in principali servitio frequens adsistat, nec in wardia cum reliquis fratribus laborem sustineat, noverit se legis hujus sententia feriendum: excepto si eum manifesta languoris ostensio comprobaverit morbidum. Nam & si quisque exercitalium in eandem bellicam expeditionem proficiscens minime Ducem aut Comitem suum, aut etiam patronum suum, secutus fuerit: sed per patrocinia diversorum [3] se dilataverit; ita ut neque in wardia cum seniore suo persistat, nec aliquem utilitati publicæ profectum exhibeat: non ei talis profectio imputanda est, sed superiorum ordinem, quæ de vilioribus inferioribusque personis in hac lege decreta sunt, in semetipsum noverit sustinere. His igitur ordinatis atque compositis restat ut frænum cupiditati eorum ponamus, quos ad peragenda negotia utilitatis nostræ impingimus. Et ideo nullus dux, comes, thiufadus, seu quislibet commissos populos regens, accepto beneficio vel qualibet occasione, seu pessimæ voluntatis, quemquam de suis subditis de bellica profectione dimittat, aut admonitiones ipsas quæ fieri debent progressione exercitus, vel indictione armorum, sub ista quasi admonitionis occasione interserat, unde quemquam illorum militare præsumat. Nam quisquis talia agens pro his, ut dictum est, caussis a quolibet aut oblatum quodcunque perceperit, aut ipse cuicunque exegerit: & quidem si de primatibus palatii fuerit, & illi a quo tale accepit, in quadruplum satisfaciat, & principi pro eo solo, quo se munificare præsumpsit, libram auri soluturum se noverit. Minores vero personæ, ab honore vel dignitate ingenuitatis privatæ, in potestatem Principis sunt redigendæ: ut quod de eis vel de rebus eorum judicare elegerit, suæ subjaceat modis omnibus potestati.

Titulus III. De his qui ad Ecclesiam confugium faciunt.

I.

Ne ad Ecclesiam confugiens abstrahatur, nisi armis defensus.

Nullus de ecclesia ausus sit aliquem violenter abstrahere, nisi ad Ecclesiam confugiens armis se fortasse defensare voluerit.

II.

Si ad Ecclesiam confugiens, dum suis armis defenditur, occidatur.

Qui ad Ecclesiæ porticus (4) confugerit, & non deposuerit arma quæ tenuit: si fuerit occisus, percussor in loco sancto nullam fecit injuriam, nec ullam calumpniam pertimescat.

1 Pith. *non in armis*. 2 Al. *scramis*. 3 Al. *patrocinia servorum*.

(1) *Non inermis existat.*) Servos non obtenta prius libertate armatos pergere in hostem inter Barbaros permitti non consueverat. At vero exercitus Hispanicus tempore, quo lex ista condita fuit, non erat proprie exercitus Barbarorum, sed mixtura quædam gentis Romano-Barbaræ, quam a veteribus barbaris institutis in pluribus recessisse hic ipse legalis codex commonstrat. P. Daniel S. J. lib. I. de militia Francorum hac perspecta lege opinatus est, idem quoque obtinuisse inter Francos. Quod forte verum erit quoad militares, qui cogerentur ex ea parte Galliæ, & Hispaniæ, quæ quondam Gothis, postmodum Francis paruit; hi enim pluribus in articulis propriis legibus, & moribus regi permittebantur. Sed in universo Francorum Regno hoc minime obtinuisse adductis monumentis probat Muratorius Antiq. Italic. Differt. XXVI.

(2) *Zavis.*) Hispanicus: *purpuntos*. Erat hæc vestis militaris coactilis, lana vel gossipio farta, acuque stipata, atque perpuncta, de qua vide Cangium in Glossar. V. *Perpunctum*.

(3) *Seramis.*) Rectius, *scramis*; ut in variante lectione. Spathæ latioris species, qua cæsum vulnus infligebatur; ut Italis *il paloſſo*. Unde apud Gallos, qui hac ratione vulnera infligunt, dicuntur *escrimer*. V. Cangius h. v. Gregorius Turonensis lib. IV. Hist. c. 46. *Cum cultris validis, quos vulgus* Scramasaxos *vocat, infectis veneno, . . utraque ei latera feriunt*.

(4) *Qui ad Ecclesiæ porticus &c.*) Nescio, num in Hispania obtinuerit, quod & in Regno Italico obtinuit, ubi circa homicidia in Ecclesiis, seu in illarum atriis perpetrata, notabiliores, magisque præcisæ occurrunt sanctiones, uti constat ex Langobardicis legibus LVIII. & LIX. Lotharii I. De Ecclesiæ autem atrio observandum erat specialiter, utrum portæ reliquiis Sanctorum essent consecratæ, nec ne. Unde in formula subnexa præfatæ legi LVIII. *Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum per levem caussam in atrio S. Rufini. Occidi ego tuum patrem, sed non debeo mori, quia non fuit consecratum cum reliquiis Sanctorum.*

III.

De dampno hominem ab Ecclesia abstrahentis.

Si quis de altaribus servum suum aut debitorem, non traditum sibi a sacerdote, vel ab Ecclesiæ custodibus, violenter distraxerit: si honestioris loci persona est, ut primum de eo judici fuerit relatum, altario cui injuriosus fuit, cogatur exsolvere solidos centum. Inferioris vero loci persona det solidos xxx. Quod si non habuerit unde persolvat, correptus a judice, in conventu centum flagella suscipiat. Dominus vero servum, sive creditor debitorem, recipiat excusatum.

IV.

Ut debitor sive reus de Ecclesia non abstrahantur, sed quæ sunt debita reddant.

Eos qui ad Ecclesiam vel Ecclesiæ porticus confugerint, nullus contingere præsumat: sed presbytero vel diacono repetat, ut reformat: & seu debitor, seu reus qui confugerit, si non meretur occidi, apud repetentem Ecclesiæ cultor interveniat, ut ei veniam det, & exoratus indulgeat. Quod si debitor aliquis ad Ecclesiam confugerit, eum Ecclesia non defendat: sed presbyter aut diaconus debitorem sine dilatione restituat: ita ut ipse qui debitum repetit, nequaquam cædere aut ligare eum præsumat, qui ad Ecclesiæ auxilium decucurrit: sed præsente presbytero vel diacono constituatur intra quod tempus ei debitum reformetur. Quod licet Ecclesiæ interventui religionis contemplatione concedatur, aliena tamen retinere non poterunt. De homicidis autem, maleficis aut veneficis, in eorum titulis leges sunt requirendæ.

LEGIS WISIGOTHORUM

LIBER DECIMUS

DE DIVISIONIBUS ET TEMPORIBUS ATQUE LIMITIBUS.

TITULUS I. De divisionibus & terris ad placitum datis.

I. ANTIQUA.

Ut valeat semel facta divisio.

VAleat semel facta divisio justa, ut nulla in postmodum immutandi admittatur occasio.

II.

De non revocanda divisione inter fratres, etiamsi sine scriptura sit facta, solum si idoneo teste convincat.

Divisionem factam inter fratres, etiamsi sine scriptura inter eos convenerit, permanere jubemus: dummodo a testibus idoneis comprobetur; & divisio ipsa plenam habeat firmitatem.

III. ANTIQUA.

Ut quod a pluribus & melioribus in divisione est constitutum, a paucis & deterioribus non liceat immutari.

Si plures fuerint in divisione consortes, quod a multis vel a melioribus (1) juste constitutum est, a paucis vel deterioribus non convenit aliquatenus immutari.

IV. FLS. VNS. REX.

Ut liceat uni heredi respondere, si ab aliquo petitur, & petere, si caussa qualicunque compellitur.

Cum priscæ legis auctoritate fuerit constitutum, ut is qui ad dicendam caussam compellitur, non nisi præsente eo, qui religiose consors est, audiatur: satis ex hoc peritorum negotia superflue conspeximus dilatari: cum ad dicendam caussam pro sua unusquisque persona sufficiat. Igitur ne callida op-

(1) *A multis vel a melioribus.*) Hispanicus pro disjunctiva particula habet conjunctivam: *A los mas, e a los meyores.* Parallela legitur expressio supra Libro V. Tit. VII. Lege 8. *Judex vero eorum testimonium recipere debet, quos meliores, atque pluriores esse providerit.* Anne hic servanda præscribitur regula, ut ubi agitur de pluralitatis consensu, habeatur ratio numeri ad numerum, & meriti ad meritum, atque suffragia numeranda sint, & ponderanda? Ab hoc non videtur discrepare liber Consuetudinum Normannicarum p. 1. c. 10. v. 7. *Si discordes fuerint, quod a pluribus & discretioribus judicatum fuerit, observetur. Si vero discretiores, vel majores, pauciores fuerint, ad alias assisias judicium prorogetur &c.* Et v. 8. *Quod a pluribus, & discretioribus non suspectis fuerit judicatum, debet facere observari.* Ejusmodi methodus probatissima fuit jure Decretalium, ut scilicet suum consequatur effectum, *quod a majori, & saniori parte Capituli fuerit constitutum.* c. *Cum in cunctis* ✠ *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*; aliisque in locis.

oppositione caussantis, dum excusatio prætenditur, pro consorte tricennalis obviet annositas petitori: providentissima deliberatione sancimus, ut remota excusatione consortium, tam pro eorum, quam pro sua persona, is qui judicialiter pro communibus rebus fuerit appellatus respondeat, nec ullum præjudicium consortis absentia, si coheres ejus justissime, seu etiam per commentum, aut per ignaviam fuerit superatus, incurrat: sed si separare negotium legaliter intenderit, permittatur. Abrogata denique suprafatæ legis tam inconvenienti sententia, hoc salubre decretum per universos regni nostri populos omni decernimus reverentia valiturum. Ac similis etiam ordo servabitur, si unus forsitan ex consortibus quemquam crediderit lite pulsandum.

V.

Si placitum quis divisionis irrumpat, divisam partem usurpans.

Qui placitum divisionis irruperit, & quamlibet partem alienæ portionis invaserit, tantum de suo, quantum de alieno occupavit, amittat.

VI.

Si vineam aut domum quis in consortis terra construxerit.

Si quis domino sciente vel consentiente vineam in consortis terra plantaverit, aut domum fecerit, vel certe si ipse qui vineam plantat, vel domum facit, aut ignoravit quod portio sit consortis; dum hoc aut testibus aut juramento firmaverit, aliud tantum paris meriti domino illi, in cujus terra vineam plantavit, restituat, & qui posuit vineam securus obtineat. Si vero domino contradicente plantaverit, juste perdat, qui rem alienam domino contraeunte plantavit. Similis etiam de ædificiis forma servetur. Hoc tamen adjicimus, ut si quicunque alteri terram vendiderit, aut donaverit, sive commutatam acceperit, quæ tamen reperiatur quandoquidem non juris ejus fuisse qui dedit, si ille qui terram ipsam acceperit, in eadem terra domum ædificaverit, aut vineam plantaverit, sive oliveta, horta, vel pomaria [1] fecerit, sive etiam si quid utilitatis ibi aut laboris adjecerit: & dominus terræ illius, cui terra ipsa debita fortasse manebat, callidum se servans contestari noluit, aut fortasse longe commanens id ipsum aut nescierit aut contestari neglexerit: ut in postmodum laboratum ibi auferre aliquid possit, dum hoc ipse, cujus eandem terram esse patuerit, coram judice propulsaverit, ab auctore qui terram ipsam injuste alteri dedit, alteram & similem terram in duplo recipiat: & ille qui in eadem terra labores suos exercuit, id quod laboravit, nullo modo perdat.

VII.

Si vineam in aliena terra quis plantaverit, in qua sortem non habet.

Qui vineam in alieni fundi territorio, in quo ipse consors non est, sine permissione domini, sive per vim, aut forsitan domino nesciente, vel absente plantaverit: etiamsi ei contradictum non fuerit, vineam, quam plantavit, amittat. Quia sufficere ei debet, quod ad duplationem rei non addicitur, qui aliena pervasisse dinoscitur.

VIII.

De divisione terrarum facta inter Gothum & Romanum.

Divisio inter Gothum & Romanum facta de portione terrarum sive silvarum, nulla ratione turbetur, si tamen probatur celebrata divisio: nec de duabus partibus Gothi aliquid sibi Romanus præsumat aut vendicet: aut de terra Romani [2] Gothus sibi aliquid audeat usurpare aut vendicare, nisi quod de nostra forsitan ei fuerit largitate donatum. Sed quod a parentibus, vel vicinis divisum est, posteritas immutare non tentet.

IX.

De silvis inter Gothum & Romanum indivisis relictis.

De silvis quæ indivisæ forsitan resederunt, seu Gothus seu Romanus eas assumpserit, & fortasse fecerit culturas: statuimus ut si adhuc silva superest, unde paris meriti terra ejus cui debetur portioni debeat compensari, silvam accipere non recuset. Si autem paris meriti quæ compensatur, silva non fuerit, quod ad culturam scissum est, dividatur.

X.

Quod ea, quæ servus non jubente domino fecerit, & excepto quod lex jubet, valere non poterit.

Quidquid servus domino non jubente diviserit vel fecerit, excepto quod lex permittit, firmum non esse jubemus: si id dominus servi noluerit custodire.

XI.

Ut qui terras ad canonem acceperit, placitum servet.

Terras, quæ ad placitum canonis datæ sunt, quicunque suscepit, ipse possideat, & canonem domino singulis annis, qui fuerit defunctus exsolvat: quia placitum non oportet interrumpi. Quod si canonem constitutum singulis annis implere neglexerit, terras dominus pro suo jure defendat: quia sua culpa beneficium quod fuerat consecutus, amittat; quia placitum non implesse convincitur.

XII.

1 Al. *hortos, vel pomeria.*

2 Al. *de tertia Romani.*

XII.

De terris quæ definito annorum numero per placitum dantur.

Si per precariam epistolam certus annorum numerus fuerit comprehensus, ita ut ille qui susceperit terras, post quodcunque tempus domino reformaret; juxta conditionem placiti terras restituere non moretur.

XIII.

Si ille, qui ad placitum accepit terras, extendat culturas.

Qui ad placitum terras suscepit, hoc tantum teneat, quod eum terrarum dominus habere permiserat, & amplius non præsumat. Quod si culturas suas longius extendisse cognoscitur, & sibi alios ad excolendos agros fortasse conjunxerit: aut plures filii vel nepotes in loci ipsius habitationem successerint: aut campos, quos ei dominus terræ non præstiterat, occupaverit: aut silvam, quæ ei data non fuerat, propter excolendos agros, aut conclusos, aut facienda forsitan prata succiderit: quidquid amplius usurpavit, quam ei præstitum probatur amittat: & in domini consistat arbitrio, utrum canon addatur, an hoc quod domino præstitit, dominus ipse possideat. Quod si tantummodo alicui ager sit datus, & data silva vel campus non fuerit: sine domini jussu nihil de silva vel campo, qui agrum cepit, usurpet.

XIV.

Si inter eum qui dat & accipit terram aut silvam contentio oriatur.

Si inter eum qui accipit terras vel silvas, & qui præstitit, de spatio unde præstiterit, fuerit orta contentio: tunc si superest ipse qui præstitit, aut si certe mortuus fuerit, ejus heredes præbeant sacramenta, quod non amplius auctor eorum dederit, quam ipsi designanter ostendunt. Et sic posteaquam juraverint, præsentibus testibus eis, quæ observentur signa constituant: ut pro ea re nulla deinceps accedat caussatio. Si vero consortes ejus non dignentur jurare aut forte noluerint: vel aliquam dubietatem habuerint, quantum vel ipsi dederint, vel antecessores eorum: ipsos aut animas suas non condempnent, nec sacramentum præstent: sed ad tota aratra, quantum ipsi vel parentes eorum in sua sorte susceperant, per singula aratra quinquagenos aripennes dare debent. Ea tamen conditione, ut quantum occupatum habuerint, vel cultum, nisi quinquaginta [1] aripennes concludant: nec plus quam in eisdem mensuratum fuerit aut ostensum; nisi terrarum dominus forte præstiterit, audeant usurpare. Quod vero amplius usurpaverint, in duplum reddant invasa.

XV.

Qui ad colendam terram accepit, sicut ille qui terram dedit, ita & censum exsolvat.

Qui accolam (1) in terram suam susceperit, & postmodum contingat, ut ille qui susceperat, cuicunque tertiam reddat, sicut & patroni eorum, qualiter unumquemque contigerit.

XVI.

Ut si Gothi de Romanorum tertia quippiam tulerint, judice insistente Romanis cuncta reforment.

Judices singularum civitatum, villici, atque præpositi, tertias Romanorum, ab illis qui occupatas tenent, auferant, & Romanis sua exactione sine aliqua dilatione restituant: ut nihil fisco debeat deperire. Si tamen eos quinquaginta annorum numerum aut tempus non excluserit.

XVII. FL. CIN. REX.

De mancipiorum agnitionibus dividendis; atque eorum peculiis partiendis aut decernendis.

Providentissimi justique juris est, ut formam inveteratæ censuræ, quæ ab æquitatis ratione dissentit, novellis etiam sanctionibus emendemus. Nec immerito prius nascendi caussas expedit arbitrari, & ita demum legem ponere nascituris. Si enim filius ab utroque parente gignitur & creatur, cur idem ad conditionem tantum pertineat genitricis, qui sine patre nullatenus potuit procreari? Hac rationabiliter naturæ lege compellimur, agnitionem ancillæ, quæ servo alieno juncta pepererit, inter utrosque dominos æqualiter dividendam. Quod si unus tantum filius ab eisdem parentibus fuerit procreatus: quoniam ambobus dominis modo placito non poterit deservire: iste filius apud matrem usque ad ætatis annum duodecimum edoceatur, donec ætas ejus in exercendis laboribus ferre servitium pubertatis incipiat. Post hæc autem dominus ancillæ domino servi, cui hæc ancilla conjuncta est, pretium ex medietate persolvat, quantum isdem filius a bonis hominibus valere fuerit æstimatus. Similis forma servetur, & de cæteris filiis, qui in pari numero fuerint procreati. Peculium vero mobilis rei, quod servus & ancilla profligaverint sub contu-

1 Al. *vel cultu mixti quinquaginta*. Pith. *vel cultum mixu quinquaginta*.

(1) *Qui accolam &c.*) Hæc lex cæteroquin obscura, sic exposita legitur in Hispanico: *Quien mete labrador en su tierra, si por ventura aquel que tomo la tierra diere la tercia parte de la tierra a otre que la labre, pague cada uno de los rienda de la tierra segundo la partida que tiene la tierra.*

tubernio constituti, ad utrosque dominos decernimus pertinendum. Sane si in fundum alterius domini, ad cujus jus idem servus vel ancilla non pertinent, præter ædificium agrumque, vel aliquid quod esse possit immobile, a servis talibus in re mobili fuerit conquisitum: non aliter quam agnationem, rem hujusmodi æqualiter eorum domini sibi debeant vindicare. Quod si unus ex his dominis contubernia famulorum conatus fuerit irrumpere, statim eos separare non differat; ea tamen conditione servata, ut postquam ad dominorum cognitionem contubernia servorum pervenerint, si eos in hoc dominorum voluntas perseverare noluerit, infra anni spatium ipsum contubernium resolvere non morentur. Ceterum si hoc rationabile tempus, quod hac lege indultum est, negligentia dominorum excesserit: quidquid post expletum annum fuerit procreatum, utrique domino æqualiter sexus, numeri, vel ætatis contropatione noverit dividendum. Quod si super annum tempus excesserit, & hoc unus dominus vel ambo nescierint: quodcunque nasci potuerit, similiter in divisionis æquali portione manebit.

XVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ut peculium & peculiare ad unam intelligentiam habeatur.

Sæpe contentionis acie improbos vidimus sinceram intelligentiam deserere; quæ ut refelli possit compendio brevitatis uti convenit. Omnis ergo res, quæ mobilis immobilisque consistit, cujuscunque fuerit generis, sive formæ, an peculii, an peculiaris nomen habuerit, unius intelligentiæ vim evidentiamque obtineat: ut ex hoc omnis de mobilibus immobilibusque intentio conquiescat.

XIX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si pro acceptis rebus promissio non solvatur.

Si quis terram, vineam, aut aliquam rem aliam pro decimis, vel quibuslibet commodis, præstationibusque reddendis, per scripturam aut quamcunque definitionem, ita ab alio acceperit possidendam: ut ille qui dat, sic sub alicujus exsolutionis debito det, ne videatur hujus rei suæ usum amittere voluisse: sed quidquid debet, qui rem accepit, etiam sine sollicitudine domini ipse sollicite reddat. Nam quamvis consuetudo vel promissio exsoluta non fuerit, de rebus suis pars domini excludi non poterit. Quia non voluntate istius qui dedit, sed fraude illius qui rem accepit, videtur commotio rei domino commoveri. Si vero ille qui rem accepit, consuetudinem aut promissionem differat adimplere: quodcunque de promisso vel constituto debet, rei domino in duplum exsolvat. Nam si ita reddere promissum aut consuetum dissimulet debitum, ut dominum rei legum tempus excludat, usque ad quinquaginta annos rem suam cum augmento solius laboris, quod ille fecit, amittat.

TITULUS II. De quinquagenarii & tricennalis temporis intentione.

I.

Ne post quinquaginta annos sortes Gothicæ vel Romanæ amplius repetantur.

SOrtes Gothicæ & Romanæ, quæ intra quinquaginta annos non fuerint revocatæ, nullo modo repetantur.

II.

Ne mancipia fugitiva post quinquaginta annos ad servitium revocentur.

Mancipia fugitiva, quæ intra quinquaginta annos inventa non fuerint, non liceat ad servitium revocare.

III.

Ut omnes caussæ tricennio concludantur.

Omnes caussas, sive bonas sive malas, aut etiam criminales, quæ intra XXX. annos definitæ non fuerint, vel mancipia quæ in contentione posita fuerint, aut sunt, ab alio tamen possessa, si definita atque exacta non fuerint, nullo modo repetantur. Si quis autem post hunc XXX. annorum numerum caussam movere tentaverit, iste numerus ei resistat, & libram auri, cui Rex [1] jusserit, coactus exsolvat.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ut exceptis fiscalibus servis tricennale tempus valeat in omnibus caussis.

Sæpe contemptis (1) in debita re solutio juris evanescere facit statutum tempus justæ possessionis: & quod nulla generis nobilitas decoravit, indebita licentia libertate contradicit. Tricennalis ergo transcursio temporum cum

1 Al. *cum Rex.*

(1) *Sæpe contemptis &c.*) Hæc lex reformata legitur in Hispanico, hisce verbis: *Nos tolemos aquela ley, la qual mandava que los servos del Rey en todo tiempo podiessen ser demandados, e tornados en servidumbre: E establecemos por esta nueva ley, que todo ome que tovier servos del Rey por treynta anos en paz, sabiendolo el Rey, o si los servos mismos furen en la tierra treinta anos, que ninguno non los demandava por sos servos, o si andavan fuera de la tierra por libres fata cinquenta anos, non seyendo suo de nenguno en nenguna manera, desdali adelantre el Rey non los pueda demandar: Mas por quales elos estodieron, o andaron en aquellos cinquenta anos, o enos treinta, por tales deven fincar dali adelantre, ca esse mismo derecho, e essa mesma ley deve tener el Rey en sos servos, lo que manda gardar a sos pueblos.*

cum jam sic constanter inoleverit in negotiis actionum, ut non jam quasi ex instructione humana, sed veluti ex ipsa rerum processisse natura videatur: ideo valitura sanctionis hujus æternitate decernitur, ut si per tricennii tempus, seu fiscus de quorumlibet [1] jure quodcunque tenuerit, seu quislibet de fisci, extra mancipia fiscalia, aut cujuspiam rebus aliquid fortasse possederit, perenni sibimet jure vendicet & retentet. Nec contra hunc numerum (in quo etiam veritas perfecte completur ætatis) attentet commoveri vox cujuscunque petitionis. Servi vero fisci, quorum de stirpe servili evidens origo patuerit, quamvis resoluti, atque per diversa vagantes, nihil in pensione tributi persolverint: quamvis fuga vel latebris, seu patrocinio quorumcunque defensi latuerint, servitutis conditionem non erunt penitus evasuri, sed in originem pristinam, absque temporum præjudicio, redigendi. Ab hujus sententia legis illis tantummodo segregatis, qui percipere valuerunt regia collatione remedia libertatis.

V. FLS. CIN. REX.

De interruptione triennii.

Sæpe proprium jus alterius longinqua possessio in jus transmittit alterius. Nam quod xxx. quisque annis expletis absque temporis interruptione possidet, nequaquam ulterius per repetentis calumpniam amittere potest. Ut ergo tam petenti, quam possessori, hinc competenter possit esse consultum, id ab omnibus observandum est; ut quicunque rem, quæ ab alio per quindecim annos aut supra, infra triginta tamen possessa est, sui juris esse astruxerit: & possessor fortasse sive a judice, sive a repetente commonitus, vel reddere distulerit, vel rationabiliter responsum parare contempserit, aut quamcunque dilationem videatur afferre: sive etiam ejusdem rei quæ petitur absentem possessorem, hoc est in alia provincia, aut in expeditione publica positum esse constiterit: tunc judex id quod reposcitur, id est sive possessio sive quodcunque fuerit, pro interruptione temporis (1) coram duobus testibus aut tribus ingenuis petenti consignare procuret: ita ut si judex rem ipsam petenti sajonis instantia præceperit consignari, per epistolam manu sua subscriptam eundem sajonem juxta modum subterius comprehensum informet. Et si forte possessio est, ubi repositio alicujus substantiæ fit, ne per rationales excusatio fiat, anulo judicis aut sajonis qui locum consignat, eadem ostia, ubi res est reposita, per illos octo dies maneant obsignata. Et ille qui accepit, octo tantum diebus possideat, & nihil exinde expendere, aut evertere, vel alienare præsumat, sed in eo tantum loco quidquid voluerit aut potuerit laboris exerceat. Post octo autem dies rem intemeratam dimittat, ab eo quem possidentem invenerat indubitanter apprehendendam, & nullam ex hoc ille qui octo diebus possedit, calumpniam pertimescat: ita tamen ut si vel ipse, vel pars ejus aut posteritas infra xxx. annos a die interrupti temporis, rem quam sibi consignari poposcerat, sui juris esse convincat. Nam si convinci eadem actio taliter non potuerit, ille quidem qui superstes est, ut qui dominium alienum inquietavit, rei domino velut injustus satisfaciat petitor. Aut si aliquod expenderit aut everterit, in quadruplum reddere compellatur. Parti vero ejus aut posteritati nulla ex hoc ulterius calumpnia moveatur: illa evidentissime conditione taxata, ut si per diversas res, aut in diversis locis hæc de qua agitur fuerit dispersa facultas, & ex omnibus his, quæ ad eandem pertinent repetitionem, unumquemque fuerit secundum legis præsentis decretum a jussione judicis consignatum, pro traditione teneatur omnium rerum.

Exemplar Epistolæ Informationis.

Ille judex sajoni illo. Informamus te, ut locum illum, quem ille repetit, & nunc in dominio illius esse videtur, juxta legis ordinem, coram duobus aut tribus ingenuis illi consignes, octo tantum diebus possidendum: ita ut si aliquid ibi repositionis habetur, & anulo domini sui non est signatum, propter auferendam excusationem rationalium, per illos octo dies anulo tuo maneat obsignatum. A te vero (2) nihil exinde aliquatenus auferatur.

VI. FLS. RCDS. REX.

Ne tricennale tempus impediat religatis.

Quanto pressuris conditio urgetur humana, tanto multis remediis clementiam principalem necessitati consulere decet humanæ. Quapropter cum quisque nobilis atque inferior, ingenuus sive etiam servus, regio jussu in

[1] Al. de qualibet.

(1) *Pro interruptione temporis.*) Ergo satis non erat, pacificam exturbare possessionem petitionibus, protestationibus, aliisque forensibus libellis, & actis; sed fas erat possessionem ipsam de facto interrumpere, antequam tricennii tempus expiraret. Tanta tricennalis possessionis ratio habita fuit. Consule dicta ad Leg. Burgund. Tit. LXXIX. leg. 3.

(2) *A te vero &c.*) *E vos don Sayon non tomedes ende nada.* Ita Hispanicus, qui saltem ante hæc quinque vel sex sæcula concinnatus est. Usque tum judex apparitorem suum compellabat titulo, *Don.* Jacta jam erant semina ridiculæ profusionis titulorum, quæ præsertim a sæculo XVI. erupit inter nos effrænata, neque hucusque coercita, cujus Itali Hispanos culpavere.

in cuſtodiam vel exilium extiterit deputatus, & contingat eum quandoque aut liberationem invenire, aut ad ſua bona reverti: ſi quamcunque rem in repetitione videatur habere, non illud tempus pro tricennali vel quinquagenario annorum numero in ejus actione jungatur, quod ipſe in cuſtodia vel in exilio fuiſſe dinoſcitur: ſed remoto omni illo tempore, quo evidenter eidem perſonæ in preſſuris & in penuria conſtitutæ ſibi debitum negotium proſequi non licuit. De cætero vero juxta legum decreta, vel tempus, in ejus objectione legalis ordo maneat conſtitutus.

Titulus III. De terminis & limitibus.

I.

Ut termini & limites conſerventur.

ANtiquos terminos & limites ſic ſtare jubemus, ſicut antiquitus videntur eſſe conſtructi, nec aliqua patimur eos commotione divelli.

II.

De colliſis & evulſis limitibus.

Qui ſtudio pervadendi limites complanaverit, aut terminos fixos fuerit auſus evellere: ſi ingenuus eſt, per ſingula ſigna vel notas XX. ſolidos, cui fraudem fecit, cogatur inferre: ſi ſervus eſt, per ſingula ſigna L. flagella ſuſcipiat. Si quis dum arat, aut pomaria vel vineam plantat, terminum caſu non voluntate convellerit, vicinis præſentibus reſtituat terminum: & poſtmodum ex hoc nullum dampnum aut periculum vereatur.

III.

Quid obſervetur, ſi de terminis contentio oriatur.

Quotienſcunque de terminis fuerit orta contentio, ſigna quæ antiquitus conſtituta ſunt, oportet inquiri: id eſt aggeres terræ ſive arcas (1), quas propter fines fundorum antiquitus apparuerit fuiſſe conſtructas atque congeſtas: lapides etiam, quos propter indicia terminorum notis evidentibus ſculptos conſtiterit eſſe defixos. Si hæc ſigna defuerint, tunc in arboribus notas, quas decurias vocant (2), convenit obſervari: ſed illæ, quæ antiquitus probantur inciſæ.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si alter intra terminos alienos poſſidere dicatur.

Si quis intra terminos alienos, per abſentiam aut per ignorantiam domini, partem aliquam forte poſſederit: ita ut diuturna manſio, ac ſic etiam multo tempore inolita, vel amplius quam L. annis hominum, partis ejus habitatio publice & immobiliter conſiſtere aut permanere nullatenus comprobetur: ſtatim cum per antiqua ſigna evidentibus inſpectoribus fines loci alterius cognoſcuntur, amittat domino reformanda. Nec contra ſigna evidentia debitum dominium ullum longæ poſſeſſionis tempus excludat: ſed hoc ſi ex his contendentibus unius poſſeſſoris ſive auctorum ejus dominium reperiatur adveniſſe poſtremum. Nam ſi tanta tempora exceſſerint, ut nec ipſi nec auctores eorum noverint, cujus primum aut dominium aut poſſeſſio fuit: ſed nec per teſtem aut per ſcripturam potuerit poſtremus poſſeſſor oſtendi: quia dubium (3) primæ [1] poſſeſſionis patet indicium, unuſquiſque quod poſſidet, irrevocabiliter poſſidebit. Verum ubi unus poſſeſſor ſine alterius dominii manſionibus publice poſſidens per evidentia ſigna locum ex integro indicare videtur: nulla ratio ſinit, ut quamvis per longa tempora ejus poſſeſſionis integritas decerpatur. Unde ſi alter illic, ſed per præſumptivam, introduxerit novitatem, nihil nocere poterit poſſeſſori. Si vero idem aliena appetens, aliquid ex hoc repetit, non præſumptive ſed per judicium, ſi meretur obtineat. Nam ſi incondite & improviſe attentet aliquatenus accedere velle: liceat hunc domino vere ut violentum accuſare, aut invaſorem per judicium legibus abdicare.

V.

1 Al. *quia nullum primæ.*

---

(1) *Arcas.*) Hygenus *de limitibus* arcam repræſentat forma quadrata, atque intus cava, quemadmodum ſunt arcæ, ſeu ciſtæ, unde & inditum nomen. Hujus creber uſus fuiſſe videtur in deſignandis finibus agrorum; ex quo & illud invaluit, ut *arca* evaſerit nomen genericum, quo termini generatim ſignificentur. V. Cang. Gloſſar. h. v.

(2) *Quas decurias vocant.*) Supra Lib. VIII. Tit. VI. lege I. *Faciat tres decurias, quæ vocantur characteres.* Ferunt eruditi hanc eſſe notam X. inciſam arboribus, ut terminorum vicem obtineant. Eritne ſpecies quædam crucis pro limite ſignata? Certe apud Francos terminos crucibus ſignatos fuiſſe ex pluribus probavit Cangius Gloſſar. V. *Crux*, & præcipue ex præcepto Childeberti I. Regis Francorum anni DXXVIII., in quo hæc inter cætera: *Ibique in arboribus cruces facere, & ſub ipſas lapides ſubterfigere juſſimus.* Idem & in Italia ſub Langobardis obtinuiſſe evincit Decretum Rachiſii Regis anni DCCXLVII. apud Murator. Antiquit. Italic. Diſſert. X. *Renovantes ſigna, & cruces cum clavos ferreos adſigentes ſimul.* Quod lubens noto, quia mos adfigendæ crucis ad ſignandos terminos adhuc penitus non obſolevit.

(3) *Quia dubium.*) Quæ lectio genuina eſt, quamquam alias legatur *nullum.* Hiſpanicus: *coſa dubdoſa.*

V.

Ut si aliqua pars de alio loco tempore Romanorum remota est, ita persistat.

Si quodcunque ante adventum Gothorum de alicujus fundi jure remotum est: & aliquam possessionem, aut venditione, aut donatione, aut divisione, aut aliqua transactione translatum est: id in ejus fundi, ad quem a Romanis antiquitus approbatur adjunctum, jure consistat. Cum autem proprietas fundi nullis certissimis signis aut limitibus probatur, quid debeat observari; eligat inspectio judicum, quos partium consensus elegerit: ita ut judex quos certiores agnoverit vel seniores, faciat eos sacramenta præbere, quod terminos sine ulla fraude demonstraverint. Et tamen nullus novum terminum sine consortis præsentia, aut sine inspectore constituat. Quod si forsitan liber hoc fecerit, damnum pervasionis excipiat, quod legibus continetur. Si vero id servus admiserit domino nesciente, cc. flagella publice extensus accipiat, & nullum ex hoc præjudicium domino computetur.

LEGIS WISIGOTHORUM
LIBER UNDECIMUS
DE ÆGROTIS, MEDICIS, ET MORTUIS, ET TRANSMARINIS NEGOTIATORIBUS.

Titulus I. De Medicis & Ægrotis.

I.

Ne absentibus propinquis mulierem medicus flebotomare præsumat.

NUllus medicus sine præsentia patris, matris, fratris, filii, aut avunculi, vel cujuscunque propinqui, mulierem ingenuam flebotomare præsumat: excepto si necessitas emerserit ægritudinis, ubi etiam contingat supradictas personas minime adesse, tunc aut coram vicinis honestis, aut coram servis aut ancillis idoneis, secundum qualitatem ægritudinis, quæ novit pendat. Quod si aliter præsumpserit, x. solidos propinquis aut marito coactus exsolvat: quia difficillimum non est, ut sub tali occasione ludibrium interdum adhærescat.

II.

Ne medicus custodia retentos visitare præsumat.

Nullus medicorum ubi comites, tribuni, aut judices, aut villici in custodiam retruduntur, introire præsumat sine custode carceris: ne illi per metum culpæ suæ mortem sibi ab eodem explorent. Nam si aliquid mortiferum his ab ipsis medicis datum vel indultum fuerit, multum publicis rationibus deperit. Si quis hoc medicorum præsumpserit, sententiam cum ultione percipiet.

III.

Si medicus pro ægritudine ad placitum expectetur.

Si quis medicum ad placitum pro infirmo visitando, aut vulnere curando poposcerit; ut viderit vulnus medicus, aut dolores agnoverit, statim sub certo placito cautione emissa infirmum suscipiat.

IV. ANTIQUA.

Si ad placitum susceptus moriatur infirmus.

Si quis medicus infirmum ad placitum susceperit, cautionis emisso vinculo infirmum restituat sanitati. Certe si periculum contigerit mortis, mercedem placiti penitus non requirat, nec ulla inde utrique parti calumnia moveatur.

V.

Si de oculis medicus ypocismata tollat.

Si quis ypocisma [1] de oculis abstulerit, & ad pristinam sanitatem perduxerit infirmum, v. solidos pro suo beneficio consequatur.

VI.

Si per flobotomum ingenuus vel servus mortem incurrat.

Si quis medicus dum flebotomum exercet, ingenuum debilitaverit, c. solidos coactus exsolvat. Si vero mortuus fuerit, continuo propinquis tradendus est, ut quod de eo facere voluerint, habeant potestatem. Si vero servum debilitaverit aut occiderit, hujusmodi servum restituat.

VII. ANTIQUA.

De mercede discipuli.

Si quis medicus famulum in doctrina susceperit, pro beneficio suo duodecim solidos consequatur.

VIII.

1 Ms. *Ypocisin*

VIII. ANTIQUA.

Ne indiscussus medicus custodiæ deputetur.

Nullus medicum inauditum, excepta homicidii caussa, in custodiam retrudat. Pro debito tamen sub fidejussore debet consistere.

TITULUS II. De inquietudine sepulchrorum.

I.

De violatoribus sepulchrorum.

SI quis sepulchri violator extiterit, aut mortuum expoliaverit, & ei aut ornamenta aut vestimenta abstulerit: si liber hoc fecerit, libram auri coactus exsolvat heredibus mortui, & quæ abstulit reddat. Quod si heredes non fuerint, fisco nostro cogatur inferre: & præterea centum flagella suscipiat. Servus vero, si hoc scelus admiserit, ducenta flagella suscipiat, & insuper flammis ardentibus exuratur: nihilominus redditis cunctis, quæ ausus est abstulisse.

II.

Si sepulchrum mortui auferatur.

Si quis mortui sarcofagum abstulerit, dum sibi vult habere remedium (1) duodecim solidos judice insistente heredibus mortui cogatur exsolvere. Quod si domino jubente servus hoc admiserit, dominus pro servo componere non moretur. Servus vero, si ex sua voluntate hoc admiserit, nihilominus centum flagella suscipiat: & quod tulerat, & loco & corpori proprio reformetur.

TITULUS III. De transmarinis negotiatoribus.

I.

Si transmarini negotiatores furtiva vendere detegantur.

SI quis transmarinus negotiator aurum, argentum, vestimenta, vel quælibet ornamenta provincialibus nostris vendiderit, & competenti pretio fuerint venundata: si furtiva fuerint postmodum approbata, nullam emptor calumniam pertimescat.

II. ANTIQUA.

Ut transmarini negotiatores suis & telonariis, & legibus, audiantur.

Dum transmarini negotiatores inter se caussam habuerint, nullus de sedibus nostris eos audire præsumat, nisi tantummodo suis legibus audiantur apud telonarios suos [1].

III.

Si transmarinus negotiator mercenarium de locis nostris secum transtulerit.

Nullus transmarinus negotiator de sedibus nostris mercenarium audeat in loca sua transferre. Qui contra hoc venire tentaverit, inferat fisco nostro auri libram unam, & præterea ducenta flagella suscipiat.

IV.

Si transmarinus negotiator mercenarium pro commercio suo susceperit

Si quis transmarinus negotiator mercenarium de sedibus nostris pro vegetando commercio suo susceperit, det pro beneficio suo solidos III. per annum unum, & nihilominus impleto placito servum domino reformare cogatur.

[1] Al. a telonariis suis.

(1) *Habere remedium.*) Heineccius Elem. Jur. Germ. Lib. II. art. 341. ratus est, hic crimen coerceri illorum, qui morbis remedia ex sepulchris peterent, ora cadaverum mordentes colligentesque ossa cariosa. Quod adhuc inter Paganos viguisse adstruit ex citatis testimoniis. Sed æque mihi videor spectari posse, qui ossa e sepulchris colligerent ad conficiendas superstitiosas ligaturas, quæ supra Libro VI. Tit. II. lege 4. interdictæ leguntur. *Ligaturas ossuum, vel herbarum*, tum hominibus, tum animalibus curandis prodesse creditum fuit, ut colligimus ex Additione tertia Capitularium, capitulo XCIII.

LEGIS WISIGOTHORUM
LIBER DUODECIMUS
DE REMOVENDIS PRESSURIS, ET OMNIUM HÆRETICORUM SECTIS EXTINCTIS [1].

TITULUS I. De temperando Judicio & removenda pressura.

I. FLS. GLS. * REX.

De commonitione Principis, qua jubetur ut judicium temperent judices.

QUi necessariam culpis hominum severitatem disponimus, convenit ut Deo placita miseris remedia impendamus. Obtestamur itaque judices omnes, cunctosque quibus judicandi potestas concessa est, teste virtutum omnipotente Domino, commonemus ad investigandam quidem rei veritatem in caussis omnibus solertes existere, & absque personarum acceptione negotiorum omnium contentiones examinare: circa victas tamen personas, ac præsertim paupertate depressas, severitatem legis aliquantulum temperare. Nam si in totum judicii proprietas attendatur, misericordiæ procul dubio mansuetudo deferetur.

II. FLS. RCDS. REX.

Ut nullus ex his, qui populorum accipiunt potestatem & curam, quoscunque de populis, aut in sumptibus, aut in indictionibus inquietare pertemptet.

Omnes quos regni nostri felicitate tuemur, nihil aliud eorum utilitatibus consulentes, momentis omnibus statuimus, nisi ut nullam dispendiorum suspicionem patiantur. Quid est enim justitiæ tam proximum vel nobis familiare, quam piam fidelibus manum porrigere, & juste hos quos regimus in diversis negotiis adjuvare? Decernentes igitur, & hujus legis nostræ severitate constituentes jubemus, ut nullis indictionibus, exactionibus, operibus vel angariis, comes, vicarius, vel villicus pro suis utilitatibus populos aggravare præsumant: nec de civitate vel de territorio annonam accipiant: quia nostra recordatur clementia, quod dum judices ordinamus, nostra largitate eis compendia ministramus. Simili auctoritate jubemus rectorem provinciæ, sive comitem patrimonii, aut actores fisci nostri, ut nullam in privatis hominibus habeant potestatem, nullaque eos molestia inquietent: sed si privatus cum servis fisci nostri habuerit caussam, actor vel procurator commonitus in judicio rectoris provinciæ, vel judicis territorii, ubi caussa fuerit intromissa, suam repræsentet personam & minorem, ut discusso negotio districtione legali uniuscujuscunque emendetur excessus. Et quia dum regali cura actores nostrarum perquireremus provinciarum, comperimus quod numerarii vel defensores annua vice mutentur: qua detrimentum de caussa nostris non ambigimus populis evenire: ideoque jubemus, ut numerarius vel defensor, qui electus ab Episcopo vel populis fuerit, commissum peragat officium: ita tamen, ut dum numerarius, vel defensor ordinatur, nullum beneficium judici dare debeat, nec judex præsumat ab eis aliquid accipere, vel exigere. Quod si quis judicum hanc nostram transcenderit constitutionem, honore privatus x. libras auri fisco nostro coactus resolvat. Sacerdotes vero, quos divina obtestatione convenimus, si excessum judicum aut actorum scierint, & ad nostram non retulerint agnitionem: noverint se judicio concilii esse plectendos; & detrimenta quæ pauperes eorum silentio pertulerint, ex eorum rebus illis esse restituenda.

III. FLS. RCNS. [2] (1) REX.

IN NOMINE DOMINI LEX IN CONFIRMATIONE CONCILII EDITA.

Eximia synodalis auctoritas, & veneranda est pariter, & tremenda: quæ in tantum per donum sancti Spiritus agitur, ut ex diversitate multorum animorum & cordium, unum cor unamque animam fecisse monstretur: dum numerositas aggregata Pontificum, non per sententiam discrepat, non per stylum [3] diversa objectat, nec per judicium aliud unus, quam universitas affirmat [4]. Ideo reverendum mihi conventum synodalis concilii, in cujus medio præsentia sancti Spiritus se habitare promisit, devote venerans, in-

1 Al. *extirpatis*. 2 Concil. Hisp. *ERVIGIUS*. 3 Hisp. *per stimulum*. 4 Hisp. *universitas format*.

(1) *Fls. Rcns.*) Integrum hoc caput extat in calce Concilii Toletani XIII. sub hoc titulo: *Lex in confirmatione Concilii edita. In nomine Domini Flavius Ervigius Rex*. Est revera confirmatio actorum ejusdem Concilii anno IV. Ervigii Regis celebrati, ut in civilia jura transirent. Cæterum Caput hoc deest in Hispanico.

inſtanterque honorans, ea quæ illorum ore, noſtræque gloriæ hortatu [1] digeſta ſunt, in notitiam deducimus ſingulorum. Illa dicimus ſynodalis concilii geſta, quæ anno quarto regni noſtri in Toletana urbe noſcuntur eſſe confecta: quorum inſtitutionum evidentia, ut ſine cunctatione hominibus [2] innoteſcat, hic ea ſpecialiter prælegimus renotanda.

Eſt igitur primus Canon de reddito teſtimonio dignitatis eorum, quos profanatio infidelitatis, cum Paulo traxit in ſocietatem tyrannidis; quos celſitudo noſtra una cum filiis, per hujus noſtræ legis edictum, & teſtimonio nobilitatis priſtinæ uti, & rebus, quas per auctoritatis noſtræ vigorem perceperint, decernimus reveſtiri.

Item ſecundus eſt Canon de accuſatis ſacerdotibus, ſeu etiam optimatibus palatii atque Gardingis: ſub qua eos juſtitiæ cautela examinari conveniat, quos noſtræ gloriæ manſuetudo, juxta ipſius Canonis conſtituta, nullis tormentorum generibus ante publicam diſcuſſionem ſubjici cenſuit. Sed omnes qui deinceps fuerint accuſati, juxta ſanctionem prædicti Capituli [3] erunt procul dubio judicandi. Unde id ſpecialiter obſervandum fore cenſemus: ut quidquid contra hanc regulam ſententiæ noſtræ, vel prædicti Canonis inſtitutionem, aut in perſonam cujuſquam fuerit actum, aut de rebus accuſatæ perſonæ extiterit judicatum, juxta prædicti Canonis inſtituta nullo vigore ſubſiſtat: quo perſona [4] ipſa aliter quam decernimus judicata, aut teſtimonii ſui dignitatem amittat, aut quæſtu rei propriæ careat.

Tertius quoque Canon eſt, de tributorum principali relaxatione [5] in plebe. Ubi noſtræ gloriæ auctoritate ſimul & exhortatione [6] ſancitum eſt: ut omne tributum præteritorum annorum, uſque in annum primum regni noſtri, quod in privatis ſive in fiſcalibus populis noſtris rejacet [7], abſolutionis perpetuæ debeat ſanctione laxari: ea tantum præcipientes publicis theſauris exhiberi, quæ exacta, non illata fuiſſe conſtiterint.

Quartus poſt hæc ſequitur Canon, de munitione regia [8], quam prompto voluntatis effectu [9] omnis conventus ſacerdotum, atque etiam ſeniorum condere prælegerint [10].

Quintus Canon ſequitur, ne defuncto Principe, relictam ejus conjugem (1) quiſquam ſibi aut in conjugio, aut in adulterio audeat copulare.

Sextus deinde ſequitur Canon, ut exceptis ſervis vel libertis fiſcalibus, nullus de ſervitute quorumlibet, aut libertis, deinceps ad palatinum tranſeat officium. Quod ſi fecerint, præſentis legis noſtræ edicto ad propriæ ſervitutis jugum modis omnibus reducendi ſunt; qualiter aut dominis ſuis, ſi ſuperſtites ſunt, aut eorum propinquis, quibus decedentium ſucceſſio ex lege debetur, ſervituri tradantur.

Poſt hunc ſeptimus eſt Canon, de his qui pro accidentia jurgiorum altaria nudare (2) præſumunt, vel luminaria Eccleſiæ ſubtrahunt.

Octavus quoque ſequitur Canon, ne admonente Metropolitano quiſquam ex confinitimis ad locum, ubi invitatur, venire contemnat.

Nonus quoque Canon ſubſequitur, de confirmatione concilii Toletani duodecimi, quod factum eſt anno primo gloriæ noſtræ.

Decimus huic Canon adjungitur, ubi ſpeciali ſententia definitur, utrum audeant miniſtrare hi, qui pœnitentiam in ſacerdotio conſtituti accipiunt.

Undecimus quoque Canon habetur, ne quis alienum clericum, vel monachum ſuſcipiat fugientem.

Duodecimus poſt hæc Canon ſcribitur, de non excommunicandis a proprio Epiſcopo perſonis illis, quæ ad Metropolitanum ſuum negotia ſua ſuggeſturi acceſſerint.

Ultimus & tertius decimus poſt hunc Ca-

1 Pith. *oratu*. 2 Al. *omnibus*. 3 Al. *Concilii*. 4 Al. *quod. perſona*. 5 Pith. *relatione*. 6 Hiſp. *exhibitione*. 7 Hiſp. *relucet*. Al. *ſubjacet*. 8 Pith. *de monitione regia*. Hiſp. *de munitione prolis*. 9 Al. *aduiſu* 10 Al. *prælegerunt*.

(1) *Relictam ejus conjugem &c.*) Preſſius adhuc in Concilio Cæſarauguſtano III. anno DCXCI. Egica regnante celebrato ſtatutum fuit, ut relicta Principis *ſtatim arceſſito ab hoc ſæculo Principe veſtem ſæcularem deponat, & alacri curioſitate religionis habitum aſſumat. Quam etiam & confeſtim in cœnobio virginum mancipandam eſſe cenſemus &c.*

(2) *Altaria nudare &c.*) Canone VII. Concilii Toletani XIII. hoc edicto confirmati hæc quoque leguntur: *Quicumque ergo Sacerdotum, vel Miniſtrorum, deinceps cauſa cujuslibet doloris, vel amaritudinis permotus, aut altare divinum vel veſtibus ſacratis exuere præſumpſerit, aut qualibet alia lugubri veſte accingi; ſeu etiam ſi conſueta luminariorum ſacrorum obſequia de templo Dei ſubtraxerit, vel extingui præceperit, aut quodcumque lugubritatis in templo Dei induxerit; atque (quod pejus eſt) occaſionem nutrierit, unde de templis Domini aut officia conſueta deſint, aut oblatio ſingularis ſacrificii videatur in aliquo defraudari; ſi eum antea veræ pœnitudinis &c.* Nota cauſam *cujuslibet doloris, vel amaritudinis*. Invaluerat namque (atque, ut ego quidem reor, ex vetuſtioribus Barbarorum inſtitutis) ut talia perpetrarentur in inſigni calamitate. Apud Mabillon. Annal. Benedict. lib. XVI. n. 45. circa annum DCLXXIV. Monachi S. Medardi intentatum ſibi formidantes exitium *altaria diſcooperiunt: lampades extinguunt: baſilicæ portas obſtruunt: & campanarum ſonitum, cantumque divinorum officiorum ceſſare jubent*. Apud eundem in Actis SS. Benedict. Sæculo VI. in vita S. Gregorii VII. *Omnis itaque clerus, paſtore percuſſo, huc illucque diſcurrebat, & cuncta pene altaria exuentes denudabant*. Alia huc non congero, ne notæ compendium excedam. Manet ejuſmodi ritus in diebus publici luctus, quibus memoriam paſſionis & mortis Domini noſtri Jeſu Chriſti recolimus, & ab Hiſpanica, & ab univerſa Eccleſia probatus. V. Conc. Tolet. XVI. c. 8.

non ſubſequitur; de relatione gratiarum, quæ poſt peractionem concilii, Deo & Principi perſolvantur.

Quæ omnia præmiſſa ſynodalium inſtitutionum decreta, a præſenti die vel tempore, omni cura, omnique vigilantia [1], per cunctas regni noſtri provincias decernimus obſervanda; qualiter & perſpicuum auctoritatis validæ veſtigium [2] ſubeant, & perpetuo vigoris ordine ſolidata perſiſtant. Quamobrem ſacræ hujus legis oraculo, omnibus generaliter religioſis, atque etiam laicis, ſub regni noſtri ditione manentibus, interdicimus pariter & jubemus, ut prædicta ſynodalia geſta nullus contempnat, nullus etiam præterire aut convellere audeat. Nemo notus harum conſtitutionum jura reſolvat. Nemo incognitus neſcienti [3] ſe objectibus excuſare conjiciat. Nam a præmemorato ſubterius die vel tempore, & auctoritatis debitæ vigore pollebunt, & inſtitutionum ſuarum legibus, vel regulis, cunctorum univerſalitas adſtringetur. Si quis autem hujus noſtræ legis violator extiterit, ac non potius ea, quæ præmiſſa ſunt cuſtodierit, & diutinam Eccleſiaſticæ diſciplinæ excommunicationem accipiat, & decimam partem rei ſuæ fiſci partibus ſociandam amittat. Quod ſi nihil habuerit facultatis, unde prædictam compoſitionem perſolvere poſſit, abſque aliqua infamia ſui quinquaginta eum oportebit ictibus verberari. Hujus igitur noſtræ legis decretum, quod in confirmatione hujus ſacri concilii noſcitur promulgatum, glorioſæ manus noſtræ exaratione ſubſcripſimus, & ad perennem memoriam, valorem ei perpetuum innodamus. Ita [4] lex in confirmatione concilii Toleto, ſub die Idus Nov. Era (1) DCCXXI, (2) anno quoque feliciter IIII. [5] in Dei nomine Toleto. [6]

TITULUS II. De omnium hæreticorum atque Judæorum cunctis erroribus amputandis.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod poſt datas fidelibus leges, oportuit infidelibus conſtitutiones ponere legis.

HActenus per arduas culparum ſemitas judiciorum cautos direximus greſſus, & per humanæ adinventionis præcipites & immoderatos exceſſus, ordinatæ gravitatis emiſimus curſus. Egiſſe namque noſtram illis intentionem conſpicuum eſt, ut diſſuaderet quod male ſuaſum erat, & prohiberet quod turpe, & auferret quod male actum, & a decore honeſtatis abhorreret. Ut enim legalis ordo male conſciarum ſibi mentium abdita penetravit: ita legalis cenſura, & morum prava correxit, & ſcelerum commiſſa truncavit. Verum hanc pudicitiam animorum non egimus alibi, quam intra eccleſiam Dei vivi: quæ diverſitatem ſimul nationum & hominum unius tunicæ immortalitate veſtivit, unius etiam ſacræ religionis ſibi vinculis religavit. Ibi enim licet excellentia noſtri vigoris a virtutum Deo fuerit terrenæ gloriæ ſublimata culminibus, interdum tamen motu compaſſionis, interdum acie judicantis, & peccandi licentiam ſollicite vetare curavit, & perventa delicta modo temperanter diminuendo ſubtraxit, modo vehementer ſtirpando colliſit: non ſolum ſequens nobilium illuſtriumque gentium mores, quæ rationabilibus & modeſtis legibus ordinare curaverunt illicitos populorum exceſſus, ſed ſanctiſſimorum quoque patrum (3) toto terrarum

1 Hiſp. *diligentia*. 2 Al. *faſtigium*. 3 Al. *neſcientia*. 4 Al. *edita*. 5 Al. additur: *regni gloria noſtra*. 6 Al. additur: *Ervigius Rex*.

(1) *Era.*) Quare ad deſignandam Epocham, annumque certum vox *Era* adhibita fuerit, incertum eſt; verbum enim incertæ ſignificationis in diverſas traxit eruditos ſententias. Unam profero, quæ propius ad verum videtur accedere. *Æra* lingua Gothica eſt metere, & *år* meſſis. Hinc *Era* merito dici poteſt vox Latino-Barbara, *meſſem* deſignans. Cum vero Barbari annos per hyemes, vel per meſſes deſignare conſueviſſent, ut in nota ad Legem Bajuvar. Tit. VII. c. 19. Vol. II. huj. Collect. dictum eſt, hinc vox *meſſis* ad integrum annum indigitandum adhibita. Conſule Ihre Gloſſar. V. *År*, qui hæc quoque ſubdit: " Gothi exteri videntur hanc vocem latius diſſeminaſſe, cum in Gallia Narbonenſi, quæ a ſede Gothorum aliquando *Gothia* dicebatur, *era* pro anno uſurpatum fuerit; & Hiſpani hodieque dicant *de era en era*, hoc eſt Svethice, *år från år*, quotannis. „ Certe ratio computandi annos per meſſes antiqua eſt, atque adeo diſſeminata, ut a vetuſtis Celtis derivata cenſeri poſſit. Et apud Italos, Celtarum gentem, id adhuc ſuo tempore inter ruſticos veterum phraſium tenaciores obtinuiſſe innuit Virgilius in Bucolicis Ecloga prima, ubi Melibœum ſic loquentem inducit:

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

Ad quæ verba Servius: *Poſt aliquot ariſtas: poſt multa tempora, & quaſi ruſticus per ariſtas numerat annos.* Et infra: *Ariſtas; gradatim dictum eſt ex tropo metalepſi: ut per ariſtas, meſſes; per meſſes, æſtates; per æſtates, annos numeret.*

(2) *Era DCCXXI.*) Scilicet anno Domini DCLXXXIII; quo itidem celebratum fuit Concilium Toletanum XIII. Eram Hiſpanicam annis XXXVIII. exſuperare Epocham communem noſtram, omnibus notum eſt. Hiſpanicæ Eræ initium eruditiores auſpicantur ab anno IV. Octaviani Cæſaris, *quod tum primum apud eos cenſus actus, & indictum tributum* dicatur. Sed hoc incertum.

(3) *Sanctiſſimorum quoque patrum.*) In conſtituendis, ſeu recenſendis legibus, non uni Wiſigothorum genti in more fuit dogmata mutuari ex Eccleſiaſticis ſanctionibus, & ex dictis SS. Patrum. Id inter Francos maxime ſolemne fuiſſe conſtat ex libris Capitularium, ut ibidem in monito animadvertimus. Anglosaxonum leges pervolventi nullo negotio conſtat, plura ex Eccleſiaſticis dogmatibus excerpta hac illac permiſceri. " Leges quoque Partitarum, inquit Villadiego, ſumptæ ſunt ex dictis SS. Patrum, & Sapientum, ut patet in Prologo earumdem. „

rarum orbe felicium & regulas imitans, exemplaque præsumens, quo posset amplitudo nostræ mansuetudinis in illorum præceptis, velut in forma operis, imitationem exprimere actionis. Et ex hoc debere cognoscere proximis subjectisque plebibus honestatis competentia indidisse decreta, ex quo aut culparum merita sunt evidenter impressa, aut a sanctorum patrum sententiis prorsus non inveniuntur externa: duo mihi dona uno divinitatis præmio provenire confidens, & ut cum proximis salutari temporum perfruar pace, & divinis judiciis munere regiminis peracta mercede dispositis, dehinc populorum fidelium legibus, atque in domo sanctæ fidei vere ut propriis membris confecto medicamine salutari, & ordinata charitatis decentissima pace, evidenter in virtute Dei aggrediar, hostes ejus insequar, æmulos ejus persequar, adversus eos contendens viriliter, perseverans instanter, aut comminuere illos ut pulverem excussum, aut delere ut lutum sordentium [1] platearum. Certe aut de illis & fidei conquirere lucrum, & gloriæ Dei dare trophæum: ut dum fideles populos in religionis sacræ pace possederim, atque infideles ad concordiam religiosæ pacis adduxerim, & mihi crescat in gloria præmium: ut virtutem Dei dilatem, atque augeam regnum.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

De omnium hæresum erroribus abdicatis.

Divinæ virtutis æternum consilium, & in ultimorum serie sæculorum pietatis ejus revelatum arcanum, per retro-actorum dierum tempora omnem (ut cernimus) a cunctis nostri regiminis finibus, & perfidiam dissipavit errantium, & dogmatum abdicavit commenta pravorum. Veruntamen ne dum nostris consistimus in diebus, tempus illud occurrat, de quo vas electionis olim protulit, dicens: Erit tempus, quo sanam doctrinam non sustinebunt: sed secundum sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur: Convenit & ea quæ in luce fidei manent, a tenebris contradictionum edicto legali defendere; & ea quæ exoriri obvia forsan error impulerit, gestis legalibus propulsare. Nullus itaque cujuslibet gentis aut generis homo, proprius & advena, proselitus & indigena, externus & incola, contra sacram & singulariter unam Catholicæ veritatis fidem quascunque noxias disputationes, eandem fidem impugnans, palam pertinaciter aut constanter vel proferat, vel proferre silenter attemptet. Nullus Evangelii decreta convellat. Nullus Apostolica instituta decerpat. Nullus antiquorum patrum impugnationibus suis sacras definitiones irrumpat. Nullus modernorum discernentium congruentes fidei tractus spernat. Nullus contra omne sanctum dictum & factum, vel veræ fidei sacramentum, aut cogitationes ruminet cordis, aut verba patuli proferat oris. Non in contradictione controversiam perfidus excitet pervicacis, non improbitatis contentione litem statuat adversantis. Nam quæcunque persona ex his in cunctis istis vetitis extiterit deprehensa, si quidem ex quacunque religionis potestate vel ordine fuerit, amisso loci & dignitatis ordine [2], perpetuo reatu erit obnoxius, rerum etiam cunctarum amissione multatus. Si vero ex laicis extiterit, & honore solutus & loco, omni rerum erit possessione nudatus: ita ut omnis transgressor sanctionis istius, aut æterno exilio mancipatus intereat, aut divina miseratione respectus, a prævaricatione convertatur, & vivat.

III. FLS. GLS. CHINDS. REX.

De datis & confirmatis legibus, super Judæorum nequitiam promulgatis.

Vetitis & seclusis generaliter omnium hæreticorum præsumptionibus execrandis, nunc specialiter nobis est de præsentibus ordinandum: quoniam & in præsentibus de his cognoscimus esse præsumptum. Nam cum virtus Dei totum universaliter acie verbi sui radicitus hæresium extirpaverit fomitem vel surculum, sola Judæorum nequitia ingemiscimus arva nostra esse polluta regiminis nostri. Unde per spiritum Dei vindicare conabimur pacem nostram, quæ gentibus quidem stultitia est: eisdem vero Judæis scandalum: nobis autem credentibus, idem Christus, Dei virtus, & Dei sapientia: cujus miseratione præventi concutimur intentione fideli, tam vetustis erroribus ponere finem, quam futurorum exordiorum concidere novitatem. Quapropter æterna lege jubemus, & sacrorum scriptorum jussu decernimus, tam nostrarum legum edicta, quam prædecessorum nostrorum Regum legali serie promulgatas sententias, quæ contra eorum perfidiam & personas data consistunt, æterna consecratione inviolata persistere, & perenni custodia observata manere. Quæ si quis eorum temerator detectus extiterit, & subterjacentium legum damnis obnoxius erit, & specialibus ultionum sententiis subjacebit.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

De cunctis Judæorum erroribus generaliter extirpandis.

Nullus Judæorum sacræ religionis Christianam fidem, quam sancti percepit unctione [3] baptismatis, aut profanet aliquatenus, aut relinquat. Nullus hanc factis, nullus dictis impugnet. Nullus huic absconse, nullus palam insultet. Nullus fugere ad hanc evadendam contendat: nullus, ut hanc effugiat, quibuscunque latibulis se occultandum injiciat. Nullus spem quandoque profanationis ite-

1 Al. *sordidum*. 2 Al. *honore*. 3 Al. *tinctione*.

iterandæ contineat. Nullus confidentiam renovandi erroris adſumat. Nullus prorſus perfida mente Chriſtianæ religioni obviam ſectam corde teneat, verbis promat, factis oſtendat. Nullus ex his, qui in eorum placitis ſunt conſcripta, eorumque publica ſubſcriptione notata, temerare ſtudeat, vel revelare præſumat. Nullus omnium horum vetitorum conſcium vel operatorem celare attemptet. Nullus inventum latentem publicare retardet. Nullus auditam latebram denuntiare recuſet. Cunctorum namque eorum quiſque tranſgreſſor inventus conſtitutæ legis, erit ſupplicio afficiendus.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Judæi more ſuo celebrent Paſcha.

Nullus Judæorum XIV. luna menſis alicujus faciet Paſcha, neque dierum ipſorum (ut ſoliti ſunt) ſolempnia celebrabit. Non dies feſtos omnis ſolempnitatis mediocres aut ſummos quiſque eorum venerabitur, aut intendet errorem, vel honore vetuſto nòn ferias cuſtodiat. Non ſabbata & omnia feſta ritu obſervantiæ ſuæ deinceps aut colant, aut contingere quandoque præſumant. Nam præventi mox ſpeciali dampnationis ſuæ multabuntur ultione.

VI. FLS. GLS. * REX.

Ne Judæi more ſuo fœdus copulent nuptiale.

Nemo ex Judæis propinquitatem ſanguinis ſui conjugio copulet, aut adulterio polluat, aut inceſtu commaculet. Nullus uſque ad ſextum generis gradum coitu quamcunque perſonam contingat. Nullus feſta nuptialia, aliter quam Chriſtianorum mos eſt, vel appetat, vel uſurpet. Nam detectus dampnationis datæ ultionibus punietur.

VII. FLS. GLS. * REX.

Ne Judæi carnis faciant circuncifiones.

Nullus Judæorum circuncifionem operabitur carnis. Nullus hanc ſibi fieri patietur indempnis. Non ſervus, non ingenuus aut libertus, incola vel extraneus ejuſdem deteſtandæ ſectionis [1] opprobrium quacunque occaſione aut perferat, aut alteri inferre præſumat. Nam quicunque ſponte talia feciſſe vel ſuſtinuiſſe probabitur, datæ legis ſeveritate plectetur.

VIII. FLS. RCDS. REX.

Ne Judæi more ſuo dijudicent eſcas.

Cum beatus Paulus Apoſtolus dicat; Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum: merito Judæorum deteſtabilis vita, & diſcretionis horrendæ immunditia, omnium ſordium horrore immundior, & refelli oportet, & abjici debet. Ne quis ergo ex his primæ ritu traditionis, & uſuati conſuetudine moris, mundas ab immundis dijudicet eſcas: nemo ſumenda inhoneſte rejiciat, quæ valde bona eſſe ſui conditio probat. Nemo ex his aliquid privet, aliud uſurpet, niſi tantum illa diſcretione ſervata, quæ ab omnibus Chriſtianis tenetur ſalutaris & congrua. Alioquin in tranſgreſſione quiſque detectus, conſtitutis erit ſuppliciis addicendus.

IX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Judæi quæſtionem Chriſtianis inſcribant.

Specialiter hoc decreto cenſetur nulli Judæo pro qualicunque negotio quandoque licere contra Chriſtianum quamvis humilis ſerviliſque perſonæ teſtimonium dicere, neque pro qualibet actione ad inſcriptionem Chriſtianum impetere, aut pro Judæorum cauſſis quacunque factione hunc tormenta ſubire præſumat. Profanum etenim ſatis eſt, infideles fidelibus anteponere, & membra Chriſti adverſariorum ejus moleſtiis ſubjugare. Sane ſi iidem inter ſe cauſſarum negotia reperiantur habere, & teſtificandi adverſum ſe, & in ſervis ſuis tantumdem coram Chriſtianis judicibus quæſtionem injicere, ſit illis liberum ex lege licere.

X. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Judæi contra Chriſtianos teſtificentur, & quando ex illis progenitis teſtificari ſit licitum.

Si coram hominibus repertum mendacium, & infamem facit, & dampnis affligit: quanto magis in divina fallax fide præventus non erit penitus ad teſtimonium admittendus? Merito ergo teſtificari prohibiti ſunt Judæi, ſeu baptizati, ſive non extiterint baptizati. De ſtirpe autem illorum progeniti, ſi morum probitate & fidei plenitudine habeantur idonei, permittitur illis inter Chriſtianos veridica quidem teſtificandi licentia: ſed non aliter, niſi ſacerdote, Rege, vel judice mores illorum & fidem omnimodis probante.

XI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De pœna qua dirimenda eſt tranſgreſſio Judæorum.

Hæc de ſinu fortiſſimarum legum ſententia emaneat, ad puniendam perfidiam Judæorum: ut quicunque aut ſuperioribus vetita legibus, aut ſuis innexa placitis temerare voluerit, vel fruſtrare præſumpſerit, mox juxta ſponſionem ipſorum gentis ſuæ manibus, aut lapide puniatur, aut igne crematur. Quod ſi denotatum crimine reum Principalis pietas reſervaverit victurum, illi cui placuerit ſerviturus a Rege donetur, & omnia bona ejus aliis poſſidenda tradantur. Sic-

1 Al. *ſecta*.

Sicque fiat, ut nec rem amiſſam recipiat dominus, nec libertatem reparet ſervus.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Judæus Chriſtianum mancipium circuncidat.

Nulli Judæo liceat Chriſtianum mancipium comparare, nec donatum accipere. Quod ſi comparaverit, vel donatum acceperit, & circunciderit, & precium perdat, & quem acceperat liber permaneat. Ille autem qui Chriſtianum mancipium circunciderit, omnem facultatem ſuam amittat, & fiſco aggregetur. Servus vero vel ancilla qui contradixerint eſſe Judæi, ad libertatem perducantur.

XIII. FLS. SISEBUTUS (1) REX.

De mancipiis Chriſtianis, quæ a Judæis aut vendita, aut libertati tradita eſſe noſcuntur.

Sanctiſſimis ac beatiſſimis Agapio, Cecilio, item Agapio Epiſcopis ſive judicibus ibidem inſtitutis, ſimiliter & reliquis ſacerdotibus & judicibus in territorio Arbi, Urgi, Sturgi, Illiturgi, Biaciatui, Agatugiæ, Ebagri & Epagri conſiſtentibus.

Dudum latæ conſtitutionis auctoritas a domno & præceſſore noſtro Recaredo Rege ſufficere poterat, ut mancipia Chriſtiana nullatenus in Hebræorum jure manerent obnoxia. Sin poſtmodum contra juſtitiæ inſtituta eorum pravitas ſubripiendos Principum animos aliqua ſibi injuſta non poſcant beneficia. Proinde quia Deo adjuvante legem fieri decrevimus, & fraudibus eorum per diverſa capitula obſtitimus: ideo pro eo quod retro tempore fuerat vitiatum, juxta edictum ante dicti Imperatoris decernimus: ut ſi qua Chriſtiana mancipia eo tempore quo auctoritas data eſt, in eorum jure fuiſſe probantur: ſeu ſint libertati tradita, ſeu forte ad libertatem non fuerint perducta: ad civium Romanorum privilegia, juxta noſtræ legis hujus edictum tranſire debeant. Nam & ſi qua illicito auſu de eiſdem mancipiis, quæ per conſtitutionem regiam fuerant abſoluta, in jure cujuslibet per quamcunque ſcripturam tranſegiſſe viſa ſunt: reſciſſa tali colligatione, ad ſtatum ingenuitatis recepto juxta leges pretio a venditoribus revertantur, & prænotati in polipticis publicis, atque ſecundum eorum peculium juſtiſſima de ratione cenſiti, vitam in propriis laboribus in ingenuitatem tranſire valeant. Si qua vero mancipia poſt metas dierum, in qua auctoritas ſæpe dicti Principis promulgata eſt, ab illis quoquo libet titulo juſtiſſime conquiſita ſunt, aut vendere, aut libertare, prout maluerint, uſque ad Kalendas Julias licentiam illis tribuimus. Hi vero Chriſtiani, qui ab Hebræis quocunque tempore circunciſi ſunt, vel in ritu eorum ſunt, legali ordinatione multentur. Nam & de his, qui per legem abſoluti eſſe cernuntur, quia ab ipſis Hebræis ſervi addicti ſunt, vel huc uſque detenti, ſicut de ingenuis legibus eis ſatisfacere non morentur. Judæi igitur, qui ad fidem ſanctam confugium viſi ſunt feciſſe, portionem ſibi debitam ex ſucceſſione parentum aut mancipiis accipiant: venditionum vero quæ factæ fuerant, quas in unum tempus venditionis invenerit parentum vel filiorum, nulla ſit in diſtrahendo diviſio, ſed in unum ad comparantis tranſeant dominium. Nam & quiſquis de Judæis ſub nomine proprietatis fraudulenta ſuggeſtione aliquid a præceſſoribus noſtris viſus eſt promeruiſſe, exacta ejus auctoritate fiſco noſtro faciatis ſociari. Mancipia vero Judæorum, quæ ad baptiſmi gratiam fecerunt confugium, ubicunque reperta fuerint exigantur, & libera dominis ſuis reddantur: ita & qui habet ſuum peculium, in ea libertate illi conferatur; & qui non habuerit, a manumiſſore prout vires habuerit illi concedatur; & deſcripti, ſicut & cæteri eorum liberti, cenſus pro eo peculio illis imponatur.

XIV. FLS. SISEBUTUS REX.

Ut nullis modis Judæis mancipia adhæreant Chriſtiana; ne in ſectam [1] eorum modo quocunque ducantur.

Univerſis populis ad regni noſtri provincias pertinentibus. Salutifera remedia nobis gentique noſtræ conquirimus, cum fidei noſtræ conjunctos de infidorum manibus clementer eripimus. In hoc enim orthodoxa gloriatur fidei regula, cum nullam in Chriſtianis habuerit poteſtatem Hebræorum execranda perfidia. Abominanda ſunt in Chriſtianis funeſta Judæorum imperia, & reducenda eſt ſub amore Catholico plebs Deo ſacrata in gratiam. Ob hoc hac in perpetuum valitura lege ſancimus, atque omni cum palatino officio futuris temporibus inſtituentes decernimus, ut nulli Hebræo ab anno regni noſtri feliciter primo Chriſtianum liberum, vel

1 AL. *in ſecreta.*

(1) *Fls. Siſebutus.*) Celebrem Siſebutus Rex in Judæos quondam tulerat ſanctionem. Scribit Iſidorus Hiſpalenſis in Chronico, quod ille *in initio regni ſui Judæos ad fidem Chriſtianam permovens æmulationem quidem Dei habuit, ſed non ſecundum ſcientiam. Poteſtate enim compulit, quos provocare fidei ratione oportuit. Sed, ſicut ſcriptum eſt, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus adnuntietur.* Ea Siſebuti ſanctio correcta fuit in Concilio Toletano IV. acto regnante Siſenando, cui præfuit ipſe Iſidorus. Attamen ibi cap. LVII. conſtituitur, ut *qui jampridem ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſebuti . . . . . oportet, ut fidem etiam, quam vi, vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur.* Qua de re conſulantur Theologi, inter quos Eſtius in Sent. Lib. IV. Diſt. IV. art. 10.

vel servum mancipium in patrocinio vel servitio suo habere liceat. Nullum ex his mercenarium, nullumque sub quolibet titulo sibimet adhærentem, hæc divalis sanctio fore permittit. Vendere tamen infra fines regionum nostrarum in his locis, ubi commanere videntur, cum omni peculio Christiano, cui fas fuerit, justissimo pretio libera facultas subjaceat: nec liceat venditoribus in alias eos regiones transferre, nisi ubi eorundem mancipiorum cessio judicatur & mansio. Quod si ita proveniat, ut hi qui transacti fuerant, nihil in suo videantur habere peculio: tantum his mancipiis a venditoribus dari præcipimus, quantum illis sufficere ad excolendum, vel gubernandum se invenerit comparantis electio: ne sub nomine emptionis non tam transactio, quam videatur esse exilium. Libertare vero servum Christianum Hebræus si maluerit, ad civium Romanorum dignitatem eundem manumittere debebit, nulli scilicet Hebraico vel quolibet obsequio reservato: sed vitam suam ubi voluerit manumissus, procul ab Hebræorum consortio transigendi habeat potestatem. Quod si calliditatis fraudulentia Hebræus effectus venditionem atque libertatem tali sub dolo confecerit, ut quædam deceptionis argumentatio, vel venundatio, vel manumissio futuris temporibus invido dolo præveniat, quatenus hunc captiositas ementis atque vendentis dolo malo decipiat: hujus nefandi sceleris argumentum ingenuus si prodiderit, facultatem sibi profuturam in omnibus Judæi percipiat. Christianus vero revera, quem fi[illegible] præsumptio reum fecerit, nullis si fue[illegible]latibus dilatatus, in servitium cui [illegible] voluerit redigatur. Si rerum illi certe [illegible]bitio fuerit, medietate fisco conjuncta, perpetua ipse infamia notetur. Servus vero hujus calliditatis detector liberum se gaudeat futurum, & in ejus consistat assiduus patrocinio, in cujus cernitur hactenus fuisse servitio. Ut autem ejus firmissima libertas permaneat, vicarium a fisco servum dominus pro eodem accipiat: & insuper libra auri ab ipsis, quorum revelabit scelera, illi exacta proficiat. Quod si Hebræus circunciderit Christianum, aut Christianam in suam sectam, ritumve transduxerit, cum augmento denunciantis capitali subjaceat supplicio, ejusque sine dubio bona incunctanter sibi vendicet fiscus. Mancipia vero quæ ex Christianorum & Hebræorum cœnobiis nata vel genita esse noscuntur, id observari censuimus, ut Christiana efficiantur. Si certe hi, qui in ritum Hebræorum traducti sunt, in ea perfidia stare voluerint, ut minime ad sanctam fidem perveniant: & in cœtu populi verberibus cæsi, atque turpiter decalvati, & alicui Christiano (cui a nobis jussum fuerit) perpetuo servituri tradantur. Quod si tam illicita connubia fuerint præventa, id elegimus observandum: ut si voluntas subjacuerit, infidelis ad fidem sanctam perveniat. Si certe distulerit, noverit se conjugali consortio divisum atque divisam in exilio perenniter permanere. Inter cetera hoc adjicientes præcipimus, ut dum quispiam ab Hebræorum certa devotione in Catholicam confugium fecerit fidem, & purificationis unda lavacrum sanctum susceperit, quidquid eodem tempore in omnibus rebus comprobatur habere, remota cunctorum molestia, ut vere fidelis, sibi perpetim vendicet. Hoc vero edictum infra diem Kalendarum proxime succedentium Juliarum implere cunctos per nostras a Deo collatas regiones modis omnibus permonemus. Quibus evolutis Kalendis, apud quemlibet Hebræorum Christianum repertum fuerit mancipium, medietas substantiæ hujus Hebræi fisco subjaceat, & libero reddito, qui per suam proditionem fuerit apud eum repertus, nihil sibi Hebræus de persona ejus, vel peculio ultra defendat. Hanc ergo legem, quam pietatis & religionis amore concepimus pro nostro populique nostri remedio, in perpetuum suffragante auctore domino valituram esse censemus. Successores quoque nostros legis hujus instituta servantes, victrix Christi victores faciat dextera; & ejus solium in veritate corroboret, cujus in hoc fidem inspexerit divina clementia. Et licet hujus legis prolatam sententiam a nemine temerari posse credamus: audacia tamen transgressoris & non venerabiliter conversantis, sit in hoc seculo ignominiosior cunctis hominibus, & vita illius eodem in tempore concidat; quod sinistræ partis assensum in tam nefaria cum voluntate perduxerit detestanda temeritas: tantumque obnoxius in æternum peccatorum mole detineatur, in quantum transgressus fuerit legis hujus salubre decretum. Futuri etiam examinis terribile cum patuerit tempus, & metuendus adventus Domini fuerit reseratus, discretus a Christiano grege perspicuo ad lævam cum Hebræis exuratur flammis atrocibus, comitante sibi diabolo: ut ultrix flamma in transgressoribus æterna pœna desæviat, & locuples remuneratio Christianis faventibus hinc in æternum copiosa detur.

XV. FLS. GLS. RCDS. REX.

De interdicto omnibus Christianis, ne quis Judæum quacunque factione aut favore vindicare aut tueri pertemptet.

In conclusione omnium præteritarum legum, quæ ad conterendam perfidiam Judæorum tam nostra intentione quam præcessorum nostrorum studia decreverunt, oportuit hanc novissime legem ad robur soliditatis adjicere, & competenti munimento promissa ex ordine roborare. Postquam enim dedimus sacræ fidei profanis hostibus competens repudium, & cunctis inventionibus [1] perfidorum posuimus exoriri terminum, debite com-

[1] Al. *adinventionibus*.

compulsi sumus & ea quæ concreta sunt solidare, & quæ solidata sunt pulchritudine venustare: ut quanto artifex vivacius expressit ingenium cogitationis in artem, tanto vigorem simul & decus adsumat qualitas formæ. Ne ergo quibuscunque adinventionibus calliditas Judæorum indesinenti persequenda conatu subrepat, aperiens profano juri licentiam, hoc evidenter in legis hujus decernitur sanctione: ut nullus de religiosis cujuscunque ordinis vel honoris, seu de palatii mediocribus atque primis, vel ex omnibus cujuslibet qualitatis aut generis, aut principum vel quarumcunque potestatum, aut obtineat, aut subprimat agnitos [1] Judæos, sive non baptizatos, in suæ observationis detestanda fide & consuetudine permanere: sive eos qui baptizati sunt ad perfidiam ritumve pristinum quandoque redire. Nullus sub patrocinii nomine eos pro suæ pravitatis licentia conetur in quippiam defensare. Nullus quocunque argumento aut factione illis hanc defensionem conetur impendere, per quam liceat eis obvia sanctæ fidei, & Christiano contraria cultui, palam aut occulte aliquatenus attentare, nequiter proferre vel tangere. Quod si quispiam hæc præsumpserit temerare: si Episcopus fuerit, aut etiam ex ceteris clericis atque religiosis, vel certe ex cunctis laicis quisque deprehensus extiterit, a conventu Catholicorum seclusus, & excommunicatione ecclesiastica ferietur, & quartæ partis omnium suorum bonorum amissione mulctabitur, quæ fisco non dubie quantocius connectetur. Dignum etenim est eos aliquandiu a fidelium Christi societate divelli, & rerum dampno mulctari, qui apponunt Christi amorem & veritatis speciem consensu inimicorum ejus detestabiliter impugnare; in legum transgressoribus illa immobiliter sententia permanente, quam diu piæ memoriæ Sisebutus Rex visus est in hujusmodi actione superiorem legem sanxisse.

XVI.

Placitum Judæorum in nomine Principis factum.

Clementissimo ac serenissimo domino nostro RECESVINDO Regi (1), omnes nos Hebræi Toletanæ civitatis atque Hispaniæ, gloriæ vestræ (2), qui infra subscripturi vel signa facturi sumus.

Bene quidem ac juste nos meminimus compulsos fuisse, ut placitum in nomine divæ memoriæ Chintilani Regis pro conservanda fide Catholica conscribere deberemus, sicut & fecimus. Sed quia perfidia nostræ obstinationis, & vetustas parentalis erroris nos ita detinuit, ut nec veraciter in Jesum Christum Dominum crederemus, nec Catholicam fidem sincere teneremus [2]; idcirco nunc libenter ac placide spopondimus gloriæ vestræ, tam pro nobis, quam pro uxoribus, & filiis nostris, per hoc placitum nostrum, ut deinceps in nullis observationibus, in nullis incestivis usibus Judaicis misceamur. Judæis etiam non baptizatis [3] nullo penitus execrando consortio consociemur. Non more nostro propinquitate sanguinis, usque ad sextum gradum incestiva pollutione in conjunctione vel fornicatione [4] jungamur; non conjugia ex genere nostro, aut nos, aut filii nostri, vel nostra posteritas ullatenus sortiamur: sed in utroque sexu deinceps Christianis jugali copula connectamur [5]. Non circuncisionem carnis operemur: non Pascha & Sabbata, ceterosque dies festos, juxta ritum judaicæ observationis, celebremus. Non escarum discretionem vel consuetudinem teneamus: non ex omnibus, quæ Judæorum usus & abominanda consuetudo vel conversatio agit, aliquatenus faciamus. Sed sincera fide, grato animo, plena devotione in Christum filium Dei vivi, secundum quod Evangelica & Apostolica traditio habet, credamus, atque hunc confiteamur ac veneremur. Omnes etiam usus sanctæ Christianæ religionis, tam in festis diebus, vel in conjugiis & escis, quam in observationibus universis veraciter teneamus, & sinceriter amplectamur; nullo reservato apud nos aut oppositionis objectu, aut fallaciæ argumento, per quod aut illa quæ facere denegamus, iterum faciamus; aut hæc quæ facere promittimus, minime vel non sinceriter compleamus. De suillis vero carnibus id observare promittimus; ut si eas pro consuetudine minime percipere poterimus, ea tamen quæ cum ipsis decocta sunt, absque fastidio & horrore sumamus & comedamus. Quod si in his omnibus, quæ supra taxata sunt, in quocunque vel minimo transgressores inventi fuerimus, & aut contraria Christianæ fidei [6] agere præsumpserimus, aut quæ congrua Catholicæ religioni promisimus, verbis aut factis implere distulerimus: juramus per eundem Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, qui est unus in Trinitate & verus Deus, quia si ex nobis horum omnium vel unus [7] transgressor inventus fuerit, aut novis [8] ignibus, aut lapidibus perimatur. Aut si hunc ad vitam gloriæ vestræ reservaverit pietas, mox amissa liberta-

te,

1 Pith. *animos*. 2 Hisp. *nec Catholicæ fidei sinceriter hereremus*. 3 Al. *nobis baptizatis*.
4 Hisp. *incestiva commixtione vel fornicatione*. 5 Hisp. *copulatione nectamur*.
6 Hisp. *contra Christianam fidem*. 7 Al. *omnibus vel unus*. 8 Al. *a nobis aut ignibus*.

---

(1) *Recesvindo Regi.*) Hoc placitum legitur in calce Concilii Toletani VIII; quod Recesvindo regnante celebratum est.

(2) *Gloriæ vestræ.*) Titulus honoris. Nos diceremus: *Majestatis vestræ. Gloria, & Gloriosus*, titulus est aliarum quoque gentium Regibus, ac Magnatibus usitatus, sed Gothis Regibus affectatus, quibus haud semel in hisce legibus *gloriæ* nuncupatio tribuitur, & qui perpetuo in legum fronte *Flavii Gloriosi* compellantur.

te, tam eum, quam omnem rei ipsius facultatem, cui volueritis perenniter serviendam donetis: vel quidquid ex eo, vel ex rebus ejus fieri jusseritis, non solum ex regni vestri potentia, sed etiam ex hujus placiti nostri sponsione potestatem liberam habeatis. FACTUM PLACITUM SUB DIE XII. KALENDAS MARTIAS, ANNO FELICITER SEXTO REGNI GLORIÆ VESTRÆ. IN DEI NOMINE TOLETO.

XVII. FLS. GLS. CIN. [1] REX.

De Judaizantibus Christianis.

Sicut deflendum est a Christianis eorum scelus, qui in Christo prævaricatores existunt: ita modis omnibus decernendum, ut nullus omnino veniam mereatur, qui a meliori proposito ad deterius declinasse convincetur. Quia ergo crudelis & stupenda præsumptio crudeliori debet extirpari supplicio: ideo legis hujus edicto decernimus, ut quicunque Christianus, & præsertim a Christianis parentibus ortus, sexus scilicet utriusque, circuncisionem, vel quoscunque ritus Judaicos exercuisse repertus est, vel (quod Deus avertat) potuerit ulterius reperire, conspiratione & zelo Catholicorum, tam novis & atrocibus pœnis afflictus turpissima morte perimatur, quam horrendum & execrabile malum est, quod ab eo constat nequissime perpetratum. Eorum vero bona sibi procul dubio fiscus adsumat: si heredes vel propinquos talium personarum facti hujus error consentiendo commaculet.

TITULUS III. De novellis Legibus [1] Judæorum, quo & vetera confirmantur, & nova adjecta sunt.

I. IN NOMINE DOMINI FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

De commemoratione priscarum legum, quæ in Judæorum transgressionibus promulgatæ sunt atque de novella confirmatione earum.

PErfida Judaici erroris sæpe calliditas eo vehementius durescit in crimine, quo institutis contra se legibus nititur frequentius contraire. Et ideo posituri tot tantisque eorum erroribus novitatis ordine leges, libet tamen illas primum a dominis & præcessoribus nostris promulgatas in eorum transgressionem constitutiones intendere, & ordinatim præcedentium edicta retexere: ut ex hoc collata cum veteribus nova, & vetera in his quæ recenter sunt edita confirmentur, ut condecet, & nova sic ordinentur; ne præterita citra rationem videantur confundere: quo uniformis membri compago, ex utrisque legibus ordinata, clara hic justitiæ manifestatione eluceat. Si quod in præteritis legibus confirmatione sit dignum, quidve novitatis edictu inconvulsibile censeatur, eo luce clarius pateat, quo complexa hic ex utrisque veritas extiterit declarata. Et ideo in eisdem præcedentium legum statutis reperimus legem, quæ de omnium hæresum erroribus abdicandis promulgata consistit: in qua lege id adjiciendum emendandumque evidens ratio persuasit: ut si cujuslibet hæresis permotus quisque insania, contempserit ipsius legis in aliquo instituta, cujuscunque sit generis ordinisve persona: si publica perversum dogma defensione vindicare voluerit, sub arduo erit pœnitentiæ exilio relegandus: ejus quoque bona in Principis potestate consistant: qualiter si ipse perversi erroris sectator corrigi usquequaque destiterit, & ille ab exilii nullo modo revocetur ærumna, & res ejus, cui eas Princeps conferre voluerit, inconvulse deserviant. Cæterum si quis ignorantiæ præcipitio deditus, cujuslibet erroris sectam aut corde tenuerit, aut verbis vindicare voluerit, vel factis quibuslibet ostenderit, ad Episcopum loci vel quemlibet sacerdotem se instruendum remittat, qualiter ab eo una cum consensu Metropolitani formulam rectæ institutionis accipiat. Jam vero si ab his hæreticus quilquis ille commonitus vel instructus se distulerit corrigere, superioris sententiæ jacturam ordine superius adnotato sustineat. Idque in illos est latum, qui publica defensione adversam nostræ fidei judicaverint sectam. Denique abhinc speciales relaturæ sunt leges, quæ in Judæorum sunt transgressionibus positæ: id est de datis & confirmatis legibus supra Judæorum nequitiam promulgatis, sive de cunctis Judæorum erroribus generaliter extirpandis, & ne Judæi more suo celebrent Pascha, neque ut more suo fœdus nuptiale copulare præsumant, & ut carnis circuncisiones non faciant, neque more suo judicent escas, ac ne quæstionem Christianis inscribant, neque contra Christianos testificentur, & ne Judæus Christianum mancipium circuncidat. De mancipiis quoque Christianis, quæ a Judæis vendita, aut libertati tradita esse noscuntur, qualiter statum libertatis obtineant, & ut nullo modo Judæis mancipia deserviant Christiana: de interdicto quoque omnibus Christianis, quo prohibetur ne quisque Judæum quacunque factione atque favore

1 Al. RCDS.

(1) *De novellis Legibus.*) Novellæ hæ Constitutiones adversus Judæos probatæ fuere in Concilio Toletano XII. c. 9; quod anno primo Ervigii Regis celebratum est, & VIII. Kal. Febr. consummatum. Biduo autem post expletum Concilium, hoc est VI. Kal. Febr. publicatæ fuerunt, audientibus Judæis, ut patet ex subscriptione, quæ legitur in fine Codicis. Titulus hic in Hispanico desideratur omnino; sed loco ejusdem alter legitur in Latino nostro deficiens: *De los denostos, e de las palavras odiosas*, quem & nos infra exhibebimus.

re vindicare vel tueri pertemptet, atque de Judaizantibus Christianis. Harum igitur fortissimarum legum sententia in prædictorum Judæorum perfidiam promulgata, exceptis duobus subter adnexis capitulis, ceterisque aliis quæ contraria inveniuntur, & his justitiæ regulis, & his institutionibus nostris, omnia, ut dictum est, jugi temporum æternitate valitura censemus, & inrevocabili glorioso serenitatis nostræ oraculo confirmamus, atque in tantum eis consultum valetudinis robore celebriori porrigimus, in quantum nil repugnans habuerunt, cum his quæ novitatis nostræ sententia definimus. Nam in quibusdam ipsis legibus, quod nobis inconveniens videtur atque contrarium, & duo interim inter cetera repugnantia rationi vel institutioni nostræ capitula continet; quæ licet tempta usque hactenus nullo modo, nullius tamen vigoris deinceps valetudinem retinebunt. Illa siquidem in his sententiis prima est, per quam Judæis datur execranda licentia manumitti Christiana mancipia. Secundum sane capitulum non solum reprehensibile nobis videtur, sed impium, ubi totius universitas culpæ, ad unius redigitur dampnationem vindictæ. Nam quædam leges sicut culparum habent diversitates, non ita discretas in se retinent ultiones, sed permixta scelera transgressorum ad unius permittuntur legis pœnale judicium. Nec secundum modum culpæ modus est adhibitus pœnæ, cum major minorque transgressio, unius non debeat multationis prædampnari supplicio: præsertim cum dominus in lege sua præcipiat: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*. Unde lex ipsa quæ inscribitur de pœna, qua perimenda sit transgressio Judæorum: *quia Deus mortem non vult, nec lætatur in perditione vivorum*: pro eo quod in se peremptionem continet mortis, in nullo veræ valetudinis retinebit statum. Proinde jam nunc, ad operiendum malitiæ caput, ad denegandum infidelitatis commentum, ad perimendum profanationis elogium, alacri intentione procurram, nisu validæ oppugnationis obsistam, fortia in perfidis præceptionum tela objiciam.

II.

De blasphematoribus sanctæ Trinitatis.

Sicut veritas sacri Evangelii prædicat, prolatum in fratrem contumeliæ verbum, judicio reum adsignat. Quanto magis peccantem in Spiritum sanctum divinæ animadversionis sententia dampnat, quod irremissibile hic & in futuro Salvator ipse denunciat? Et ideo si quis Christi filii Dei blasphemaverit nomen, ejusque sacrum corpus & sanguinem aut contempserit sumendum percipere, aut perceptum visus fuerit rejecisse, vel quamlibet injuriarum blasphemiam in sanctam dixerit Trinitatem, id est in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: tunc instantia sacerdotis vel judicis, in cujus civitate, castro vel territorio hoc malum exortum fuerit, blasphemator ipse centenis decalvatus flagellis subjaceat, & ardua in vinculis constitutus perpetui exilii conteretur ærumna. Res tamen ejus in potestatem Principis redactæ manebunt, qualiter in jure eorum, cui eas potestas conferre elegerit, inconvulse persistant.

III.

Ne Judæi, aut se, aut filios suos, aut famulos baptismi gratiæ subtrahant.

Cum veritas ipsa petere, quærere, & pulsare nos doceat, præmonens quod regnum cœlorum violenti diripiant: in nullo est dubium, quod ille indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non festinet. Proinde si quis Judæorum, de his scilicet qui nondum sunt baptizati, aut se baptizare distulerit, aut filios suos vel famulos nullo modo ad sacerdotum baptizandos remiserit, vel se, suosque de baptismo subtraxerit, & vel unius anni spatium post legem hanc editam quispiam illorum sine gratia baptismatis transierit: horum omnium transgressor, quisquis ille repertus fuerit, & centum flagella decalvatus suscipiat, & debita multetur exilii pœna. Res tamen ejus ad principis potestatem pertineant: qualiter si incorrigibilem durior eum ostenderit vita, perpetua in ejus, cui eas Princeps largiri voluerit, potestate permaneant.

IV. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ne Judæi more suo celebrent Pascha, vel carnis circuncisionem exerceant, ac ne Christianum quemque a fide Christi dimoveant.

Si obstinata Judæorum perfidia non tam figuris, quam veritati observantiam legis impenderet, nunquam gloriæ Dominum crucifixissent. Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Et si cordis nobis circuncisione gauderet, adumbratam illam corporis expoliationem nullo modo in carne exprimeret, propheta dicente: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum*. Unde nos, non tam figuris prætereuntibus inhærentes, sed veritatis promissionibus certiores, id omnino observandum præcipimus: ut si quis Judæorum ritu suo Pascha celebraverit, centenis verberatus flagellis, & turpiter decalvatus exilio diutino mancipetur, & ejus res fisco adsociandæ sunt. Illis vero qui carnis circuncisiones in Judæis vel Christianis exercere præsumpserint; quisquis hæc aut intulerit alteri, aut fieri ab altero permiserit sibi, veretri ex toto amputatione plectetur, & res ejus fisci juribus sociandæ sunt. Mulieres tamen quæ aut circuncisiones exercere præsumpserint, aut circuncidendos quisque cuilibet circuncisori obtulerint:

rint: naribus abscissis, & rebus omnibus in Principis potestate redactis, lugebunt facinus suæ præsumptionis. Simili quoque & illi pœna plectendi sunt, qui Christianum vel Christianam a fide dimoverint Christi, vel ad ritum Judaicæ prævaricationis adduxerint.

V. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ne Judæi Sabbata ceterasque festivitates ritu suo celebrare præsumant.

Figuris præeuntibus quempiam operum indesinenter exhibitiones impendere, quid est aliud, quam veritatis amatorem non esse? Unde reprobabile id Dominus per prophetam insinuans ait: *Neomenias, sabbata, & solempnitates vestras odivit anima mea.* Ob hoc nobis, quibus Apostolico præceptum est ore, ut potius in novitate spiritus, quam in vetustate litteræ ambulemus, id infidis fideli intentione præcipimus: ut si quis Judæorum neomenias, seu festivitates tabernaculorum, vel sabbata, ferias quoque vel ceterarum festivitatum solempnitates & ritus, suo more peregerit, vel celebrare præsumpserit, & centenis decalvatus flagellis subjaceat, & exilii debita multetur ærumna. Bona quoque ejus ad Principem redeant: qualiter ea aut perfecte converso illi aliquando restituat, aut eo in malis perdurante, aliis quibus fas est, servitura concedat.

VI. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ut omnis Judæus diebus Dominicis, & in prænotatis festivitatibus, ab opere cesset.

In nullo est dubium, illum manifeste fidei Catholicæ adversari, qui reverentiam diebus Dominicis non impendit. Unde negatores vel disturbatores fidei nostræ justissime insequentes, id religiosa sanctione jubemus: ut sive sit Judæus, sive Judæa, quodlibet opus ruraliter diebus Dominicis exercens; vel lanificia faciens, seu quascunque operationes in domibus, agris, vel ceteris talibus agens, extra quam nobilium honesta Christianorum consuetudo permittit: præsumptor hujus rei decalvatus verberibus centenis subjaceat. Quod si forsitan servi eorum vel ancillæ in his, & talibus diebus reperiantur supradictis laboribus occupati, tunc & ipsi simili sunt sententia feriendi. Domini tamen eorum, si servos suos permiserint talia agere, c. solidos auri fisco compellendi sunt reddere. Dies tamen ipsi, qui ab iisdem Judæis sollicita devotione sunt observandi, hi sunt: id est, Festum sanctæ virginis Mariæ, quo gloriosa conceptio (1) ejusdem genitricis Domini celebratur. Item natalis Christi, vel circuncisionis, vel apparationis suæ dies, Pascha quoque sanctum, vel dies sacratissimi octavarum, Inventionis quoque sanctæ crucis dominicæ festum, nec non & ascensionis dominicæ diem, vel Pentecosten, seu etiam concurrentes toto anno dies Dominicos, religiosa Christi fide venerabiles.

VII. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ne Judæi more suo dijudicent escas.

Illud sane quod Judæorum detestabilis conversatio Judaica superstitione pollutior, mundas ab immundis dijudicans escas, aliud adsumit, aliud rejicit, in quacunque hujus observantia inventus fuerit error, id est, ut aliter id faciat, quam honesta Christiani moris est consuetudo: tunc judicis instantia, in cujus territorio actum extiterit, turpiter decalvetur, & centenis verberibus feriatur. Hujus sane legis omnimoda præceptionis integritas, sicut de escis, ita & de poculis observanda est, scilicet ut superioris jacturæ supplicium perferat. Simili quoque ordine & illi, qui a Christianis poculis se abstinere præsumpserint, patiantur. De escis tamen, id est de porcinis tantum carnibus, id discreta, nec remissa pietate decernimus: ut quicunque ex illis de suillis forsan carnibus vesci

(1) *Festum sanctæ virginis Mariæ, quo gloriosa conceptio ejusdem &c.*) Quod intelligendum, non de festo, quo gloriosam Virginem conceptam recolimus, sed de festo *Annuntiationis*, quo memoriam celebramus Incarnationis Verbi. In Libro Comitis, sive Lectionario, quem Baluzius edidit in calce Capitularium, die VIII. Decembris nihil de festo Conceptionis B. M. V. at dies XXV. Martii Annuntiationi sacer, ibi appellatur dies Conceptionis S. Mariæ. *VIII. Kal. Aprilis. In Conceptione S. Mariæ. Lectio Esaiæ Prophetæ &c.* In lege autem, quam præ oculis habemus, observare par est, inter solemnes dies per anni tempora ordinata serie discurrentes, qui hic recensentur, festum Conceptionis S. Mariæ præcedere immediate festum Natalis Christi. Quod mirum non est. Ecclesia namque Hispanica juxta præscriptum Concilii Toletani X. mysterium Incarnationis Verbi recolebat, non VIII. Kal. Aprilis, sed XV. Kal. Januarii, octavo scilicet die ante Nativitatem Domini, quo nos celebramus Festum Expectationis Partus ejusdem Beatissimæ Virginis. Audi ex eodem Concilio can. 1. sanctionem, caussamque sanctionis: *Quoniam die, qua invenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & nunciasse verbis, & indidisse miraculis, eadem festivitas non potest celebrari condigne, cum interdum quadragesimæ dies, vel Paschale festum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari: cum etiam & ipsam Incarnationem Verbi non conveniat tunc celebritatibus prædicari, quando constat idipsum Verbum post mortem carnis gloria resurrectionis attolli; ideo speciali constitutione sancitur, ut ante octavum diem, quo natus est Dominus, genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus, & præclarus. Ex pari enim honore constat, ut sicut nativitatem Filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita festivitatem matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Nam quod festum est matris, nisi Incarnatio Verbi?* Hæc Toletana Synodus subinde repetens, quod *solemnitas dominicæ matris die XV. Kal. Jan. omnimodo celebretur.*

vesci penitus abhorrescunt: si forte natura fastidiente refugiunt, & non more illo perversitatis hoc ipsum dijudicantes contemnunt, præsertim si in ceteris operibus Christianis similes habeantur, & Christianitatis ab eis non defuerit votum, atque omnimodæ operationis studium: tunc hi tales, qui fideles in reliquis conversationibus approbantur, pro hac sola rejectione suillarum carnium ad jacturam legis superius comprehensam teneri non poterunt. Quia valde videtur æquitati contrarium, ut quos manifesta operum Christi nobilitat fides, pro sola rejectione unius cibi teneantur notabiles.

VIII. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ne Judæi ex propinquitate sui sanguinis connubia ducant, & ut sine benedictione sacerdotis nubere non audeant.

Nulli Judæorum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel uxoris suæ, atque etiam virorum, juxta legem quæ in Christianis est lata, usque ad sextum generis gradum connubia ducere, vel incestum macula operari. Hujus igitur fœdæ permixtionis illecebra tali multabitur pœna, ut separati ab invicem, & centena publice decalvati flagella suscipiant, & exilio relegati sub pœnitentia maneant: eorumque bona ad filios, quos de præcedenti conjugio habuerint, redeant. Si tamen & ipsos aut in nullo Judaicæ prævaricationis maculaverit noxa, aut nulla incesti nationis [1] sordidaverit macula. Quod si aut nullos habuerit filios, aut animos, ut dictum est, vel Judaicus involverit error, vel incesti fœdaverit natio: tunc facultas prædictorum omnimoda in Principis potestate consistat, qualiter principali discretione res ipsa aut in Christianis eorum heredibus concessa permaneat: aut si heredes hujusmodi dignitatis defuerint, fisco nostro sociata deserviat. Illud tamen modis omnibus observandum fore præcipimus: ut si quis Judæus, sive Judæa noviter nuptiale festum celebrare voluerint, non aliter quam cum præmisso dotis titulo, quod in Christianis salubri institutione præceptum est, vel sacerdotali benedictione intra sinum sanctæ Ecclesiæ percepta, conjugium cuiquam ex his adire permittimus. Quod si vel sine benedictione sacerdotis quisque Hebræorum noviter conjugium duxerit, vel solempnitatem legis pro dotali titulo in quocunque transcenderit, aut c. Principi solidos coactus exsolvat, aut c. publice verberatus flagella suscipiat. Hæc scilicet dampna vel verbera singillatim unusquisque percipiat: videlicet tam ille qui nupsit, quam ea quæ nupta est, vel etiam parentes eorum, unusquisque pro se jacturam legis hujus suscipiet.

IX. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ne Judæi religioni nostræ insultantes sectam suam defendere audeant, ac ne fidem nostram fugientes alibi se transducant, & ne quilibet eos refugientes suscipere audeat.

Jam sane si quis Judæorum palam vel occulte religioni nostræ Christianæ insultare præsumpserit, si quis etiam Christianam fidem verbis subvertere, aut sectæ suæ nisus fuerit defendere vanitatem: nec non quisquis disciplinam fidei Christianæ refugiens, aut in terram nostri regiminis se occultandum injecerit, aut in aliis partibus se latitandum transduxerit: si quis etiam hujusmodi transgressoribus latibulum in quocunque præbuerit, aut ejus fugæ conscius fuerit: cunctorum omnium capitulorum quisquis ille fuerit transgressor inventus, & centenis decalvatus multabitur plagis, & rebus ejus in Principis potestatem redactis, exilii conteretur ærumnis.

X. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ne Christianus a Judæo quodcunque munus contra fidem Christi accipiat.

Quam sit extraneum a Christianæ fidei regula, qui defensorem se veritatis insimulat, & veritatem ipsam munerum acceptione commaculat, audiat contra se Prophetam dicentem: *Pro eo quod vendidistis argento justum, & pauperem pro calceamento: ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno, & peribit fuga a veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non salvabit animam suam, & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non salvabitur, & ascensor equi non salvabit animam suam, & robustus corde inter fortes nudus effugiet.* Quis enim hic venditus argento justus accipitur, vel pauper pro calceamento, nisi unigenitus filius Dei patris? cujus innoxius sanguis xxx. olim a Judæis taxatus argenteis, cotidie venundatur ab illusoribus veritatis. Et ideo sunt quidam ex fidelium numero, qui quasi zelo fidei Judæorum culpas se detegere vel plectere valida intentione promittant, quos tamen depravat solitæ cupiditatis illecebra. Nam si talibus quodcunque forsan fuerit a perfidis in munerum collatione oblatum, illico retiscescunt, & errores talium, quos vindicare & detegere ante præmissum sibi beneficium nitebantur, percepto miserabili quæstu impunitos transire permittunt. Unde nulli Christiano licebit cujuscunque sit generis, aut dignitatis, ordinis, sive personæ, sive ex religiosis, sive etiam ex laicis, quodcunque beneficium contra fidem Christi, a quolibet Judæo vel Judæa, sive etiam per eorum internuntios, quodcunque sibi illatum accipere, neque se ob talium vindicationem con-

[1] Pith. *incesti venationis*: *forte incestivæ nationis*.

tra regulas fidei Christianæ oblatis sibi præmiis implicare. Si quis autem qualibet beneficiorum exhibitione corruptus, aut agnitos errores Judæorum celaverit, aut ne pravitas talium feriatur, quolibet modo obstiterit, & antiquis patrum regulis erit obnoxius, & tantum in duplo fisci erit partibus illaturus, quantum a Judæo quisque ille accepisse fuerit comprobatus.

XI. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

De Judæi libros illos legere audeant, quos Christiana fides repudiat.

Illis commodare lectionibus sensum, quibus fas non est præbere assensum, impietatis est potius, quam pietatis indicium. Et ideo si quis Judæorum libros illos legerit, vel doctrinas attenderit, sive habitos in domo sua celaverit, in quibus male contra fidem Christi sentitur, & publice decalvabitur, & centenorum flagellorum verberatione plectetur. Qui tamen cautionis vinculo alligabitur, ne unquam talium libros vel doctrinas apud se aut habere præsumat, aut attendere audeat, aut studiis meditandi assumat. Jam vero si post emissum placitum quodcunque tale repetere temptaverit, & decalvatus centenis flagellis subjaceat, & amissis rebus sub perpetui exilii conteretur ærumna: ut quia jam secundo visus est erroris sui iterasse vestigium, perenniter illis res eorum deserviant, quibus principali fuerint collatione concessa. Hæc & similia illi percipient, qui quemlibet infantium talia præsumpserint docere, id est, ut doctor ipse iniquitatis in prima transgressionis fronte deprehensus, & centenis subjiciatur decalvandus verberibus, & placiti sui polliceatur cautione, se talia ulterius neminem debere docere. Quod si primævæ hujus sponsionis maculans fidem contingat illi ea quæ abjecerat repedare, omni ejus facultate in Principis potestate redacta ipse decalvatus, centenisque verberibus adjudicatus perpetuo erit exilio relegandus. Infantes tamen ipsi vel pueri tunc erunt a supradictis dampnis atque verberibus alieni, si hanc perfidiæ doctrinam intra x. annos ætatis suæ positi meditasse fuerint visi. Ceterum si post exemptos decem annos quisquis illorum talia attendere vel meditari præsumpserit, superioris constitutionis dampna vel verbera ordine superius adnotato sustineat.

XII. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ne Judæis mancipia serviant vel adhæreant Christiana.

Importabile satis Christiano videri debet flagitium, ut gens Judaica, contra dominum rebellis semper & impia, Christiana mancipia suis habeat servitiis religata: & versa vice religionis nostræ honorabile Christi membrum humilietur ante filios perditorum, & portio dicata Christo per lavacrum, perfidorum obsequiis subjugetur. Sicque corpus Christi videatur obsequi Antichristi ministris: cum præpostero ordine ipsi, qui nostram oppugnant moribus fidem, obsequentes habent ad impietatem famulos fidei nostræ. Proinde legem illam, quæ a glorioso præcessore nostro divæ memoriæ Sisebuto Rege est edita, in hujusmodi caussis tenendam esse sancimus, & omnem textum legis ipsius, excepto ubi mortis ultio ponitur, glorioso serenitatis nostræ oraculo confirmamus: qualiter juxta prædictæ legis edictum, ubi transgressores legis ipsius, successores scilicet regni, sub perpetua maledictionis censura obstrinxit. Nullus ex Judæis mancipium Christianum habere præsumat, nec quidquam contra ejusdem legis monita agere præsumat, excepto hoc uno, cum eisdem Judæis penitus non licebit, secundum quod lex ipsa permittit, ut Christianum mancipium Judæus audeat manumittere. Quia valde indignum est, ut quos cœnosa servitus perfidiæ maculat, libertatis titulum Christianis imponant. Non enim est consequens, ut tenebræ lucem obnubilent, aut servitus præroget libertatem: præsertim cum hoc in primæva tantummodo editione legis ipsius, cum ad fidem primitus vocarentur, illis videatur fuisse concessum. Nunc vero Christianum quemquam mancipium manumittere omnino non poterunt, quia contra legis ipsius edictum, ut vere utique transgressores Christiana habere mancipia comprobantur, quibus sufficiat, si pro præteritis transgressionibus non damnentur. Nam modo illis hæc licentia penitus denegatur: quia contra interdicta legum, & Canonum agere præsumpserint. Hoc tantum illis more concedimus pietatis, ut a primo anno regni nostri, id est a Kal. Feb. usque ad sexagesimum diem habeat quisque ille Judæus juxta tenorem prædictæ legis licentiam Christiana venundare mancipia, non tamen sine cognitione sacerdotum vel judicum, ad quorum territoria pertinere noscuntur: ne & hi qui venundandi sunt, dampna mortis perferant vel salutis, & his qui venditores existunt, locum agendæ fraudis vel inferendæ repediant ultionis. Jam vero a prædictis Kalendis transacto sexagesimo die nulli Judæorum licebit mancipium Christianum habere, non ingenuum, non etiam servum. Sed post peractum hujus temporis spatium, id est sexaginta dierum, apud quemcunque Judæum mancipia Christiana reperiantur, cum collato sibi a dominis suis peculio, per hujus nostræ legis edictum liberi erunt modis omnibus permansuri; si tamen se violenter a dominis suis obcelatos esse probaverint. Judæi tamen ipsi, qui expleto temporis supradicti spatio, tenere seu habere, vel occultare sive celare mancipia Christiana præsumpserint, aut etiam aliis quibuslibet modis hanc sanctionem serenitatis nostræ implere distulerint: aut medietatem

tem rerum suarum fisco sociandam amittant, aut si viliores personæ fuerint, & non habuerint unde componant, centena decalvati flagella suscipiant.

XIII. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Si se Judæus Christianum esse testetur, & ob hoc non velit a se rejicere mancipium Christianum.

Si quorundam Judæorum fraudulenta subtilitas, cavens quæstum rei suæ amittere, Christiano more se intimet conversari, & ob hoc dicat non se amittere debere Christiana mancipia, quia & ipse Christianam videatur ducere vitam: his ordinibus comprobandum est, quo nec astuta fraus excusationem obtendat, nec sincera conversio casum cum ceteris pereuntibus perdat. Ac per hoc id omnimodo sanctione decernimus, ut omnes Judæi per universas regni nostri provincias constituti, ab anno primo regni nostri, Kal. scilicet Feb. usque in supervenientibus præsentis anni Kal. April. aut vendendi Christiana mancipia, juxta præmissæ legis ordinem, licentiam habeant, aut si ea apud se retinere voluerint, his ordinibus se Christianos ostendant. Concedimus enim eis, id est his tantum, de quibus evidens perjurii suspicio non habetur, ut habeant LX. dierum usque in Kal. præsentis anni Aprilibus salutare spatium, in quo possint, qui ex illis salvandi vel Christianæ fidei aggregandi sunt, ad Episcopos locorum concurrere, & manus suæ signis, vel subscriptionibus roborata illis suæ professionis fœdera publicare: in quas professiones id curabit quisquis ille innectere, quia ritus omnes Judaicos abneget, & in nullo sequatur sectam prævaricationis antiquæ. Et quia ex toto corde pristinos errores relinquens ad fidem religionis conversus fuerit Christianæ, cum symboli quoque interpositione, & quod ultra ad vomitus sui nullo modo revertatur errorem, vel cetera secundum conscriptum professionis ipsius ordinem, quem post hanc legem curavimus adnotare. Has sane professiones ne nudis tantummodo verborum promissionibus proferant, & aliud verbo promant, aliud corde retineant, sicque in eorum promissis simulatio potius, quam veritas locum suum inveniat: sollicita Episcoporum, judicumque instantia, illi ipsi, qui superioris professionis suæ patefecerint votum, allatis conditionibus jurare debebunt, quia quæ eorum professio continet, sincero & non maculato corde profiteantur, se donec advixerint conservare. Sicque fiet ut hi tales, quos & professio cum operis effectu dignos esse probaverit, & jurisjurandi pollicitatio devotos fore monstraverit, possint, utpote Christiani, Christianorum mancipiorum servitiis uti. Nam non aliter poterunt Christiana mancipia illorum dominio subjugari, nisi & ipsi evidenter comprobentur verissimi Christiani & frequenter Christianorum societate conjungi. Jam vero qui post datam professionem, reddito sacramento juxta superiorem ordinem, Christianum se esse devoverit, & in quolibet ritu Judaicæ sectæ cultor, ac promissionis suæ transgressor esse reperiatur, quia & nomen Domini Dei sui ausus est profanare, & Judaici erroris cœno polluere, amissis rebus omnibus, & in Principis potestatem redactis, & centum flagella decalvatus suscipiat, & exilii debita pœna conteratur. Illos tamen qui obdurato corde obstinatione malitiæ interclusi, infra dierum numerum superius constitutum, aut professiones suas publicare destiterint, aut extra prædictum tempus Christianum mancipium habere præsumpserint, ad damnationem præmissæ legis, quæ de Christianis mancipiis lata est, ut Judæis non serviant, teneantur obnoxii: id est, ut aut medietatem rerum suarum fisco sociandam amittant, aut, si viliores personæ fuerint, & non habuerint unde componant, centena decalvati flagella suscipiant. Mancipia tamen Christiana, quæ retinere apud se contra legum vetita præsumpserunt, quia se ipsa prædicti temporis spatio Christiana fuisse non prodiderunt, in eorum servitio, quibus a Rege donati fuerint, servituri perpetualiter permanebunt.

XIV.

Professio Judæorum, quomodo unusquisque eorum ad fidem veniens, judicium [1] professionis suæ conscribere debeat.

Ego ille abrenuncio omnibus ritibus & observationibus sectæ Judaicæ, abominans in toto solemnitates vel ceremonias sive observationes omnes, quæ in præteritis observavi vel tenui. Ita ut deinceps nihil de ritu vel celebritate earundem observationum exerceam, nihil de usu præteriti erroris assumam, id est, ut nec affectu talia quæram, nec opere quodcunque tale perficiam. Proinde abrenunciatis his omnibus, quæ Christianitatis doctrina abominatur & prohibet:

Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ: visibilium omnium & invisibilium conditorem.

Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, ex patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Natum, non factum, homousion patri, hoc est ejusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos, & propter nostram salutem descendit de cœlo. Et incarnatus est de Spiritu sancto, & Maria virgine. Homo factus. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus. Tertia die resurrexit. Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram patris. Iterum venturus

1 Al. indiculum.

in gloria judicare vivos & mortuos, Cujus regni non erit finis.

Credo & in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem. Ex patre & filio procedentem. Cum patre & filio adorandum & glorificandum. Qui locutus est per Prophetas. Unam Catholicam atque Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectans resurrectionem mortuorum. Vitam futuri seculi.

Hæc quæ in hujus Symboli fidem a me præmissa sunt veraciter credens, fideliter retinens, & cum toto mentis meæ affectu amplectens, promitto ut nullo unquam tempore ad vomitum superstitionis Judaicæ redeam. Nunquam observationes vel ceremonias, quas Judæi soliti sunt custodire, amodo aut opere impleam, aut cordis affectu retineam, abnegans in toto Judaicam sectam, respuens in toto Judæorum perfidiam, abjiciens quidquid Christianam fidem impugnat, & ita me abinceps veraciter in sancta Trinitate profiteor credere: ut Christiano more deinceps vivere debeam, & Judæorum amodo consortia fugiens, cum honestis Christianis me semper adjungam, qualiter sive cum illis, sive absque illis, Christianos semper cibos accipiam, & ad Ecclesiam Dei, ut vere fidelissimus Christianus, devotissime & frequentissime concurrere debeam. Sed & in festivitatibus Dominicis, sive etiam in Martyrum festis, quas Christianæ religionis pietas observandas decrevit, ita promitto eas ipsas festivitates devote suscipere, & cum summo amore amplecti, & in his ipsis diebus semper cum Christianis honestissimis interesse, sicut honesta & pia Christianorum consuetudo id facere vel suscipere consuevit. Facta est fidei vel credulitatis meæ professio sub die vel anno Regis.

XV.

Conditiones ad quas jurare debeant hi, qui ex Judæis ad fidem venientes, professiones suas dederint.

Juro primum per Deum patrem omnipotentem, qui dixit, *Per memetipsum jurabitis, & non perjurabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt:* & mari posuit terminos, dicens: *Usque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Qui dixit: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Qui primum Archangelum superbientem de cœlo projecit: ante cujus conspectum adstat omnis exercitus Angelorum cum tremore: cujus aspectus arefecit abyssos, & indignatio tabescere montes facit. Qui primum hominem Adam in paradiso constituens, ei præceptum dedit, ne de vetito pomo comederet ligni; quo degustato, & de paradiso est projectus, & catenæ prævaricationis vinculo se una pariter cum genere humano adstrinxit. Qui Abel sacrificium libenter accepit; & Cain indignum juste reprobavit. Qui Enoch in hujus vitæ corpore in paradiso conservans cum Helia, in extremo hujus sæculi fine morituros ad medium reducturus est. Qui Noe cum uxore & tribus filiis, cum uxoribus, vel animalibus aut volatilibus atque reptilibus in arca tempore diluvii conservare dignatus est, per quod unumquodque genus recuperaretur. Qui de Sem filio Noe, Abraham & omnem Israeliticum populum propagare dignatus est. Qui Patriarchas & Prophetas elegit, & benedixit Patriarchis Abrahæ, Isaac, & Jacob. Per eum, qui sancto Abrahæ promisit, dicens: *In semine tuo benedicentur omnes gentes;* dans ei signum circuncisionis in fœdere sempiterno. Juro per eum, qui Sodomam subvertit, & uxorem Loth aspicientem retrorsum in salis convertit statuam. Et per eum, qui luctatus est cum Jacob, & tangens nervum ejus claudicare eum fecit, & dixit: *Non vocaberis Jacob, sed Israel.* Juro & per eum, qui Joseph liberavit de manu fratrum suorum, & eum gratiosum in oculis Pharaonis fecit, ut per eum a fame salvaretur omnis Israel. Juro & per eum, qui Moysen de aquis liberavit, & ei in rubo igneo apparuit: quique per manum ipsius Moysi decem plagas Ægyptiis intulit, & populum suum de servitute Ægyptia liberavit, & per mare rubrum per siccum eos transire fecit, ubi contra naturam fluentis elementi, tanquam murus aqua se solidata exhibuit. Juro per eum, qui Pharaonem & exercitum ejus in mari rubro demersit. Juro per eum, qui per diem in columna nubis populum Israeliticum, & per noctem in columna ignis præcessit. Juro per eum, qui Moysi montem Sinai fumigare fecit, vidente populo Israel. Juro per eum, qui Aaron sibi primum elegit sacerdotem, & ejus filios in tabernaculo igne consumpsit, quare ignem alienum ausi fuissent offerre coram Domino. Juro per eum, qui Dathan & Abiron suo justo judicio, ut eos viventes terra absorberet, jussit. Juro per eum, qui amaras aquas immixtione ligni in saporem dulcedinis commutavit. Juro per eum, qui sitienti populo Israelitico in Horeb percutiente Moyse virgam in petra immensas aquarum inundationes exhibuit. Juro per eum, qui XL. annis populum Israeliticum in eremo pavit, eorumque vestimenta, ne usu attererentur, integra usquequaque servavit. Juro per eum, qui irrevocabili jussu decrevit, ne quis de filiis Israel in terram repromissionis intraret, ob hoc scilicet, quare verbis Domini non credidissent, exceptis Jesu Nave & Caleph, quos illuc intraturos prædixit. Juro per eum, qui præcepit Moysi, ut erecta manu sua contra Amalechitas victor populus Israeliticus existeret. Juro per eum, qui patres nostros per manum Jesu Nave Jordanis fluvium transire jussit, & ut XII. lapides de eodem flu-

fluvio in testimonium tollerentur, instituit. Juro per eum, qui omni Israeli, ut transito Jordane lapideis cultris circunciderentur, præcepit : & per eum, qui muros civitatis Hierico subvertit. Juro per eum, qui David regni gloriam decoravit, & de manu Saul vel filii sui Absalonis eum eripuit. Juro per eum, qui ad orationem Salomonis nebula templum replevit, & suam inibi benedictionem infudit. Juro per eum, qui Heliam Prophetam per turbinem in currum igneum a terra sublevavit, & cœlorum sedibus intulit. Et per eum, qui ad orationem Helisei percusso pallio Heliæ aquas Jordanis divisit. Juro per eum, qui omnes suos Prophetas suo sancto Spiritu replevit, & qui Danielem a rabidis & immanissimis leonibus liberavit. Juro per eum, qui tres pueros in camino ignis ardentis sub oculis Regis infesti conservare dignatus est : qui tenet clavem David, & claudit quod nemo aperit, & aperit quod nemo claudit. Juro per eum, qui omnia mirabilia, & virtutes & signa in populo Israel, vel in aliis gentibus fecit. Juro & per sacra decem præcepta legis. Juro & per Jesum Christum filium Dei patris : sanctumque Spiritum, qui est in Trinitate unus & verus Deus: & resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, ejusque ad cœlos ascensionem, & gloriosum ac terribilem ejus adventum, in quo venturus est judicare vivos & mortuos, mitis apparens justis, terribilis autem impiis. Atque ejus venerandum corpus, & pretiosum ejus sanguinem ; qui cæcorum oculos aperuit, surdos audire fecit, paraliticos ad sua membra reduxit. Qui linguas mutorum resolvit, dæmonio vexatos sanavit, claudos currere fecit, & mortuos suscitavit, qui super aquas pedibus ambulavit, & Lazarum morte resolutum, cum jam putredine se caro solvisset, vitæ ac saluti restituit, & in gaudium lamentum mutavit. Qui est factor sæculi, lucis principium, salutis auctor. Qui mundum ortu suo illuminavit, passione sua redemit, qui solus inter mortuos liber fuit, & a morte teneri non potuit. Qui tartarea claustra comminuit, & de inferno beatorum animas potentiæ suæ majestate eripuit. Qui devicta morte carnem, quam de terris assumpsit, in cœlum post mundi victoriam deportavit, sedens ad dexteram Dei patris omnipotentis, accipiens ab eo æterni regni potestatem. Juro etiam & per omnes cœlestes virtutes, & per omnium sanctorum & Apostolorum reliquias, sive & per quatuor Evangelia, quæ superpositis his conditionibus in sacrosancto altario illo, quod manibus meis contineo vel contingo: quia omnia quæcunque in professione mea renotanda curavi, vel colligere potui, quam tibi domino meo illi, illius sedis Episcopo, manu mea subscriptam dedi, sinceriter totam inibi dixi, & sub nullo argumento vel fraude ea, quæ in professione comprehensa sunt, protuli : sed omni sinceritate sicut eadem professio continet, & omnes ritus vel observationes abinceps Judæas abnegavi, & omni cordis mei intentione in sanctam Trinitatem crediturus sum, & nunquam in nullo ad pristini erroris mei vomitum rediturus sum, aut consortio Judaici erroris sociandus : sed in his omnibus & per omnia Christiano deinceps more vivens, & Christianorum participium habiturus sum, & quidquid in eadem professione, quam de sanctæ fidei observatione conscripsi, comprehensum esse dignoscitur, omni fidei puritate custodiam, qualiter juxta Apostolicam traditionem vel sacri Symboli regulam deinceps vivere debeam. Quod si in aliquo aborbitans, aut sanctam fidem maculavero, aut ritus Judaici sectam in quocunque observare intendero, seu si vos in quocunque per hujus juramenti mei promissionem illusero, vel sub specie cujuslibet juramenti ea quæ promisi, non ea intentione perfecero, sicut a vobis me profitente, audita vel intellecta sunt: veniant super me omnes maledictiones legis, quæ in contemptores mandatorum Dei ore Domini promulgatæ sunt. Veniant etiam super me, & super domum meam, & filios meos omnes plagæ Ægypti & percussiones ejus, & ad terrorem ceterorum ita judicium Dathan & Abiron superveniat, ut viventem me terra deglutiat. Sicque postquam hac caruero vita, æternis ignibus mancipandus sim, habitatoribus Sodomæ & Judæ particeps in pœnali supplicio comburendus : ut dum ante tribunal metuendi judicis & gloriosi Domini nostri Jesu Christi pervenero, in ea parte adnumerer, quibus idem terribilis & gloriosus judex minando dicturus est: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus.* LATÆ CONDITIONES SUB DIE, *

XVI. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

De Christianis mancipiis Judæorum, quæ se non prodiderunt Christiana, sive de publicatoribus eorum.

Hebræorum mancipia religionis sanctæ titulo consecrata, si dominorum suorum qualibet persuasione illecta, abinceps nullo modo se fuisse prodiderint Christiana, qualiter sub eorum dominorum suorum jugo persistunt, taliter indultæ libertatis religati catena modis omnibus tenebuntur. Hi tamen per quos hoc fuerit manifeste decretum, si & ipse Judæus fuerit, & Judæi cujuslibet servus extiterit, conversus ad Christi fidem in libertate persistat. Sin autem quilibet ex Christianis hoc prodiderit factum, v. solidos per unumquodque mancipium Christianum accipiet, ab eo scilicet, qui eos apud se post data hæc decreta convictus fuerit renuisse.

XVII. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ne Judæi a quolibet potestate accepta extra regiam ordinationem Christianum quemque imperare, plectere, vel distringere audeant.

Nullus Judæorum a primo anno regni nostri, id est a die quinto Iduum Januariarum, ullam administrandi, imperandi, distringendi, coercendi vel plectendi curam vel potestatem super Christianos exerceat: excepto si Princeps aliqua utilitatis publicæ id fieri permiserit caussa. Si quis autem Judæorum accepta a quolibet potestate, Christianum quemcunque distringere, plectere, coercere, vel in eum desævire præsumpserit; aut quicquam ei contra legum vetita, aut excogitata, quæ in lege non sunt, inferre temptaverit: aut medietatem rerum suarum fisco sociandam amittat, aut si nullis fultus fuerit rebus, centum decalvatus flagella suscipiat. Illi tamen qui hanc eis potestatem super Christianos exercere permiserint: si nobilis qui hoc fecerit persona extiterit, decem libras auri fisco coactus exsolvat: minimæ tamen vilioresque personæ, quinque libras auri fisco persolvendas amittant. Quod si non habuerint unde componant, centenis decalvati flagellis subjaceant.

XVIII. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ut Judæorum servi necdum adhuc conversi, si ad Christi gratiam convolaverint, libertate donentur.

Cum vas electionis Paulus Apostolus prædicet dicens, *sive per occasionem sive veritatem, dummodo Christus adnuntietur*; salubre satis est votum, si sicut fideles libertatis provocamus ad gratiam, ita infidelibus præbeamus occasionem veniendi ad vitam. Et ideo si quis Judæorum servus, & servituti eorum implicatus & moribus, ad Christi gratiam convolare desiderat, nullius eum servitutis catena retineat: nullus huic tali resistat: nullum a quolibet fidei offendiculum habeat: sed mox ut se & professione, & jusjurandi attestatione Christianum ostenderit, & dominorum suorum prævaricationes manifeste prodiderit, ab omni servitutis catena illico solutus, cum omni etiam peculio a domino suo dimissus, libertatis erit effectibus contradendus. Sicque proveniet, ut in omnibus omnino rebus ordo ille omnis in eum impleatur, qui de Christianis mancipiis est constitutus.

XIX. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ne Judæi administratorio usu, sub ordine villicorum atque actorum, Christianam familiam regere audeant; & de dampnis eorum, qui his talia ordinanda injunxerint.

Si quis Judæorum a quolibet ex laicis commissam curam vel potestatem supra Christianos acceperit, id est, ut Christianis familiis præsit: quidquid administrationis suæ cura visus fuerit imperare, totum fisco adplicare debebunt [1]. Ita ut ipsi qui hanc administrandi susceperint curam, & c. flagella decalvandi suscipiant, & medietatem rei suæ fisco sociandam amittant. Sane si Episcopus, vel quislibet ex sacerdotibus vel ministris, clericis quoque vel monachis, administrationem ecclesiasticæ rei illis supra Christianos explendam injunxerint: quantum id ipsum fuerit, quod imperandum eis præceperint, tantum de bonis proprietatis suæ fisco nostro adplicandum amittant. Quod si rebus expoliatus extiterit, exilio subjacebit: quo diutius detritus pœnitentiæ dampnis, discat quam sit impium, infidos fidelibus præponere Christianis.

XX. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ut Judæus ex aliis provinciis vel territoriis ad regni nostri ditionem pertinentibus veniens, Episcopo loci vel sacerdoti se præsentare non differat; vel quidquid huic in toto observare conveniat.

Si quis Judæorum de alia civitate vel provincia nostræ gloriæ oriundus quolibet loco successerit, Episcopo vel sacerdoti, sive judici loci ipsius se illico præsentare debebit: nec a sacerdote illo tamdiu est recessurus, quamdiu sabbata, ritusque ceteros atque festivitates, quæ illi e vicino possunt occurrere, incontaminatus videatur sacerdotali testimonio transegisse: ne dum variis huc illucque per loca cursibus promovetur, erroris sui reperiat in quocunque latibulum. In ipsis tamen diebus, in quibus eos quolibet loco remorari contigerit, conversationem cum Christianis probatissimis habituri sunt: qualiter cum illis & cibos sumere, & participationes communionis Christianæ videantur habere. Concursum tamen in ipsis diebus, quos ritus sui more uti soliti sunt, ad Ecclesiam, ad Episcopos vel sacerdotes habebunt, qualiter eorum semper salutaribus monitis instruantur. Quod si forte placitorum innodatione se esse afferant inligatos, vel cujuslibet inevitabilis necessitudinis caussa constrictos, quo illos non liceat diutine immorari: tunc coram sacerdote loci ipsius, ad quem accesserant, relaxati, placiti sui cautione promittant, ubi occurrentes per viam festivitates vel sabbata ritus sui, sine testimonio sacerdotali non transeant. Ipse quoque sacerdos loci epistolas manu sua subscriptas eisdem sacerdotibus, per quos se Judæus quisquis ille transiturum dixerit, destinabit: ut evacuata omni fraudis suspicione, tam stantes, quam properantes eos districtio religiosa coerceat. Si quem autem eorum aliter egisse contigerit, tunc Episcopo loci ipsius vel sacerdoti, una cum judice potestas tribuatur centenis eos verberare flagel-

1 Al. *debebit*.

gellis. Nec aliter eos ad propria redire permittimus, nisi cum epistolis Episcoporum vel sacerdotum, in quorum territorium visi fuerint accessisse: in quibus tamen epistolis sollicite dierum summa notabitur: id est, & quo die ad Episcopum ipsius civitatis accesserint, & in quot diebus apud ipsum eos remorari contigerit, vel quo die de eo ad propria reversuri exierint.

XXI. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Qualiter concursus Judæorum diebus institutis ad Episcopum fieri debeat.

Omnis Judæorum conventus, in quibuscunque locis vel territoriis habitare videntur, ad Episcopum loci vel sacerdotem, diebus sabbatorum, vel ceterarum festivitatum, quas celebrare solent, concurrere & convenire debebit: nec in his & talibus diebus concessæ sibi licentiæ vacatione usuri sunt: sed quandiu excursus dierum ipsorum pertranseat, quorum de celebritate suspiciones verentur, alibi citra sacerdotis sui conhibentiam [1] nullo modo movebuntur. Diebus tamen sabbatorum concursus eorum, & lavacro nitidus, & perceptione benedictionis devotus, ad Episcopum vel sacerdotem semper est perventurus. Sane in locis illis ubi sacerdotalis præsentia defuerit, concursus eorum omnibus vel conversatio, aut cum judicibus, aut cum Christianis honestissimis erit: qualiter sic eorum societati inhæreant, ut audenter de eorum conversatione bonum perquisiti testimonium dicant. Mulieres sane Judæorum, conjuges scilicet atque etiam filiæ, in præmemoratis omnibus festivis diebus, quibus errore proprio abutuntur, nec ullius erroris nec perversitatis reperiant locum. Id omni modo observabitur, ut viris earum præsentibus provida in eis Episcoporum vel sacerdotum ordinatio fiat: ut quemadmodum viri earum de præsentia se sacerdotali non differunt, ita & ipsæ per excursum omnium dierum ipsorum, electione sacerdotum atque Pontificum, cum quibus vel qualibus honestissimis fœminis commorari debeant, ordinentur. Si quis autem huic præceptioni visus fuerit evenire contrarius, publica decalvatione turpatus, centenorum flagellorum erit suppliciis feriendus. Id tantum præcipue observandum est, ne quorundam sacerdotum carnalium corda, dum vis libidinis execrabili contaminatione exagitat, occasiones quaslibet inquirant, per quas libidinis suæ votum efficiant. Unde id arctiori sanctione decernimus: ut sic omnis sacerdos hæc instituta legum nostrarum in jam dictis fœminis Hebræorum adimpleat, ut nullius peculiaritatis locum cum eisdem mulieribus habeat. per quod se ordinare intendat. Quod si quemlibet sacerdotum contigerit, ut zelum, quo pro Christi nomine uti debet, frequenter ad libidinis suæ sibimet occasiones usurpet: tunc sacerdos ipse ab hoc honore depositus, exilio erit perpetuo mancipandus.

XXII. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ut quicunque Judæum secum obsequentem habuerit, expetente sacerdote eum apud se retinere non audeat.

Si quis laicorum quoscunque ex Judæis, virum scilicet vel fœminam, secum obsequentes habuerit, vel in patrocinio retinuerit, & sublato ex eis Pontificum, vel sacerdotum privilegio, privata eos sibi potestate defenderit, neque eos ad Episcopum vel sacerdotem diebus debitis instruendos vel judicandos remiserit: excommunicationis ab eodem Episcopo, cui id fecerit, sententia feriatur, & amissis illis, quos vindicare nititur, trium librarum auri multatione pro unoquoque dampnabitur, quæ partibus Principis profuturæ manebunt.

XXIII. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ut cura omnis distringendi Judæos solis sacerdotibus debeatur.

Horum omnium præceptorum multiplicem curam, & exercendam in perfidis disciplinam, illos nostra gloria ut impleant exhortatur, quibus id agendum divina auctoritate committitur. Ait enim spiritus ille, cujus orbem veritas implet: *Stabunt Sacerdotes in judiciis meis, & judicabunt leges meas, & præcepta mea.* Proinde de omni sacerdote hæc implenda decernimus, ita ut nullum Judæorum pro ritu suo patiatur ab aliquo defendi, nullum tueri: sed exemptos ab eorum patrociniis, qui eorum favoribus tueri videntur, in potestatis suæ curam redactos, pro eorum salvatione, quid illis catholice agendum forte conveniat, diligenter instituant. Atque in hoc illis erit sollicitior cura, ne in quibuslibet supradictis capitulis hæc institutio serenitatis nostræ tepescat.

XXIV. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

De dampnis sacerdotum vel judicum, qui in Judæis constituta legum adimplere distulerint.

Consulendum est pie sacerdotibus Ecclesiæ Dei, ne pro delinquentis populi impunitate teneamur obnoxii. Quid enim prodest si non puniatur quisque suo, cum tamen possit alieno puniri peccato? Et ideo ad horum talium injuriam execrandam vim præceptionis e sanctione decernimus: ut si quislibet Pontificum, aut cupiditate inlectus, aut malignæ voluntatis incuria tepidus, prædicta hæc, quæ jussa sunt in Judæis, decreta contempserit adimplere, scilicet ut detecta vel nuntiata sibimet errata perfidiæ, nulla videatur æquitatis censura corrigere: & trium mensium excommunicatio-

[1] Al. *cohærentiam*.

tionis sententiam perferat [1], & unam libram auri de suis rebus propriis fisco sociandam amittat. Quod si non habuerit unde componat, sex mensibus sub digna excommunicationis censura persistat; & insuper ad tepiditatem illius zeli socordiæ corrigendam sit cuilibet Episcopo licitum, in quo zelus Dei fuerit excitatus, vice illius Episcopi talium perfidorum errata corrigere, & hæc quæ neglexerat emendare. Quod si aliena [2] ista simulatione vel incuria Episcoporum, alter in alterius correctione zelo excitante divinitus non fuerit excitatus: tunc Principis præceptione & eorum arguetur socordia, & perfidorum ulciscentur errata. Hic etiam ordo eodem modo & ordine, sicuti superius de Episcopis constitutum est, in ceteris quoque religiosis est observandus: id est in presbyteris, diaconibus vel etiam clericis, quibus horum infidelium Episcopo suo cura commissa est. Judices tamen, qui eorundem Judæorum crimina comperta vel nuntiata sibi, legali non dampnaverint ultione: tunc sicut de Episcopis constitutum est, unam libram auri fisco compellendi sunt solvere. Tunc tamen & sacerdotes, & judices, vel supradicti omnes, quibus regendi hæc cura commissa est, ab his dampnis erunt penitus alieni, cum impeditos se fuisse, pro talium districtione agere, probaverint.

XXV.

Ne judices quidquam de perfidorum excessibus extra sacerdotum conibentiam judicare præsumant.

Judices omnes nihil de perfidorum excessibus citra sacerdotum conibentiam judicabunt, ne cupiditas secularium fidem nostram maculet acceptione munerum. Et tamen si, ut adsolet, præsentia defuerit sacerdotum, sola potestate judicum distringendi sunt. Sane si Episcopo etiam de sede sua contigerit, aut in vicino, aut longe forsitan progredi: talem ex sacerdotibus pro sui vice relinquat, qui una cum duce territorii hæc instituta sine muneris acceptione perficiat.

XXVI. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ut Episcopi tunc immunes habeantur a dampnis, cum eorum presbyteri, ea quæ ipsi non correxerunt, ad eos non remiserint corrigenda.

Presbyteri, diacones, seu cetera religiositas universa, vel judices per universa loca vel territoria constituti: prout unusquisque conventum Judæorum ad se pertinere cognoverit, secundum totius instructionis nostræ decreta, eos constringere & corrigere non differant. Ea vero quæ ab ipsis nequiverint corrigi, ad agnitionem Principis atque Pontificum emendanda redeant. Sicque fiet ut constituta dampna non ferat, si suis quisque Pontificibus innotescat. Episcopi quoque ipsi tunc constitutum non percipient dampnum, quando eis criminalia non fuerint per subditos nuntiata.

XXVII.

De reservata Principibus miserendi potestate in his, qui conversi ad fidem Christi veraciter fuerint.

Hanc sacræ præceptionis [3] multiplicem diligentiam, quam ordinatis lineis superius in toto disseruit nostra serenitas, ubicunque superius offensorum culpas ita moderari decrevimus, ut exutos rebus sub ærumna exilii religemus: hanc nobis vel successoribus nostris miserendi licentiam reservamus, ut si quandoque a laqueis diabolicis eripi contigerit, & probabiliter in sanctam Trinitatem crediderint: hoc quod illis sacerdotes vel judices, in quorum territoriis degunt, testimonium dixerint, atque opera eorum cum veridico eorum testimonio concordaverint, erit nobis nostrisque successoribus in his ætatibus & miserendi votum, & efficiendi propositum: id est, ut postquam eorum præcessio jurisjurandi ad testimonium regiæ agnitionis claruerit, licitum habeat principalis pietas, & rebus eos iterum revestire, & ab exiliorum ergastulis revocare. Jam vero si quis ex eis, postquam se professus fuerit Christianum, ad erroris proprii redierit vomitum, & quodcunque in eos repertum fuerit prævaricationis judicium, ita in eos secundum modum culpæ quam incurrerit, inrevocabilis dictabitur dampnationis sententia, ut ad veniam ulterius nullatenus redeat: sed sive capitalis, sive minoris culpæ sit pœna, sine ulla retractatione inremissibili lege suscipiat.

XXVIII. FLS. GLS. ERVIGIUS REX.

Ut Episcopi omnibus Judæis ad se pertinentibus libellum hunc de suis editum erroribus tradant; & ut professiones eorum vel conditiones in scriniis Ecclesiæ condant.

Solet interdum latebrosæ mentis perversitas ignorantiæ opponere angulum, in eo quod se simulat ignorare præceptum: ut eo quodammodo se excusabilem a pœna pronuntiet, quo se novellæ sanctionis ordinem defendat penitus ignorasse. Et ideo ad hujus excusationis depellendam malitiam, id Episcopis omnibus vel sacerdotibus tenendum forte præcipimus: ut unusquisque conventum ad se pertinentem Judæorum, de his in se visionibus, quæ in eorum perfidiam nuper edidimus, instruat, & libellum hunc aperiat, qui & manifeste illis in conventu relegatur Ecclesiæ, & quem semper secum pro testimonio instructionis reportent. Jam vero postquam illis publice in ecclesia fuerit lectus iste liber vel traditus: si quis eorum postea aut se defuisse cum

1 Pith. proferat. 2 Al. quod si alterna. 3 Al. hanc sane præceptionem. 4 quandocunque.

cum legeretur contendat, aut ignoraſſe ſe quæ inibi præcepta ſunt aſtruat, in nulla ſe unquam is poterit excuſatione defendere: ſed in quocunque fuerit poſtea quiſquis ille prævaricator inventus, in nullo erit legum iſtarum ſententiam evaſurus. Nam & illud neceſſarium huic legi adjicimus, ut omnium profeſſionum atque conditionum ſcripturas, quas quiſquis ille Judæus ſacerdoti ſuo amodo obtulerit, ſollicita diligentia unuſquiſque ſacerdos eas ipſas profeſſionum ſcripturas in archivis ſuæ Eccleſiæ recondat, qualiter pro eorum perfidorum teſtimonio ſtudioſius conſervatæ perſiſtant.

LECTÆ SUNT LEGES SUPRASCRIPTÆ OMNIBUS JUDÆIS IN ECCLESIA SANCTÆ MARIÆ TOLETO, SUB DIE VI. KALEND. FEBRUAR. ANNO FELICITER PRIMO REGNI GLORIOSISSIMI DOMINI NOSTRI ERVIGII REGIS.

APPENDIX PRIMA.

TITULUS III. LIBRI XII. IN HISPANICO, QUI DEEST IN VULGATO CODICE LATINO.

De los denoſtos, e de las palaoras odioſas.

I. SI dalgun ome dize a otro por enſano, podrido de la cabeça, o de la cerviz, e aquel a quien lo dize non lo fuere, el que lo denoſto reciba cinquenta açotes antel juyz.

II. Si dalgun ome diz a otro tinoſo, o gotroſo, e aquel a quien lo dize non lo es, reciba ciento e cinquenta açotes antel juyz el que lo denoſto.

III. Si dalgun ome diz a otro viſgo, o topoſo, o deslaidado: e aquel a quien lo dize non lo fuere, el que lo denoſto reciba treynta açotes antel juyz.

IV. Si algun ome diz a otro que es circunciſo, o ſinalado, e non lo fur, el que lo denoſto reciba ciento y cinquenta açotes antel juyz.

V. Quien llama a otro corcobado, e non lo es, el que lo denoſto reciba ciento e cinquenta açotes antel juyz.

VI. Quien xama a otro ſarracin, e aquel que lo diz non lo provar, reciba ciento y cinquenta açotes antel juyz. (1)

VII. Si algun ome tiene lança, o otra arma en ſu mano, mientre que eſte que tiene la arma non lo vee, otro ome cae ſobre ella ſin voluntat daquel que la tiene, ſi ſe podier purgar por ſo ſacramento, que non fu por ſo grado, el ferido ſe torne a ſu culpa.

VIII. Si dalgun tira por el pe a otro ome libre ſin derecho, o por los cabellos, ſi non parar ninguna ſinal de xaga, por cada un deſtos tuertos de ſuſo dichos, el que lo fizo peche cinco ſoldos al que recibio el torto: e ſi non ovier onde los pague, reciba cincuenta açotes antel juyz.

Aqui ſe finez el libro Julgo (2) *del Rey de las leys.*

(1) *Antel juyz.*) Huc recolenda eſt lex Fori Ovetenſis hiſce verbis deſcripta: *Si batallar vecio con vecio, e el uno denoſtar al otro por uno deſtos quatro denoſtos*, Fodidentulo, Siervo, Ciagulo, Traydor, *ſi le firier una vez con lo que tuvier en mano, que non ſe baxo por prender alguna coſa, e non vaya a ſu caſa por armas, con quel fiera, logrelo ſin calona &c. E por eſtos quatro denoſtos, por qualquier que il diga, e non lo inviar ferir una vez, aquel que el denoſto poſtea lo quiſier venir a dereto, por foro de la vila pareſe en conſello, e diga, lo que dixe dixelo contro el con mal talientro, e non por tal que verdat ſia, e menti por eſta voca, e ſaque el dedo per los dientes: e por eſtos otro denoſtos, non traya el dedo por la boca, mas planamientre ſe deſmientra.* Hæc Villadiego attulit Commentario in hunc locum; quæ quamquam ſequiore ævo exarata, morem tamen ſapiunt antiquiorem, & non videntur inutilia dignoſcendis inſtitutis in Hiſpania hac in re quondam vigentibus. Cæterum aliquid ſimile legitur juris fuiſſe inter veteres Sveones, & Gothos, quod tamen mediis ævis inductum cenſetur. Inter opprobrii pœnas recolebatur recantatio, hoc eſt, confeſſio mendacii in judicio, cum reus manu os ſuum percuteret, & linquæ temeritatem caſtigaret. V. Vilkinſ. not. ad Legem Angloſaxonicam XI. Hlotarii, & Eadrici.

(2) *El libro Julgo.*) Codex Gothicæ legis, *Forus Judicum*, vel *Liber Fori Judicum* dictus, olim *Liber Judicum* ſimpliciter appellabatur, ut ex hoc loco innoteſcit, cui conſonant & quæ habet Cangius in Gloſſario V. *Libri Judicum*. Dictus ſubinde fuit *Forus Judicum*, Hiſpanice *Fuero Juzgo*; qua voce Lex ſeu Legum collectio indigitari conſuevit, uti colligere eſt ex Michaele *del Molino* in Repert. For. Aragon. *Fori Aragonum dicuntur leges, quia legum diſpoſitionem fororum vocabulum comprehendit.*

JOHANNIS PAPÆ VIII.

CONSTITUTIO

DE COMPOSITIONE SACRILEGII,

Edita coram Hludovico Rege & Episcopis LIII. in Concilio Tricassino, & eorum auctoritate juncta Gothicæ legi.

JOhannes Episcopus servus servorum Dei omnibus Episcopis per Narbonensem atque Hispanicas provincias consistentibus, Abbatibus, Presbyteris, cunctisque simul ordinibus divino ministerio mancipatis, necnon Comitibus, Vicecomitibus, Vicariis, Centenariis, Judicibus, & omnibus in potestatibus constituris in Hispania & Gothia (1) provinciis degentibus, omnique populo occidentali catholico, salutem & apostolicam benedictionem. Auctore omnipotente Deo mediante, incarnationis Domini nostri Jesu Christi anno DCCCLXXVIII. Indictione XI. xv. Kalendas Septembris, Domno videlicet Hludouvico serenissimo regnante anno primo, actum est a nobis apud urbem Trecas pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ synodale Concilium: ubi sedentibus nobis in corona, venit ante præsentiam nostram filius noster Sigebodus primæ sedis Narbonensis Episcopus cum suis suffraganeis Episcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habebatur de sacrilegiis; & in eisdem legibus scriptum erat ut causæ quas illæ leges non habent, non audirentur a judicibus illius patriæ; atque ita jus sanctæ Ecclesiæ suffocabatur ab incolis Galliæ & Hispaniæ provinciis. Unde nostra serenitas cum præscriptis Episcopis, inspectis legibus Romanis, ubi habebatur de sacrilegiis, invenimus ibi a Justiniano Imperatore legem compositionis sacrilegii constitutam, scilicet in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem præcipimus esse tenendam, quæ a Karolo est constituta pio Principe de compositione sacrilegii, videlicet in triginta libras examinati argenti, id est, sexcentorum solidorum argenti purissimi. Ideoque quisquis inventus fuerit (2) reus sacrilegii, istam leviorem compositionem emendet ipsis Episcopis vel Abbatibus sive personis, ad quos sacrilegii querimonia juste pertinuerit. Et si ipse reus sacrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi subjaceat usquequo prædictam compositionem sexcentorum solidorum persolvat. Et si in hac obstinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum psalmis & hymnis non deferatur ad sepulturam. Et præcipimus ut in fine codicis legis mundanæ scribatur hæc lex (3).

---

(1) *In Hispania & Gothia provinciis*,) Baluzius in nota ad librum VI. Capitular. c. CCCLXVI. eos, qui sub nomine *Gothorum*, & *Hispanorum* veniebant, unam eandemque regionem incoluisse ratus est; eam scilicet Hispaniæ partem, quæ nunc *Catalonia* dicitur, usque ad fluvium Rubricatum, qui regni Francici limes fuit. *Gothi igitur*, subdit ipse eruditissimus scriptor, *in ea Hispaniæ parte habitantes ii erant, qui supererant ex regno Gothorum. Hispani vero ii erant, qui ex ea Hispaniæ parte orti erant, quam Saraceni tenebant, & se in Regnum Francorum contulerant, ut se Saracenorum jugo subtraherent*. Hæc docti viri sententia non videtur amplectenda, cum in hac Papæ Johannis Constitutione *Hispania* & *Gothia* tanquam distinctæ *Provinciæ* liquido spectentur. *Gothiæ* nomine facile intelligitur pars illa meridionalis Galliæ, quæ olim Gothis, postmodum Francis paruit, ubi ex more gentis Gothica lex adhuc vigebat. *Hispaniæ* vero nomine venire tantum videtur modica Hispaniæ pars usque ad Rubricatum, quæ in Francorum ditione sita erat.

(2) *Quisquis inventus fuerit &c.*) Consule Ivonem p. 3. c. 98., & Gratianum c. 17. q. 4. c. 21., apud quem hæc quoad sensum habentur, & variæ quoque sacrilegii species recensentur.

(3) *Scribatur hæc lex*.) Neque in vulgato Codice Wisigothorum Latino, neque in Hispanico hanc legem reperi scriptam. Attamen ipsa, prout saltem juris civilis vim obtinuerat, non affecisse videtur, nisi eam Gothici quondam regni partem, quæ regebatur sceptro Francorum; & Hispanicus Codex in aliis Hispaniæ partibus exaratus censeri facillime potest. Idem forte cogitandum & de Codice Latino. Sed de hoc rectius, exactiusque sentient, quibus veteres ejusce generis codices præ manibus esse possunt.

A P-

APPENDIX SECUNDA.

PRÆCEPTUM KAROLI MAGNI

Pro Hifpanis, qui in ejus Regnum confugerant.

Hoc eft præceptum conceffionis, atque donationis, quam fecit Karolus Imperator profugis Hifpanis.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Karolus fereniffimus Auguftus, a Deo coronatus, magnus, pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui & per mifericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum, Beranæ, Gaufcelino, Gifclafredo, Odiloni, Ermengario, Ademaro, Laibulfo, & Erlino Comitibus. Notum fit vobis, quia ifti Hifpani de veftra minifteria, Martinus Presbyter, Johannes, Quintila, Calapodius, Afinarius, Egila, Stephanus, Rebellis, Ofilo, Atila, Fredemirus, Amabilis, Chriftianus, Elpericus, Homodei, Jacentus, Efperandei, item Stephanus, Zoleiman, Marchatellus, Theodaldus, Paraparius, Gomis, Caftellanus, Ardaricus, Wafco Wigifus, Witericus, Ranoidus, Suniefredus, Amancio, Gazerellus, Langobardus, Zate milites, Odefindus Walda, Roncariolus, Mauro, Pafcales, Simplicio, Gabinius, Solomo Presbyter, nos venientes fuggefferunt, quod multas oppreffiones fuftineant de parte veftra & juniorum veftrorum. Et dixerunt, quod aliqui pagenfes fifcum noftrum fibi alter alterius teftificant ad eorum proprietatem, & eos exinde expellant contra juftitiam, & tollant noftram veftituram, quam per triginta annos feu amplius veftiti fuimus, & ipfi per noftrum donitum de eremo per noftram datam licentiam retraxerunt. Dicunt etiam, quod aliquas villas, quas ipfi laboraverunt, laboratas illis eis abftractas habeatis, & beboranias (1) illis fuperponatis & fajones, qui per forcia fuper eos exactant. Quamobrem juffimus Johanne Archiepifcopo Miffo noftro, ut ad dilectum filium noftrum Ludovicum Regem veniret, & hanc cauffam ei per ordinem recitaret. Et mandavimus illi, ut tempore opportuno illuc veniens, & vos in ejus præfentiam venientes, ordinare faciat, quomodo aut qualiter ipfi Hifpani vivere debeant. Propterea has litteras fieri præcepimus, atque demandamus, ut neque vos, neque juniores veftri memoratos Hifpanos noftros, qui ad noftram fiduciam de Hifpania venientes, per noftram datam licentiam erema loca fibi ad laboricandum propriferunt, & laboratas habere videntur, nullum cenfum fuperponere præfumatis, neque ad proprium facere permittatis; fed quoad ufque illi fideles nobis aut filiis noftris fuerint, quod per triginta annos habuerunt per aprifionem (2) quieti poffideant & illi & pofteritas eorum, & vos confervare debeatis. Et quicquid contra juftitiam eis vos aut juniores veftri factum habetis, aut fi aliquid eis injufte abftuliftis, omnia in loco reftituere faciatis, ficuti gratiam Dei & noftram vultis habere propitiam. Et ut certius credatis, de anulo noftro fubter figillari juffimus. Guidbertus Diaconus ad vicem Ercanbaldi recognovit.

Data IV. Nonas Aprilis anno Chrifto propitio Imperii noftri XII. Regni vero in Francia XLIV. atque XXXVIII. in Italia, Indictione quinta (3).

Actum Aquifgrani palatio regio in Dei nomine fideliter. Amen.

---

(1) *Beboranias.*) Præftationis fpeciem intelligit Cangius. Sed potius vox Latino-Gothica eft defignans angariarum, & coactionis genus, præcipue ad onera folvenda, feu ad opera præftanda. *Weibel*, *Webel*, Wachtero fcribente in Gloffar. h. v. *eft vox caftrenfis, a Gothis, ut videtur, relicta* ab anguftando feu coanguftando. *Hinc* Weibel *videtur effe* angariator, *& nomen ducere ab officio cogendi.* Verbum, quod exponimus, quamquam corruptum (quod cæteroquin haud raro contingit) hac fignificatione acceptum convenit certe quam maxime fenfui hujus loci.

(2) *Per aprifionem.*) Non defunt eruditi, qui cenfeant, ita appellata fuiffe novalia, feu arva primum profciffa, quafi *apertiones*. Quorum fententiæ favet antiqua vox Italica iifdem ferme litteris exarata: *aprizione*. Cangius tamen ratus eft, agros Gothis conceffos *Aprifiones* dictos fuiffe, tanquam *adportiones*, hoc eft *in portionem* datos. Cangio favens Wachterus V. *Brutz*, divifio, hæc fcribit inter cætera: *Inde Anglofaxonibus* Brytnere, *diftributor. Atque hinc jam patet, cur* brut, *vel* brutz *Septemtrionalibus fit diftributio, &* bryta, *dividere. Opere pretium erat, hoc fufius profequi, quia* aprifiones *in tabulis Caroli M., Ludovici Pii, & Caroli Calvi memoratæ, nihil aliud denotare videntur, quam* diftributiones agrorum *eo fine ex eremis factas, ut quilibet portionem fuam a Principe conceffam ad cultum traduceret. Rem ipfam vidit Cangius, fed ignarus caufarum, quæ hunc præcife fenfum exigunt.*

(3) *Indictione quinta.*) Epocha refertur ad annum DCCCXII.

PRÆ-

PRÆCEPTUM LUDOVICI PII

Pro Hiſpanis, qui in regno Francorum manebant.

Hoc eſt præceptum remiſſionis, ſive conceſſionis, quod fecit Ludovicus Imperator Hiſpanis qui ad ſe perfugerant.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludouvicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris præſentibus ſcilicet & futuris in partibus Aquitaniæ, Septimaniæ, Provinciæ, & Hiſpaniæ conſiſtentibus. Sicut nullius veſtrum notitiam effugiſſe putamus qualiter aliqui homines propter iniquam oppreſſionem & crudeliſſimum jugum, quod eorum cervicibus inimiciſſima Chriſtianitati gens Sarracenorum impoſuit, relictis propriis habitationibus & facultatibus, quæ ad eos hæreditario jure pertinebant, de partibus Hiſpaniæ ad nos confugerunt, & in Septimania, atque in ea portione Hiſpaniæ, quæ a noſtris Marchionibus in ſolitudinem redacta fuit (1), ſeſe ad habitandum contulerunt, & a Sarracenorum poteſtate ſe ſubtrahentes, noſtro dominio libera & prompta voluntate ſe ſubdiderunt; ita ad omnium veſtrum notitiam pervenire volumus quod eoſdem homines ſub protectione & defenſione noſtra receptos in libertate conſervare decrevimus.

I.

EO videlicet modo ut ſicut ceteri liberi homines cum Comite ſuo in exercitum pergant, & in marcha noſtra juxta rationabilem ejuſdem Comitis ordinationem atque admonitionem explorationes & excubias, quod uſitato vocabulo wactas dicunt, facere non negligant, & Miſſis noſtris aut filii noſtri, quos pro rerum opportunitate illas in partes miſerimus, aut legatis qui de partibus Hiſpaniæ ad nos tranſmiſſi fuerint, paratas faciant, & ad ſubvectionem eorum veredos donent. Alius vero cenſus ab eis neque a Comite neque a junioribus & miniſterialibus ejus exigatur.

II.

Ipſi vero pro majoribus cauſſis, ſicut ſunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum invaſiones, & undecunque a vicino ſuo aut criminaliter aut civiliter fuerit accuſatus, & ad placitum venire juſſus, ad Comitis ſui mallum omnimodis venire non recuſent. Ceteras vero minores cauſſas more ſuo, ſicut hactenus feciſſe noſcuntur, inter ſe mutuo definire non prohibeantur.

III.

Et ſi quiſpiam eorum in partem quam ille ad habitandum ſibi occupaverat, alios homines undecunque venientes adtraxerit, & ſecum in portione ſua, quam adpriſionem vocant, habitare fecerit, utatur illorum ſervitio abſque alicujus contradictione vel impedimento, & liceat illi eos diſtringere ad juſtitias faciendas quales ipſi inter ſe definire poſſunt. Cetera vero judicia, ideſt, criminales actiones, ad examen Comitis reſerventur.

IV.

Et ſi aliquis ex his hominibus qui ab eorum aliquo adtractus eſt & in ſua portione conlocatus, locum reliquerit, locus tamen qui relictus eſt a dominio illius qui eum prius tenebat non recedat.

V.

(1) *In ſolitudinem redacta fuit.*) Antiquis ignotum non fuit regiones limitrophas communire, etiam locis in ſolitudinem redactis. De Germanis Cæſar hæc habet B. G. lib. VI. c. 6. *Civitatibus maxima laus eſt, quam lat ſſimas circum ſe vaſtatis finibus ſolitudines habere. Hoc proprium virtutis exiſtimant, expulſos agris finitimos cedere, neque quemquam prope ſe audere conſiſtere: ſimul hoc tutiores ſe fore arbitrantur, repentinæ incurſionis timore ſublato.* Hic quoque ſpectare videntur, quæ Herodianus lib. II. cap. 11. ſcribit de Auguſto: *Fluviorum magnitudine, atque foſſarum, montibuſque aſperrimis, DESERTISQUE LOCIS, ATQUE IMPERVIIS, circumſeptos Imperii limites munivit.* Reor, id ſalutare fuiſſe remedium adverſus præſertim repentinos incurſus gentium finitimarum, atque hac de cauſa portionem Hiſpaniæ, quæ Francico ſuberat regno, a *Marchionibus*, qui ſcilicet marchiæ, finibuſque regundis præficiebantur, in erema loca, atque in ſolitudines redactam fuiſſe, quam ſubinde Francorum Reges Hiſpanis, qui e Saracenorum jugo evadebant, ad iterum excolendam conceſſere, cum onere proficiſcendi in hoſtem, & in marcha ipſa explorationes, & excubias, quatenus opus eſſet, peragendi; prout ex capitulo primo hujus præcepti colligere eſt.

V.

Quod si illi propter lenitatem & mansuetudinem Comitis sui eidem Comiti honoris & obsequii gratia quippiam de rebus suis exhibuerint, non hoc eis pro tributo vel censu aliquo computetur, aut Comes ille vel successores ejus hoc in consuetudinem præsumant, neque eos sibi vel hominibus suis aut mansionaticos parare, aut veredos dare, aut ullum censum vel tributum aut obsequium, præter id quod jam superius comprehensum est, præstare cogat. Sed liceat tam istis Hispanis, qui præsenti tempore in prædictis locis resident, quam his, qui adhuc ad nostram fidem de iniquorum potestate fugiendo confluxerint, & in desertis atque in incultis locis per nostram vel Comitis nostri licentiam consedentes ædificia fecerint, & agros incoluerint, juxta supradictum modum sub nostra defensione atque protectione in libertate residere, & nobis ea, quæ superius diximus, tam cum Comite suo, quam cum Missis ejus, pro temporum opportunitate alacriter atque fideliter exhibere.

VI.

Noverint tamen iidem Hispani sibi licentiam a nobis esse concessam ut se in vassaticum Comitibus nostris more solito commendent. Et si beneficium aliquod quisquam eorum ab eo cui se commendavit fuerit consecutus, sciat se de illo tale obsequium seniori suo exhibere debere, quale nostrates homines de simili beneficio senioribus suis exhibere solent.

VII.

Idcirco has nostræ auctoritatis litteras eis dare decrevimus, per quas decernimus atque jubemus ut hæc nostræ liberalitatis & mansuetudinis constitutio erga illos tenore perpetuo ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris inviolabiliter conservetur. Cujus constitutionis in unaquaque civitate, ubi prædicti Hispani habitare noscuntur, tres descriptiones esse volumus, unam quam Episcopus ipsius civitatis habeat, & alteram quam Comes, & tertiam ipsi Hispani qui in eodem loco conversantur. Exemplar vero earum in archivo palatii nostri censuimus reponendum; ut ex illius inspectione, si quando, ut fieri solet, aut ipsi se reclamaverint, aut Comes vel quislibet alter contra eos caussam habuerit, definitio litis fieri possit.

Hanc quippe constitutionem, ut per diuturna tempora a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris & verius credatur & diligentius conservetur, manu propria subscripsimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Domni Hludouvici serenissimi Imperatoris.

Durandus Diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Datum Kalendas Januarias (1) anno Christo propitio primo imperii Domni Hludouvici piissimi Augusti, Indictione VIII. (2)

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

---

(1) *Datum Kalendas Januarias.*) *Extat in chartulario Archiepiscopi Narbonensis præceptum Ludovici Pii eodem die datum in gratiam cujusdam hominis nomine Joannis, qui Aquisgranum ad Imperatorem venerat pro confirmatione aprisionis suæ. Hinc vero colligi potest, illum ab Hispanis in regno Francorum commorantibus missum ad Principem, ut communem omnium caussam ageret, suam privatam non omisisse.* Ita Baluzius, qui etiam præceptum ipsum in gratiam præfati Joannis publici juris fecit inter acta vetera, quæ in appendice Capitularium inseruit, sub numero xxv.

(2) *Anno Christo propitio primo ... Indictione VIII.* Epocha ex Indictione refertur ad annum DCCCXV. Igitur usque ab initio in ipsis Imperialibus diplomatibus numeratus est annus primus Imperii Ludovici Pii, auspicata epocha, non ab anno DCCCXIII. mense Augusto, quo vivente adhuc Augusto patre Carolo M. capessiverat Imperiale diadema, sed ab ipsius Caroli obitu, qui die XXVIII. Januarii anni DCCCXIV. e vivis excesserat. Quare merito hinc ordinaria hujusce Imperatoris epocha deduci consuevit, ut Muratorius quoque notavit in Annalibus Italiæ ad præfatum annum DCCCXIV. Quamquam, ut ipse vir doctissimus animadvertit, non defuerint, qui auspicati sint epocham Imperii Ludovici ab anno DCCCXIII.

PRÆCEPTUM ALTERUM
LUDOVICI PII

Pro Hispanis, qui in regno Francorum manebant.

Hoc est Præceptum concessionis, quod fecit Ludovicus Imperator Hispanis, qui ad se perfugerant.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludouvicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris tam præsentibus quam & futuris, seu etiam successoribus nostris, quia postquam Hispani, qui de potestate Sarracenorum se subtraxerunt, & ad nostram seu genitoris nostri fidem se contulerunt, & præceptum auctoritatis nostræ, qualiter in regno nostro cum suis Comitibus conversari & nostrum servitium peragere deberent, scribere & eis dare jussimus, querimoniam aliqui ex ipsis Hispanis nostris auribus detulerunt duo capitula continentem; quorum unum est quod quando iidem Hispani in nostrum regnum venerunt, & locum desertum, quem ad habitandum occupaverunt, per præceptum Domini & genitoris nostri ac nostrum sibi ac successoribus suis ad possidendum adepti sunt, hi qui inter eos majores & potentiores erant ad palatium venientes, ipsi præcepta regalia susceperunt, quibus susceptis, eos qui inter illos minores & infirmiores erant, loca tamen sua bene excoluisse videbantur, per illorum præceptorum auctoritatem aut penitus ab eisdem locis depellere, aut sibi ad servitium subjicere conati sunt; alterum est, quod simili modo de Hispania venientes, & ad Comites sive vassos nostros, vel etiam ad vassos Comitum se commendaverunt, & ad habitandum atque excolendum deserta loca acceperunt; quæ ubi ab eis exculta sunt, ex quibuslibet occasionibus eos inde expellere, & ad opus proprium retinere, aut aliis propter præmium dare voluerunt. Quorum neutrum justum aut rationabile nobis esse videtur. Et ideo per hanc nostræ præceptionis auctoritatem decernimus atque jubemus, ut hi qui vel nostrum vel Domini & genitoris nostri præceptum accipere meruerunt, hoc quod ipsi cum suis hominibus de deserto excoluerunt, per nostram concessionem habeant. Ceteri vero qui simul cum eis venerunt & loca deserta occupaverunt, quicquid de inculto excoluerunt, absque ullius inquietudine possideant tam ipsi quam illorum posteritas, ita duntaxat ut servitium nostrum cum illo qui ipsum præceptum accepit pro modo possessionis quam tenet facere debeat. Hi vero qui postea venerunt, & se aut Comitibus aut vassis nostris aut paribus suis se commendaverunt, & ab eis terras ad habitandum acceperunt, sub quali convenientia atque conditione acceperunt, tali eas in futurum & ipsi possideant & suæ posteritati derelinquant. Hoc nostræ auctoritatis decretum non solum erga præteritos & præsentes, verum etiam erga futuros, qui adhuc ex illis partibus ad nostram fidem venturi sunt, conservandum statuimus, de hac constitutione nostra septem præcepta uno tempore conscribere jussimus: quorum unum in Narbona (1), alterum in Carcassona, tertium in Roseiliona, quartum in Empuriis, quintum in Barchinona, sextum in Gerunda, septimum in Biterris haberi præcepimus, & exemplar eorum in archivo palatii nostri, ut prædicti Hispani ab illis septem exemplaria accipere & habere possint, & per exemplar quod in palatio retinemus, si rursum querela nobis delata fuerit, facilius possit definiri. Et ut hæc nostræ auctoritatis constitutio firmiorem obtineat vigorem, & a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ plenius per tempora conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Domni Hludouvici Serenissimi Imperatoris.

Arnaldus ad vicem Helisachar recognovit.

Data IV. Id. Februarii anno Christo propitio tertio imperii Domini Hludouvici piissimi Augusti, Indictione IX. (2)

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

---

(1) *Unum in Narbona &c.*) In superiore Ludovici Pii præcepto sancitur, ut constitutionis suæ in gratiam Hispanorum latæ exemplaria asservanda sint *in unaquaque civitate, ubi prædicti Hispani habitare noscuntur*. Hic autem civitates enumerantur, in quibus constitutionis exemplar servari præcipitur. Facile inde colligimus, quibus in territoriis, seu tractibus assignata forent a Francis Regibus loca Hispanis, qui a Saracenis evaserant, atque in eorum ditionem sese receperant.

(2) *Indictione IX.*) Anno videlicet DCCCXVI. Hoc anno *IV. Id. Febr.* cœptus erat annus III. Imperii Ludovici Pii, ducta Epocha a die XXVIII. Jan. an. DCCCXIV., ut in nota ad superius Præceptum dictum est.

K A-

KAROLI CALVI

PRÆCEPTUM CONFIRMATIONIS (1)

Pro Hiſpanis, qui in ejus Regno morabantur,

Datum apud Toloſam in monaſterio Sancti Saturnini, anno Chriſti DCCCXLIV. *regni autem ejuſdem Karoli Regis quarto.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus gratia Dei Rex. Si enim ea quæ ob utilitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ imperialibus edictis ſunt conſtituta, magnificentiæ noſtræ confirmatione denuo inſtituentes corroboramus, ad diuturnam proſperamque regni a Deo nobis collati ſtabilitatem id ipſum adtinere non dubitamus, quin etiam ad capeſſendam æternæ felicitatis beatitudinem profuturum nobis liquido credimus. Itaque notum ſit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium atque noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum, partibus Aquitaniæ, Septimaniæ, ſive Hiſpaniæ conſiſtentium magnitudini, quia progenitorum noſtrorum, magnorum ſiquidem orthodoxorumque Imperatorum, avi videlicet noſtri Karoli, ſeu genitoris noſtri Auguſti Hludouvici, auctoritatem imitantes, Gothos ſive Hiſpanos intra Barchinonam famoſi nominis civitatem vel Terracium caſtellum (2) cohabitantes, ſimul cum his omnibus qui infra eundem comitatum Barchinonæ (3) Hiſpani extra civitatem quoque conſiſtunt, quorum progenitores crudeliſſimum jugum inimiciſſimæ Chriſtiani nominis gentis Sarracenorum evitantes, ad eos fecere confugium, & eandem civitatem illorum magnipotentiæ libenter condonarunt ſeu tradiderunt, & ab eorundem Sarracenorum poteſtate ſe ſubtrahentes, eorum noſtræque demum libera & prompta voluntate ſe ſubjecerunt, complacuit manſuetudini noſtræ ſub immunitatis tuitione defenſioniſque munimine benigne ſuſcipere ac retinere, & cohabitationem ſeu neceſſitatibus eorum opportunum auxilium, ſicut & ab illis progenitoribus eorum & ipſis conſtat per imperialium apicum ſanctionem conceſſum, clementer conferre: quatenus & noſtra regalis conſervatio conſtructa, atque innovatio in eorum bene geſtis operibus exaltationi Eccleſiæ pretioſo Chriſti ſanguine redemptæ & miniſtret augmentum, & animabus eorum ac noſtræ proficiat ſemper in emolumentum.

CAP. I.

IGitur, ſicut dictum eſt, ad omnium veſtrum notitiam pervenire volumus quia eoſdem homines ſub protectione & defenſione noſtra denuo receptos, ſicut in unitate fidei, ſic etiam in unanimitate pacis & dilectionis conſervare decrevimus, eo videlicet modo, ut ſicut ceteri franci homines cum Comite ſuo in exercitum pergant, & in marcha noſtra juxta rationabilem ejuſdem Comitis ordinationem atque admonitionem explorationes & excubias, quod uſitato vocabulo wactas dicunt, facere non neglegant, & Miſſis noſtris, quos pro rerum opportunitate illas in partes miſerimus, aut Legatis qui de partibus Hiſpaniæ ad nos tranſmiſſi fuerint, paratas faciant, & ad ſubvectionem eorum veredos donent, ipſi videlicet & illi quorum progenitoribus, temporibus avi noſtri Karoli, idipſum facere inſtitutum fuit. Si autem hi qui veredos acceperint, reddere eos neglexerint, & eorum interveniente neglegentia perditi ſeu mortui fuerint, ſecundum legem Francorum eis quorum fuerunt ſine dilatione reſtituantur vel reſtaurentur.

(1) *Karoli Calvi Præceptum confirmationis* &c. Ad hoc præceptum ſic ſcribit in notis Cl. Baluzius: *Editum fuit a Franciſco Didaco in Hiſtoria Comitum Barcinonenſium Lib. II. cap. 4. ex chartulario Eccleſiæ Barcinonenſis, ex quo nos quoque exemplum habemus. Hinc ergo illud emendavimus. Putavit vir doctiſſimus Petrus Caſanova, præceptum illud eſſe ſuppoſititium, multaque argumenta protulit ut falſitatem ejus adſtrueret. Sed illa tanti non ſunt, ut adverſus illud præjudicare poſſint, quod plane ſapit modum loquendi illorum temporum, & nihil habet hiſtoricæ veritati contrarium. Quod ſi ſuppoſitum fuiſſe contenderemus, neceſſario fatendum eſſet, fraudem iſtam admiſſam eſſe eo tempore, quo veteri libro inſertum eſt, ex quo* Didacus *illud emiſit in publicum. At ſæculi illius ſtylus adeo alienus erat a ſtylo ævi Carolini, ea ætas adeo rudis, ut certo pronunciari poſſit, neminem tum fuiſſe, qui potuiſſet tale figmentum componere.*

(2) *Terracium caſtellum.*) Hodie *Teraſſa* in diœceſi Barcinonenſi; quod Baluzius in notis admonuit.

(3) *Comitatum Barchinonæ.*) Præceptum hoc videtur tantum affeciſſe Gothos Barcinonenſis Comitatus. Quod indicio eſt, ipſos tantum ex ſpecialibus cauſſis nuncios miſiſſe ad Carolum Calvum, ut nova recognitione confirmarentur privilegia, ſeu jura, in quibus turbari vererentur.

II.

Ecclesiarum vero census, id est, nec pascualia infra eorum terminos vel eorum villas, nec telonea infra comitatum in quo consistunt, nec alia quælibet redibitio neque a Comite neque a junioribus aut ministerialibus ejus deinceps ab illis ullatenus exigatur.

III.

Et nisi pro tribus criminalibus actionibus, id est, homicidio, rapto, & incendio, nec ipsi nec eorum homines a quolibet Comite aut ministro judiciariæ potestatis ullo modo judicentur aut distringantur; sed liceat ipsis, secundum eorum legem, de aliis hominibus judicia terminare, & præter hæc tria, & de se & de eorum hominibus secundum propriam legem (1) omnia mutuo definire.

IV.

Et si quispiam eorum in partem quam ille ad habitandum sibi excoluit alios homines de aliis generationibus venientes adtraxerit, & secum in portione sua, quam aprisionem vocant, habitare fecerit, utatur illorum servitio absque alicujus contradictione vel impedimento.

V.

Et si aliquis ex ipsis hominibus, qui ab eorum aliquo adtractus est & in sua portione collocatus, alium, id est, Comitis, aut Vicecomitis, aut Vicarii, aut cujuslibet hominis senioratum elegerit, liberam habeat licentiam abeundi; veruntamen ex his quæ possidet, nihil habeat, nihilque secum ferat; sed omnia in dominium & potestatem prioris senioris plenissime revertantur.

VI.

Placuit etiam nobis illis concedere, ut quicquid de heremi squalore in quolibet comitatu ad cultum frugum traxerint, aut deinceps infra eorum aprisiones excolere potuerint, integerrime teneant atque possideant, servitia tamen regalia infra comitatum, in quo consistunt, faciant.

VII.

Et omnes eorum possessiones sive aprisiones inter se vendere, concambiare, seu donare, posterisque relinquere omnino liceat. Et si filios aut nepotes non habuerint, juxta legem eorum alii ipsorum propinqui illis hereditando succedant; ita videlicet ut quicunque successerint, servitia superius memorata persolvere non contemnant.

VIII.

Simul etiam præcipientes injungimus, ut nullus hominum de sæpe memoratis eorum aprisionibus vel villis, cum propriis terminis, propriisque earum finibus & adjacentiis, injustam inquietudinem illis inferre præsumat, aut aliquam minorationem contra legem facere audeat; sed liceat eis ipsas res cum tranquillitate pacis tenere & possidere, & secundum antiquam consuetudinem ubique pascua habere, & ligna cædere, & aquarum ductus pro suis necessitatibus, ubicunque pervenire potuerint, nemine contradicente juxta priscum morem semper deducere.

IX.

Si autem illi propter lenitatem & mansuetudinem Comitis sui, eidem Comiti honoris & obsequii gratia quippiam de rebus suis exhibuerint, non hoc eis pro tributo vel censu aliquo computetur; neque Comes ille aut successores ejus hoc in consuetudinem venire præsumat; neque eos sibi vel hominibus suis aut mansionaticos parare, aut veredos dare, aut ullum censum vel tributum aut servitium, præter id quod jam superius comprehensum est, præstare cogat. Sed liceat tam istis Hispanis, qui præsenti tempore in prædictis locis resident, quam his qui adhuc ad nostram fidem de iniquorum potestate fugiendo confluxerint, & in desertis atque incultis locis per nostram vel Comitis nostri licentiam consedentes ædificia fecerint, & agros incoluerint, juxta supradictum modum sub nostra defensione atque protectione in unitate fidei & pacis tranquillitate residere, & nobis ea quæ superius diximus, tam cum Comite suo, quam cum Missis ejus, pro temporis opportunitate alacriter atque fideliter exhibere.

X.

Noverint præterea iidem Hispani sibi licentiam a nobis esse concessam ut se in vassaticum Comitis nostri, sicut alii franci homines, commendent. Et si aliquod beneficium quisquam eorum ab eo cui se commendavit fuerit consecutus, sciat se de illo tale obsequium seniori suo exhibere debere, quale nostrates homines de simili beneficio senioribus suis exhibere solent.

Ut autem hæ nostræ regalis auctoritatis litteræ erga eosdem Hispanos tenore perpetuo ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris inviolabiliter conserventur, manu propria nostra eas subter firmavimus & anuli nostri impressione signari decrevimus.

Signum Karoli gloriosissimi Regis. Deormannus ad vicem Hludouvici recognovit.

Data III. Idus Junii, anno quarto regnante Karolo glorioso Rege.

Actum in monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam in Dei nomine feliciter. Amen.

---

(1) *Secundum propriam legem.*) Manifesto constat, apud illos, qui quondam Gothico suberant regno, in pluribus juris articulis adhuc viguisse Gothicæ legis usum; quod aliunde exploratissimum est, ut in Monito præfatus sum.

FINIS.

LEGES
IN ANGLIA CONDITÆ

REGNANTIBUS JUTIS, ANGLIS, SAXONIBUS, DANIS.

ACCEDUNT

LEGES NORMANNORUM REGUM

GUILIELMI CONQUESTORIS, ET HENRICI I.

ET MAGNA CHARTA LIBERTATUM ANGLIÆ

Edita Regnante Johanne.

Collegit, cum Codicibus contulit, Latine vertit, Notis & Glossario illustravit

DAVID WILKINSIUS.

IN LEGES

JUTARUM, ANGLORUM, SAXONUM, DANORUM, IN ANGLIA CONDITAS,

MONITUM COLLECTORIS.

EX Anglis, Saxonibus, atque Jutis, qui ſedes in Britannia ſibi conquiſiverant, primus ſcripto tradidit leges Rex Æthelbertus, qui Chriſtiana ſacra ſuſceperat, Gregorio Magno Petri ſedem tenente. *Inter cætera bona*, inquit Beda de Æthelberto ſcribens (1), *quæ genti ſuæ conſulendo conferebat, etiam decreta illi judiciorum juxta exempla Romanorum, cum conſilio Sapientum conſtituit. Quæ conſcripta Anglorum ſermone hactenus habentur, & obſervantur ab ea.*

Perpende, a Bedæ uſque tempore Æthelberti leges ſervatas fuiſſe *Anglorum ſermone* conſcriptas, cum tamen reliquæ per Occidentem, quas novimus, Barbarorum leges latina lingua ſcribi, ac ſervari conſueviſſent. Raro exemplo leges ſub Angloſaxonibus editas, quin & plures eccleſiaſticas ſanctiones, & regulas ad Clerum ſpectantes, quæ alias hiſcemet ſæculis latine efferebantur, Angloſaxonico vernaculo ſermone legimus exaratas; ſive hæ primum Anglice editæ fuerint, an vero Latine conſcriptæ, poſtmodum (ut de libro Gothicæ legis novimus (2) eveniſſe) in patriam linguam fuerint translatæ. Quaſdam certe eccleſiaſticas conſtitutiones, ac regulas e Latino in vernaculum verſas fuiſſe indubium eſt (3).

Id autem actum eſt prudenti conſilio, dum Latinæ linguæ ſtudia parcius aliquando viguerant. *Pauciſſimi*, inquit ipſe Ælfredus Rex (4), *fuerint cis Humbrum, qui vel preces ſuas communes in ſermone Anglico intelligere potuerunt, vel ſcriptum aliquod e Latino transferre. Tam ſane pauci*, inquit, *fuerunt, ut ne unum quidem recordari poſſim ex Auſtrali parte Thameſis, tum cum ego regnare occeperam.* Studia revocavit Ælfredus, quæ tamen haud multo poſt neglecta fuere, turbato regno ab incurſantibus Danis.

Quare Ælfricus Grammaticus, qui neque ſæculo poſt Ælfredum floruit, ampliorem ſuſcitavit querimoniam. *Summopere*, ait (5), *admonendi ſunt Miniſtri Dei, & viri eccleſiaſtici, ut ſacram hanc doctrinam nec perire patiantur, nec deficere, quod paucis aliquot jampridem annis in Anglorum gente contigit eveniſſe: ita ſiquidem ut Sacerdos nullus Anglicus epiſtolam norit vel Latine reddere, vel (e Latino) interpretari, uſquedum Archiepiſcopus Cantuariæ Dunſtanus, & Epiſcopus Æthelwoldus, hanc in Monaſteriis reſuſcitaſſent cognitionem.*

Perpendendum eſt quoque, non leges omnes populorum, qui ſub generali *Angloſaxonum* nomine veniunt, vel a tota gente, vel toti genti, latas fuiſſe. Ex illis enim, qui e Germania in Britanniæ provinciis conſederant, *Jutæ* Cantuariæ ſedem fixerant; *Saxones* iis, quos Orientales, Auſtrales, Occidentales Saxones nuncupant, nomen dederant; ex *Anglis*, Orientales Angli, Mercii, & Northumbri Dynaſtias conſtituerant. Inde *Heptarchia* celebris quondam in Anglia.

In hiſce ſeptem Dynaſtiis, ſeu Regnis, patrias quique leges, atque inſtituta

---

(1) Beda Hiſt. Eccl. lib. II. c. V. (2) V. Monit. ad Leg. Wiſig.
(3) V. Prologum in Ælfrici Epiſtolas & Spelmannum ad Capitula incertæ Editionis.
(4) V. Spelmannum l. c. ap. Wilkins leg. Angloſ. pag. 196. (5) V. l. c.

tuta servabant. Quibus subinde octavi Dani, Anglicæ terræ parte potiti, ex propriis consuetudinibus leges & ipsi induxerunt (1).

Sed de his audiendus est Spelmannus, quem ex Anglico Latine huc exscribo: *Saxones nostri (2), quamvis in multa regna divisi, omnes reapse unum erant, moribus, legibus, lingua; adeo ut eorum regiminis in plura regna divisio, aut ipsorum regnorum in Monarchiam coalitio, parum aut nihil inter illos mutationis attulerit quoad ea, quæ leges respiciunt. Nam quamvis nos memoremus* the Westsaxon law, the Mercian law, the Dane law (Occidentalium Saxonum legem, Merciorum legem, Danorum legem) *quibus legibus Occidentales Angliæ partes, partes intermediæ, & partes Norfolciæ, Suffolciæ, atque Septemtrionales singillatim regerentur; hæ tamen leges omnes substantialiter uniformitatem servavere, discrimine habito potius in mulctis, quam in canone, hoc est, in quantitate mulctarum & compensationum solvendarum, potius quam in cursu & forma justitiæ.*

Receptæ inter Anglos sententiæ inhæsit eruditus Eques Spelmannus, tres supra relatas memorans leges. Ferunt namque præ omnibus Anglicæ Heptarchiæ populis illustrius viguisse jura & consuetudines Occidentalium Saxonum, atque Merciorum, ex quibus jus Anglorum, & jus Saxonum jam constabat. *Utriusque autem populi lex*, ait Wilkinsius (3), *uno interdum nomine jus Anglorum vocatur*. Exinde vero enituerunt & leges Danorum. Unde tres leges, scilicet Occidentalium Saxonum, Merciorum, atque Danorum, serius servatas fuisse, earumque mentionem in veteribus monumentis occurrere affirmant.

At excellentissimus vir Guilelmus Nicolson Protestantium Derrensis Episcopus, in Dissertatione Epistolari praeclara eruditione referta, legum collectioni a Wilkinsio editæ præmissa, sententiam de triplici lege in Anglia quondam vigente minime probat, ratus eam ortum duxisse a male intellectis Saxonicis vocibus in antiquis membranis occurrentibus, *Denelaga*, *Westseaxnalaga*, *Myrcnalaga*. *Unde igitur*, inquit ille ad Wilkinsium scribens, *bono cum Deo trifaria illa apud Anglosaxones lex (toties ab Historicis nostris laudata) originem tulit? Dicam quod sentio, quodque viginti abhinc annis dicere non verebar. Tota hæc fabula ex legibus hisce tuis primitus male intellectis orta est. Putarunt nempe Interpretes Normanni vocem* Laga (in Denelaga &c.) *ejusdem ubique valoris cum ipsorum* Ley, & Legem *tantummodo significare; cum tamen* Regionem, *sive* Provinciam *satis manifesto indicabat . . . . Hinc illæ in versione legum harum latina ineptiæ:* Erat (4) lex Danorum Norfolk, Suffolk, &c. Qui in lege (5) Danorum, vel in lege Merciorum, violaverit pacem Regis &c. *Hoc præcursore in eundem lapidem Lambardum aliquoties pedem vides impegisse, nec unquam infelicius, quam cum illud*, Æt Wudstoce (6) on Myrcena land æfter Engla lage, *transtulit;* Woodstoci Merciæ, quæ legibus Anglorum gubernatur. *Dixisset verius;* quæ postea ditio Anglorum est facta. *In fœdere Edwardi Senioris & Guthruni Regum* Denelaga *idem est quod* mid denum (7): *quod & ex ipsius Canuti (8) non minus clarescit. Hæc si animadvertisset Cl. Spelmannus, somnium illud de triplici lege prorsus repudiarat, neque* Oswalds-Law (9) (*Centuriatum in Comitatu Wigorniæ bene notum*) *in numerum legum ecclesiasticarum oscitantius admiserat*. Hucusque eruditus vir, retundens antiquam, receptamque de trifaria lege inter Anglos quondam vigente sententiam, quam & Wilkinsius noster in Anglosaxonicarum legum versione sequutus est.

Affine audaciæ esset extero hisce in rebus mediocriter versato de dubia inter ipsos Anglos doctissimos controversia sententiam promere; me tamen cohibere non possum, quin opinionem meam doctiorum judicio subjiciam. *Laga* significare non modo *legem*, sed & *regionem*, seu *provinciam*, non inficiar; sed num hoc satis sit destruendæ de triplici lege sententiæ, valde dubito.

Re-

(1) V. Wilkins Gloffar. V. *Lage*. (2) Spelmann. Reliq. pag. 49.
(3) Wilkins l. c. (4) Leg. Edouardi Conf. c. xxxv.
(5) Leg. Guil. I. c. I. III. IV. (6) Procem. ad Leg. Æthelredi R.
(7) Hoc est: *Inter Danos*. (8) Leg. Sæcul. Cnuti c. XIV.
(9) Conc. Britann. Tom. I. pag. 432. Vide & Monasticon Anglic. Tom. I. pag. 120., nec non Hickesii Dissert. pag. 86.

Recolo (quod alias non ſemel dixi) Barbarorum leges perſonales potius fuiſſe quam territoriales; hoc eſt, affeciſſe perſonas potius quam regionem, atque diſtrictum. Vidimus in uno eodemque regno Italico, immo in uno eodemque regni Italici tractu, alios lege Romana, alios Salica, alios Langobarda, alios Ripuaria, alios aliis legibus vixiſſe.

Igitur ex. gr., ubi de penſitationibus, foriſfacturis & mulctis perſolvendis ſermo fit (1), dum diverſimode pendi perhibentur in *Merchenelega*, in *Weſtſexene lega*, & in *Danelega*, ego profecto reor, illas juxta varietates ſuas affeciſſe perſonas, prout variis præfatis legibus viverent, non prout variis in Provinciis ſitæ forent.

Uno exemplo lex clarior fiet, petito ex legibus Edouardi Confeſſoris (2): *Omnis qui habuerit XXX. denariatas vivæ pecuniæ in domo ſua, de ſuo proprio, (Anglorum lege) dabit denarium S. Petri; & lege Danorum dimidiam marcam.* Hæc verba, ſi ad Barbari inſtituti trutinam expendamus, hunc ferunt ſenſum perſpicue obvium; *Vivens lege Anglorum dabit denarium; & vivens lege Danorum* (ubicumque tandem ii vixerint in regno) *dabit dimidiam marcam.*

Hæc mihi ſuadent, eruditi Nicolſoni ſententiam parem non eſſe deſtituendæ penitus opinioni de trium legum in Anglia olim uſitata diſtinctione, atque profeſſione (eo ferme modo, quo variarum legum profeſſio in Italia obtinuerat), quam & vetuſta Anglorum traditio probat, & recepta eruditorum ſententia firmat, & antiqui Barbarorum mores ſolide fulciunt.

Sermo incidens de denario S. Petri, celebri jamdudum inter Anglos penſitatione Romana, in his quas edimus legibus non ſemel memorata atque præſcripta, petit ut aliquantiſper in ea verſemur.

Ex Bibliotheca, & Muſeo condiſcipuli quondam mei ornatiſſimi P. M. Aloyſii Baroni Lucenſis Ord. Serv. B. M. V. manuſcriptum præ oculis habeo Regeſtum quoddam Cencii Camerarii, qui anno MCCXVI. ad Summum Pontificatum evectus appellatus fuit *Honorius Tertius*. Regeſti partem edidit Muratorius (3), quam hic refero.

De quadam lege in Anglia vocata Donelaye, *& loquitur de denario B. Petri.*

Hoc eſt ſcriptum, quod Magiſter Synitius Cameræ Domini Papæ Clericus, Nuntius Apoſtolicæ Sedis in Anglia, ad Curiam aſportavit.

Incipit lex, quæ Angliæ Danelaye *vocata eſt, Latine vero* Lex Dacorum *eſt interpretata, ab inviciſſimo & glorioſo Rege Anglorum, Dacorum, Norragenorum, Svenonum, Kennutio inſtituta, & diligenter cuſtodita, conſilio Principum ſuorum, & Sapientum.*

Omnis qui habet XXX. denariatas vivæ pecuniæ in domo ſua, de ſuo proprio, Anglorum lege dabit denarium Sancti Petri, & lege Danorum dimidiam marcatam. Iſte vero denarius debet ſummoneri in ſolemnitate Apoſtolorum Petri & Pauli, & colligi ante Feſtivitatem, quæ dicitur Ad vincula, *ita ut ultra illum diem non detineatur. Si quiſquam detinuerit, ad juſtitiam Regis deferatur, quoniam denarius hic eleemoſyna Regis eſt. Juſtitia vero ejus faciet denarium reddere, & foriſfacturam Epiſcopi, & Regis. Quod ſi plures domos habuerit, de illa ubi reſidens fuerit in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, denarium reddat.*

Hæc verbotenus eſt lex decima ex iis, quæ Edouardo Confeſſori tribuuntur. Sequens ſubinde lex legitur in Regeſto.

Item alibi in eodem libro.

Pecunia autem Sancti Petri, quam Anglici Romaſchot *vocant, ſit perſoluta in feſto Sancti Petri in principio Auguſti menſis. Et qui non eo die perſolverit, etiam ſi eſt unus denarius; qui dare eum debuit, & non dedit, accipiat eundem, & inſuper XXX. denarios, & portet Romæ. Et quum dederit, tale ſignum ſecum reportet, ut certum ſit, quod Romæ fuerit, & Beato Petro ibi triginta & unum denarium, ſicut ſtatutum eſt, perſolverit. Quum autem reverſus fuerit domum, perſolvat*

(1) Vide Cnuti Leg. Sæc. XIV. Edouardi C. Leg. XII. Guilelmi Conqueſt. Leg. I. III. IV.
(2) Edouardi C. Leg. X. (3) Murat. Antiq. Italic. Diſſert. LXIX.

vat Regi sexaginta solidos. Si vero idem secundo retinuerit, similiter omnino faciat. Tertio autem si retinuerit, auferantur ei omnia bona sua.

Post hæc describitur in Manuscripto supramemorato summa denariorum colligendorum in Anglia; prout quoque adamussim legitur in libro Censuum Ecclesiæ Romanæ ab eodem Cencio Camerario composito (1); hoc videlicet ordine.

Denarius B. Petri colligitur in hunc modum in Anglia.

De Cantuariensi Diœcesi	*VII. Libras & XVIII. solidos.*
De Roffensi	*V. Libras & XII. solidos.*
De Londonensi	*XVI. Libras & X. solidos.*
De Norwicensi	*XXI. Libras & X. solidos.*
De Eliensi	*V. Libras.*
De Lincolniensi	*XLII. Libras.*
De Cicestrensi	*VIII. Libras.*
De Wintoniensi	*XVII. Libras & VI. solidos & VIII. denarios.*
De Exoniensi	*IX. Libras & V. solidos.*
De Wigorniensi	*X. Libras & V. solidos.*
De Herefordensi	*VI. Libras.*
De Bathoniensi	*XI. Libras & V. solidos.*
De Saresberiensi	*XVIII. Libras.*
De Conventrensi	*X. Libras & V. solidos.*
De Eboracensi	*XI. Libras & X. solidos.*

Summa CCC. Marcharum, minus unam Marcham.

Hujusce pensitationis auctorem alii dicunt Inam Occidentalium Saxonum Regem, alii Offam Regem Merciorum, alii Ethelwolfum; neque desunt, qui aliis eam referant acceptam. Quod idem est, ac si dicerent, ejus institutionis primordia ab omnibus ignorari.

Est autem apprime notandum, morem uni Angliæ non fuisse peculiarem. In præfato libro Censuum Ecclesiæ Romanæ, verbo *Norvegia*, hæc habentur: *Notandum, quod singulæ domus Norvegiæ singulos dant denarios monetæ ipsius terræ.* Et verbo *Svecia: Notandum, quod singulæ domus Sveciæ singulos dant denarios monetæ ipsius terræ.* Et verbo *Dacia*, seu Dania: *Excerptum ex Registro Paschalis Papæ II. Episcopis per Daciam constitutis. Inter cætera. De censu etiam, quem B. Petro Prædecessores vestri singulis annis instituerunt, Fraternitatem vestram, una cum eodem Fratre nostro Lundense Archiepiscopo, volumus esse sollicitam, ne in ipso negotio fraudem Romana Ecclesia ulterius patiatur, sed integre hujusmodi caritatis debitum prudentia vestra satis sapienter suscipiat. Datum Laterani VIII. Idus Madii.*

Cangius (2) affert monumenta, quæ probant denarium S. Petri persolutum fuisse in Gallia, in Polonia, in Bohemia; audenterque concludit: *Denarius S. Petri non modo exactus in Anglia, sed & in cæteris ferme regnis.*

Sed unde hæc pensitatio duxit originem? Anne ex vetustis moribus gentium Europæarum? In Schedis Aræ Frode vetusti Scriptoris Islandi hoc traditum fuisse refertur pag. m. 17. *Grimo Geitscor unusquisque regionis incola nummum pendit, quod ille tributum postea fanis in sacrum usum dedicavit.* De traditionis veritate non inquiramus; sed bene videtur, illam valuisse, quod cerneretur, annuum nummum ab unoquoque incola in fanorum usum oblatum fuisse. Revera annotator in hunc Aræ locum scribit, fuisse publica & primaria fana ad unumquodque forum juridicum tria, quibus quilibet incola annuum tributum pendebat.

Aptiora nos edocet egregius testis Helmoldus, referens inter Slavos annuas ex tota Slavia pensitationes persolutas fuisse primario templo, ac Numini Zwantevit,

(1) Ap. Murator. l. c. (2) Cangius Gloss. V. *Denarius S. Petri.*

tevit, seu S. Vito Christi Martyri, in Ethnicum Idolum sacrilege verso. *De omnibus* (1) *quoque Provinciis Slavorum illic responsa petuntur, & sacrificiorum exhibentur annuæ solutiones. Sed nec mercatoribus, qui forte ad illas sedes appulerint, patet ulla facultas vendendi vel emendi, nisi prius de mercibus suis Deo ipsorum pretiosa quæque libaverint, & tunc demum mercimonia foro publicantur.* Et alibi de eodem templo (2): *Gentes, quas* (Rani) *armis subegerint, fano suo censuales faciunt.* Itemque alibi (3): *Nostra adhuc ætate non solum Wagirensis terra, sed & omnes Slavorum Provinciæ illic tributa annuatim transmittebant, illum Deum Deorum esse profitentes.*

De oblatis huic Idolo loquitur & Saxo Grammaticus & quidem pressius ad rem nostram: *Nummus* (4) *ab unoquoque mare, vel fœmina, annuatim in hujus simulacri cultum doni nomine pendebatur. Eidem quoque spoliorum, ac prædarum, pars tertia deputabatur, perinde atque ejus præsidio parta, obtentaque fuissent . . . Hanc itaque statuam totius Slaviæ pensionibus cultam finitimi quoque Reges non absque sacrilegii respectu donis prosequebantur.*

Animadvertas, inter cætera, celeberrimo omnium templo, seu Idolo, nummum annuum persolutum a Slavis. Alii forte dixerint, gentem hanc morem edidicisse a Christianis, atque ad fanum suum transtulisse pensionem quondam persolutam templo S. Viti Corbejæ, quem tributis colere jussos a Francis Augustis quædam ferebat traditio (5). Ego e converso cernens, ejusce generis pensitationes non ab unis Slavis in Ethnicismo usitatas, atque inter Christianos Barbaræ originis non in una gente obtinuisse, id a veterum Barbarorum institutis derivatum libentius censeam; adeo ut pensionem, quam gentes illæ religiosis rebus maxime deditæ celebriori Idolo, seu templo, ex superstitione persolvebant, post Christiana sacra suscepta, superstitionem in pietatem devotamque censitationem vertentes, celeberrimo sacrario, atque Christianæ unitatis centro, persolvendam esse voluerint.

Hæc titulum ejusmodi Christianarum oblationum primigenium forte nobis indigitant, quem a veteribus liquido non colligimus, penes quos variis appellatæ sunt nominibus, *census*, *tributi*, *vectigalis*, *eleemosynæ*. Ego eundem fere titulum credam, quo similes largitiones populi pensitabant in ethnicismo Numinibus suis; clientelæ videlicet, & subjectionis, quam profiterentur quasi imperanti Numini gentes, quarum politicus status (ut ex alibi haud semel dictis satis apparet) Theocratiæ potius, quam Monarchiæ, vel Reipublicæ, referebat imaginem. Maxime namque verisimile est, hac in re, ut & in centenis aliis, populos vetera præconcepta instituta non penitus abjecisse, sed ad meliora traduxisse. Hoc neque mirum, neque insolens videbitur perpendenti, eisdem ævis Reges, ac gentes pietatis, & religionis ergo ultro subdidisse Romanæ Ecclesiæ Provincias & Regna (6); quod ab ipsismet antiquis principiis effluxisse, indubius reor.

Cæterum, quæ initiis eleemosyna fuit ex mera offerentium liberalitate profecta, præsupposito animo expresso ad eam sese quotannis obstringendi, in debitum censum evadere facile potuit. Ut alia omittamus, satis est, ut quæ superius dicta sunt, revolvamus. Pensitationes hæ descriptæ leguntur a Cencio in libro Censuum Ecclesiæ Romanæ, & a Paschali II. appellatæ *debitum caritatis*, quo non persoluto *fraudem* ipsa pateretur. Hæc profecto censum, sive eleemosynam debitam, non mere precariam, præsupponunt. Satis de denario S. Petri.

Transeo ad exolvendam fidem, quam alias spopondi, ut de civilis ac militaris jurisdictionis divisione in Republica Barbarorum vetustis ævis vigente aliquanto impensius differam; de qua non uno in loco, prout tulit occasio, perstrictius differui. Anglosaxonum leges hac de re tam aperte agunt, ut nonnulli (quamquam perperam) eos dicant esse ejusmodi divisionum auctores. Argumentum mihi quoque pandet viam, ut de quorundam ministeriorum civilium

(1) Helmoldus l. I. c. VI. (2) Idem l. I. c. XXXVI. al. XXXVII. (3) Idem l. II. c. XII. (4) Saxo Grammatic. lib. XIV. (5) Saxo Grammat. l. c.
(6) Hoc argumentum erudite peregit Ludovicus Thomassinus V. & N. E. D. III. I. 32.

lium ac militarium divisione, quæ in Italia nostra Langobardis regnantibus obtinuerat, verba faciam. Quod ut aliquo ordine procedat, etiam quæ sparsim alibi annotavi, recolligere necessum erit.

Divisio territorii in Centenas & Decanias, quæ ex Anglosaxonum legibus viguisse perspicue dignoscitur, fuse inter veteres Barbaros usitata fuisse videtur. In Pacto antiquiore legis Salicæ mentio fit *Centenarii*, atque Tungini (1), quem ipsum esse *Decanum* suadent Eccardus (2), & Wachterus (3). In Decretione Childeberti II. Francorum Regis (4), *Centenarii*, & *Centenæ*. In lege Alamannorum (5), itidem *Centenarii*, & *Centenæ*. In lege Bajuvariorum (6), *Centurionis*, atque *Decani*. In legibus Langobardicis (7), Regum Langobardorum tempore constitutis, *Sculdasii* (quem ipsum fuisse *Centenarium* patebit inferius) & *Decani*. Hæc aperte demonstrant, præfatam divisionem Ælfredo sæculo IX. in Anglia regnante (cui divisio ipsa inter Anglos ab eruditis viris tribuitur) (8) multo esse antiquiorem, atque in antiquis Barbarorum cœtibus communius notam, acceptamque fuisse.

Animadversione maxime digna est lex Wisigothorum, in qua, dum de re militari agitur (9), numerantur *Thyuphadus*, & *Thyuphadia*, *Centenarius*, & *Centena*, *Decanus* & *Decania*. Sed quid *Thyuphadus*? Wachterus (10) solidi judicii vir nomen derivans a *tio*, decem, & *fad*, caput, Thyuphadum dici ratus est, quod *decem militibus præesset*, & illum manifeste cum Decano confundit. *Post Centenarium*, inquit, *nominatur Decanus, qui certe est ipse Thyuphadus*. Sed certe Decanus non est ipse Thyuphadus, cum lex aperte Thyuphadum a Decano secernat, illumque non modo supra Decanum, sed & supra Centenarium, & supra Quingentenarium, in mulctæ solutione constituat: *Thyuphadus* (11).... *reddat solidos XX.*, *Quingentenarius vero XV. & Centenarius X. Si certe Decanus fuerit, V. solidos reddere compellatur*.

In ipsa Gothica lege, inter personas, quibus judicandi facultas asseritur (12), memorantur *Dux*, *Comes*, *Vicarius*, *Pacis assertor*, *Thyuphadus*, *Millenarius*; *Quingentenarius*, *Centenarius*, *Decanus*, *Defensor*, *Numerarius* &c. Ego *Millenarium* ipsum esse *Thyuphadum* nullus dubito, qui in regno ex Barbaris atque Romanis conflato, alias Barbara voce *Thyuphadus*, alias Romana *Millenarius* diceretur. Etenim in lege de exercitu cogendo superius allegata *Thyuphadus*, *Quingentenarius*, *Centenarius*, *Decanus*, recensentur, *Millenarius* vero non item. Et in vetere Hispanico libro *Fuero Juzgo* Thyuphadus eodem loco circumscribitur: *El que ha mil cavaleros en garda*.

Quod si in vim vocis inquirere lubeat, eam aptissime, ut mihi equidem videor, indicat Verelius (13), compositam asserens a *thiud*, populus, & *fad*, caput; ut verbotenus interpretetur: *Caput populi*; Italice, *Capo di una Popolazione*. A nobis, ni fallor, phrasi magis accommoda, dici posset: *Capo di Pieve*; *Caput Plebis*; atque unico verbo, *Plebanus*.

Divisionem namque regionis in *Plebes* gentibus Barbaræ originis non ignotam, & prout in ecclesiasticis, ita & in civilibus adhibitam fuisse dignoscimus. Anne hanc ab ecclesiasticis mutuati sunt? An vero ipsi ex propriis consuetudinibus eam induxerunt? Hoc suadere videtur Wisigothorum exemplum. Quidquid sit, Hincmarus in Epistola pro Episcopis Galliarum & Germaniarum hæc scribit: *Hujus* (14) *gloriosæ domus Dei decorem, & locum habitationis gloriæ ejus, fidelissime diligere & zelari debent, non solum Episcopi, & Sacerdotes in sedibus, sed etiam Reges in regnis & palatiis suis, & Regum Comites in civitatibus suis, & Comitum Vicarii in* Plebibus, *& quicumque patresfamilias in domibus suis*. Item in lege Alamannorum testimonium exigi jubetur ab illis, qui (15) *boni*

(1) Pactus Leg. Sal. Antiq. Tit. XLVII. & XLIX. ad quæ vide annotata a Vendelino & ab Eccardo Vol. II. huj. Collect. pag. 86.
(2) Eccardus l. c.
(3) Wachter Glossar. V. *Dingman*.
(4) Decretio Childeberti II. Reg. c. IX. XI.
(5) Lex Alamann. Tit. XXXVI.
(6) Lex Bajuvar. Tit. II. c. IV.
(7) Leg. Langob. Liutprandi VI. XXXI. & alibi.
(8) V. Wilkins Glossar. V. *Centuria*.
(9) Lex Wisigoth. IX. II. l. 1. 3. 4.
(10) Wachter. Glossar. V. *Thyuphadus*.
(11) Lex Wisig. IX. II. l. 1.
(12) Ibid. II. I. l. 26.
(13) Verelius ad Herraudi Saga.
(14) Vid. not. Bignonii ad Marculfi Form. Lib. I. Form. VIII.
(15) Lex Alamann. Tit. XLII.

boni testimonii sunt in plebe. Et alibi eadem in lege præscribitur; ut in contentione de termino terræ inter propinquos, *ibi præsens sit Comes de plebe illa* (1).

Antequam a Thyuphadis Gothicis recedamus, animadvertendum est, illos in Comitis territorio constitui; immo & recenseri inter *inferiores*, *vilioresque* personas. (2) Quod probat, Gothos hac in re, ut in quamplurimis aliis a veteribus institutis recessisse. Qui enim ex genuina Barbarorum disciplina fieri potuisset, ut cohortis Dux inter viliores personas haberetur, ubi non modo inferioris ordinis ductores, sed & singuli milites supra cæterum vulgus, ingenuitatis, & cujusdam nobilitatis fulgore elucescebant, ac armorum honore donati Reipublicæ partem constituentes, jure suffragii in generalibus Comitiis gaudere merebantur? Sed jam & ab hoc Gothi longe recesserant, qui manumissorum, servorumque turmas armatas in hostem ducebant, ut cuique citatam legem consulenti patebit.

Ut Gothi in Thyuphadias, ita Anglosaxones præter Decurias, atque Centenas, ampliorem constituerant divisionem in *Scyras*. *Scyra* juxta peritissimos Glossographos *partitionem*, seu *divisionem* proprie significat, & fermie convenit ampliori territorio, ut Provinciæ, Comitatui &c. Manet adhuc nomen in Anglia haud infrequens, *Glocestersbire*, *Yorksbire*, *Lancastersbire*, idest partitio Glocestriensis, Eboracensis, Lancastrensis. Ut ergo Centena plures Decanias sub se continebat, ita & plures Centenæ numerabantur in Scyra.

Quæ hucusque dixi simul perpensa mihi suadent, antiquioribus ævis, quibus Barbari non urbes, non oppida, immo nec fixa domicilia sibi constituerant, sed Scythico more in plaustris, aut in tuguriis degebant, Nomadum fere vitam agentes; illis, inquam, ævis populos ordine egregio, militari simul & civili partitione per decennas divisos fuisse; adeo ut ex singulis decem militibus conflaretur decania, ex decem decaniis centena, ex decem centenis chilias, ex chiliadibus integer cœtus; atque numerorum multitudini ac confusioni evadendæ communem Reipublicæ agrum, seu territorium, annuatim; dum mos invaluit, divisum fuisse per chiliades, quæ quasi primaria Reipublicæ *partitio* spectari poterat, unde ortum antonomastice traxerit Anglosaxonum *scyra*; agri subinde partitionem chiliadi assignatam divisam fuisse in centenas; inde in decanias; tandem vero in singulos milites.

Milites memoro, qui membra Reipublicæ censebantur, & juribus civicis soli gaudebant. Reliquos sub mundio vel sub dominio militis viventes, in partitionum numeros venisse nullatenus credam, quippe qui quoad publicam rem non potirentur jure personæ; & unice spectatos fuisse quasi membra, portionesque familiæ militis, cui suberant, & accessorie cum ipso locum tenuisse. Hæ sunt, ni fallor, quas *Faras* appellavere Langobardi: *Si quis* (3) *liber homo migrare voluerit aliquo, potestatem habeat intra dominium regni nostri cum Fara sua migrare, quo voluerit, sic tamen si a Rege ei data fuerit licentia*. Quæ dicta sint, ut perpendamus, decem ingenuos milites parvam rem non fuisse; cum & ejus familia, & servi, & aldiones, sub ejus mundio constituti, in una militis persona recenserentur.

Cæterum superius dicta nobis quoque suadent, vetustioribus sæculis rei militari atque civili rite gerendæ, singulis decem militibus una cum personis eos respicientibus, & agro ipsis assignato, præpositum fuisse *Decanum*, singulis decem decennis Præfectum majorem *Centenarium*, & singulis decem centenis excelsi subsellii Satrapam, qui ab Anglosaxonibus, barbaro retento nomine, appellatus legitur *Gerefa*, vel composite *Scyre-Gerefa*; cujusce vocis apud Anglos hodieque manent reliquiæ in iis, qui contracte nuncupantur *Sherifi*.

Notanda est vox *Gerefa*, quæ aliis gentibus latino-barbare exprimitur *Grafio*, vel *Gravio*; de cujus vocabuli etymo ipsi Germanicarum linguarum periti inter se non conveniunt. Johannes Ihre (4) cæteris, ut mihi videor, aptiorem significationem deprompsit a forensi quadam voce veteribus dialectis usitata, quæ *arguere*, *vindicare*, *exigere*, denotabat. Adeo ut *Grafio* designet proprie *Præ-*

(1) Ibid. Tit. LXXXIV. (2) Cod. Leg. Wisig. IX. II. IX.
(3) Leg. Langob. Rotharis l. CLXXVII. (4) Ihre Glossar. V. *Græfwe*.

fectum judiciis criminalibus, quæ sane potissimam rei judiciariæ partem olim constituebant, & maxime versabantur in exactione mulctarum.

Utcumque res se habeat, Barbari *Grafionem* suum civitate Romana donantes, mutuatis e Latio vocibus, *Judicem* nuncupaverunt, aut *Comitem*. Exempla non congeram, cum unum adinstar omnium afferat Lex Ripuariorum Tit. LIII., cujus rubrica inscribitur: *De eo, qui Grafionem interfecerit*; lex autem sic effertur: *Si quis Judicem fiscalem, quem Comitem vocant, interfecerit, sexcentis solidis mulctetur*. Qui in lemmate legis est *Grafio*, is in ipsa lege est *Judex*, & *Comes*.

Dixi, *vetustioribus sæculis* Rempublicam per decennarios numeros divisam fuisse, illisque præfectos esse Decanos, Centenarios, Grafiones. Sed inde decennarii, numeri exturbati fuere, etiam antequam agri ad proprietatem assignari civibus consuevissent. Taciti tempore agri adhuc erant inter Germanos communes, quamquam præter antiquiora instituta fixæ domus & propriæ (1). Ipse tamen elegans scriptor de Germanis in hostem pergentibus hæc habet: *Centeni (2) ex singulis pagis sunt; idque ipsum inter suos vocantur. Et quod primo numerus fuit, jam nomen & bonor est*. Quod primitus scilicet fuit nomen numeri, jam evaserat in nomen honoris. Qua ratione hæc in decennariis numeris exturbatio processerit, ignoro; novi tamen etiam publica re in hoc perturbata, vetera districtibus atque Præfectis nomina servata, atque attributa fuisse.

Revera, postquam Romanæ Provinciæ a Barbaris occupatæ sunt, agrique in proprietatem civibus distributi, & cum vetustis incolis, seu Provincialibus, dispertiti, *Decaniæ*, *Centenæ* &c. nomina retenta fuere, quæ fixos territoriales districtus, seu civiles territoriorum distributiones, potius quam civium numeros, designarent. Nonnulla, quæ supra protuli, assertum probant; alia huc proferam, quædam & infra prolaturus. In lege Alamannorum legimus: *Conventus (3) . . . . fiat in omni Centena*. In libris Capitularium Regum Francorum: *Si contentio (4), quæ inter eos exorta est, in confinio duorum Comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adjacentis Comitatus ad causam suam testes babere*. Et alibi in eisdem libris: *Et de ipso pago (5), aut de vicinis centenis, eligantur, nisi forte longius extra Comitatum causa sit inquirenda*. In Formulis Bignonii: *Mansum (6) in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, in centena illa*. In Formulis, seu chartisAlsaticis (7): *In Comitia N. indurg ... in centuria illa, in loco qui dicitur N., juxta villam nostram N., de boba illa & illa; in eodem pago, in centuria N., in loco qui & ipse N. nuncupatur, qui est juxta N. baptismalem Ecclesiam, de manso illo & illo; & in eadem Comitia in parte Orientali, in centuria N., in loco qui æque N. vocatur, & est juxta Constantiensem Ecclesiam, de manso illo &c.* Ejusmodi districtuum manent adhuc reliquiæ; & præsertim in quibusdam Angliæ partibus vox *Hundred* (quæ centum sonat, atque centenam) quemdam regionis tractum, seu Comitatus partem designat; & teste Anglo Jurisconsulto Jacob (8), *Hundredæ* ipsæ non tantum vetus nomen retinent, sed manent quodammodo eædem, quæ in usu primitus fuere.

Ad Italiam Langobardam accedo, de qua peculiatim differere mihi proposui. Qui apud gentes alias *Decani*, *Centenarii*, *Grafiones*, hi apud nos Langobardis regnantibus, *Decani*, *Sculdasii*, *Judices*; qui non personarum numeris, sed fixis districtibus præerant, ut infimi, medii, summi, tum rei forensi & civili regimini præfecti, tum populi in hostem ductores.

Haud semel in Langobardicis legibus præfatorum munerum, rectorumque fit mentio. Unam referamus: *De servo fugace (9), & advena bomine, si in alia judiciaria inventus fuerit, tunc Decanus aut Saltarius, qui in loco ordinatus fuerit, comprebendere eum debeat, & ad Sculdasium suum perducat. Et ipse Sculdasius Judici suo consignet. Et ipse Judex potestatem babeat eum inquirendi, unde ipse est*. Vides hic *Decanum*, *Sculdasium*, *Judicem*, infimum, medium, summum Rectorem; de quibus singillatim agendum est.

Primo

(1) V. Notas ad Leg. Angliorum & Werinorum Tit. VI. l. 1. Vol. III. huj. Collect.
(2) Tacitus Germ. c. VI.
(3) Lex Alaman. Tit. XXXVI.
(4) Capitul. l. IV. c. XXIII.
(5) Ibid. l. III. c. X.
(6) Formul. Bignon. XVIII.
(7) Form. Alsat. V.
(8) Jacob's Law Diction. V. *Hundred*.
(9) Leg. Langob. Liutpr. V. XV.

Primo animadverte *Decanum*, & quidem *ordinatum in loco*, hoc est, cum territoriali jurisdictione. Inde tractus, cui Decanus præerat, *Decenna*, vel *Decania*, nuncupatus est. In Charta Mutinensi anni DCCCXIII. a Muratorio edita (1) recensetur *Decania quondam Rusticiani*, *Decania Gausperti*, *Decania Lupuni*, *Decania Lumper*, *Decania Staveli*. Quæ Decaniæ omnes sitæ fuisse videntur in *pago* in eadem charta memorato *Colegaria*; *pagi* voce scilicet sumpta, ut optime Muratorius in præfatam chartam advertit, & antiquus loquendi mos obtinebat (2), pro majore quodam agri tractu; unde forte ortum duxit Italica vox, *Paese*.

Subdit Muratorius: *Adhuc in agro Mutinensi, Ferrariensi, & Mantuano, superest multis in locis vocabulum* Degagna; *quod nonnulli in* Tegagna *immutarunt. Numquid e nomine* Decaniæ *istud profectum fuit?* Ut de Patria mea Forojuliensi testimonium proferam, superest & hodie cuidam districtui *Decenna* nomen, quam dicimus *Decennam Montisfalconis*; & ferme in Patria universa inter Tilavemtum & Alpes ii, qui minoribus pagis, burgis, suburbanisque locis, eorumque tractubus, præfecti sunt, appellantur *Decani*.

Atqui leges sub Langobardis Regibus conditæ *Decano* jungere solent præfectum alterum, *Saltarium* dictum, qui uno quasi gradu cum Decano munus exerceat; supra quos *Sculdasius*, & supra *Sculdasium* emineat *Judex*. Unam ex pluribus accipe legem: *Nam si per Judicem* (3) *inquisiti fuerint* (arioli) *sine notitia Sculdais, tunc habeat ipse Judex potestatem foris Provinciam eos vendendi, & pretium sibi tollendi, atque habendi. Nam si per Sculdaem inventi fuerint, medium de ipso pretio tollat Judex, medium Sculdais. Et si Decanus, aut Saltarius, ipsos ariolos, aut ariolas, vel supra scriptos sacrilegos, invenerit, & Sculdai suo manifestaverit, tunc tertiam partem ipse Saltarius aut Decanus, per quem inventi fuerint, de ipso pretio habeat sibi, & duas partes tollat ipse Sculdais.*

Quodnam fuerit inter Langobardos *Saltarii* munus, atque jurisdictio, satis non constat. Muratorius ratus est *Saltarios* fuisse, *qui saltus* (4) *& sylvas publicas, imo & fines agrorum custodiebant*. Ipsum profecto nomen videtur hoc officium designare. Idem eruditus vir opinatur (5), Saltarios sequioribus quoque ævis custodiæ agrorum & finium in singulis villis, vel pagis, cum jurisdictione præfuisse. Hodie quoque aliquibus in Italiæ locis, qui custodiendis agris Optimatum (ultimæ tamen sortis homines) deputantur, *Saltarii* dicuntur.

Sed tanti viri venia, ejus sententiam non probo. Quidquid posterioribus sæculis invaluerit, observo, Langobardorum tempore, illos, quibus saltuum & forte agrorum custodia committebatur, *Silvanos* dictos fuisse, prout edocemur Diplomate Rachisii Regis anni DCCXLVII. ab eodem Muratorio evulgato (6), in quo *Silvani nostri Oto*, *Rachis*, & *Paschasius* occurrunt. Acrius tamen non contendam, hujusmodi tunc temporis appellatos quoque fuisse *Saltarios*; sed valde mihi persuadeo, in Langobardicis legibus alio plane sensu *Saltarii* nomen occurrere, & aliud omnino extitisse ejus officium, atque jurisdictionem.

Memoria recolo, in Gothico Codice præter Thuyphados, Centenarios, atque Decanos, quos supra memoravimus, dum de cogendo in hostem populo agitur, recenseri quoque *compulsores exercitus* (7), quos e Barbarorum, atque eorum præsertim, qui ex Septemtrionali Germania originem duxisse creduntur, institutis profluxisse, illic in nota animadvertimus. Serio autem perpendendum est, quod in eodem Codice *Compulsor exercitus*, & *Decanus*, pro pari delicto pari mulcta coerceantur, nempe solidorum quinque (8); & Centenarius majore, Thyuphadus vero adhuc majore pœna distringatur; ut maxime probabile sit, per singulas decanias singulos compulsores exercitus deputatos fuisse, aut saltem certissime constet, Decanum atque Compulsorem exercitus pari gradu habitos esse.

 Qui

(1) Murat. Antiq. Italic. Differt. X. (2) Vide Bignon. not. ad Marculfi Lib. I. Form. XXVIII. Vol. II. huj. Collect. (3) Leg. Langob. Liutprandi VI. XXXI. (4) Murat. not. ad Leg. Langob. Liutpr. V. XV. (5) Idem Antiq. Italic. Differt. X. (6) Idem l. c. (7) C. Leg. Wisig. Lib. IX. Tit. II. (8) Confer l. c.

Qui Gothis *Compulsor exercitus*, hic Langobardis, meo quidem judicio, fuit *Saltarius*. Quod haud obscure innuit quædam Langobardica lex Liutprandi Regis nomen præferens (1), & expresse de cogendo exercitu agens; in ea siquidem *Judicis*, *Sculdasii*, atque *Saltarii*, uti summa, media, infima jurisdictione utentium mentio fit: de Decanis vero ne verbum quidem.

Inde opinor, *Saltarii* in Langobardicis legibus memorati proprium, præcipuumque munus extitisse Decaniæ, seu tractus sibi assignati, militares viros cogere in hostem, uti apud Gothos *compulsorem exercitus*. Cum vero Barbaris in more positum esset, ut qui in militaribus, iidem & in civilibus auctoritate pollerent, inde ortum reor, quod Saltarius in regione suæ jurisdictioni concredita in re quoque civili præfuerit, pari ferme potestate, qua præditus erat Decanus.

Quare *Saltarii* vox in legibus Langobardorum occurrens, non a *saltubus* derivasse censeo, sed a quadam Germanica voce, qua compulsor exercitus designaretur. Qui in Germanicis dialectis eruditus est, etymon forte assequetur; ego, qui vix summis labiis studium hoc degustavi, dicam quod sentio. *Schalten* est trudere, propellere, promovere; & *proprie est*, ait Wachterus (2), *urgere imperio, & dicitur de potestate civili, quia cogit, & compellit* &c. Hinc *compulsor*, ut mihi equidem videor, latino-barbara voce recte dici potuisset *Schaltarius*, & lenita aliquantulum pronuntiatione *Saltarius*.

Ascendamus ad *Centenarium*, mediæ, ut dictum est, civilis militarisque jurisdictionis præfectum. Centenarii nomen Langobardorum regnantium ævo facile apud nos non audiebatur. Verumtamen pluries memoratur *Sculdasius*. Quid vox hæc proprie significet, inter recentiores non bene constat. Veteres illum appellantes *Rectorem*, *Judicem*, &c., dicunt quod alias novimus, non quod inquirimus. Quodcumque autem vocis sit etymon, *Sculdasios* eosdem fuisse, qui aliis gentibus dicti sunt *Centenarii*, ego pro certo habeo.

Postquam Italicum regnum e Langobardis transiit ad Francos, penes quos Centenarii munus, & nomen erat in usu, & ipsa *Centenarii* vox irrepsit in legibus, quas Franci Reges tulerant Italico regno. Animadversione autem dignum est, quod eisdem in legibus, quæ Francis regnantibus constitutæ fuere majoribus nostris, nunc *Sculdasius* occurrat, nunc *Centenarius*, non tamen uterque simul, adeo ut diversum munus indicetur. *Nunquam reperio*, inquit Muratorius (3), *ambo hæc nomina adhibita simul, perinde quasi officia diversa*. Munera quoque, ac jura, seu Sculdasii, seu Centenarii, in ipsis legibus recensita, eandem amplitudinem, idem officium, eundem characterem designare videntur.

Quin ipsi Franci, qui latine loquentes *Centenarium* dicebant, patrio utentes sermone *Sculdasium* appellabant. Pari namque nomine haud semel compellatur Centurio in vetere Evangelio Francico ab Ortfrido conscripto. Sic lib. III, cap. III.

Iu quam ein Sculdheizo
Bi notburfti heizo.
Alias venit Centurio
Ob necessitatem urgentem.

Et infra ibidem.

Ther Sculdheizo es ni geroti
Er thara thoh faran uuolti.
Centurio id non petiit,
Ipse tamen ire volebat.

Et lib. IV, cap. XXXIV.

Thelselho Sculdheizo
Irquam es filu heizo.
Ipse Centurio
Perterrefactus vehementissime.

Fran-

(1) Leg. Langob. Liutprandi VI. XXIX.
(2) Wachter Glossar. h. v.
(3) Murat. l. c.

Franci ergo æque ac Langobardi patria voce dixere *Sculdasium*, qui latine dicebatur *Centenarius*. Atque inter utrosque hoc tantum intereſt diſcriminis, quod in efferendis legibus Francis latinum, Langobardis barbarum nomen præplacuerit.

Quamquam poſt adeptum a Francis Italicum ſceptrum tum Centenarii, tum Sculdaſii voces invaluerint, Italis veterum rerum tenacibus magis acceptum fuiſſe videtur Sculdaſii nomen. In Formulis Veronenſibus Langobardicarum legum textui intermixtis adhuc *Sculdaſii* fit mentio: *Petre* (1) *Decane, vel Saltarie, te appellat Martinus, quod tu prebendiſti unum ſuum ſervum fugacem, & non minaſti ad tuum Sculdaſcium. Petre Sculdaſcius, te appellat Martinus &c.* Et in Diplomate judicii pro Popone Patriarcha Aquilejenſe, quod Veronæ habuit Conradus I. (2), inter eos, qui fodra, angarias, & publica ſervitia, & factiones exigebant, *Sculdaſii*, *Decani*, *Saltarij* nominantur, Centenarii vero non item.

Diſtrictum, cui Sculdaſius præerat, dictum aliquando fuiſſe *Sculdaſiam*, vetera probant monumenta. Berengarii Auguſti Diploma ab Ughellio (3) editum memorat *Sculdaſiam Belluni*. Aliud ejuſdem Imperatoris Diploma exhibet Muratorius (4), in quo hæc leguntur: *Quoddam pratum juris Imperii noſtri pertinens de Comitatu Veronenſi, de Sculdaſia videlicet, quæ Fluvium dicitur.*

Invaluit tamen & *Centenæ* nomen, immo, ut arbitror, multo magis. Cadubrienſe territorium in quatuor diſtrictus diſpeſcitur, hodiedum *Centinaria* nuncupatos. Atque, ut alibi monui, vox *Contrada* latiſſime per Italiam diffuſa Centenæ deſignandæ, meo judicio, adhibita quondam fuit. *Hundred*, *Hondred*, *Hundert*, *Hundrade* &c. juxta varias Germanicas dialectos, centenarium numerum exprimit; atque ejuſmodi vocibus *Centenas*, de quibus agimus, Germani deſignare conſueverant, & Angli huc uſque deſignant (5). Expeditiſſimum fuit, ut littera aſpirante *H* aſperius pronunciata (more Barbaris non inſueto) inde oriretur Italica vox *Contrada* (6), ut quidam regionis tractus exprimeretur. Pluribus ab hinc annis hæc mihi inſedit opinio, quam inde fulcitam reperi a Johanne Ihre (7), hac in re mecum ſentiente. Certe hoc etymon longe ſimplicius eſt illis, quæ Acariſius, Menagius, Cangius, Muratorius, voci *Contrada* affinxere, quæ exquiſita equidem ſunt, ſed ideo quia exquiſita, falſi ſuſpicionem non effugiunt.

Nunc de ſupremi ſubſellii Præſidibus agendum eſt; quorum nobilitas ut illuſtrius innoteſcat, nonnulla præmittere juvat.

Duces in Langobardicis faſtis frequentiſſime occurrere ignorat nemo vel minimum in hujuſce gentis hiſtoria verſatus. Duces autem apud nos, Langobardorum regnantium tempore, non omnes erant amplæ provinciæ Præfecti. Nam ſi Beneventanum, Spoletanum, & forte Forojulienſem, Duces excipias, quibus utpote in marchia conſtitutis, qua timerentur hoſtiles exterorum incurſus, tuendis regundiſque finibus, ampliores diſtrictus, atque ampliora jura concredita fuerant; ſi, inquam, hoſce excipias, plurimos Duces uni civitati, & adnexo tractui, ſive territorio, præfectos fuiſſe dignoſcimus. Paulus Diaconus loquens de interregni tempore poſt Clephi Regis mortem, indicat, triginta quinque, aut triginta ſex Duces in Langobardico regno extitiſſe: *Unuſquiſque* (8) *enim Ducum ſuam civitatem obtinebat*. Ex ejudem libris quoque innoteſcunt Duces Bergomi, Brixiæ, Tridenti, Veronæ, Vicentiæ, Tarviſii &c., qui profecto provinciales Satrapæ dici non poterant, cum civitates illæ adeo inter ſe ſint conterminæ, ut nonniſi civitas cum territorio cuique Duci potuerit obtingere.

Neque inter Langobardos ignoti *Comites*, quamquam non frequens de iis occurrat

(1) V. Form. Veron. ad leg. XV. lib. V. Liutpr. Vol. II. huj. Collect.
(2) Ap. de Rubeis Monum. Eccl. Aquil. pag. 501. 502. (3) Ughellii Italia Sacra Tom. V. in Catalogo Epiſc. Bellunenſ. (4) Muratorius l. c. (5) V. Wachter V. *Hundert*. Ihre V. *Hundrade*. Jacob. V. *Hundred*. (6) De hoc ſcribendi & pronunciandi modo conſule Wachteri Gloſſar. Prolegom. Sect. III. littera *H*.
(7) Ihre l. c. (8) Paulus Diac. lib. III. c. XXXII.

rat mentio. Eos usque ab initiis Langobardici regni in Italia celebratos fuisse edocent verba S. Gregorii Magni ad Sabinianum scribentis (1): *Si ego in morte Langobardorum me miscere voluissem, hodie Langobardorum gens nec Reges, nec Duces, nec Comites haberet, atque esset in summa confusione divisa*. Et a Paulo Diacono differente de facto, quod evenerat paucis annis post Langobardorum in Italiam adventum, memoratur *Comes* (2) *Langobardorum de Lagare, Ragilo nomine*.

Duces ergo recolebantur in Langobardica gente, recolebantur & Comites. Hos autem Duces, hos Comites, generalibus Langobardici regni comitiis interfuisse, & quidem cum nobili prærogativa consessus, atque suffragii, dubitaverit nemo. Cur igitur in Prologis, & in Epilogis legum, quæ sub Langobardicis Regibus conditæ sunt, inter eos qui comitiis intererant, neque Duces neque Comites unquam occurrunt?

Item Duces & Comites civili, militarique excelsi subsellii jurisdictione procul dubio gaudebant. Cur igitur iisdem in legibus inter eos, qui jurisdictione pollentes pluries celebrantur, Ducum aut Comitum nomen neutiquam legitur? Etenim si leges quasdam excipias de regundis exercitalibus agentes, ubi mentio fit *Ducum* (3), non speciatim (ut videtur) eorum, de quibus hic agimus, sed generalius Officialium, qui militibus præficerentur; si, inquam, hasce paucas leges excipias, neque Duces, neque Comites in Langobardico Codice ante Carolum Magnum edito facile memoratos reperies.

Memorantur in ipso haud infrequenter *Judices*, ut supra præfatus sum; atque ita quidem ut hi emineant supra Sculdasios, sicuti Sculdasii super Decanos, atque Saltarios; supra Judices vero ipsos non alius emineat nisi Rex. Sic ex. gr. deprehendimus, Decanum atque Saltarium non recte agentem componere jussum mulctam suo Sculdasio, Sculdasium Judici, Judicem non Duci, neque Comiti, sed immediate Regi & mulctas persolvisse, & sacramentum præstitisse (4).

Horum omnium ratio mihi manifesta videtur. Qui Barbaris *Grafio*, hic petitis e Latio vocabulis *Dux* & *Comes* appellari consuevit communi loquendi usu; at forensi stylo, & pressiori loquendi modo dictus est *Judex*; qua voce profecto aptius exponitur barbarum vocabulum *Grafio*, præfectum designans, ut supra retulimus, præsertim criminalibus causis. Atque ita qui legibus, & foris *Judex*, idem erat Historicis *Dux* & *Comes*.

Inde aliud aperitur nobis consectarium minime prætermittendum. In legibus quæ regnantibus Langobardis prodiere, gradus datur a Decano, seu a Saltario, ad Sculdasium, atque a Sculdasio ad Judicem; sed a Judice ad Judicem gradus non datur, quasi a Comite ad Ducem. Quæ innuunt Langobardorum tempore in Italia Comites Ducibus non fuisse subjectos, sed unumquemque separato gaudentem territorio supra se solum Regem agnovisse, atque sub se Sculdasios, & sub his Decanos, atque Saltarios.

Revera Ducem Forojuliensem, in Langobardico regno amplitudine, & jurisdictione tertium, Comitibus non præfuisse haud obscure colligimus e Paulo Diacono, qui nobis exhibet Argaidum Sculdasium (5) sub Duce Ferdulfo militum ductorem, ut immediate, nullo scilicet intermedio Comite, Duci subjectum.

Ipsi Duces Beneventi auctoritate, & territorii extensione Regibus ferme pares, sub se Comites habere non consueverunt. Duos tantum Comites Capuæ memoratos novi, Mittolam, & Trasemundum (6). Quod veluti peculiare donum a Ducibus personarum merito concessum censeri potest; forte ut quasi separato territorio præessent, fœdere potius quam subjectione Ducibus devincti. Certe Trasemundus eæ dignitatis vir erat, ut meruerit Grimoaldi Regis filiam, quæ & Beneventani Ducis soror erat, in uxorem accipere, & donari Spoletano Ducatu, in Langobardico regno secundo. Quidquid sit, post duos memoratos proceres, Capuam non per proceres rectam fuisse, sed per Gastaldiones, prout in Beneventano Ducatu moris erat, scribit eruditus Carolus Pecchia (7).

Quod

(1) Gregorius M. L. IV. Ind. XII. Ep. XLVII.

(2) Paulus Diac. lib. III. c. IX.

(3) Leg. Langob. Rothar. VI. & XX. seqq.

(4) Vid Leg. Langob. Liutprandi lib. IV. lege VIII. IX. X. Lib. V. lege XV. &c.

(5) Paul. Diac. lib. VI. c. XXIV.

(6) Idem lib. V. c. IX. & XVI.

(7) Pecchia, *Storia Civile de Regno di Napoli* Lib. I. Cap. XII.

Quod autem Dux Comitibus non præesset, id ejus dignitatis atque potentiæ splendorem minime imminuit. Non vocula, sed res ipsa pensanda est. Pluribus Sculdasiis Duces præficiebantur, ut ipsa territoriorum distributio probat, & Langobardicus indicat codex: *Si homines* (1) *de sub uno Judice, de duobus tamen Sculdais, causam habuerint* &c. Porro Sculdasios non mediocris fortis homines fuisse quis credat, neque vulgaris juris, locique præfectos. Exemplo sit supra memoratus Argaidus Sculdahis, qui a Paulo appellatur *vir nobilis, animoque & viribus potens*, & qui primus aggressus est hostes, eumque sequutus est Dux Ferdulfus, in celebri contra Slavos prælio, in quo *omnis nobilitas periit Forojulianorum*. Hæc sane indicant aliquid magni fuisse Sculdasios, qui Langobardorum Judicibus suberant.

Cæterum sicuti districtus Decani *Decania*, & Sculdasii *Sculdasia*, dictus est; ita & regionem, cui præerat Judex (Dux videlicet, aut Comes) *Judiciariam* in Langobardicis legibus haud semel legimus appellatam. Unam accipe: *De servo fugace* (2), *& advena homine, si in alia* Judiciaria *inventus fuerit ... ipse Judex potestatem habeat eum inquirendi, unde ipse est. Et si inventus fuerit qui servus sit, aut fur, mox mandet ad Judicem, aut ad dominum ejus, unde ipse fugerit, & habeat pro prehensura de ipso servo solidos II.* Collige, *Judiciariam* pro territorio Judicis sumi.

Postquam Langobardi Reges defecerant, vox *Judiciaria* eodem adhuc occurrit sensu. In legibus Pipini Italiæ Regis memoratur *Gastaldius* (3), *aut Sculdais, vel loci Præpositus, de qualibet Judiciaria. Judicis* compellatio ipsomet sensu sero quoque penitus non obsolevit, quamquam Duces Provinciales, & Marchiones, & Comites, & Vicecomites &c. in fastis nostris occurrant. Unum affero exemplum in sæculum XII. incidens. In Litaniis, seu faustis adprecationibus, quæ canebantur in Ecclesia Aquilejensi vivente Patriarcha Peregrino I., post adclamationes pro Summo Pontifice, Imperatore, Imperatrice, Rege, Regina, Patriarcha, & Clero, hæc habetur oratio: *Omnibus Judicibus, & cuncto exercitui Christianorum, salus & victoria* (4). Animadverte, Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, omnesque judiciaria, seu jurisdictionali auctoritate præditos, uno vocabulo *Judices* appellari, & populum antiquo militari ritu *exercitus* nomine designari. Manent reliquiæ moris inter nostrates, qui Marchionem, Comitem, Dynastam, feudo potientem (quamquam Langobardo Judice multo minorem) communi vocabulo appellant *Giurisdicente*, & feudalem jurisdictionis tractum, quo is donatus est, *Giurisdizione*.

Fatendum tamen est, Italico regno in exteros Principes translato magis, magisque invaluisse, ut excelsi subsellii Præsidibus alia etiam in foris & legibus tribuerentur nomina; & territoria, quibus hi præerant, ex ipso Præsidibus attributo nomine compellarentur. Res sat nota probatione non eget; at ut in Langobardicis legibus persistam, vide Formulam Veronensem (5) ad supra allegatam legem XV. libri V. Liutprandi Regis, in qua mentio fit quidem, ut in lege ipsa, Decani, Saltarii, Sculdasii; qui vero supra Sculdasium est, non *Judex* vocatur, sed *Comes*, atque ejus districtus non *Judiciaria* dicitur, sed *Comitatus*, unde vox Italica *Contado*.

Omnia itaque recolligentes in unum, inferre facile possumus, Decanum, Centenarium, & Chiliarcham, seu Grafionem, qui antiquioribus ævis inter Barbaros aptissimo ordine militum numeris præerant, postmodum in territoriales præfectos evasisse; atque Langobardos, qui in Italia jam præstitutas urbes occupaverant, ita jurisdictionis distributionem concinnasse, ut civitatibus, eisque adnexis territoriis, *Grafiones* altæ jurisdictionis præsides darent, latino vocabulo in foris quidem *Judices* nuncupatos, communi vero loquendi modo *Duces*, aut *Comites*; quorum discrimen inde facile repetendum, quod illi nobilioribus civitatibus, seu amplioribus territoriis præfecti forent; hi vero præsides essent minorum urbium, seu tractuum arctiorum. Regionem autem *Judicibus* assignatam, prout

(1) Leg. Langob. Liutprandi lib. IV. leg. VIII. (2) Ibid. lib. V. lege XV.
(3) Leg. Langob. Pipini VIII. (4) Ap. de Rubeis Monum. Eccl. Aquil. pag. 590.
(5) Form. Ver. editæ Vol. II. huj. Collect. pag. 469.

prout locorum & populi opportunitas exigebat, divisam fuisse in partes, quibus singulis regundis singuli assignarentur mediæ jurisdictionis præfecti, appellati *Sculdasii*. Atque hisce partibus in minores adhuc particulas distributis, singulis particulis infimæ jurisdictionis rectores datos fuisse, vetere retento nomine nuncupatos *Decanos*, atque *Saltarios*.

Pingit hæc Walafridus Strabo (1), qui de Ducibus, Comitibus, Centenariis, atque Decanis hæc scribit: *Metropolitanos autem Ducibus comparemus, quia sicut Duces singularum sunt provinciarum, ita & in singulis provinciis illi singuli ponuntur ... Quod Comites, & Præfecti in sæculo, hoc Episcopi ceteri in Ecclesia explent ... Centenarii, qui & Centuriones & Vicarii, qui per pagos statuti sunt, Presbyteris plebeji, qui baptismales Ecclesias tenent, & minoribus præsunt Presbyteris, conferri queunt. Decuriones, & Decani, qui sub ipsis Vicariis quædam minora exercent, minoribus Presbyteris titulorum possunt comparari.* Deme quod Walafridus fert de Ducibus cum Archiepiscopis comparatis; quod alias quidem locum habuit, non vero generatim in Italia sub Langobardis agente, ut supra animadvertimus. Reliquæ paritates statum Judicis, Sculdasii, atque Decani, fere sub oculis ponunt.

Missos facio Loci Servatores, Gastaldios, Actores, aliosque, qui vel præerant auctoritate vicaria, vel ex aulæ regiæ, non ex reipublicæ jure constituebantur; hi enim ad institutum, quod peragendum suscepi, minime pertinent.

Superest, ut de legum editione aliquid brevissime dicam. David Wilkinsius, vir in studiis Anglosaxonicis apprime versatus, cui ad hæc excolenda animos adjecit, & Cantuariensem inter Protestantes Canonicatum contulit Georgius I. Magnæ Britanniæ Rex potentissimus; Wilkinsius, inquam, Anglosaxonicarum legum veteribus collatis Codicibus concinnavit collectionem, omnium amplissimam, atque ornatissimam; nonnulla quoque interferens, quæ mere ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, & nulla civili auctoritate roborata fuisse videntur, ut in legum civilium censum adscriberentur.

Cum vero Anglosaxonum leges (exceptis legibus Edovardi Confessoris latina lingua Normannorum ævo conscriptis), immo & Ecclesiasticæ Sanctiones huc infertæ, si Prologos demas in librum Canonum Ecclesiasticorum, & in Epistolas Ælfrici itidem Latine conscriptos, Anglosaxonum dialecto in codicibus exaratæ habeantur, Wilkinsius illas edidit cum eleganti versione ab ipso elaborata, notas addens & Glossarium, ut legum textus in pluribus præclare illustretur.

Ex egregia hac collectione, prætermisso Anglosaxonico textu, omnia duxi huc inferenda, atque illa quoque quæ inter leges proprie dictas non recensentur, ne ex felicissimo Collectoris labore quidquam omitterem.

Appendicis loco occurrunt ex eodem Wilkinsio leges nonnullæ conditæ regnantibus in Anglia Normannis. Et primo quidem Leges Guilielmi Conquestoris tum Latina lingua, tum Gallo-Normannica conscriptæ, Latio donatæ, & notis ornatæ; itemque Leges Henrici I. latine exaratæ cum variantibus lectionibus, & notis, quas eruditis curis Rogerii Twysdeni, & Guilielmi Somneri, se debere Wilkinsius fatetur.

In calce collectionis Wilkinsius librum edidit, hoc præfixo titulo: *Domini Henrici Spelmanni Codex legum veterum Statutorum regni Angliæ, quæ ab ingressu Guilielmi I. usque ad annum IX. Henrici III. edita sunt.* Historicus liber potius est, quam legalis; in quo plures intermixtæ occurrunt Sanctiones, sed non omnes; quæ inter leges proprie dictas recenseri mereantur, neque omnes iisdem verbis exaratæ videntur, quibus latæ fuerunt. Ex his omnibus unam huc exscripsi *Magnam Chartam* libertatum Angliæ, editam regnante Johanne, quæ quamvis a Summo Pontifice Innocentio III. reprobata, utpote quæ a Cruce signato Principe fuerat per vim & metum extorta in regno, quod ipse Johannes jampridem Romanæ Ecclesiæ subjecerat, thema tamen dedit Magnæ Chartæ Henrici III., *Augustissimum Anglicarum libertatum Diploma*, & *sacra anchora*, a Spelmanno appellatæ, a qua Volumina Statutorum Anglicanorum hodie vigentium suum auspicantur initium.

---

(1) Formul. Alsat. III. Vol. II. huj. Collect. pag. 402.

LEGES
IN ANGLIA CONDITÆ

REGNANTIBUS JUTIS, ANGLIS, SAXONIBUS, DANIS.

LEGES ÆTHELBIRHTI.

Hæc sunt Judicia quæ Æthelbirbtus (1) *Rex constituit Augustini diebus.*

I. DEI peculium & Ecclesiæ (2) duodecies emendetur; Episcopi peculium undecies emendetur; Sacerdotis peculium novies emendetur; Diaconi peculium sexies emendetur; Clerici peculium ter emendetur; Ecclesiæ pax (3) bis emendetur; Monasterii pax (4) bis emendetur.

II. Si Rex populum suum ad se vocaverit, & ipsis quis ibi malefecerit, dupliciter compensetur, & Regi L solidi solvantur.

3. Si

---

(1) *Æthelbirbtus.*) Æthelbirhtus Rex secundum Fastos Savilianos regnare cœpit anno Christi 561. desiit anno 616. *Malmesburiensis* & *Beda* scribunt, illum excessisse post receptam Christi fidem anno 21. *Beda* anno 613. (qui est 616, juxta Chronologiam Saxonicam) eum obiisse dicit lib. 2. H. E. c. 5. ubi inter alia sic de eo loquitur: *Inter cætera bona quæ genti suæ consulendo conferebat, etiam decreta ille judiciorum juxta exempla Romanorum cum consilio sapientum constituit: Quæ conscripta Anglorum sermone hactenus habentur & observantur ab ea. In quibus primitus posuit, qualiter id emendare deberet, qui aliquid rerum vel Ecclesiæ, vel Episcopi, vel reliquorum ordinum, furto auferret; volens scilicet tuitionem eis, quos & quorum doctrinam susceperant, præstare.*

(2) *Dei peculium & Ecclesiæ.*) De sacrilegio & furto prior Legis hujus pars intelligenda est, quod nempe res, Deo, Ecclesiæ, &c. dicatæ, si furtim auferantur, sint compensandæ. Rex *Ælfredus* infra Lege 6. Sacrilegium cum mulcta juxta valorem compensari, & præterea aut manum furis abscindi, aut juxta capitis æstimationem hominis illius eam redimi vult. In *Jure Civili*, *Paulus* Jurisconsultus, L. Sacrilegii 9. ad L. Jul. pec. lib. 48. P. tit. 13. *Sacrilegi*, inquit, *capite puniuntur, qui publica sacra compilaverint; at qui privata sacra aut ædiculas incustoditas tentaverint, amplius quam fures, minus quam sacrilegi merentur.* Sacrilegii pœnam monet statui debere pro qualitate personæ, proque rei conditione, & temporis, ac ætatis, & sexus, vel severius vel clementius; & statim profert varias olim indictas pœnas, aliosque Sacrilegos ad bestias damnatos, alios vivos exustos, alios furca suspensos ait. In *Jure Canonico*, qui res ecclesiasticas Deo dicatas abstulerit, infamis judicabatur, anathemate feriebatur vel excommunicabatur. Decret. *Gregor.* c. 12. qu. 2. In Jure *Gothico* & *Scanico* gravissima pœna furibus infligitur, suspendium nempe absque defensione hominis furti accusati; sacrilegis autem nulla specialis statuebatur pœna. Vid. *Stiernbook.* de Jure Sueon. & Goth. vetusto, p. 368. seq. In *Legibus Provincialibus hodierni Regni Sueciæ*, Sacrilegus solvet Episcopo mulctam trium marcarum pro violatione pacis ecclesiasticæ; pro furto autem plectetur secundum Leges Provinciales. In templo vel cœmiterio non fruetur pace, quia contra eam deliquit. *Loccen.* Leg. Civil. Regn. Suec. Tit. de Jure Eccles. cap. 18. p. 301. Apud *Danos* levis pœna furibus determinatur, uti legitur lib. 6. Juris Danici, cap. 17. *Om Tyveri*, cæsio virgarum, vel restitutio simplex aut duplex rei furtim ablatæ, & *Bremmerholm*, hoc est, ergastulum nauticum: Effractor autem ac spoliator thecæ nummariæ, capsæ vel armarii in templo reperti, latronis instar rota & palo punitur; qui autem e templo res clavibus non servatas spoliaverit, in furcam suspenditur; qui autem res viliores rapuerit, ad palum virgis cæsus, æternis & vinculis & laboribus punitur. Vid. lib. 6. Juris Dan. c. 16. §. 4. De Sacrilegiis *Theodoricus* Rex in Edicto suo, cap. 126. ait: *Si quis de Ecclesiis, id est, locis religiosis, homines traxerit, vel aliquid violenter crediderit auferendum, capite puniatur.* Juxta *Legem Frisiorum* XII. qui fanum effregerit, & ibi aliquid de sacris tulerit, ducitur ad mare, & in sabulo, quod accessus maris operiri solet, finduntur aures ejus, & castratur, & immolatur Diis, quorum templa violavit. Vid. *Lindenbrog.* cod. LL. antiq. tom. 1. p. 508. In Constitutione *Childeberti* Regis, Sacrilegia a servili persona patrata centum ictibus flagellorum puniuntur. Vid. Capitul. Reg. Franc. per *Steph. Baluz.* tom. 1. p. 7. In Capitulariis *Caroli* & *Ludov.* Impp. lib. 6. c. 304. ita de Sacrilegis extat: *Si quis in Ecclesias earumque res irruens, Sacerdotibus & Ministris, vel ipso cultui locoque, aliquid importet injuriæ, vel inferat ad divini cultus injuriam, in convictos sive confessos reos capitali sententia noverit vindicandum.* Et in Canonibus *Isaaci* Episcopi *Lingonensis*, tit. 7. Sacrilegi infames dicuntur, nec ad accusationem vel testimonium admitti debent. Vide Capit. Reg. Franc. tom. 1. p. 1267. seq. Conf. *Draconis* sententiam hac de re in Appendice Actor. veter. cap. 146. tom. 2. Capitul. *Baluz.* p. 1549.

(3) *Ecclesiæ pax.*) H. e. Si rixæ vel contentiones in Ecclesia oriantur, duplex mulcta solvatur, juxta dignitatem Ecclesiæ. *Withrædus* sub init. Legum, pacis ecclesiasticæ violatio-

nem

III. Si Rex in alicujus domo convivetur, & ibi aliquis damni quid fecerit, duplici emendatione emendet.

IV. Si liber homo Regi furto *quid* auferat (5), novena compensatione compenset.

V. Si in Regis villa aliquis hominem occiderit, L solidis emendet (6).

VI. Si quis hominem liberum occiderit, Rex L. solidos pro dominio recipiat.

VII. Si *quis* Regii Præfecti fabrorum aut pincernæ famulos occiderit, moderatam mulctam ordinariam (7) solvat.

VIII. Regis patrocinium *violatum* (8) L. solidis *compensetur*.

IX. Si liber homo a libero *quid* furetur, tripliciter emendet, & Rex habeat mulctam, & omnia ejus bona.

X. Si quis cum Regis ancilla virgine concubuerit (9), L. solidis emendet.

XI. Si ea molens serva sit, XXV solidis emendet, si ea tertiæ sortis, XII. solidis.

XII. Regis obsonatrix XX solidis compensetur.

XIII. Si quis in Comitis villa aliquem occi-

---

nem 50 solidis compensandam esse dicit. In Legibus *Æthelredi* violatio pacis ecclesiasticæ eodem modo puniebatur ac Regis; & inter *Australes Anglos*, qui pugnaverit in Ecclesia, perdebat omnia quæ possidebat, & in Regis arbitrio erat, utrum vitam haberet vel non: Homicidium autem intra Ecclesiæ parietes inexpiabile esse dicit. Rex *Cnutus*, Lege 3. de Pace Ecclesiæ, ait: Non sunt omnes Ecclesiæ æquali modo terreno honore dignæ, licet eandem habeant ecclesiasticam consecrationem. Violatio pacis primariæ Ecclesiæ est eadem ac compensatio rerum pro Regis pace, h. e. quinque libris secundum Anglorum Leges; & in terra Cantii pro violatione pacis, quinque libris Regi & tribus Archiepiscopo compensatio fiebat; & mediocris Ecclesiæ 120 solidis, & idem est pro Regis mulcta; minoris Ecclesiæ 60, & campestris Ecclesiæ 30 solidis. Apud veteres *Suecones* & *Gothos*, judicia & pœnę violationis pacis ecclesiasticæ duplici censura constabant, & omnia crimina capitalia, quę ad forum ecclesiasticum trahebant Episcopi, non ferro & igne, sed mulcta pecuniaria vindicabantur; & nulla prorsus fuit causa in hoc foro Episcopali, ex qua non aliqua pecunia Legibus imperata ad Episcopum rediret. Vid. *Stiernhook* de Jure Sueo. & Goth. vetusto, cap. ult. *Hodie* pacis Ecclesiasticæ violatio apud *Suecos* mulcta trium marcarum punitur. Vid. *Loccen.* Leg. Civil. Suec. p. 301. Apud *Danos*, sacrorum vel pacis ecclesiasticæ violatio pro ratione ætatis puniebatur, juniores nempe virgis flagrisque cedæbantur, adultiores in collaria compingebantur, si crimen non fuerit capitale. Vid. Jus Danic. lib. 6. c. 3. Pax Ecclesiastica apud veteres *Alemannos* & *Francos* sancta observabatur, id quod mille in locis in Capitularibus, nec non in Codice Legum antiquarum *Lindenbrogii* asseritur. Vid. Capitular. *Caroli* & *Ludov.* Imp. l. 4. c. 13. l. 5. c. 185. Capit. *Caroli* Regis, tit. 15. Capit. *Caroli* Calvi, edit. *Baluz.* p. 177. & alibi passim. De pace publica tenenda *Fridericus Imperator* edictum statuit cum pœna contra ejus violatores. Consuetud. Feud. lib. 2. tit. 27. *Carolus* tamen perhumane sancivit, ut eorum liberi, qui violatę pacis peracti imperiali banno proscripti fuerint, ad clientelares fundos rursum a patronis admittantur. Vid. Tholos. Synt. Jur. Univ. l. 35. c. 1. 33.

(4) *Monasterii pax.*) Quod de pace Ecclesiæ diximus, idem de pace Monasterii dicendum est, quod nempe juxta honorem & valorem ejus, quælibet violatio pacis dupliciter compensetur. In Constitutionibus sub *Æthelredo*, anno 1013. editis, hæc de violatione pacis Monasterii statuitur Lex: Violatio pacis Monasterii primarii cum rebus excusatione dignis excusetur, juxta pacem Regiam; h. e. 5 libris secundum legem Anglorum, & mediocris Monasterii 120 solidis, h. e. juxta mulctam Regis; & adhuc minoris 60 solid. & campestris Ecclesiæ 30 solidis.

(5) Furtum Regi factum nullam specialem in Legibus antiquioribus (quantum quidem sciam) præterquam in hac, habet pœnam. In liberi hominis furtum autem graviori pœna animadvertebatur quam in servi. Ita in LL. Burgund. tit. 70. Si ingenuus & servus simul furtum fecerint, ingenuus triplum solvat quantum furatum est, si tamen capitale crimen non fuerit; servus vero fustuario supplicio deputetur. Imperator *Hludoicus* liberum hominem furti accusatum fidejussione & sacramento se defendere permittit; si autem iterata vice duo vel tres eum furti accusent, liceat ei contra unum ex his cum scuto & fuste in campo contendere. Vid. Leg. Langobard. lib. 1. tit. 25. leg. 76.

(6) Nempe pro violatione pacis Regiæ, quæ juxta pacem Dei sancta apud Anglo Saxones fuit. Vid. Fœd. *Edv. Guthr.* Leges *Æthelredi* & *Cnuti*. Pro homicidis autem alia pœna insuper statuebatur. Idem hoc in Lege seq. 6. observatur.

(7) *Leodgelde* mulctam ordinariam significat, quod nempe in homicidio famulorum Pincernæ Regii aut Præfecti fabrorum eadem pœna statuatur, qua aliorum servorum vita compensatur, juxta *were*, i. e. capitis æstimationem cujuslibet. Ratio hæc est, quod famuli illi non sub Regis, sed ministrorum Regis patrocinio sint.

(8) Sensus Legis hujus est, quod si quis aliquem sub protectione Regis, seu hominem sui juris aut privatum male tractaverit, solvat Regi 50. solidos pro contemptu privilegii, quod ab omnibus pro sacro haberi debet.

(9) In hac & sequentibus Legibus mulcta pro fornicatione cum ancillis Regis & Nobilis assignatur. *Ælfredus* infra, Lege 29. præter compensationem pecuniariam, si consensus patris adsit, virum fœminam in uxorem ducere jubet. Apud *veteres Suecones* mulier fornicatrix semper infamis habebatur, nisi nupserit ei quocum rem habuit. Pecuniaria pœna solis viris imponebatur pro ratione temporum varia, & qualis est in *Jure Uplandico*, quæ notam censuræ ecclesiasticæ vix effugiat, quod ex frequentia illiciti concubitus minuatur culpa, tollatur pœna. Pro puella enim prima vice quatuor cum dimidia, pro vidua tres marcæ debentur; altera vero vice pro eadem tres, pro vidua sesquialtera; posthac nulla debetur. *Frisiones*, veteres Gothi in Hispania, fornicatrices flagellatas e provincia vel civitate ejiciebant, & si rediissent, alicui pauperi in perpetuam servitutem addicebant. Hodie sex marcæ apud *Suecos* pro illicito concubitu solvuntur Episcopo vel Episcopi jurisdictione fungenti,

ciderit, XII ſolidis compenſet (1).

XIV. Si cum Comitis pocillatrice quis concubuerit, XII ſolidis compenſet.

XV. Plebeji patrocinium *violatum* VI ſolidis *emendetur*.

XVI. Si cum plebeji pocillatrice quis concubuerit, VI ſolidis emendet, pro alia ſerva L ſcættas, pro tertiæ ſortis XXX ſcættas ſolvat.

XVII. Si quis in domum alicujus primus ingreditur, VI ſolidis emendet; qui ſecundus ingreditur, III ſolidis, deinde unuſquiſque ſolido (2).

XVIII. Si quis aliquibus arma accommodet (3) ubi rixa eſt, & nihil mali patretur, VI ſolidis compenſet.

XIX. Si latrocinium factum ſit, VI ſolidis emendet.

XX. Si quis autem aliquem occiderit, XX ſolidis emendet.

XXI. Si quis aliquem occiderit, moderatam mulctam ordinariam C ſolidos compenſet.

XXII. Si quis aliquem occiderit ad apertum ſepulchrum, XX ſolidos compenſet, & intra XL dies totam mulctam ordinariam compenſet.

XXIII. Si homicida patria exierit, cognati ejus mediam ordinariam mulctam ſolvant.

XXIV. Si quis ingenuum hominem vinxerit, XX ſolidos compenſet.

XXV. Si quis plebeji convictorem occiderit, VI ſolidis emendet.

XXVI. Si hoſpes autem occiderit primarium *convictorem*, LXXX ſolidis emendet.

XXVII. Si autem ſecundum occiderit, LX ſolidis compenſet, tertium autem XL ſolidis compenſet.

XXVIII. Si liber homo ſepti violationem fecerit, VI ſolidis emendet.

XXIX. Si quis rem intus ſervatam abſtulerit, is triplici compenſatione emendet.

XXX. Si liber homo ſeptum ſuperaverit, IV. ſolidis emendet.

XXXI. Si quis aliquem occiderit, proprio cenſu (4) & proba pecunia quemlibet compenſet.

XXXII. Si liber homo cum liberi hominis uxore concubuerit, ejus capitale redimat, & aliam uxorem propria pecunia mercetur, & illi alteri eam adducat (5).

XXXIII.

---

ti. Vid. *Loccen.* Jur. Suec. Civil. p. 291. Apud *Danos*, qui fœminam vitiaverit, reus domino ſuo duodecim, & rea ſex argenti uncias pendit, culpamque ambo publica expiant abſolutione. Si quis in aula Regis fœminæ aut virgini ſtuprum intulerit, duobus digitis plectitur. Quod ſi fœminæ huic commiſſæ ſint claves, quibus cereviſia, cibus, veſtes, nummi, aliæve res in cuſtodiam includendæ ſervantur, ſtuprator ejuſmodi conſervæ ſuæ, manifeſti inſtar furis animadverſionem experitur. Vide Jus Danic. lib. 6. c. 13. Apud *Bajuvarios* Theodorici Regis Lex extat, tit. 7. lege 13. Si quis cum ancilla virgine concubuerit, cum quatuor ſolidis componat. Apud *Langobardos* Rex Rotharis conſtituit legem, ut ſi quis cum ancilla gentili fornicatus fuerit, componat domino ejus viginti ſolidos, & ſi cum Romana, ſol. duodecim. Vid. Cod. Legum antiq. *Lindenbr.* tom. 1. p. 416. & 579. Vid. lib. 48. §. ad *Legem Juliam* de Adulteris. Et Cod. lib. 9. tit. 9.

(1) Sc. pro pace violata in territorio Comitis; pro homicidio tamen juxta æſtimationem capitis alia mulcta compenſanda eſt.

(2) Non exprimit Legislator maleficium, quod quis domum alterius ingrediens meditari dicendus eſt; fornicationem eſſe Leges præcedentes ſuadent.

(3) *Ælfredus* auctorem damni & dominum armorum æquali pœna dignos eſſe ait; ſi autem dominus armorum fidem facere voluerit, quod in mutatione eorum nihil fraudis ſciverit, culpa careat. Vid. LL. Ælfr. c. 19. *Cnutus* Lege 73. compenſationem damni per arma alterius ad fores poſita illati, aſſignat ei, qui arma tractavit, poſtquam nempe dominus armorum ſe purgaverit, damnum ſe inſcio & nolente factum eſſe. Vide quæ *Henricus* I. infra cap. 87. habet de delicto ex armis accommodatis. Apud *Suecones* veteres juxta *Jus Weſtgothicum* eodem modo homicidia ex præſtatione teli alterius facta, ac voluntaria, puniebantur; imo dominus teli aliqua mulcta plectebatur, quia in parte infelicitatis ipſius numerabatur habuiſſe aliquid, quo homo periret. Vid. Stiernh. de Jure Sueo. vetuſto, p. 357. Et hodie apud *Suecos* commodatarius non ſolum ex dolo & malo propoſito, ſed etiam ex culpa per incuriam & negligentiam commiſſa eſt obſtrictus. Vid. *Loccen.* Syn. Jur. Publ. Suec. p. 353. Apud *Danos* hæc extat Lex; Si quis alteri cum altero rixanti arma ſua, gladium, cultrum, ſudem, baculum, aut id genus aliud, quod nocentius eſſe poteſt, telum commodaverit, haud ignarus, accipientem eis alienam ad perniciem certo abuſurum fore; ejus rei convictus commodator, ſi qua evenerit læſio, dimidio minorem, quam qui alterum armis ſibi ſubminiſtratis læſit, mulctam pendito. Vid. Jur. Danici lib. 6. c. 10. Lex *Langobardorum* eſt: Si quis alii arma ſua ſimpliciter præſtiterit, & ille qui acceperit aliquod malum cum ipſis fecerit, non reputetur illi culpa qui præſtiterit, ſed ei qui malum cum eis perpetraverit. Et e contrario, ſi ille, qui præſtiterit, conſenſum ad malum faciendum adhibuit, collega ſit illi ad ipſum malum ſanandum. Vid. Cod. LL. antiq. Lindenbr. tom. 1. p. 550.

(4) *Agene ſcætte, proprio cenſu*, veram cujuslibet capitis æſtimationem denotat.

(5) Adulterium *Cnutus* Rex Lege 47. per hoc quod factum eſt emendare vult; ſc. uti *Lege ſeq.* 50. explicat, ſi marito vivo uxor cum alio concubuerit, fiat ipſa in poſterum infamia mundi, & habeat verus maritus omnia, quæ poſſidebat, ac perdat illa utrumque tam naſum quam aures. *Guilielmus* Conqueſtor Lege 14. adulterium per capitis æſtimationem compenſari vult. Leges veterum *Gothorum* in Hiſpania uxorem cum adultero deprehenſam e veſtigio interficere permittunt viro, idem etiam uxori maritum cum alia deprehendenti permittunt. *Jus Norwegicum & Islandicum* non tantum hoc in propria uxore admittunt, ſed etiam in matre, ſorore, filia, fratris uxore, quaſi dedecus familiæ ab eo eſſet vindicandum. *Gothorum* vero *Hiſpalenſium*, & *Burgundionum* Leges, præciſe utrumque neci dari volunt, vel neutrum. De Jure *Scanico* accuſatus adulterii ad ferrum candens provocare debuit, & ſi cauſa caderet, vir in exilium, fœmina a toro dimiſſa fuit. *Gothi Sueci* vitæ fœminarum in omni-

XXXIII. Si quis dextrum femur lancea transpunxerit, valore suo illud compenset (1).

XXXIV. Si comæ prehensio fiat, L sceattæ ad emendationem *solvantur*.

XXXV. Si os appareat, III solidis compenset.

XXXVI. Si os lædatur, IV solidis compenset.

XXXVII. Si id penitus ipsi rumpatur, X solidis compenset.

XXXVIII. Si utrumque fiat, XX solidis compenset.

XXXIX. Si humerus claudicans reddatur, XX solidis compenset.

XL. Si altera auris nihil audit, XXV solidis compenset.

XLI. Si auris abscindatur, XII solidis emendetur.

XLII. Si auris perforetur, tribus solidis compenset.

XLIII. Si auris attondeatur, sex solidis emendetur.

XLIV.

---

omnibus criminibus parcentes, ignominiam vel aliquam corporis inflictivam pœnam statuebant pro adulterio. Jus *Wesmannicum* adulteræ aut aures aut nasum præscindi jubet. Jus *Uplandicum*, auctore magno *Ladulasio* simul & aures & nasum & capillos aufert. Jus *Suecicum Municipale* viro uxorem in adulterio deprehendentem jubet dote spoliare, & tradit illi potestatem vitæ ejus; si mulcta autem contentus maritus, Jus adulterum & adulteram sigillatim 40. marcis mulctat: si autem adulter non sit solvendo mulctas, lapides publici sive civitatis, *Stadzens Stena*, scapulis adulteræ imponuntur, & funiculus ad genitale adulteri membrum adstringitur, quo sic onerata sessorem suum publice per oppidum circumduceret. Hæ autem Lex obsoleta, hodie non viget; sed adultera tantum privatur dote & bonis omnibus, Vid. *Stiernhook* & *Loccen.* libb. supra citatis, Apud *Danos* adulter & adultera omnibus fortunis ac pecuniis mulctantur, iterum peccantes e regione ejiciuntur, tertium cum conjugii fidem frangunt, mœchus quidem capite plectitur, mœcha vero aquis immersa suffocatur. Vid. Jus Danic. lib. 6. c. 13. §. 24. Juxta Leges *Wisigothorum*, qui adulterum cum adultera occiderit, non habetur pro homicida, lib. 3. tit. 4. de Adulteriis. Servi autem & ancillæ centenis vel ducentis flagellis toties quoties sunt cædendi, vel torquendi, ut veritas & certius possit inveniri & indubitanter agnosci. *Theodoricus* Rex, in edicto, hominem cum vidua adulterium committentem flammis ultricibus exuri vult, Lege 61. Apud *Langobardos* ab hæreditate excludebantur liberi in adulterio nati, lib. 1. tit. 32. leg. 3. Vide Legem *Salicam* de adulteriis ancillarum, tit. 27. In Capitular. *Caroli* & *Ludovici* Impp. lib. 6. §. 325. capitali pœna mulctantur adulteria. Vid. lib. 7. §. 298. *Jure Civili*, Legis Juliæ pœna erat ultimum supplicium, l. *quamvis* 30. §. *fin. C. ad Legem Jul. de adult.* §. Item *Lex Julia de adulteriis*, *de publ. judic. apud Justin.* quo tempore Legem tulit Octavius Cæsar Julii nomine Lege 1. & 2. ad Legem Jul. de adult. in P. Tranquillo in Augusto. Succedentibus temporibus licuit, Jure Romano, marito deprehensum adulterum in domo sua cum uxore in ipso actu, humilem tamen & vilem personam, occidere. L. *marito*, & l. *si adulterium* §. *Imperatores ad leg. Jul. de adult. in P. l. Gracchus* 4. C. *eodem lib.* 3. §. *si maritus ad Sylla in P.* Jure Novellarum lenior est pœna mulierum, nempe detrusio in monasterium. Authent. sed hodie, ad leg. Jul. de adult. c. §. si vero quando, ut nulli ju. lic. hab. lo. ser. in authent. coll. 9. tit. 9. Item abscissio nasi pœna statuitur adulterii. Novell. in Constit. Leo. Cæsa. Const. 32. *Pontificio Jure* non ita grave scelus ducitur adulterium pati, ac uxorem occidere. C. *si quod verus* 33. *q.* 2. *ubi rationes*, Sicque in foro conscientiæ non licet occidere adulterum, aut uxorem adulteram marito. *Can. inter hæc juncta glo. & can. admonere* 33. *q.* 2. quia soli Judici licet occidere, seu Principi, qui habet gladii potestatem.

(1) In sequentibus 39. Legibus vulnerum variorum compensatio adstruitur, quæ maximam partem in *Ælfredi* Lege 40. & *Guil. Conquest.* 12. & 13. continetur. Apud *Wisigothos* hæc membrorum amputatorum vel mutilatorum mulcta olim obtinuit. Si *manus* amputetur, novem marcæ pro vulnere & tres marcæ pro mutilatione solvebantur. Pro *digitis manus & pedis* singulis novem marcæ pro vulnere, pro mutilatione autem pollicis duodecim solidi, digiti proximi sex solidi, longissimi digiti dimidia marca, huic proximi duo solidi, minimi unus solidus, solvebantur. *Nasi* amputatio novem marcis pro vulnere, & tribus pro mutilatione compensabatur. Eodem modo *oculus*, *capilli* & *dentes* compensabantur. Si quis castrabatur, novem marcæ pro vulneratione, & totidem pro mutilatione solvebantur. Vide Leges W. Gothicas edit. Ol. Rudbeckii p. 44. seq. *Lex Civilis Suec.* hodierna in compensatione amputationis digitorum manus & pedis parum differt a Legibus W. Gothicis. Vid. Loccen. in Legg. Civil. Sueciæ, p. 233. sequ. & Legibus Provinc. p. 310. Vulnus in cute, pectore, vel brachio, in lumbis vel crure 20. marcis juxta *Jus Suecicum* compensatur. Dentes quatuor anteriores superius vel inferius tribus marcis compensantur pro mutilatione, & novem marcis pro vulnere. Vide Loccen. Legg. Civiles & Provinc. tit. 13. de vulner. volunt. Apud *Danos*, si quis alteri nasum, aurem, linguam, manum, pedem, digitum aut alia id genus membra præscindat, vel amputet, oculumve excutiat vel effodiat, æternis in ergastulo (quod Hafniæ est) nautico vinculis aut exilio multatus, bona quæ ipsius sunt omnia inter læsum ac dominum suum æqualiter partienda amittat. Vid. Jus Danic. lib. 6. c. 7. In *Constitutionibus Siculis*, si quis cum armis prohibitis (gladio sc. lancea vel scuto) aliquem percusserit, ut minime moriatur, percussor manum, cum qua percussit, amittat. Vid. Cod. LL. Antiqu. To. 1. p. 706. Apud *Langobardos* oculus medio pretii pro homicidio componitur, auris duobus solidis, labrum sex solidis, anteriores dentes singuli quatuor solidis, brachium sex solidis, manus medio pretii ipsius, pollex manus octo solidis, pedis quatuor, secundus digitus manus sex solidis, pedis duobus, tertius digitus manus & pedis tribus solidis, quartus digitus manus duobus solidis, pedis uno, quintus digitus manus quatuor, pedis uno solido componitur. Vide plura de plagarum & vulnerum speciebus earumque pœnis apud Longobardos, lib. 1. LL. Longobard. Tom. 1. Cod. LL. Antiqu. Lindenbr. p. 522. seqq. Vide de vulnerum compensatione Leges *Burgundionum*, tit. 11. & 48. Legem *Salicam*, tit. 19. Leg. *Alamannorum*, tit. 59. 65. *Bajuvariorum*, tit. 3. c. 1. *Ripuariorum*, tit. 1. 2. seqq. *Frisonum*, tit. 22. ubi pœnæ ac mulctæ non multum ab his quas enumeravimus, diversæ continentur pro mutilatione, abscissione & fractione membrorum corporis.

XLIV. Si oculus excutiatur, L solidis compenset.

XLV. Si os aut oculus damno afficiatur, XII. solidis emendetur.

XLVI. Si nasus perforetur, IX. solidis emendetur.

XLVII. Si sit una membrana, tribus solidis compenset.

XLVIII. Si ambæ perforatæ sint, sex solidis emendetur.

XLIX. Si nares singulæ attondeantur, unaquæque sex solidis emendetur.

L. Si perforentur, sex solidis emendetur.

LI. Qui menti os absciderit, xx. solidis compenset.

LII. Pro quatuor dentibus prioribus, pro singulis sex solidi; pro dente qui tunc proximus est, quatuor solidi; pro eo qui tunc juxta stat, tres solidi, & deinceps pro singulis solidus: Si elocutio deterior fiat, XII. solidi; si maxilla fracta fuerit, sex solidi compensentur.

LIII. Qui brachium pertundit, VI. solidis compenset. Si brachium fractum fuerit, VI. solidis emendetur.

LIV. Si pollex abscindatur, xx. solidis; si pollicis unguis abscindatur, tribus solidis emendetur: Si quis indicem digitum absciderit, octo solidis compenset; si quis medium digitum absciderit, IV. solidis compenset; si quis digitum annularem absciderit, VI. solidis compenset; si quis autem minimum digitum absciderit, XI. solidis compenset.

LV. Pro unguibus singulis solidus *compensetur*.

LVI. Pro minimo nævo tres solidi, & pro majoribus sex solidi.

LVII. Si quis alteri pugno nasum verberet, tres solidi.

LVIII. Si plaga sit, solido; si elata manu plagam exceperit, solido compenset.

LIX. Si plaga nigra sit extra vestes, xxx. scættis emendet; si sit intra vestes, quælibet xx. scættis emendetur.

LX. Si diaphragma vulneretur, XII. solidis compenset; si perforetur, xx. solidis emendet.

LXI. Si quis claudicans reddatur, xxx. solidis emendetur.

LXII. Si callum quis vulneraverit, tribus solidis emendet.

LXIII. Si cui genitale membrum abscindatur, triplici mulcta ordinaria illud compensetur; si pertusum sit, VI. solidis emendet; si quis inciderit, VI. solidis compenset.

LXIV. Si femur ruptum fuerit, XII. solidis compensetur; si is claudus fiat, ibi amici judicare debent.

LXV. Si costa rumpatur, tribus solidis compenset.

LXVI. Si femur quis transpunxerit, quælibet incisio sex solidis *compensetur*; si supra pollicem *penetret*, solido; pro duobus pollicibus duo, supra tres, tres solidi solvantur.

LXVII. Si vertebra vulneretur, tribus solidis emendetur.

LXVIII. Si pes amputetur, L. solidis compensetur.

LXIX. Si major digitus pedis amputetur, x. solidis compensetur.

LXX. Pro aliis digitis pedis singulis dimidium pretii, sicuti de digitis manus dictum est, *solvatur*.

LXXI. Si majoris digiti pedis unguis amputetur, xxx. scættæ ad emendationem, pro cæteris singulis decem scættæ compensentur.

LXXII. Si libera fœmina capillata (1) inhonesti quid fecerit, xxx. solidis emendet.

LXXIII. Virginis compensatio sit ut liberi hominis.

LXXIV. Patrocinium *violatum* potiores viduæ nobilis familiæ L. solidis emendetur; secundariæ xx. solidis; tertiæ XII. solidis; quartæ VI. solidis.

LXXV. Si quis viduam non sui juris duxerit, bis compenset patrocinium *violatum*.

LXXVI. Si vir virginem mercetur pretio, empta sit, si sine dolo *factum* sit; si autem dolus subest, postea domum reducitor, & illi peculium suum reddatur.

LXXVII. Si ipsa vivum fœtum pepererit, medietatem bonorum habeat, si vir ante moriatur.

LXXVIII. Si cum liberis recedere velit, dimidium facultatum habeat.

LXXIX. Si maritus habere velit *liberos*, *sint ipsi* sicuti unus liberorum.

LXXX. Si ipsa prolem non pepererit, cognati bona habeant, *ipsa* alimenta, & dotem.

LXXXI. Si quis virginem per vim ceperit, possessori L. solidos *det*, & postea secundum possessoris voluntatem eam redimat.

(1) *Capillata*) Magna semper apud Saxones capillorum fuit veneratio, uti ex Gregor. Turon. l. 5. Hist. c. 15. & Paulo Diacono de gestis Longob. lib. 3. c. 7. Unde supra lege 34. prehensio comæ inter damna vel vulnera censebatur, & quinquaginta scættis compensabatur. Hic per *fœminam capillatam* pro more *Longobardorum* virginem intelligendam esse credo, uti extat lib. 2. LL. Longob. tit. 20. Si quis Longobardus se vivente filias suas nuptui tradiderit, & alias post mortem in capillo in casa reliquerit, tunc omnes æqualiter in ejus substantia hæredes succedere debent, tanquam filii legitimi masculini. Vid. & tit. seq. 22. *Diceneus Boroista* ad Gothos adveniens, sacerdotes *pileatos* vocavit, reliquam vero gentem *Capillatos* dicere jussit, quod nomen Gothi pro magno suscipientes adhuc hodie suis cantionibus reminiscuntur. Vid. *Jornand.* de rebus Geticis, c. XI. & Spelm. in Glossar. voce *Capilli*. Capillus ingenuitatis signum erat; hinc in Legibus Burgund. tit. 6. §. 4. capillum servo facere significat capillum ei alere, ut ingenuus videatur: tondere autem invito capillum inter crimina numeratur.

LXXXII. Si ea alteri in pretio desponsata sit, xx. solidis compenset.

LXXXIII. Si gravida fuerit, xxxv. solidos, & Regi xv. solidos *solvat*.

LXXXIV. Si quis cum servi uxore concubuerit, vivo marito, bis emendet.

LXXXV. Si servus alterum occiderit innocentem, omnibus facultatibus compenset.

LXXXVI. Si servi oculus & pes excutiatur, omni valore compensetur.

LXXXVII. Si quis servum alicujus vinxerit, vi. solidis emendet.

LXXXVIII. Servi latrocinium sit III. solidi (1).

LXXXIX. Si servus furetur, duplici emendatione compenset.

LEGES HLOTHARII ET EADRICI.

Hæc sunt Judicia quæ Hlotharius & Eadricus (2) *Cantuariorum Reges constituerunt.*

HLotharius & Eadricus Cantuariorum Reges constituerunt Leges has, quas ipsorum Seniores statuerant ante hæc Judicia quæ postea edicuntur.

I. SI cujusquam servus nobilem occiderit, tunc sit trecentorum solidorum compensatio, dominus homicidam illum tradat, & huic addat trium hominum valorem.

II. Si homicida evaserit, quartum viri valorem adjiciat, & ipse manifestet cum veris juramentis, quod homicidam illum tenere non potuerit.

III. Si alicujus servus hominem liberum occiderit, tunc sit c. solidorum compensatio; dominus homicidam tradat, & adjiciat aliud viri pretium.

IV. Si homicida evaserit, duplici viri pretio compensetur, & ipse manifestet cum veris juramentis, quod homicidam illum tenere non potuerit.

V. Si liber homo aliquem furetur, si postea venerit accusator, det responsum, purget se si possit, habeat ibi quatuor Consacramentales (3), & unum Conjuratorem, quemlibet ex illa villa ad quam pertinet; si hoc non possit, compenset prouti sufficit.

VI. Si vir moriatur, viventibus uxore & prole, justum est ut proles matrem sequatur, & unus paternorum suorum cognatorum voluntarius fidejussor statuatur facultates ipsius conservandi, usque dum decennis fuerit.

VII. Si quis alterius viri bona furetur, & proprietarius ea postea arripiat, provocet ad Regis tribunal, si potest, & ibidem adducat illum qui ipsi tradidit; si hoc non possit, relinquat, & proprietarius recipiat.

VIII.

(1) Intelligenda est Lex hæc de latrocinio in servum commisso, quod illud tribus solidis sit compensandum.

(2) *Hlotharius* 10. annos regnasse dicitur in *Chronologia August. Cant.* quæ reperitur p. 2230. inter decem Angliæ scriptores: Lotharius coronatur 675. & obit 685. 8. Idus Febr. Ast in Chronico *W. Thorne* licet 10. annos regnasse dicatur, obiisse tamen anno Domini 680. 4. Nonas Febr. & in Ecclesia juxta Ecgbertum sepultus esse dicitur. *Fasti Saviliani* Lotharium regnare incepisse dicunt A. D. 678. & desiisse 685. *Beda* l. 4. c. 5. ita ait: Anno 673. Rex Cantuariorum Ecgbert mense Julio obiit, succedente in regnum fratre *Lothere*, quod ipse annos 11. & menses 7. tenuit; & c. 26. anno 685. Lothere Cantuariorum Rex, cum post Ecgbertum fratrem suum, qui 9. annos regnaverat, ipse 12. annos regnasset, mortuus erat 8. Idus Februarii. Vid. & Polychronicon *Ranulphi Higdeni*, Tom. 1. *Hist. Brit. & Saxon. Script. Tho. Galæi*, p. 239. & p. 242. & *Chron. Brompton.* p. 742. *Eadricus* nepos Lotharii anno uno & dimidio Canciam gubernavit. Vid *Brompton.* l. c. *Fasti Saviliani* autem septem annos eum regnasse dicunt. *Beda* lib. 4. c. 26. concordat cum Bromptone & aliis. Imperium post mortem *Eadrici* vacavit per aliquot temporis spatium, donec Withredus coronaretur, & hæc causa procul dubio fuit erroris Savilianorum fastorum.

(3) *Rim æwda manna*. *Consacramentales* a sacramento, id est, juramento, dicebantur ii, qui quamvis rei, de qua ambigebatur, testes non fuissent, tamen ex ejus, cujus res agebatur, animi sententia in eadem quæ ille verba jurabant, ipsius videlicet probitate & innocentia confisi. Vid. Spelman. in Glossar. voce *Lada*. Hi Consacramentales vel Conjuratores aut assumebantur aut dabantur a Judice; illorum alii manum tantum supponebant principali Juratori, alii una conceptis verbis jurabant. Dicuntur *rim æwda* a *rim* numero, quia magis numerabantur quam ponderabantur; unde apud Æthelst. Lege 9. *rim athe*, qui commune juramentum præstabant, vel conceptis verbis una jurabant, dicitur. Apud *Alamannos* Lex erat, ut Conjuratores (sc. de pecunia) manus suas super capsam ponant, & ille solus, cui causa requiritur, verba tantum dicat, & super omnium manus manum suam ponat, ut sic illi Deus adjuvet. *Legg. Alaman.* tit. 6. Vide & tit. 53. de juramento Sacramentalium in causa matrimonii, & tit. 89. in causa homicidii. Conf. Legem *Bajuvariorum*, tit. 1. c. 3. de juramento Sacramentalium in causa furti Ecclesiæ. Datur & alius modus jurandi, sc. cum sacramentali per arma consecrata, Lex *Bajuvar.* tit. 16. c. 5. Lex *Frisionum* in causa homicidii hominis liberi a nobile facti, si hoc negaverit, asserit, quod nempe cum septem Sacramentalibus jurare debeat. Vid. & tit. 3. de furto per Sacramentales purgando. *Longobardi* libero homini per Sacramentales legitimos libertatem suam asserere permittebant, lib. 2. Legum, tit. 35. lege 4. Et tit. 55. multos casus, v. g. de filio legitimo, de protectione uxoris, de homicidio, & alios quos hic enarrare non vacat, adfert, quos juramento Sacramentalium dijudicare volunt.

VIII. Si quis alterum criminis postulet, & tunc ad conventum vocet vel citet, statim is alteri fidejussorem tradat, & ipsi rectum faciat, quod illi Cantuarii judices imponent.

IX. Si autem fidejussores dare negligat, XII. solidos luat Regi, & lis sit integra uti antea fuit.

X. Si quis alterum criminis postulet, postquam illi fidejussores dederit; & tunc intra triduum requirat sibi arbitros, nisi superius magis placeat ei qui accusatur; postquam autem lis compromissa est, intra septem dies ipse alteri rectum faciat, sive placeat in pecunia, sive in juramento, utrum ipsi magis placuerit: si autem hoc nolit, solvat tunc C. sine juramento, postquam una nox supra compromissum *præteriit*.

XI. Si quis aliquem in alterius area (1) perjurum vocet, aut ipsum ignominiosis verbis inhoneste compellet, solidum solvat ei qui aream possidet, & sex solidos ei in quem hoc verbum dixit, & Regi XII. solidos persolvat. (2)

XII. Si quis alterum supplantet (3), ubi homines potant, sine culpa, juxta jus antiquum solidum persolvat ei qui aream illam habet, & VI. solidos ei qui tunc supplantatus est, & Regi XII solidos.

XIII. Si quis arma stringat ubi homines potant, & ibi nihil malefaciat, solidum ei qui aream possidet, & Regi XII. solidos *solvat*.

XIV. Si area illa cruentetur, compenset viro isti patrocinium *violatum*, & Regi quinquaginta solidos.

XV. Si quis advenam tribus noctibus hospitio exceperit, in propria sua domo, mercatorem aut alium qui extra limites advenerit, & eum ibi suo cibo aluerit, & is tum alicui malefecerit, ipse alterum illum judicio sistat, aut rectum perdat.

XVI. Si Cantiorum quis in Londinensi urbe aliquid rerum emat (4), habeat sibi tunc duos aut tres probos plebejos testes, aut

(1) *Flette* proprie area est aut fundus; usurpatur & pro domo quæ areæ superstructa est, & ita alterutro modo sumi potest in hac & seqq. Legibus.

(2) *De Calumniatoribus.*) Sequentibus seculis Saxones graviorem in calumniatores statuerunt pœnam. *Edgarus* Rex linguam calumniatori præcidi, vel capitis æstimationem solvi jubet eum, qui in detrimentum vitæ & fortunæ alterum diffamaverit; lege 4. quod totidem fere verbis repetitur Lege 14. Regis *Cnuti*. Vid. & Legem ejus 24. Apud veteres *Sueones & Gothos* nulla alia antiquitus pœna quam pugna pro injuriis verbalibus statuebatur, qui mos hodie apud gentes quasdam in usu est. Posterioribus seculis pro opprobrio pecunia admissa fuit, aut, si illa non sufficeret, *palinodia*, seu ut vulgo, *recantatio*, id est, confessio mendacii coram Judicio, cum reus manu os suum percuteret, & linguæ temeritatem castigaret. Vid. cap. 7. lib. 2. *Stiernh.* de Jure Sueon. & Goth. vetusto. Hodie apud *Suecos* qui alteri crimen aliquod objicit, eidem mulctæ est obnoxius calumniator, ac si crimen perpetrasset. *Loccen.* LL. Civil. Suec. tit. 13. cap. 1. Apud *Danos* convitiator semuncia infami, aut carcere nautico punitur, vel virgis cæditur, si non sit solvendo, aut minorennis sit, & ex urbe vel vico lapides bajulet: maxima mulcta est semuncia infamis cum ter vicenis argenti unciis. Vid. lib. 6. Jur. Danic. c. 21. *Om Kresager*. Apud *Bajuvarios*, qui falsa suggesserit, vel pro quacunque invidia injustam accusationem commoverit, ipse pœnam vel damnum, quod alteri intulit, excipiat. In Cod. LL. antiq. tom. 1. tit. 8. lege 17. Eadem pœna totidem verbis repetitur in Capitul. Caroli & Ludov. Impp. lib. 5. lege 198. Eadem pœna apud *Neapolitanos* vel *Siculos* obtinuit, hac tamen cum additione, ut accusatores cingulum inscriptionis primitus accipiant, quo se ad pœnam obligent per calumniam non probantes quam exposcunt accusatis aut delatis infligi, lib. 2. Constit. Sicul. tit. 14. apud Lindenbrog. tom. 1. In *Capitular. Regum Francorum*, lib. 5. tit. 309. calumniatores non admittuntur ad testimonium aliquod. Vid. & l. 7. tit. 336. & Addit. quart. p. 1198. tom. 1. Capitul. Reg. Franc. ed. Baluz.

(3) *Supplantet.*) Latius pro *steow* legit *steap*, & quidem recte; sensus enim Legis requirit, ut passum aut pedem transversum ponat, quo alterum supplantet.

(4) Emptio in præsentia testium maxime fuit in usu apud Anglo-Saxones, uti ex hac Lege patet, *Edvveardus* Rex Lege 2. requirit testimonium urbis Præfecti vel alius veracis hominis ad emptionem rei cujusdam intra urbis portam. Et *Æthelstanus* Lege 12. idcirco mercatum extra portam prohibuit supra 20. denarios. Hoc *Edgarus* in supplemento Legum suarum habet, ac varia de inopinata emptione, de scrutinio emptionis, & de correctione damni in scrutinio emptionis illati. Vid. Æthelr. Lege 4. Cnutus Leg. Civil. 22. Edo. Lat. 28. Guiliel. 1. 43. 60. Apud veteres *Sueones & Gothos* nulla emptio fiebat, nisi sub testibus & per mediatores: testes adhibiti fuerunt, ne contractus negari posset, nulla enim primis temporibus scriptura in usu: mediatores vero, tum ut pretium moderarentur, tum ut caverent de evictione & titulo, si ita usus facto esset. Deinde cum ad rerum omnium etiam vilissimarum emptionem, supervacuæ videretur, etiam difficilis esset mediatorum & testium conquisitio, sufficere arbitrati sunt, si tantum in emptione & venditione rerum pretiosarum testes & mediatores adhiberentur. Vid. Stiernh. de Jure Sueon. & Goth. vetusto, cap. 5. Apud *Suecos* si controversia oriatur de re in foro empta, per testimonium duorum virorum tota res expedienda est. Vid. *Loccen. Leg. Civil. Suec* tit. 6. de Jure mercandi cap. 4. Lex singularis apud eos obtinet, nihil in navi vel scapha sub pœna mulctæ emere, præter frumentum, calcem, harengos, galeum, cuprum & ferrum. Ibid. c. 16. Et in *Synopsi Juris Loccen. Dissert.* 15. de emptione & venditione §. 6. testes ad emptionem Lex Suecica requirit, præsertim in majoris summæ emptione & venditione. Apud *VVisigothos* nulli ingenuo licebat de incognito homine comparare aliquid, nisi fidejussorem adhibeat, cui credi possit, lib. 7. tit. 2. leg. 8. Inter *Longobardos* Imperator *Pipinus* & Rex *Liutprandus* Leges sanciverunt, ut nullus caballum, bovem, jumentum vel aliam rem emat, nisi in præsentia testium, vel nisi illum hominem cogno-

aut Regis urbis Præfectum; si id postea apud ipsum in Cantio capiatur, tunc provocet in urbe ad Regis tribunal, ad eum qui ipsi illud tradidit, modo eum noverit, & ad appellationem adducere possit; si hoc non possit, profiteatur tunc coram altari cum suorum testium uno, aut cum Regis urbis Præfecto, quod rem illam sine noxa, quantum ipse sciverit, pretio in urbe emerit, & ei tunc pretium reddatur; si autem id non possit profiteri, bona conscientia, relinquat rem illam, & proprietarius accipiat.

LEGES WIHTRÆDI.

Hæ sunt Leges Wihtrædi Cantuariæ Regis (1).

MItissimi Cantuariæ Regis Wihtrædi regnantis quinto anno Regni, indictione nona, die sexto Augusti, in loco, qui vocatur Berghamstede, congregatum fuit optimorum Procerum Concilium. Ibi erant Birhtwaldus Britanniæ Archiepiscopus & ante nominatus Rex, Roffensis etiam Episcopus, quem omnes Gibmundum vocabant, & dignus *vir* erat. Et loquebantur omnes Ecclesiastici ordinis dignitates unanimiter cum populo sibi subjecto.

Ibi Optimates illi omnium assensu hæc fecerunt Judicia, & justis Cantuariorum institutis adjunxerunt, prouti hic infra sequitur atque dicitur.

ECclesia *fruatur* immunitate & tributis; & pro Rege preces fiant, & ille non coacte, *sed* sponte honoretur.

Patrocinium Ecclesiasticum sit L. solidi, uti & Regis.

Adulteri ad vitam probam per pœnitentiam ducantur, vel a cœtu ecclesiastico separentur.

Alienigenæ, si concubitum suum emendare nolint (2), ex terra cum possessionibus & peccatis suis exterminentur, sicut qui indigenæ sunt ecclesiasticam communionem cum scandalo perdant.

Si accideret ut Præpositus Paganus, post Concilium hoc, illicito concubitu sperneret præceptum Regis & Episcopi & libri judicialis, domino suo compenset centum solidos, juxta Jus vetus.

Si sit Colonus, quinquaginta solidos compenset, & nihilominus concubitum cum pœnitentia deferat.

Si Sacerdos in injusto concubitu remanserit, vel Baptisma infirmi distulerit, vel tunc ebrius sit, ut nequeat *munus obire*, ministerium ejus cesset, ad arbitrium Episcopi (3).

Si tonsuratus irregulariter vagetur, semel ei hospitium concedatur, & hoc non fiat, nisi licentiam habeat, ut diutius sustentetur.

Si quis mancipium suum ad altare manumiserit, liber esto apud plebem; manumissor possideat hæreditatem ipsius, & æstimationem capitis, & pacem (4) talis *mancipii*, ubicunque fuerit extra fines *regni*.

Si servus contra mandatum domini opus servile præstiterit a vigilia diei Solis post occasum ejus, usque ad occasum vesperæ diei Lunæ, octoginta solidis *illud* domino compenset.

Si servus *hoc* faciat proprio motu, sex (*solidos*) ipse domino pendat aut cutem suam.

Si liber homo autem *id fecerit* tempore vetito, sit reus collistrigii, & qui eum detulit, habeat mulctæ & æstimationis capitis

---

gnoscat, qui ei vendiderit, aut de quo pago est, vel ubi manet, & quis est ejus senior, lib. 2. *LL. Longobard.* tit. 18. Vide idem lib. 3. *Capitul. Caroli & Ludov. Impp.* tit. 24. & lib. 6. tit. 272. *Jure Romano* obtinebant in venditionibus confirmationes venditionis. Venditor Jurisconsultis, qui Græce scripserunt, dicitur βεβαιωτὴς, & hinc βεβαιώσεως δίκη. Verum in Atheniensium republ. (ut nos docet Cl. Salmasius, tom. 2. de usurarum modis, cap. 16.) βεβαιώσεως δίκη erat, quæ dabatur emptori adversus venditorem, si ei de re empta controversiam tertius moveret. Emptor enim, qui nolebat actionem excipere & litigare cum eo qui rem venditam vendicabat, monstrabat illi venditorem, hoc est, auctorem suum, ut cum eo potius quam secum experiretur. Galli dicunt *appeller son garant*. Quod si qui venditorem suum indicaverat, & eum auctorem allegaverat, victus esset, res controversa adjudicabatur victori; emptor autem victus pretium recipiebat a venditore.

(1) *VVihtrædus* Rex juxta Chronol. August. Cantua. 24. annos regnasse dicitur; auspicatus nempe regnum anno 691. indict. 4. & obiisse 725. indict. 8. octavo Kal. Maii.

(2) *Concubitum emendare*, h. e. vitam castam ducere.

(3) Rex Edgarus, in Canonibus infra, Can. 15. 57. 58. & 60. crimina hæc a Sacerdotibus evitari jubet; pœnam quam Wihtrædus hic assignat, in Capitular. Caroli & Ludov. Impp. lib. 7. tit. 93. & lib. 6. tit. 242. invenio.

(4) Manumissor eum ceu peculium suum possideat, ita ut si quid mali patraverit liber, pro ipso satisfaciat dominus; si damnum ei sit illatum, dominus tanquam pro suo peculio pœnam malefactoris exigat.

pitis dimidium (1).

Si maritus absque uxoris scitu Diabolis immolet, omnibus fortunis suis plectitor & collistrigio; si ambo Diabolis immolent, sint collistrigii & omnium possessionum rei.

Si servus Diabolis offerat, sex solidos compenset, vel cutem suam (2).

Si quis servis suis in jejunio carnem det tam liberis quam servis, collistrigium redimat (3).

Si servus ederit *carnem* sua sponte (4), eligat sex solidos vel cutem suam *pœnæ loco*.

Episcopi & Regis verbum sit inviolabile absque juramento.

Monasterii Præfectus professionem faciat in Presbyteri professione (5). Presbyter se purget, sui ipsius assertione, in sacro suo vestitu coram altari, ita inquiens: Veritatem dico in Christo, non mentitor. Eodem modo Diaconus se purget.

Clericus quatuor compurgatoribus sui similibus se purget, & una manu ad altare, altera ad juramentum præstandum applicata (6).

Advena seipsum purget juramento in altari, uti Regis Thanus.

Colonus quatuor sociis suis *se purget* ad altare, & omnia hæc juramenta sunt inviolabilia.

Ecclesiasticum cognoscendi jus autem est, cum quis Episcopi vel Regis servum accusat, ad manum Præpositi eum ducat; Præpositus illum aut purget aut tradat ad cædendum.

Si Dei servitio serviens in conventu accusetur, Dominus ipsius eum uno juramento purget, si sacra Eucharistia utatur: si sacra Eucharistia non utatur, habeat in juramento alium fidejussorem bonum, vel solvat, vel tradat se flagellandum.

Si plebeji servus servum Clerici accuset, vel servus Clerici servum plebeji accuset, Dominus ipsius *eum* proprio suo juramento purget.

Si quis laicum occidat in furto, jaceat absque solutione æstimationis capitis (7).

Si quis hominem liberum manu furtum tenentem comprehenderit, tunc Rex ex tribus

(1) De religiosa diei Solis observatione plurimæ infra dantur Leges. Lex 3. *Inæ Regis*: in Fœdere *Edo. & Guthr. Regum* die Solis mercantes mercem & 12. oras perdebant apud Danos, & 30. solidos apud Anglos. Vide plura leg. 7. *Fœd. Edo. & Guthr. Northumbrenses Presbyteri* omnem mercaturam & peregrinationem prohibent die Solis sub pœna 12. orarum homini libero, & sub pœna verberum servo infligenda. *Æthelredus*, lib. 3. & 4. Legum, omne opus servile die Dominico ferio prohibet. *Cnutus*, lib. 3. LL. lege 42. liberum hominem die Solis operantem, obstricti colli mulcta puniri, servum vero fustibus exerceri vult, vel redemtione verberum; domino servum operari jubenti servum adimit, eique libertatem donat, a domino autem violatæ Legis pœnam requirit. Apud *Bajuvarios* Lex de die Dominico observando dextrum bovem arantem colono eripit, liberi hominis fœnum siccantis, messem secantis aut colligentis dorsum 50. percussionibus rumpit; & si post secundam vel tertiam admonitionem non cessaverit, tertiam bonorum partem ei aufert, aut tandem libertate ipsum privat: servo die Dominico operanti verbera & deinde amissionem manus dextræ adjudicat. Vid. eadem fere Lege *Alamannorum*, tit. 38. *Wisigothi* Judæis eorumque servis die Dominico laborantibus centena verbera decalvatis assignant, lib. 12. tit. 3. lege 6. In *Capitular. Caroli & Ludov. Impp.* lib. 6. tit. 186. dies festi speciatim enumerantur, qui præter diem Dominicum religiose sunt observandi. *Cutem perdere, compensare, cutem redimere* hic & in aliis Legibus idem est, ac verberibus cædi, & pecuniam verberum loco pro facti ratione solvere.

(2) Longe severior est Lex *Ælfredi* Regis 32. quæ morte punit sacrificantem alicui præter Deo soli. Extat etiam edictum *Theodorici* Regis, tit. 108. quod qui pagano ritu sacrificare fuerit deprehensus, arioli etiam atque umbrarii, si reperti fuerint, sub justa æstimatione convicti capite puniantur. Inter Capitular. Regg. Franc. tom. 1. p. 252. si quis hominem Diabolo sacrificaverit, & in hostiam more Paganorum Dæmonibus obtulerit, morte moriatur.

(3) Delectus ciborum circa jejunium Wihtrædi Regis usitatus haud difficulter commutabatur. Jejunium apud Anglo-Saxones pro quolibet fere crimine a Sacerdotibus impositum facile frangebatur, & facile redimebatur, uti ex lib. 4. Can. Edgari Regis Lege 18. 19. patet. In *Fœdere Edo. & Guthr. Regum*, Lege 8. jejunium fractum mulcta a libero homine, verberibus a servo compensabatur. *Northumbrenses Presbyteri* jejunium violatum mulcta 12. orarum redimebant. In *Concil. Ænhamensi* jejunia stricte injungebantur, Lege 16. 17. Vid. *Legg. Cnuti Ecclesf.* 14. 16. & *Leges ejus Civiles* 43. & Epist. *Ælfrici* primam. In *Capitular. Car. & Lud. Impp.* lib. 5. tit. 87. qui indictum jejunium superbiendo contempserit, & observare cum cæteris Christianis noluerit, in Gangrensi Concilio præcipitur, ut anathematizetur, nisi emendare se studeat. Et in *Addit. Capitul.* 4. tit. 42. qui tradita in commune jejunia & ab Ecclesia custodita superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

(4) Sc. in jejunio.

(5) *Cænne* vel *canne* Professionem & Fidem denotat, & sensus hujus loci est, quod verbum aut fides Monasterii Præfecti valeat æque ac Presbyteri.

(6) Vide quæ supra de *Sacramentalibus* diximus.

(7) Successu temporis major cautela in occidendis furibus adhibita est. Rex *Ina*, lege 35. homicidam furis juramento confirmare vult, quod eum fugientem pro fure occiderit. Apud *Danos* nocturnus alienæ domus aut habitationis effractor pecora vel bona aliena furto subducturus, si a propugnatore ac defensore rerum suarum fuerit interfectus, faber sui sibi infortunii fuisse judicandus esto. Vid. lib. 9. *Jur. Dan.* c. 12. §. 7. Lex *Bajuvariorum*, tit. 8. lege 5. de fure in furto capto, res furtivas secum portante statuit, si fuerit occisus, quod nulla ex hoc homicidii querela nasci debeat. Et in *Decreto Tassilonis* de Popularibus Legibus tit. 16. ita extat de his qui homicidis debita morte in furto reperti sunt, ut si quis de hujus interfectione eum, qui suo scelere captus est, vindicare tentavit, a propria alode alienus efficiatur.

bus unum eligat, vel illum interficiat, vel trans mare vendat, vel solutionem æstimationis capitis habeat.

Si quis eum ceperit & comprehenderit, dimidium (*æstimationis capitis*) habeat; si illum quis occiderit, septuaginta solidis ipsum compenset.

Si servus furatus sit, (&) redimatur septuaginta solidis, vel trans mare vendatur, utrum *horum* Regi placuerit. Si quis illum occiderit, domino ejus dimidium solvat.

Si peregrinus vel advena devius vagetur, & tunc nec vociferaverit, nec cornu insonuerit, pro fure comprobandus est, vel occidendus vel redimendus.

(1) SEptuplicia sunt dona Spiritus Sancti, & septem gradus sunt Ecclesiasticorum ordinum & sacrarum personarum. Septem etiam vicibus Dei ministri Deum quotidie laudare debent in Ecclesiis, & pro universo populo Christiano diligenter intercedere. Et ad omnes Dei amicos quam maxime pertinet, ut Ecclesiam Dei diligant & honorent, & Dei ministros pace ac concordia tueantur. Et si quis illis damnum intulerit verbo vel facto, septuplici compensatione diligenter compenset, pro ratione ejus quod factum est, & pro ratione ordinis, si Dei misericordiam promereri velit.

Sanctuarium etenim & ordines *sacri*, & sancta Dei domus, ex timore Dei sedulo honorari debent. Et ad compensationem ordinis violati, si vita damnum patiatur, præter justam capitis æstimationem primus gradus compensetur una libra, & cum pia satisfactione veniam ille exoret sedulo.

Et ad compensationem ordinis violati, si vita damnum patiatur, præter justam capitis æstimationem, secundus gradus duabus libris compensetur cum Ecclesiastica confessione.

Et ad compensationem ordinis violati, si plena pacis violatio (2) fieret, præter justam capitis æstimationem, tribus libris tertius gradus compensetur cum Ecclesiastica confessione.

Et ad compensationem ordinis violati, si plena pacis violatio fieret, præter justam capitis æstimationem quarto gradui quatuor libræ *solvantur*.

Et ad compensationem ordinis violati, si plena pacis violatio fieret, præter justam capitis æstimationem, quintus gradus quinque libris compensetur cum Ecclesiastica confessione.

Et ad compensationem ordinis violati, si plena pacis violatio fieret, præter justam capitis æstimationem, sextus gradus sex libris compensetur cum Ecclesiastica confessione.

Et ad compensationem ordinis violati, si plena pacis violatio fieret, præter justam capitis æstimationem, septimus gradus septem libris compensetur cum Ecclesiastica confessione.

Et ad compensationem ordinis violati, si *pax* semifracta fuerit, compensatio fiat sedulo pro ratione ejus quod factum est.

Jure judicandum est juxta factum, & moderandum juxta dignitatem coram Deo & coram sedulo.

Et compensationis violati ordinis pars una Episcopo, secunda altari, & tertia societati *tradatur*.

L E G E S I N Æ.

Inæ Regis Statuta (3).

EGo *Ina* Dei gratia Occiduorum Saxonum Rex, cum consilio & cum doctrina Cenredæ Patris mei, & Heddæ Episcopi mei, & Eorkenwoldæ Episcopi mei, & cum omnibus meis Senatoribus, & Senioribus sapientibus populi mei, & multa etiam societate Ministrorum Dei, consultabam de salute animæ nostræ, & de fundamento Regni nostri, ut justæ Leges, & justa Statuta per ditionem nostram stabilita & constituta essent, ut nullus Senator nec Subditus noster post hæc has nostras Leges infringeret.

CAP. I.

(1) In MS. *Roffensi* subjunguntur hæ sequentes regulæ Legibus Withrædi; qua autem ætate, aut auctore constitutæ sint, haud constat,

(2) Per plenam pacis violationem hic intelligitur damnum illatum vitæ & honori sive dignitati personæ ordinatæ; opponitur paci semifractæ (cujus sub finem Regularum harum fit mentio) sc. cum bona ordinati cujusdam injuriam patiuntur, aut cum honori ejus aliquid derogatur.

(3) *Ina* Rex juxta *Florentium Wigorn.*, *Asserii* Annales & *Fastos Savilianos* Regnum auspicatus est anno Christi 688. ac deposuit anno 728. juxta *Wigorn.* 726. juxta *Asserium* & *Fastos Savilianos*. *Lambardus* initium regni ejus ad annum 712. & finem ad annum 727. ponit, qua inductus ratione ipse videat, cum neminem, quod sciam, Ducem Chronologiæ hujus habeat. 38. annos *Inam* regnasse plus semel in historiis reperitur; Lambardus autem vix 15. annos ei assignat. Quomodo autem cum Synchronis ejus Chronologia nostra conciliari queat, investigandum est. Duorum Episcoporum mentionem facit Præfatio nostra in Leges Inæ, *Heddæ* Winton. & *Eorkenwoldi* Londinensis Episcopi: *Hedda* ab anno 677. us-

CAP. I. *De Ministrorum Dei regula.*

PRimo præcipimus, ut Dei Ministri justas suas regulas observent, & recte teneant: post hæc injungimus, ut totius populi Leges & Jura ita teneantur.

II. *De Infantibus.*

Infans intra triginta dies baptizetur, si hoc non ita fiat, xxx. solidis compenset (*Parens*). Si tunc mortuus sit absque baptismate, compenset illud omnibus quæ habet (1).

III. *De operibus diei Dominicæ* (2).

Si servus homo die Dominico operetur jussu domini sui, liber sit, & dominus debeat xxx. solidos pro pœna. Si autem servus absque ejus scitu operetur, verberibus cædatur, vel cutis pretium solvat. Si autem liber eo die operetur absque domini sui jussu, perdat libertatem suam, vel sexaginta solidos, & Sacerdos duplum debeat.

IV. *De Ecclesiæ censibus* (3).

Ecclesiæ census solvuntur ad Sancti Martini festum. Si quis hoc non præstet, solvat quadraginta solidos, & duodecim vicibus solvat tunc Ecclesiæ censum.

V. *De Ecclesiæ immunitatibus* (4).

Si quis mortis sit reus, & ad Ecclesiam con-

---

usque ad 705. h. e. Regis Inæ 18. Episcopatui præfuit; *Eorkenwoldus* autem Godwino obiisse dicitur anno D. 685. quo tempore Ina regiam dignitatem nondum erat assecutus, & hoc modo condendis Legibus interesse non potuit. Fasti autem Saviliani, (quorum auctoritas apud plurimos maxime valet) eum ad A. C. 696. h. e. nonum Regis Inæ, sedisse dicunt, quo temporis spatio Leges has conditas esse credo.

(1) *Northumbrenses Presbyteri* infra Lege 8. Presbyterum Baptisma negantem 12. oris mulctant: & Lege 10. constituunt, ut quilibet infans mature baptizetur intra 9. dies, sub pœna 6. orarum; & si infans Paganus intra 9. dies per negligentiam mortuus sit, emendent apud Deum absque mulcta mundana, & si supra 9. dies fuerit, emendent parentes apud Deum, & solvant 12. oras Parocho illi, quod Ethnicus tam diu fuerit. Et in *Capitulis incertæ Editionis* infra §. 17. infans baptizari jubetur, & pro nullo impedimento negligi; & si absque Baptismate moriatur, sciat Presbyter, quod in die Judicii pro anima illa rationem reddat Deo. Veteres *Suecones* & *Gothi* Baptisma adeo necessarium judicabant, ut in casu necessitatis absente Ecclesiæ ministro Patrinis aut parentibus illud peragendum juberent, non obstante aliqua spirituali cognatione, quæ in hoc casu cessabat. Vid. *Stiernh.* lib. cit. c. ult. p. 412. Apud *Suecos* hodie si infans propter absentiam Presbyteri careat Baptismo, Presbyter mulctatur tribus marcis infantis parenti. Vid. *Loccen. Legg. Civil. Suec. Tit. de Jure Eccles.* cap. 11. Apud *Danos* qui infantem suum extra Templum ac sine Baptismate ultra octiduum à nativitate delitescere passus est, hoc auso mulctam decem unciarum argenti committito, proximo valetudinario solvendam, Si autem ex parentum incuria infantes sine Baptismo expiraverint, rei culpam publica absolutione expianto. Vid. Jus Danic. l. 2. c. 5. §. 6. 7. Olim (uti in *Capitul. Car. & Ludov. Impp.* lib. 5. tit. 104. legitur.) Baptisma non fiebat nisi statutis temporibus, id est, Pascha & Pentecoste, nisi infirmitas intercesserit, & Baptisma non peragebatur nisi in vicis publicis, ob infirmitatis causam. Vid. & lib. 6. *Capitul.* eorundem, tit. 178. 185. & *Addit. secund. Ludov.* tit. 2. Vide & *Capitul. Reg. Francor.* tom. 1. p. 418. 953. 955. ed. Baluz. Et *Pippinus* Rex in Synodo Vernensi, licentiam concedit in qualicunque loco Baptisma peragere, ut omnino sine Baptismate non moriantur infantes. Vid. Tom. 1. *Capitul. Reg. Franc.* p. 171.

(2) De hac Lege vide quæ supra adnotavimus ad Lege Wihtrædi.

(3) Census Ecclesiasticos Reges Saxonici rigide requirebant, ac ubique in Legibus suis Pacem Ecclesiasticam & Honorem Ecclesiarum injungentes, Tributa ac Census solvi volunt: unde *Eadmundus* Lege 2. anathemate ferit eos, qui Ecclesiæ tributa non solvunt. *Suecones* & *Gothi* jam olim magnam curam agebant redituum ecclesiasticorum & *Kioerckiowaerlande* ecclesiasticorum bonorum tutores censibus colligendis & conservandis præficiebant. Vid. Stiernh. cap. ult. p. 403. seq. Apud *Suecos* inter Leges Civiles cap. de Jure Ecclesiastico census, decimæ & tributa speciatim Ecclesiæ solvenda recensentur; hæc si quis solvere negaret, Sacerdos ei denegare potest Sacramentum die Paschali. Vid. *Loccen.* lib. cit. p. 273. seqq. Apud *Danos* majori cura res ecclesiasticæ (quantum quidem ex Jure Danico, l. 2. cap. 22. perspici potest) reguntur; libri bini in qualibet Diœcesi servantur, in quibus Templorum reditus, expensæ, & alia accurate congeruntur, ac census & tributa debito modo quæsita adnotantur. In *Capitul. Caroli & Lud. Impp.* lib. 5. c. 11. Legislator census, decimas ac nonas ad Ecclesiam pertinentes, pleniter dari jubet, & qui hoc non fecerit, ipsas res perdat, & Lege seq. qui census Ecclesiæ solvere negligat, 60. solidis componat.

(4) *Ælfredus* Rex asylum Ecclesiæ ad trium dierum terminum extendit, & reum ab omni injuria aut pœna hoc temporis intervallo liberum esse vult. Vid. infra Lege 2. *Æthelstanus* 9. dierum spatium furi vel prædoni concedit in Ecclesia, asylo suo commorandi. *Æthelredus* 9. vel plures, si Rex voluerit, dies pacem concedit homini hujusmodi, & tum illum protrahi, ac vel capitis æstimatione vel æterno ergastulo eum puniri vult. *Edovardus* Confessor Lege 6. reum ad Ecclesiam confugientem a Pontifice solo, aut Ministro ejus, apprehendi posse ait: latroni autem restitutionem rei furtim ablatæ, ac abitum ex patria adjudicat. Rex *Guilielmus* I. Lege 1. pacem vitæ & membri spondet ei, qui ad sanctam Ecclesiam venerit; si autem quis injecerit manum in eum, ut reddat quem abstulit, & centum solidos nomine forisfacturæ. Apud *Suecos* hodiernos templa non permittuntur esse asyla criminis alicujus reis, sed uti extat inter *Leges Provinc.* tit. 14. de furto c. 24. fur ibi non plus securitatis habebit, quam alibi, ubi cum re furtiva capitur, ut legitime convincatur sui facinoris, & pro merito ut fur plectatur pro ratione delicti. Templa & cœmeteria olim inter Christianos *Romanos* asyla erant reis, uti ex *Cod. Theodos. & Justin.* tit. *de his qui ad Ecclesiam confugiunt;* quia

confugiat, habeat vitam fuam, & compenfet, prout Jus eum doceat. Si quis verbera promeritus fit, & ad templum confugerit, verbera ipfi condonentur.

VI. *De pugnis* (1).

Si quis in Regis domo pugnet, perdat omnem fuam hæreditatem, & in Regis fit arbitrio, poffideat vitam an non poffideat. Si quis in Templo pugnet, centum viginti folidis mulctetur. Si quis in Senatoris domo pugnet, vel in alterius illuftris fapientis, fexaginta folidis mulctetur, & alios fexaginta folidos folvat pœnæ loco. Si autem in tributarii domo vel coloni pugnet, triginta folidos pœnæ loco folvat, & colono fex folidos. Et licet in medio campi pugnatum fit, centum viginti folidi pœnæ loco folvantur. Si autem in convivio rixati fint, & alii horum patienter id fuftineant, folvant alii xxx. folidos pœnæ loco.

VII. *De furto* (2).

Si quis furetur ita ut uxor ejus & infans ipfius nefciant, folvat fexaginta folidos pœnæ loco. Si autem furetur teftantibus omnibus hæredibus fuis, abeant omnes in fervitutem. Decem annorum puer de furto teftari poteft.

VIII. *De Juris poftulatione* (3).

Si quis fibi jus poftulet coram aliquibus Præfectis, vel aliis Judicibus, & non poffit obtinere, ipfique pignus dare nolit, mulctentur xxx. folidis, & intra feptem dies dent ei juftum pretium.

IX. *De ultoribus*.

Si quis ultionem fumat antequam jus ab eo poftulaverit, quod ab eo fumpfit, det & reddat, & compenfet xxx. folidis.

X. *De rapina* (4).

Si quis intra limites regni noftri prædetur, & di-

---

quia autem olim recepta confuetudo (dicit *Loccenius* in Synopfi Juris Suecici) Juri divino, honeftis, noftrifque hodie receptis moribus repugnat, facinorofi nullum habent Jus afyli vel in Templo vel Cœnobio, fed capiuntur ubicunque deprehendi poffunt. Conf. *Jur. Can.* c. 8, 9. 19. 35. 36. Cauf. 17. 41. c. 1. de homicid. c. ult. de imm. Eccl. & Decret. Grat. p. 1. Dift. 87. c. 6. ex Concilio Arauficano 1. c. 5. ait: Eos qui ad Ecclefiam confugerint, tradi non oportere, fed loci fancti reverentia & interceffione defendi. Lex *Wifigothorum*, lib. 6. tit. 5. c. 16. eft, ut quemcunque homicidam feu maleficum Lex puniri præcipit, & præterea qui ex fuo difpofito vel malæ voluntatis affenfu tale nefas committit, nulla tunc occafio, nullaque unquam ab hac fententia poteftas excufet: fed etiamfi contigerit eum ad altare fanctum fortaffe confugere, non quidem præfumat eum abfque confultu Sacerdotis perfecutor ejus abftrahere: confulto tamen Sacerdote, ac reddito facramento, ne eundem fceleratum publicæ mortis pœna condemnet, Sacerdos eum fua intentione ab altari repellat, & extra chorum projiciat, & fic ille, qui eum perfequitur, comprehendat. Cui ab Ecclefia ejecto non alias mortiferas inferat pœnas, fed in poteftate parentum, & eorum cujus propinquus occifus fuerit, contradendus eft, ut excepto mortis periculo, quicquid de eo facere voluerint, licentiam habeant. *Theodoricus* Rex in *Edicto* fuo cap. 70. fervo ad Ecclefiam confugienti, & unum tantum diem ibidem refidenti veniam a domino fuo pollicetur, & c. 71. publici debiti caufa ad ecclefiam convolantem egredi, aut bonis quæ fecum detulit exui, & Archidiaconum hoc negligentem debitum exfolvere jubet. *Carolus* Imperator in Capitul. ad Legem Salicam, §. 3. ftatuit, ut nullus ad Ecclefiam confugientem extrahat, fed liceat ei confiteri quid fecit, & inde per manus bonorum hominum ad difcuffionem in publicum perducatur. *Alamanni* cap. 3. Legum fuarum nulli permittunt aliquem fervum vel liberum ad Ecclefiam confugientem extrahere, vel infra januas Ecclefiæ occidere, fub pœna 19. fol. ad Ecclefiam, & 60. ad Fifcum. *Bajuvariorum* Lex diverfa paululum 40. folidos Ecclefiæ & 40. Fifco pro injuria homini ad Ecclefiam confugienti intra januas Templi facta folvere jubet: *Lex Bajuvar.* tit. 1. cap. 7. *Longobardi* homini ad Ecclefiam fugienti pacem promittunt, fed victum denegant, & fi quis damnum aliquod homini ejufmodi intulerit, juxta dignitatem Ecclefiæ compenfetur: Lib. 2. LL. *Longob.* tit. 40. In *Capitul. Caroli & Ludov. Impp.* l. 5. c. 90. pacem & vitam obtinet maleficus ad Ecclefiam confugiens, pro crimine tamen legitime componat. Et c. 185. hominem talem per vim ex Ecclefia abftrahens, Ecclefiæ, 500. folidos, fifco autem 200. tradat; lib. 7. c. 125. autem capite punitur.

(1) Vid. fupra LL. *Æthelbirhti* 1. 5. 15. *Ælfredus* Rex pugnam in regia domo ex arbitrio Regis puniri ftatuit vel morte vel capitis æftimatione, cap. 7. & c. 15. Pugnam autem coram Archiepifcopo 150. folidis, coram Epifcopo & Senatore 100. fol. compenfari vult. Vide & capp. feqq. 34. 35. Inter Auftrales Anglos *Æthelredus* Legem fancivit, ut pugna in Ecclefia & Regis domo amiffione bonorum puniatur in monafterio juxta dignitatem ejus coram Archiepifcopo & Nobili 150. folidis, coram Epifcopo & Senatore 100. folidis. Vide plura infra inter LL. *Æthelr.* cap. *de Pace & Protectione*. *Cnutus* mortem in Regis domo dimicanti adjudicat. Leg. Civil. 56. Confer huc quæ paffim de pace communi Ecclefiæ & Regis inter LL. Anglo-Saxonicas habentur.

(2) Lex hæc non furti, fed confilii furandi pœnam indicat, nempe fi fur facinus fuum uxori vel liberis celaverit vel detexerit.

(3) Senfus Legis hujus eft, quod fi reus accufatus contumax fit, & Judices litem facienti jus dicere detrectent, mulctandi funt 30. folidis, & tamen judicium intra feptem dies dicendum.

(4) Per *reaflac* non tantum latrocinium, fed & rapina intelligi poteft, & juxta fenfum Legislatoris noftri hic defcribitur, quod fit violenta rei alterius ablatio, cum vel fine morte poffefforis in via publica; hanc cum quis commiferit alterius armis, *Æthelbirhtus* dominum armorum 6. folid. mulctat Lege 19. *Cnutus* Leg. Civil. 58. & 60. vita & capitis æfti-

& diripiat, reddat rapinam illam, & solvat sexaginta solidos pœnæ loco.

XI. *De iis qui populares suos emerint.*

Si quis popularem suum emerit, servum vel liberum, quod si criminis reus sit, & trans mare (*eum*) miserit, compenset illum capitis ipsius æstimatione, & apud Deum sufficienter restituat (1).

XII. *De captis furibus.*

Si fur captus sit, morte moriatur, vel vita illius capitis æstimatione redimatur. Fures appellamus *societatem* septem hominum, a septem usque ad XXXV. turmam, & deinde esto exercitus.

XIII. *De iis quorum testes coram Episcopo mentiti sunt.*

Si alicujus testis vel vas coram Episcopo mentiatur, compenset centum viginti solidis (2).

XIV. *De turma.*

Si quis turmæ (*interfuisse*) accusatus sit (3), remittatur ei hoc pro centum viginti hydis, vel hoc modo compenset.

XV. *De exercitu.*

Si quis accusetur, quod exercitum prædatorum conduxerit, ille hoc capitis sui pretio redimat, vel pro capitis sui æstimatione *id ipsi* remittatur. Juramentum præstari debet, quoad dimidiam partem, ab iis qui sacra synaxi utuntur. Fur (4) postquam in Regis custodia fuerit, non habet hanc remissionem.

XVI. *De furis homicidio* (5).

Si quis furem occiderit, debet jurejurando confirmare, quod ipsum reum occiderit, & non solvat.

XVII. *De carne furtim ablata.*

Qui carnem furtim ablatam invenerit, & absconderit, si audet, juramento confirmare debet, quod ad ipsum pertineat. Qui hoc investigaverit, habeat indicationis pretium.

XVIII. *De villanis furibus deprehensis.*

Si villanus homo sæpe accusatus, tandem deprehensus fuerit, manus aut pes ei amputetur.

XIX. *De colono Regis* (6).

Si capitis æstimatio coloni Regii sint mille ducenti solidi, jurare debet pro LX. hydis, si S. Eucharistia utatur.

XX. *De Peregrinis.*

Si peregrinus vel alienus extra viam per sylvas vagetur, & non vociferet, neque cornu insonet, pro fure sit judicandus, vel percutiendus, vel redimendus (7).

XXI. *De hominis ita occisi capitis æstimatione.*

Si tunc illius occisi æstimatio capitis exigatur, confirmare debet, quod eum pro fure occiderit, non (*solvat*) occisi sodalibus nec domino ejus. Si illud autem occultaverit, & post longum tempus fuerit manifestum, tunc viam aperit mortuo ad jusjurandum, ut cognati ejus ipsum innocentem præstare debeant.

XXII. *De proprio colono furtum faciente.*

Si colonus tuus furetur, & aufugiat a te, si fidejussorem habeas, admone eum ad simpli-

---

æstimatione rapinam punit: & Lege 26. præced. eum qui latronem ex incuria dimittit, capitis æstimatione mulctari vult. Vid. Legem Edov. Lat. 36. Guil. 4. 5. & 31. In *Capit. Caroli & Lud. Impp.* l. 7. c. 122. de rapinis hæc extat Lex: si quis ad faciendam rapinam adgreditur, aut iter agentem in prædiis adsedarit, aut domum alterius nocturnus spoliator intraverit, & occisus fuerit, mors latronis ipsius a nemine requiratur. Lex *Burgundionum* 47. statuit, ut prædoni vita adimatur, & uxor delictum mariti non manifestans libertate privetur. *Longobardi*, lib. 1. tit. 25. cap. 61. Legem habent de Latronibus, ut pro prima culpa non moriatur, sed oculum perdat, de secunda nasus ei scapelletur, de tertia vero, si se non emendaverit, moriatur. Vid. & capp. 67. 68. seqq. Apud *Danos* latrones vel raptores publici morte puniuntur, & corpus rotæ ac palo imponitur, lib. 6. *Jur. Dan.* cap. 16. Apud *Suecos* prædones capitis damnantur, uti olim *Jure Attico* grassatores, & si eos quosdam interfecisse compertum sit, ad rotæ supplicium damnantur. Vid. LL. Provinc. Reg. Sueo. tit. 8. cap. 42. Sueci tamen inter diurnam & nocturnam rapinam distinguunt, hanc capitali, illam pecuniaria pœna affici volunt. Vid. *Loccen. Syn. Juris Suec. Dissert.* 25.

(1) Sc. vel per jejunium vel per eleemosynam, quæ duæ species restitutionis apud Saxones usitatæ, compensationem apud Deum significabant.

(2) Apud *Wisigothos*, lib. 2. tit. 4. c. 6. qui falsum testimonium dixerit, & in mendacio inveniatur, statutum est, ut det illi de propria facultate sua, contra quem falsum testimonium dixit, tantum, quantum per testimonium ejus perdere debuit; minor loci persona tradatur in potestatem illius, contra quem falsum testimonium dixerat, serviturus. Vid. & c. 6. *Theodoricus* Rex Lege 42. in exilium pellit eos qui falsum dixerint testimonium. In *Capitul. Car. & Lud. Impp.* l. 7. c. 179. qui testimonium falsum dixerit æque ac si homicidium & perjurium fecerit, judicandus est.

(3) Nempe criminis alicujus, latrocinii v. g. vel rapinæ patrandæ causa.

(4) Fur accusatus, quod societatem cum prædonibus iniverit, hoc privilegio non gaudeat.

(5) Vide quæ supra ad Leges Wihtrædi de furis homicidio diximus.

(6) Lex hæc intelligenda est de colono Regis furtum faciente, ac vel criminis suspecto vel in ipso furto deprehenso.

(7) *Wihtrædus* Rex eandem Legem supra habet.

plicem compenſationem; ſi non habeas, ſolve tu compenſationem ſimplicem, & non ſit ei aliquid remiſſum.

XXIII. *De peregrini hominis cæde.*

Si quis peregrinum occidat, Rex habeat duas partes æſtimationis capitis, tertiam partem liberi vel cognati. Si autem cognatis deſtitutus ſit, dimidium Rex (*habeat*) dimidium ſocius. Si Abbas ſit, vel Abbatiſſa, partiantur eodem modo cum ſuo Rege. Wallus cenſum pendat centum viginti ſolidos. Filius ejus centum, Servus ſexaginta ſolidos. Alias quinquaginta, Walli hyda duodecim.

XXIV. *De ſervi libertate mulctati cæde.*

Si ſervus Anglus libertate mulctatus aliquid furetur, ſuſpendatur, & domino ejus non fiat compenſatio. Si ille occidatur, non compenſetur cognatis ipſius, niſi eum in duodecim menſibus redemerint. Wallus ſi habeat quinque hydas, ſexcentis (*ſolidis æſtimandus*) eſt.

XXV. *De mercatore rus proficiſcente.*

Si mercator inter vulgus mercetur, faciat hoc coram teſtibus (1). Si furto ablatum illud emptum inveniatur, & ipſe non emerit id coram bonis teſtibus, confirmet pœnæ loco, quod nec furti conſcius, nec furatus ſit, vel compenſet pœnæ loco triginta ſex ſolidos.

XXVI. *De inventi infantis nutritione.*

Ad inventi infantis nutritionem primo anno ſolvantur ſex ſolidi; ſecundo anno duodecim; tertio triginta; deinde pro pulchritudine ipſius (2).

XXVII. *De eo qui clanculum liberos procreat.*

Qui clam liberos procreet, & diſſimulet, non habeat capitis ejus æſtimationem ſi occidatur, item dominus ipſius, & Rex.

XXVIII. *De furis captione in furto.*

Qui furem apprehendit, habeat decem ſolidos, & Rex furem illum, & cognati eum jurent a juramento immunem. Si ille autem aufugiat & reſiſtens fuerit, tunc pœna ſit dignus. Si ipſe negare voluerit, faciat id per pecuniam & per pœnam.

XXIX. *De eo qui alterius ſervo gladium mutuo dat* (3).

Si gladius mutuo detur alterius ſervo, & ille perdat eum, compenſet tertiam ejus partem. Si haſta, ſolvat dimidium. Si quis equum mutuo det, totum illi compenſet.

XXX. *De eo qui villanum fugitivum hoſpitio excipit.*

Si quis colonum fugitivum hoſpitio excipit & eum nutrit, proprii capitis æſtimatione excuſet ipſum. Si hoc nequeat, compenſet ipſum propria capitis ejus æſtimatione, & ſocium etiam juxta capitis ſui æſtimationem.

XXXI. *De eo qui fœminam mercatur.*

Si quis fœminam mercetur, & pretium non proveniat, det pecuniam, & perſolvat ac compenſet vadi quaſi fidejuſſionis [ſuæ violator ſit.

XXXII.

---

(1) Vide quæ ſupra ad Leges *Hlotharii* & *Eadrici* de emtione in præſentia teſtium diximus.

(2) Pro alimento Magiſtratum vel Judicem Provinciæ aut loci ſolvere vult Legislator. *Wiſigothi* Legem de expoſitis infantibus ſtatuerunt, quod ſi quis puerum aut puellam, ubicunque expoſitum, miſericordiæ contemplatione collegerit, & nutritus infans a parentibus poſtmodum fuerit agnitus, ſi ingenuorum filius eſſe dinoſcitur, aut ſervum vicarium reddant aut pretium. Quod ſi facere fortaſſe neglexerint, a Judice territorii de proprietate parentum expoſitus redimatur, & parentes hujus impietatis auctores exilio perpetuo relegantur. Si vero non habuerint unde filium redimere poſſint, pro infantulo ſerviat qui projecit, & in libertate maneat propria, quem ſervavit pietas aliena. Lib. 4. LL. *Wiſigoth.* tit. 4. c. 1. & cap. 3. ſolidum per annum pro nutritione infantis ſtatuunt, uſque ad 10. annos, & poſt decimum annum nihil mercedis addere volunt, quia ipſe qui nutritus eſt, mercedem ſuam ſuo poteſt compenſare ſervitio. Inter *Capitul. Carol. & Lud. Impp.* lib. 6. cap. 144. Lex de expoſitis infantibus extat: Si expoſitus ante Eccleſiam cujuſcunque fuerit miſeratione collectus, conteſtationis ponat Epiſtolam: & ſi is qui collectus eſt, intra 10. dies quæſitus agnituſque non fuerit, ſecurus habeat, qui collegit. Sane qui poſt prædictum tempus calumniator extiterit, ut homicida eccleſiaſtica diſtrictione damnabitur, ſicut Patrum ſanxit auctoritas. Vid. Decret. Grat. p. 1. Diſt. 87. c. 9. ex Concilio Arelat. 2. c. 32. 4.

(3) De mutuato & reſtitutione ejus veteres *Sueones & Gothi* hanc conſtituerunt Legem, ut vis major, h. e. hoſtilis invaſio, incendium, direptio a reſtitutione eximat mutuo ſumentem, dolus autem & culpa levis incuria ac negligentia eum obliget ad reſtitutionem rei integram. Vid. *Stiernh.* lib. 2. c. 5. §. ult. In Jure hodierno *Suecico* res commodata plena integritate & valore reſtituenda eſt, excepto caſu furti vel incendii: Qui ſervo alterius aliquid commodaverit, ſi inſcio vel non petente domino fuerit, ſervus reſtituat, & ſi, domino conſcio, aliquid commodaverit, ſervus autem aufugiat, dominus reſtituat. Vid. *Loccen. Synop. Juris*, p. 354. Vid. & LL. *Provincial.* tit. 6. *de Jure Merc.* c. 8. Reſtitutionem rei integram, incorruptam & indepravatam Leges *Danicæ* requirunt, lib. 5. *Jur. Danic.* cap. 8. *Wiſigothi*, lib. 5. tit. 5. Legibus ſeptem prioribus; *Bajuvarii*, tit. 14. capitibus quatuor prioribus, eaſdem fere leges habent. Et in *Capitul. Reg. Franc. Caroli Magni* dicitur: Qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; ſi ſpeciem aliam, eandem ſpeciem, quam dederit, accipiat. Vid. *Baluz. in Capitul.* tom. 1. p. 227.

XXXII. *De Cambrico homine agrum possidente.*

Si Wallus hydam terræ habeat, capitis ejus æstimatio sit centum viginti solidi. Si autem dimidium habeat, octoginta solidi. Si neutrum habeat, LX. solidi.

XXXIII. *De Regis Equisone.*

Si Regis Equiso mandata deferre possit, capitis ejus æstimatio sint ducenti solidi.

XXXIV. *De homicidio.*

Qui in illorum collegio fuerit, ubi homo occiditur, justificet se ab illa cæde, & collegium compenset secundum occisi hominis æstimationem capitis. Si capitis illius æstimatio sint ducenti solidi, compenset quinquaginta solidis. Et idem jus fiat illustri familia ortis.

XXXV. *De furis occisione, ut quis eam juramento confirmet.*

Qui furem occidit, juramento confirmare debet, quod eum fugientem pro fure occiderit, & mortui parentes ipsi juramentum imponant non selectum (1); si ipse illud autem occultaverit, & postea fiat manifestum, tunc compenset eum. Si quis illum hominem de re aliqua postulet, qui prius eam abjuraverat, & deinde abjurare velit, abjuret de mulcta illa, & de pecuniæ valore. Si abjurare nolit, tunc compenset perjurium dupliciter.

XXXVI. *De captura furis, qui deinde evadere permittitur.*

Qui furem prehenderit, vel si ei captivus reddatur, & ille ipsum evadere permittat, vel furtum illud dissimulet, compenset æstimationem capitis furis illius. Si Senator sit, perdat provinciam suam, nisi Rex ei condonare velit.

XXXVII. *De colono furti accusato.*

Colonus qui sæpe furti accusatus fuit, si tandem aliquando reus inveniatur in emptione, vel alia publica culpa, abscindatur ei manus vel pes.

XXXVIII. *De iis qui legitime genitos liberos habent, quorum vir* (pater) *si decedat.*

Si maritus & uxor ejus liberos inter se habeant, & maritus moriatur, mater infantem suum teneat & nutriat, & dentur ei sex solidi ad nutritionem, vacca in æstate, bos in hyeme. Cognati ipsius primariam sedem occupent, usque dum adultus sit (2).

XXXIX. *De abitu a domino suo sine venia.*

Si quis abeat a domino suo absque venia ipsius, vel in aliam provinciam fugiat, & ille deprehendatur, abeat ubi prius fuit, & solvat domino suo sexaginta solidos.

XL. *De rustici prædio.*

Rustici prædium hyeme & æstate septo sit cinctum. Si non sit cinctum, & ingrediatur vicini ejus pecus per portam illius propriam, nullum animal pecoris hujus habeat, abigat illud foras, & perdat damnum suum.

XLI. *De vadimonii negatione.*

Vadimonium quis renuere debet, si sciat se recte fecisse.

XLII. *De rustici pascua.*

Si rustici communem habeant pascuam, vel aliam divisam terram septo cingendam, &

(1) De furis occisione eandem Legem Rex *Ina* constituit supra Lege 16. Per *Juramentum non selectum, unceases ath*, hic intelligitur Juramentum præstitum a viris non speciatim selectis, sed cujuscunque conditionis, dummodo præsentes vel facti conscii fuerint: uti sæpius in Legibus *Eadweardi*, in Senatus Consulto Monticolarum Walliæ & alibi de eo agitur. Opponitur τῷ *cyre ath, jurijurando electo*, cujus fit mentio Lege 9. *Æthelstani*.

(2) Concordat Lex hæc Lege *Hlotharii* 6. solummodo quod hic pretium alimenti exprimatur, & ibi decennium pro adulta ætate ponatur. Recentiora *Jura Sueonum* ad orphanorum tutelam proximum quemque promiscue admittunt, nullo habito respectu agnationis aut cognationis, uti apud Anglo-Saxones in usu quoque fuit. Vetusta vero *Jura Gothica* semper a tutela arcent cognatos, etiamsi propriores, si modo agnati supersint; *Sueonica* vero ad tutelam non tantum admittunt, sed & requirunt cognatos simul cum agnatis, modo pari gradu a pupillo distent, nec viros tantum sed & fœminas, ita ut post patrem mater sit ante fratrem, & ante fratris filium aut patruum soror & ejus maritus, præcipue quoad dispensationem conjugii & administrationem domus, in qua *Jus Westgothicum* etiam pupillum servum libero præponit, & vernam matri sed nuptæ; matri tamen claves reservantur, potestas etiam debita exigendi & solvendi, id est, tutricem revera constituit, cum eam tamen alibi sub perpetua tutela concludat. In Juribus hodiernis *Sueciois* mater post patrem tutrix relinquitur; si autem ad secundas nuptias transeat, consanguineis proximis tutela orphanorum committitur: his deficientibus Magistratus duos bonos viros eligit, vel quotquot opus fuerit, quorum æqualis erit potestas cum aliis tutoribus. Vid. *Loccen. Syn. Juris*. Dissert. 4. & in *Legibus Provinc. Regni Sueciæ*, tit. 2. *de Conjugio*. Apud *Danos* gradus consanguinitatis in tutela observantur, ut post patrem mater, post eam fratres, post fratrem avus paternus vel maternus, postea patruus, deinde avunculus eligatur, & ut agnatis cognati præferantur, si pupillis consanguinitate æque propinqua sint conjuncti, & spem bene tutandi afferant. Vid. lib. 3. *Jur. Dan.* c. 17. Eadem omnino *Wisigothi* lib. 4. tit. 3. *Burgundiones*, tit. 58. 85. *Saxones* tit. 7. statuunt. Vid. Tom. 1. Codicis LL. antiq. *Lindenbrogii*.

& aliqui sepierint partem suam, aliqui non, & edant communes suas glandes vel pascuam, abeant tunc illi qui portam habent, & compensent aliis, qui partem suam septo cinxerunt, damnum illis illatum, & deprecentur ei cum pecore, uti justum uti fas est. Si autem bos aliquis sit, qui sepem fregit, & intrat ubique, & si eum nolit retinere ceu proprium, vel non possit, sumat ipsum in agri sui divisione, & occidat eum, & dominus proprius accipiat carnem ejus, & perdat reliquum.

XLIII. *De sylva combusta.*

Si arbor in sylva combusta sit, & manifestum fiat denique quis illud fecerit, compenset plenam pœnam, & solvat sexaginta solidos, siquidem ignis fur est. Si quis in sylva satis multas arbores cæderit, & ejus rei postea sit convictus, compenset tres arbores, unamquamque triginta solidis; neque plures compenset, quotquot earum etiam fuerint. Nam securis sonans potius est quam fur.

XLIV. *De ligni cæsione absque venia.*

Si quis autem detruncet arborem, sub qua triginti porci consistere queunt, & fiat convictus, solvat sexaginta solidos. Saga vectigalis familiæ valeat sex denariis.

XLV. *De urbis violatione.*

Urbis violatio (1) compensari debet centum viginti solidis, ubi Regis & Episcopi sedes est. Senatoris octoginta solidis; ministri Regis sexaginta solidis; ejusdem conditionis hominis terram possidentis triginta & quinque solidis. Et his excusentur.

XLVI. *De furti accusatione.*

Si quis aliquem accuset, quod merces abstulerit, vel ablatas protexerit, tunc sexaginta hydis purgare debet furtum earum, si juramento dignus sit; si autem Anglus furti *accusatus sit*, tunc procedat purgatio dupliciter. Si autem Wallus sit furti *accusatus*, juramentum ideo non sit majus. Quilibet homo negare debet furum receptionem & capitalem inimicitiam, si modo possit, vel audeat.

XLVII. *De eo qui furtim ablatas merces intercipit.*

Si quis furtim ablatas merces intercipit, non debet advocari ad servos homines (2).

XLVIII. *De libertate mulctatis.*

Si quis libertate mulctatus nuper servituti sit subjectus, & ipse accusetur, quod furatus sit, antequam servituti esset subjectus, tunc accusator ipsum semel verberibus afficere potest, cogens eum ad verbera secundum capitale suum (3).

XLIX. *De querceti occupatione absque domini venia.*

Si quis in querceto suo porcum absque domini venia inveniat, sumat tunc sex solidos pignoris pretium. Si ibi non fuerint plus una vice, tunc unum solvat solidum proprius ejus dominus, & confirmet per capitale suum (4), quod amplius non sit intraturus ibi. Si duo ibi fuerint, solvat duos solidos. Si pasnagium a porcis sumatur, de tridigitali tertius, de duodigitali quartus, de pollicis crassitudine, quintus *porcus sumatur.*

L. *De pactione Præpositi pagani.*

Si Præpositus paganus paciscatur cum Rege, vel cum Regis Senatoribus pro familia sua, vel cum domino suo pro servo vel libero, Præposito non habeatur ratio ulla pœnæ (5), quoniam nolebat prius malum averruncare domi.

LI. *De Præposito pagano, qui milites providere nolit.*

Si Præpositus paganus terram possidens milites providere nolit, solvat centum viginti solidos, & perdat terram suam: si non possideat terram, sexaginta solidos. Colonus triginta solidos pro militiæ detrectatæ mulcta.

LII. *De clandestino facinore.*

Qui clandestinorum facinorum accusatus est, excuset ea facta centum viginti hydis, vel centum viginti solidos solvat.

LIII. *De hominis furtim subducti apprehensione.*

Si quis hominem furtim subductum deprehenderit apud alium, & si illa manus mortua sit, quæ eum vendidit illi viro, qui ipsum apprehendit, tunc advocet illum hominem ad mortui sepulchrum, sive pecunia, sive alio quocunque modo, & jurejurando confirmet per sexaginta hydas, quod mortua manus eum illi vendiderit. Tunc pœnam illam implevit juramento hoc, resti-

(1) Eodem modo, ut supra Ecclesiæ violatio, hic urbis violatio intelligitur, sc. cum per tumultum vel rixas vel pugnas pax urbis alicujus violatur.

(2) Sensus Legis hujus est; si quis intercipiat res furtim ablatas, & inquisitio rei fiat, quod Judex non permittat aliquem servilis onditionis hominem in causa illa advocatum vel accusatorem agere.

(3) Secundum capitale suum, h. e. juxta pretium, quod emptor pro servo illo exsolvit.

(4) Pretium porci hic pro capitali sumitur.

(5) *Non habeatur ratio ulla pœnæ.*) H. e. nihil remittatur Præposito Pagano de mulcta irrogata.

ſtituat integrum hunc hominem proprietario, Si ille autem ſciat, quis mortui hæreditatem poſſidet, advocet tunc eum ad hæredem, & offerat manum illi qui hæreditatem poſſidet, ut ei abſque lite reddat capitale, vel confirmet, quod mortuus nunquam hanc hæreditatem poſſederit.

LIV. *De capitalis inimicitiæ accuſatione.*

Qui capitalis inimicitiæ ſit accuſatus, & ipſe juramento homicidium negare velit, tunc fiat in ſocietate Regale jusjurandum pro ratione triginta hydarum, ſicut de Præpoſito pagano, ſic de colono, ſive alio quocunque. Si vir ille reus ſit, tunc ſocietati hujuſmodi virorum perſolvat & thoracem & gladium pro capitis æſtimatione, ſi opus ſit; libertate mulctatus Walliſcus debet cogi per duodecim hydas; ſicut ſervus per verbera; Anglus per triginta quatuor hydas.

LV. *De ovis pretio.*

Ovis cum agno ſuo valeat ſolido, uſque ad decimum quartum diem a Paſchate.

LVI. *De rei venditæ ſimplice compenſatione.*

Si quis rem aliquam mercatus ſit, & ille intra triginta dies aliquid vitioſum in ea repererit, tunc reſtituat rem illam emptam manibus venditoris, vel juret, ſe nihil vitii in ea noviſſe, cum illam ipſi venderet (1).

LVII. *De coloni furto.*

Si maritus aliquid deprædetur, & perſuadeat ad id uxorem ſuam, & deprehenſus ſit in eo vir, tunc ſuam partem compenſet ille, excepta uxore, quoniam ipſa ſuperiori ſuo obedire debet. Si ea jurejurando confirmare audeat, ſe cum deprædato non participaſſe, ſumat tertiam ejus portionem (2).

LVIII. *De bovis cornu.*

Bovis cornu decem denariis valeat.

LIX. *De vaccæ cornu.*

Vaccæ cornu duobus denariis valeat. Bovis cauda ſolido valeat, vaccæ cauda quinque denariis. Bovis oculus quinque denariis valeat, vaccæ oculus ſolido valeat. Semper pro hordaceo reditu ſex pondo ejuſdem valoris dari debent.

LX. *De jugo mercede conducto.*

Colonus qui alterius jugum mercede conduxit, ſi omnia ex pabulo reddere poſſit, videatur, det omnia. Si non habeat, reddat dimidiam partem ex pabulo, dimidiam alia re.

LXI. *De primitiis ſeminum.*

Primitiæ ſeminum dari debent a culmine illo & a manſione illa, in qua quis fuerit in Natali Domini.

LXII. *De eo qui ad emptionem cogitur.*

Si quis accuſationis inſimuletur, & ille ad venditionem cogatur, cum ipſe nullum jus habeat ad vendendum ante explorationem, tunc præcedat alius viri venditio ejus emptionem, tunc paciſci poteſt ſub ea conditione quæ ipſi utilis eſt, uſque quo emptionem ſuam recuperare poſſit. Sed accuſatus poſtea altera vice, & coactus ad emptionem, ſi ſtatim eum defendere noluerit, qui hanc emptionem illi prius vendidit, is tunc & cauſa ſua cadat, & perdat emptionem ſuam, quam *alter* ipſi prius vendebat.

LXIII. *De Præpoſiti pagani itinere.*

Cum Præpoſitus paganus itineratur, tunc debet habere ſecum Præfectos ſuos & fabrum ſuum, & nutricem infantis ſui.

LXIV. *De eo qui viginti hydas terræ habet.*

Qui viginti hydas terræ poſſidet, relinquere debet duodecim hydas terræ ſatæ, cum abire velit.

LXV. *De decem hydis.*

Qui habuerit decem hydas, relinquere debet ſex hydas terræ ſatæ.

LXVI. *De tribus hydis.*

Qui tres hydas habuerit, relinquat unam & dimidium.

LXVII. *De virgata terræ.*

Si quis conduxerit virgatam terræ vel amplius ad commodum tributarium, & araverit eam; ſi dominus ipſi velit terram erigere ad opus & ad tributum, non neceſſe eſt, ut accipiat eam, ſi illi domum non vendiderit & perdat agrum iſtum.

(1) In *Capitular.* lib. 5. tit. 362. p. 899. Tom. 1. *Edit. Baluz.* ſimilis fere extat Lex; ſi venditor dixerit vitium (in re empta), ſtat emptio, & non ſit immutata; ſi autem non dixerit, mutari poteſt in illa die, & in alia, ſive in tertia die. Et ſi amplius de tribus noctibus illud habuerit, poſtea non poteſt mutare, niſi forte eum invenire infra tres dies non poterit. Tunc quando invenerit, recipiat quia vitium vendidit. Et ſi noluerit recipere, juret cum ſuis Sacramentalibus, quod vitium ibi nullum ſciebat in illa die, quando negotium fecit, & ſtet factum.

(2) Apud Longobardos Lex extat lib. 1. tit. 25. §. 10. quod ſi ſervus ancillam alienam habens uxorem furtum fecerit, & ancillam & filios ſervus alienus nutrierit, omne furtum, quod fecit ſervus, dominus componat, nam nihil computetur in damnum, nec in culpam illius ancillæ vel filiorum ejus. Tantum eſt, ut ancilla & filii ſimiliter cum patre ad furtum faciendum non ambulaverint: nam ſi fecerint, ſimiles illi efficiantur.

LXVIII. *De expulſione Præpoſiti pagani de terra.*

Si quis Præpoſitum paganum expellat profugio, *ideo* domus non erit illius ſedes.

LXIX. *De ove vellere induta.*

Ovis vellus ſuum retinere debet ad mediam æſtatem, vel ſolvat vellus duobus denariis.

LXX. *De æſtimatione capitum.*

Ex æſtimatione capitis ducentorum *ſolidorum* ſolvi debent pro homicidio xxx. ſolidi; pro ſexcentis, octoginta ſolidi; pro mille ducentis, centum viginti.

Ex decem hydis, ad nutriendum, decem dolia mellis, trecenti panes, duodecim amphoræ Wallicæ cerevisiæ, triginta ſimplices, duo adulti arietes, vel decem verveces, decem anſeres, viginti gallinæ, decem caſei, amphora plena butyro, quinque ſalmones, viginti libræ pondo pabuli, & centum anguillæ *ſolvantur* (1).

LXXI. *De poſtulatione æſtimationis capitis.*

Si quis æſtimationis capitis ſolvendæ accuſetur, atque ille tunc ante jusjurandum confiteatur id quod antea negaverit, non exigatur ab eo aliquid ſub nomine pœnæ, antequam capitis æſtimationem præſtiterit.

LXXII. *De capitis æſtimatione mulctato fure comprehenſo.*

Si quis capitis æſtimatione mulctatum furem comprehendat, & ille qui eum ceperat perdat ipſum, ſiquidem ille capiatur circa noctem, non habeat amplius illam integram pœnam.

LXXIII. *De unius noctis furto.*

Si nox tota præteriit, poſtquam furtum eſt commiſſum, ſolvant mulctam illam qui eum comprehenderunt, ſicut cum Rege & Præfectis ejus convenire poſſunt.

LXXIV. *De ſervo Wallo liberum hominem occidente.*

Si ſervus Wallus Anglum occiderit, tunc debet ille, cujus eſt, reſtituere ipſum domino & cognatis, vel ſexaginta ſolidos ſolvere pro ejus vita. Si ipſe tunc pretium illud ſolvere noluerit, tunc debet Dominus eum liberum facere; ſolvant deinde cognati illius æſtimationem capitis, ſi ille fidejuſſorem habere poſſit *hominem* liberum; ſi non habeat, caveant ſibi ab eo inimici ejus. Non cogatur liber cum ſervo *ſimul* cognationem ſolvere, niſi capitalem inimicitiam ab eo redimere velit; nec ſervus cum libero *ſimul ad id cogatur*.

LXXV. *De re furtim ſubducta deprehenſa.*

Si bona deprehendantur furtim ſubducta, & manu tunc advocet eum deprehenſum ad alium: ſi ipſum capere nolit, & dicat quod illud nunquam ei vendiderit, ſed vendiderit alia; tunc ille confirmare debet, qui illud advocat ad eorum manum, quod nihil aliud ei vendiderit præter hoc ſolum.

LXXVI. *De eo qui filium luſtricum vel ſuſceptorem ſuum occidit.*

Si quis alterius filium in baptiſmate ſuſceptum occidat, vel ſuſceptorem ejus, cognati occiſio homicidio æqualis ſit: emendatio creſcat juxta æſtimationem capitis, ſimiliter ac homicidium quod pro domino ſolvendum. Si autem Regis filius luſtricus ſit, æſtimationem capitis compenſet Regi eodem modo ac cognatis ejus; ſi autem de parentela ſit qui eum interfecit, tunc ſubtrahatur compenſatio ſuſceptori eodem modo ac mulcta domino. Si ſit Epiſcopi filius, dimidium hujus ſit mulcta.

LXXVII. (2) Statuimus de incendiariis & veneficis, ut ter juramentum illud immer-

(1) Lex hæc de victu ſuppeditando juxta rationem facultatum ſive æſtimationis capitum quantitatem & qualitatem nutritionis exprimit; num autem loco tributi Regii hæc perſolvenda ſint, & num quotannis, Legislator non addidit.

(2) Lex hæc in Lambardo omiſſa, ex Codice *Roffenſi* addita, Jus Ordalii de explorandis veneficiis & ſortilegiis continet. *Edovardus & Guthrumus* Reges ſagas veneficoſque ex terra relegari jubent infra Lege 11. In Legibus *Northumbr. Presbyt.* Lege 48. ſeqq. Thanus Regis pro veneficio vel ſortilegio 10. ſemimarcas Eccleſiæ & Regi ſolvere jubetur; alius terræ poſſeſſor ſex ſemimarcas; ruſticus 12. oras. *Æthelſtanus* veneficos aliquem incantationibus occidentes vitam perdere, ſi autem inficiari velint, Ordalio judicium hoc committi vult. *Sueci* pœnam veneficorum & magorum rotæ ſupplicium, magiæ autem in fœminis combuſtionem conſtituunt. Vid. *Loccen. Syn. Jur. Suec. Diſſert.* 29. p. 602. *Dani* perſonas artibus magicis deditas, quæ ejuratis cultu divino, fructu ſacri Baptiſmatis & Religione Chriſtiana, totas ſe Diabolo devoverunt, vivas in ardentem rogum impoſitas in cinerem cremant. Vid. lib. 6. *Jur. Danic.* c. 1. §. 9. ſeqq. Apud *Anglios & Werinos* Lex eſt tit. 14. Si mulier maritum veneficio dicatur occidiſſe, vel dolo malo ad occidendum prodidiſſe, proximus mulieris campo eam innocentem efficiat, aut ſi campionem non habuerit, ipſa ad 9. vomeres ignitos examinanda mittatur. Et in *Conſtit. Siculis*, lib. 3. tit. 41. mala & obnoxia medicamenta ad alienandos animos ſeu venena qui dederit, vendiderit vel habuerit, capitali ſententia feriatur. Et in *Addit.* 2. *Capitul. Lud. Imper.* §. 18. de magis, ariolis, ſortilegis & incantatoribus extat, quod in tantum diſciplina & vigore Principis acrius corrigendi ſint, in quantum manifeſtius auſu nefando ac temerario ſervire Diabolo non metuunt. De Jure & Modo *Ordalii* vide præter *Stiernh.* lib. de Jure *Sueon. & Goth.* vetuſto, cap. 8. p. 82. ſeqq. *Spelman.* in Gloſſar. in voce.

mergatur, & augeatur ferrum Ordalii, ut ponderet tres libras, & homo ipse ad virum illum abeat, ac optionem habeat accusatus, quodcunque Ordalium ipsi gratius sit, an Ordalium aquæ, an ferri. Si tunc juramentum producere nequeat, & ille impurus sit, in potestate senioris, qui ad eandem urbem pertinet, positum sit, an vitam habeat vel non habeat. Prehensio super omnia sive sit in re simplici sive in pluribus, quindecim denariorum *sit* pro qualibet parva re, denarii semper pro solido.

Jus de ferro candente & aqua.

Et de Ordalio præcipimus Dei mandatum & Archiepiscopi & omnium Episcoporum, ut nemo Ecclesiam illam ingrediatur postquam ignis accensus est, quo Ordalium calefieri debet, præter Sacerdotem, & qui illud subire debet, & inveniat illum novem pedes ab illo stipite ad terminum eum juxta mensuram pedum ejus qui illuc (ad Ordalium) abit. Et si tunc aqua sit, calefiat usque dum ebulliat furiose, & coculum sit ferreum vel æreum, plumbeum vel fictile. Et si sit simplex accusatio, immergat manum post lapidem usque ad pugnum, & si sit triplex usque ad cubitum. Et cum Ordalium paratum est, tunc duo viri intrent ad utrumque latus, & sint unanimes, quod adeo calidum sit ac supra diximus; & intrent totidem viri ab utroque latere, & stent in duas partes Ordalii in longum Ecclesiæ, & tunc omnes jejunent, ac ab uxoribus suis abstineant illa nocte, & spargat Presbyter aquam sanctam super eos omnes, ac quilibet eorum gustet aquam sanctam, & det illis omnibus librum osculandum, & signet *eos* cruce Christi, nec emendetur ignis amplius, quum salutatio incipit, sed jaceat ferrum super prunas usque ad ultimam collectam. Deinde ponatur super stipites, & nullus ibidem sermo sit, quam ut Deum omnipotentem diligenter supplicent, ut veritatem manifestet; ac adeat & manum obsignet, & videatur post tertium illum diem quomodo an impura an pura sit intra sigillum illud, & si quis legem hanc violet, sit Ordalium in eo præjuramentum, & compenset Regi cxx. solidos pœnæ loco.

Spolium est opus hominis nequam, si quis hoc negare velit, faciat illud cum quadraginta octo vere nobilibus Thainis.

LEGES ÆLFREDI.

Hæ sunt Leges quas Ælfredus Rex constituit.

(1) DOminus locutus est verbum ad Moysen, & ita dixit. Ego sum Dominus Deus tuus (2): Ego te eduxi ex terra Ægypti, & ex servitute ejus. Non diligas alios Deos alienos præter me (3).

II. Non adhibeas nomen meum ad vanitatem, quoniam tu non es innocens apud me,

(1) Ælfredus juxta historiam Henr. Huntindoniensis, Annales Rogerii de Hoveden, & Fastos Savilianos, imperium auspicatus est anno Christi 872. & desiit regnare anno 901. quo tempore Edwardus filius in regno successit.

(2) Decem hæc Præcepta, cum aliis sequentibus, ex Exodo petita esse, ipse Rex Ælfredus cap. seq. 49. asserit.

(3) Ælfredus a patre Æthelvulpho Romam delegatus a Leone Papa IV. in futurum Regem Anglorum unctus, Ecclesiæ Romanæ doctrinam de omittendo præcepto Decalogi de imaginibus addidicit. Post celebratum enim anno salutis humanæ 794. (sunt verba *Lambardi*) secundum illud Nicææ (quod simulachrorum confirmavit adorationem) Concilium, quo major hominum præceptis (quæ erat temporum illorum caligo) tribueretur auctoritas, de sacrosanctis Dei scriptis aliquid detrahendum existimarunt. Neque vero (quod sciam) in ullo usquam Saxonice conscripto exemplari reperitur. *Spelmannus* adhuc majorem lucem affundit doctrinæ huic Romanæ, p. 363. To. 1. Concil. ita inquiens: Ut Nicæno II. Concilio nihil in Scriptura dissonum audiatur, Romana Ecclesia præceptum *de sculptilibus non adorandis* e Decalogo subtrahit; sed ut denarius tamen resarciatur numerus, decimum apud nos Præceptum bifariam reddit, sic ut *Non concupisces domum proximi tui*: sub eo, *Non desiderabis uxorem vel res proximi tui*; ideoque illi nonum etiam prætereuntes *Ennealogum*, non *Decalogum* relinquebant. Tanti autem ne rei haberentur sacrilegii, recurrunt ad omissionem primam, & repetitam eam denuo (ut denarius compleatur numerus) decimo in loco statuunt. *Ne wyre thu the gyldene godas, oththe seolfrene*; id est *Deos aureos & argenteos ne facito*. Sic Romanam observantes consuetudinem, prætereunt hoc præceptum in loco debito: sed ne sontes adhuc deprehendantur summæ majestatis, restituunt tamen in loco decimo, mancum tamen, & de sculptili nil susurrans. *Lutherus* Romanorum sequutus morem, divisionem eorum Decalogi retinuit, quæ res litem ei movit cum aliis seculi XVI. Reformatoribus, quorum nonnulli Præceptum de imaginibus non adorandis, secundum Præceptum juxta præscriptum Dei constituerunt, illo plane id omittente.

NOTA COLLECTORIS.

Wilkinsius hæc ex alieno calamo protulit, quæ ex proprio scribere vir doctus forte non ausit. Usu recepta est inter Protestantes Anglicanos doctrina, verba Decalogi, *Non habebis Deos alienos coram me*, primum constituere præceptum; & quæ sequuntur, *Non facies tibi*

me, si nomen meum ad vanitatem adhibeas.

III. Recordare diem Sabbathi sanctificare. Operamini sex dies & septimo quiescite, tu & filius tuus, & filia tua, & servus tuus, & ancilla tua, & jumenta tua, & qui ingreditur intra portas tuas. Quoniam sex diebus Christus creavit cœlos & terram, mare & omnes creaturas quæ in eo sunt, & quievit septimo illo die. Et propterea Dominus illum sanctificavit.

IV. Honora patrem tuum & matrem tuam, quos Dominus dedit tibi, ut sis longævus in terris.

V. Non occidas.

VI. Non fureris.

VII. Non adultereris.

VIII. Non dicas falsum testimonium contra proximos tuos.

IX. Non desideres proximi tui hæreditatem injuste.

X. Non facias tibi aureos vel argenteos Deos.

XI. Hæ sunt Leges, quas ipsis proponere debes. Si quis emat Christianum servum, (1) sex annos serviat, septimo sit liber gratis. Cum quali vestimento intrat, cum tali exeat, si ipse uxorem habeat, exeat cum ea. Si dominus autem illi uxorem dederit, sit ipsa & liberi ejus domini. Si servus autem dixerit, nolo *abire* a domino meo, nec ab uxore mea, nec a liberis meis, nec ab hæreditate mea, tunc dominus ejus ipsum ad templi ostium adducat, & perforet aurem illius subula, in signum, quod sit semper in posterum servus.

XII. (2) Licet quis vendiderit filiam suam in famulatum, non sit serva in omnibus, uti aliæ famulæ. Non habeat potestatem eam extraneo populo vendendi, sed si illa non placeat ei qui ipsam emit, dimittat eam liberam ad extraneam gentem. Si autem permiserit filio suo rem cum ea habere, det ei donum, videat ut illa habeat vestitum, & pretium pudicitiæ ejus, hoc est dotem ei suam largiatur. Si ei nihil horum præstiterit, tunc sit libera.

XIII. (3) Si quis sponte hominem occiderit, moriatur morte. Si eum autem coactus occiderit, vel invitus, vel non sponte, quasi Deus eum ita in manum suam tradiderit, & illi nunquam sit insidiatus, sit dignus privilegio suo, & justa gentium compensatione; si asylum quærat. Si quis autem de industria & sponte occidat proximum suum per insidias, abstrahas eum ab ara mea ad morte moriendum.

XIV. (4) Qui patrem suum vel matrem suam percusserit, morte moriatur.

XV. Qui (5) hominem liberum furetur, illumque vendat, & obreptus sit, ut ipsum recipere nequeat, morte moriatur. Qui patri suo vel matri suæ maledixerit, morte moriatur.

XVI.

---

tibi sculptile &c. præceptum secundum efferre. Ut vero denarius præceptorum numerus servetur, quæ nobis nonum & decimum præcepta sunt, ipsi jungunt in unum; criminique dant Catholicis, quod inde a Concilio Nicæno II. præceptum *de imaginibus non adorandis* subtraxerint ex Decalogo. Calumniam apertiorem nunquam audivi.

I. De genuina divisione præceptorum Decalogi non constitit inter veteres, quorum sententias Theologi nostri fere omnes recitant. Catholici sequuntur communius receptam, Quæst. LXXI. in Exodum, alibique expressam D. Augustini sententiam, longe ante Concilium Nicenum II. scribentis, atque ex Decalogi verbis de non habendo Deos alienos, & de imaginibus non adorandis unum præceptum constituentis.

II. Hebræi in Bibliis ad usum suæ gentis impressis præcepta Decalogi dividunt adamussim ut Romano-Catholici. Ego certe habeo pulcherrima Biblia ab Hebræis, & pro Hebræis impressa Venetiis, ex quibus hæc divisio manifestissime constat. Anne dicemus, id constitutum fuisse ab Hebræis post Concilium Nicenum II., ut Romano-Catholicis morem gererent?

III. Catholicis favet perspicua ratio, cum præceptum de imaginibus non adorandis non sit ab antecedente diversum, sed perfectior expositio præcepti de non habendo Deos alienos. Ut enim verbis utar Augustini, quæ citato loco leguntur: *Quod dictum est*, Non erunt tibi Dii alii præter me, *hoc ipsum perfectius explicatur, cum prohibentur colenda figmenta.*

IV. Calumnia est, Catholicos ex Decalogo subtraxisse præceptum de imaginibus non adorandis. Quomodo hoc subtrahere potuissent, cum cuique sacram Scripturam legenti fraus pateret evidentissima? In breviatis equidem Catechismis verba prætermittuntur, utpote substantialiter contenta in illis; *Non habebis Deos alienos coram me;* sicut & in aliis præceptis alia omittuntur verba, quæ non pertinent ad eorundem substantiam; ut scilicet Decalogus, quasi in epitomen redactus, facilius memoria retineatur a pueris, & a rudioribus viris, qui frequenter illum recolere, & recitare edocentur. Sed legant Protestantes Catechismos nostros expositos, & non breviatos, & præsertim Romanum, & suismet oculis videant, an præceptum de imaginibus omissum fuerit, an præcisis verbis appositum, & explicatum.

V. Falsum est, Concilium Nicenum II. *simulacrorum confirmavisse adorationem*, vel Ecclesiæ Romanæ esse dogma, quod imagines sint *adorandæ*. Legantur Synodi tum Nicena II., tum Tridentina, in quibus de honore & veneratione sacris imaginibus impertienda sermo fit, non de latreutico cultu, seu de adoratione, quæ soli Deo debetur.

Hæc longiuscule, ut in veritatis honorem calumniosum arceatur objectum, quo Anglicani Protestantes sibi a suis Doctoribus imponi sinunt, tenebras effundere volentibus in re meridiana luce clariore.

(1) Lex hæc ex cap. xxi. Exodi, comm. 2. 3. 4. 5. 6. desumpta est.

(2) Lex hæc ex cap. xxi. Exodi, comm. 7. 8. 9. 10. 11. desumpta.

(3) Hæc ex eodem cap. comm. 12. 13. 14.

(4) Lex hæc ex cap. xxi. Exodi comm. 15. desumpta est.

(5) Hæc ex ejusdem capitis comm. 16. & 17.

XVI. (1) Si quis proximum suum percusserit lapide vel pugno, & ille tamen egredi possit baculo innixus, adhibeat ei medicum & opus ipsius operetur, quamdiu ille non potest.

XVII. (2) Si quis servum suum proprium vel ancillam percusserit, & ille eodem die non moriatur, licet vivat duos vel tres dies, non sit in omnibus æqualiter reus, quoniam pecunia ejus erat. Si autem eodem die mortuus sit, tunc culpa in eo quiescat.

XVIII. (3) Si quis inter pugnandum gravidæ uxori nocuerit, compenset damnum sicut leges judicant. Si illa moriatur, det vitam pro vita.

XIX. (4) Si quis alterius oculum effoderit, compenset proprio, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, vimen pro vimine.

XX. (5) Si quis servi sui vel ancillæ suæ oculum excusserit, & ille post factum hoc luscus sit, manumittat ipsum statim. Si dentem ei excusserit, faciat idem.

XXI. (6) Si bos cornu petierit virum vel fœminam, ut moriantur, lapidibus obruatur, & caro ejus non edatur, & dominus sit innocens, si bos petulcus antea fuerit, biduum vel triduum, & dominus hoc nesciverit; si ille autem hoc sciverit, & eum intus asservare noluerit, atque is tunc virum vel fœminam occiderit, lapidibus obruatur, & dominus occidatur, vel vita pretio redimatur, prouti Sapientes justum invenerint. Si filium vel filiam confoderit, eidem legi sit obnoxius. Si autem servum vel ancillam confoderit, solvat domino xxx. solidos argenti, & bos lapidibus obruatur.

XXII. (7) Si quis foderit aquæ puteum, vel clausum aperuerit, & eum deinde non claudat, compenset omne jumentum, quod ibi inciderit, & illud mortuum retineat.

XXIII. (8) Si bos alterius bovem vulneraverit, & ille postea moriatur, vendatur bos ille (vivus) & dividant pretium ac carnem etiam ejus, sicuti & mortui. Si dominus autem sciverit, quod bos petulcus esset, & illum asservare noluerit, det ei alium bovem illius loco, & ipse omnem carnem (mortui) retineat.

XXIV. (9) Si quis alterius bovem furetur, & eum occidat, vel vendat, compenset ipsum duobus; & quatuor ovibus unam. Si non habeat quo compenset, ipse vendatur pro pecunia illa.

XXV. (10) Si fur domum alicujus noctu effringat, & ibi occidatur, ille qui eum occidit, non sit homicidii reus. Si deinde post ortum solis hoc fecerit, sit homicidii reus, & tunc ipse moriatur, nisi necessitate impulsus fuerit. Si apud eum, vivum aliquid quod antea furatus erat, inveniatur, dupliciter illud compenset.

XXVI. (11) Si quis damnum intulerit alterius vineæ vel agro, vel alicui ejus terræ, compenset sicut quis illud æstimet.

XXVII. (12) Si ignis immissus sit ad comburendum segetem, compenset detrimentum illud, ille qui ignem immisit.

XXVIII. (13) Si quis apud amicum deponat pecuniam, si ille eam furetur, dupliciter compenset. Si autem nesciat quis eam furtim subduxerit, excuset seipsum, quod nullam fraudem in hoc commiserit. Si hoc vivum animal esset, & ipse dixerit, quod exercitus illud sumpserit, vel quod a seipso mortuum sit, & testes habeat, non necesse est, ut illud compenset. Si autem testes non habeat, & ille ei non credat, tunc juramentum præstet.

XXIX. (14) Si quis fœminam non maritatam deceperit, & cum ea coiverit, compenset ei, & postea illam in uxorem ducat. Si pater fœminæ eam illi dare noluerit, solvat pecuniam illam pro dote.

XXX. (15) Fœminam quæ consuevit excipere incantatores & magos & sagas, ne sinas vivere.

XXXI. (16) Et si quis rem habeat cum bestia, morte moriatur.

XXXII. (17) Et si quis sacrificium immolaverit præter Deo soli, morte moriatur.

XXXIII. (18) Advenam & peregrinum ne affligas, quoniam fuistis peregrini in terra Ægypti.

XXXIV. (19) Viduis & pupillis ne noceatis, neque affligatis eos. Si horum aliquid feceritis, vociferabunt ad me, & ego illos audiam, & ego vos gladio meo occidam, & ego faciam uxores vestras viduas, & liberos vestros pupillos.

XXXV. (20) Si tu pecuniam mutuo dederis socio tuo, qui tecum habitare velit, ne præbe te illi exactorem, neque humilia illum usura tua.

XXXVI. (21) Si quis habeat tantum simplex

(1) Lex hæc ex ejusdem capitis comm. 18. & 19. desumpta est.
(2) Hæc ex comm. 20. 21.
(3) Hæc ex comm. 22.
(4) Hæc ex comm. 24. 25.
(5) Hæc ex comm. 26. 27.
(6) Hæc ex comm. 28. 29. 30. 31. 32.
(7) Lex hæc ex comm. 33. 34. desumpta est.
(8) Hæc ex comm. 35. 36.
(9) Hæc ex cap. XXII. Exod. comm. 1. desumpta est.
(10) Hæc ex ejusdem capitis comm. 2. 3. 4.
(11) Hæc ex comm. 5.
(12) Hæc ex comm. 6.
(13) Hæc ex comm. 7. 8. 10. 11. 13.
(14) Hæc ex comm. 16. 17.
(15) Hæc ex comm. 18. cum hac distinctione tamen, quod pro sagis in V. T. hic fœminas sagas, magos, &c. excipiendo, ponat.
(16) Hæc ex comm. 19.
(17) Hæc ex comm. 20.
(18) Hæc ex comm. 21.
(19) Hæc ex comm. 22. 23. 24.
(20) Hæc ex comm. 25.
(21) Hæc ex comm. 26. 27.

plex veſtimentum, ad ſe eo operiendum & defendendum, & ſi illud pignoris loco det, ante ſolis occaſum ei reddatur. Si tu ita non feceris, tunc clamabit ad me, & ego ipſum audiam, quoniam ego ſum valde miſericors.

XXXVII. (1) Ne calumnieris Dominum tuum; ne maledicas Principi populi tui.

XXXVIII. (2) Decimas tuas & primitias tuas ambulantes, & creſcentes des Deo.

XXXIX. (3) Omnem carnem, quam feræ relinquunt, non edatis; ſed detis illam canibus.

XL. (4) Falſi hominis verbum ne cures, nec ei auſcultes, neque ipſius juri faveas, nec ullum teſtimonium poſt eum dicas.

XLI. (5) Ne ſequaris populi conſilium pravum, & injuſtitiam amantem diſcurſum ejus, & clamorem ſuper jus tuum, nec in maxime inſipienti doctrina ei faveas.

XLII. (6) Si offenderis alicujus pecus errans, licet ſit adverſarii tui, reducas illud ipſi.

XLIII. (7) Judica ſemper juſtum judicium, neque facias aliud jus diviti, aliud pauperi, nec aliud jus amico & aliud inimico facias.

XLIV. (8) Semper evites mendacium.

XLV. (9) Inſontem & innocentem hominem ne affligas unquam.

XLVI. (10) Ne accipias unquam dona, quoniam cæcant ſæpiſſime ſapientum virorum conſilium, & verba eorum pervertunt.

XLVII. (11) Peregrinum & extraneum ne patiaris inſcium ulla aliqua injuria affici.

XLVIII. (12) Ne juretis unquam per Deos Gentilium, neque propter ullam rem aliam ad eos clametis.

XLIX. Hæ ſunt Leges, quas Omnipotens Deus ipſe loquebatur ad Moyſem, & juſſit cuſtodiri. Et poſtquam unigenitus Dei filius, Deus noſter (hoc eſt) Salvator Chriſtus in orbem terrarum veniſſet, dicebat, quod non venerit, præcepta illa violare, aut interdicere, ſed cum omni bonitate & miſericordia implere. Docebat etiam humilitatem. Tum poſt paſſionem ſuam, antequam Apoſtoli ipſius abiiſſent in omnes terras docere, & cum adhuc congregati eſſent, multos Gentiles ad Deum converterunt. Cum hi omnes congregati eſſent, miſerunt legatos in Antiochiam, & Syriam & Ciliciam, Chriſti Leges docere. Cum hi reſciſcerent quod illis acciderit, tunc miſerunt epiſtolam ad illos (13). Hæc eſt autem epiſtola, quam Apoſtoli mittebant omnibus Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ, qui a gentibus ethnicis ad Chriſtum ſunt converſi.

Apoſtoli & Seniores fratres ſalutem vobis optant, & nos vobis nuntiamus, quod nos audiverimus, noſtrorum ſociorum aliquos cum noſtris ſermonibus ad vos veniſſe, & vos triſtibus modis juſſiſſe obſervare ea, quæ non eos juſſimus, & vos ſeduxiſſe variis præceptis, & animas veſtras magis labefactaviſſe quam inſtruxiſſe. Tunc congregati ſumus propter hoc, & nobis omnibus placuit mittere Paulum & Barnabam, viros qui parati ſunt vitam ſuam linquere pro nomine Domini. Cum illis mittimus Judam & Silam, & vobis idem dicant. Spiritui ſancto videbatur & nobis, nullum onus vobis imponere, præter id quod vobis neceſſarium erat obſervatu, quam hoc, ut caveatis ne illud quod Diabolo immolatum eſt, adoretis, & ſanguinem ac ſuffocatum ne edatis, & (*caveatis*) ab occulto concubitu, & quod vultis, ut alii homines vobis non faciant, ne faciatis aliis. Hujus unicæ Legis homo meminiſſe poteſt, ut quemlibet juſte judicet, nec opus habet alio Statutorum libro. Cogitet, ut nullum hominem judicet, quia non vult, ut ipſum judicet ille, ſi jus aliquod in eum quæreret. Poſtquam hoc accidiſſet, quod multæ gentes Chriſti fidem amplexæ ſint, tunc multæ Synodi per totum terrarum orbem congregabantur, & ſimiliter etiam per Anglicam gentem, poſtquam ea Chriſti fidem acceperit, ſanctorum Epiſcoporum, ac aliorum etiam illuſtrium Sapientum. Illi conſtituerunt ex miſericordia, quam Chriſtus docuit pro eo qui maxime peccabat, quod Principes mundi debeant bona eorum venia abſque peccato pro graviſſimo delicto compenſationem pecuniariam accipere, quam illi conſtituunt, excepta proditione Domini, cui nullam miſericordiam audebant aſſignare, quoniam Deus Omnipotens illum neutiquam judicabit, qui eum contempſit, neque Chriſtus Dei filius illum unquam condemnabit, qui ipſum in mortem tradidit. Et juſſit Dominum amari ſicut ſeipſum. Hi igitur in multis Synodis multis humanis ſceleribus pœnas conſtituerunt, & in multis Synodalibus libris ſcribi juſſerunt, ubi una Lex ubi altera.

Ego Ælfredus Rex in unum colligi & litteris conſignari juſſi, multa eorum quæ parentes noſtri obſervabant, quæ mihi placebant, & multa eorum quæ mihi non placebant

(1) Hæc ex comm. 28.
(2) Hæc ex comm. 29.
(3) Hæc ex comm. 31.
(4) Hæc ex capite XXIII. Exodi, comm. 1.
(5) Ex comm. 2. 3.
(6) Ex comm. 4.
(7) Ex comm. 6. magis prolixe tamen in textu Saxonico.
(8) Ex priori parte commatis 7.
(9) Ex poſter. parte comm. 7.
(10) Ex comm. 8.
(11) Ex priori parte comm. 9.
(12) Ex poſter. parte comm. 13.
(13) Recitatur ea *Actor.* 15. comm. 23. ... 29. Hic tamen regula illa quam Chriſtus auditoribus ſuis dedit *Matth.* vii. 12. additur ſub finem epiſtolæ.

bant rejeci cum meo ſapienti Concilio, & alio modo juſſi obſervari. Quoniam non audebam tentare meorum (ſtatutorum) aliqua ſcriptis conſignare. Porro etiam me latuit quid eorum placuerit illis, qui nobis ſuccederent. Aſt cum deprehenderim ſive in diebus Inæ cognati mei, vel in Offæ Merciorum Regis, vel in Æthelberti, qui primus baptiſma accepit in natione Anglica, ea quæ mihi juſtiſſima videbantur, exinde collegi, & reliqua neglexi. Ego Ælfredus Occiduorum Saxonum Rex omnibus meis Sapientibus hic uſus ſum, & illi dicebant, quod ipſis omnibus bene placuerint ea, ut obſervarentur.

Cap. I. *De juramentis & vadiis.*

INprimis docemus, quod maxime neceſſarium eſt, ut quilibet homo juramentum ſuum & pactum ſuum caute obſervet. Si quis in contrarium hujus coactus ſit in errore, vel ad proditionem domini, vel ad aliqua injuſta auxilia, tunc rectius eſt hoc ementiri quam implere. Si autem paciſcatur id quod ei juſtum eſt præſtandi, & illud tranſgrediatur, det humiliter arma ſua & poſſeſſionem ſuam amicis ſuis tenenda, & ſit quadraginta dies in carcere in Regis urbe, ibi paſſurus ſicuti Epiſcopus ei impoſuerit, & cognati ejus paſcant ipſum, ſi ipſe victum non habeat, Si cognatos non habeat, vel tunc cibum non habeat, Regis Præpoſitus eum paſcat. Si ad id cogi oporteat, & aliter nolit, ſi vinciatur, perdat arma ſua & hæreditatem ſuam. Si occidatur, jaceat inultus. Si aufugiat ante terminum, & apprehendatur, ſit quadraginta dies in carcere, ut ante debuerat. Si autem amittatur, ſit exul, & excommunicatus ab omnibus Chriſti Eccleſiis. Si tunc alterius hominis fidejuſſor ſit, emendet violatam fidem, ſicuti ei juſtum viſum erit, & tunc pactum frangat, ſicuti confeſſio ejus exegerit.

II. *De refugiis ad templa* (1).

Si quis ad Eccleſiæ manſionem pro qualicunque culpa confugiat, quæ ad Regis villam non pertinet, vel aliam liberam familiam honoratam, habeat trium dierum terminum ſe ibi abſcondendi, niſi reconciliari voluerit. Si quis ipſum in hoc termino infirmaverit verberibus, vel vinculis, vel vulneribus, emendet quodlibet eorum ſecundum jus patriæ, tam capitis æſtimatione quam pœna, & Eccleſiæ miniſtris centum viginti ſolidos pro infractione pacis eccleſiaſticæ compenſet, & bona ejus apprehendantur.

III. *De violatione vadimonii* (2).

Si quis fidejuſſionem Regi factam violaverit, compenſet noxiam hanc, ſicut ei (*Regi ſc.*) rectum videtur, & violationem fidejuſſionis quinque libris bonæ monetæ. Violationem fidei Archiepiſcopo factam, vel pacis violationem emendet (*ille*) tribus libris. Alterius Epiſcopi vel Senatoris fidem vel pacem violatam emendet duabus libris.

IV. *De proditione domini* (3).

Si quis vitæ Regis inſidietur per ſe vel per ultores mercede conductos, vel ſervos ſuos, vita privetur, & omnibus quæ poſſidet. Si ſeipſum culpa eximere voluerit, faciat hoc pro æſtimatione capitis Regii. Ita etiam ordinamus pro omnibus perſonis, tam Colonis quam Comitibus. Si quis vitæ domini ſui inſidiatur, hoc ipſo vitam ſuam amittat, & omnia quæ poſſidet, vel pro ratio-

(1) Vide quæ ſupra ad Legem Inæ 5. de Eccleſiæ aſylis diximus.

(2) Fidejuſſionem violatam Rex Ælfredus, Lege 29. infra, antejuramento purgari vult in quatuor Eccleſiis. Rex *Eadgarus* inter Leges Civiles Lege 7. & *Æthelredus* Lege 1. Fidejuſſorem pro peccatis ejus, cujus vas eſt, plenario compenſare vult. *Cnutus* Lege 55. Legem hanc Ælfredi totidem fere verbis repetit. Lex *Salica*, tit. 52. de eo qui fidem factam alteri reddere noluerit, hæc habet: Si quis ingenuus aut lidus alteri fidem fecerit, tunc ille, cui fides facta eſt, 40. noctes, aut quomodo placitum fecit, quando fidem ei fecit, ad domum illius cum teſtibus ambulare debet, vel cum illis qui pretium adpretiare debent, & ſi noluerit fidem factam ſolvere 600. den. qui faciunt ſolid. 15. culpabilis judicetur.

(3) De inſidiis vitæ domini ſui factis *Ætelſtanus* Rex Lege 4. ſtatuit, quod ſervus vita privandus ſit, qui eas inficiari nequit, vel poſtea in triplici Ordalio reus fuerit. Vid. & *Cnuti* Leg. 54. in libro Conſtitutionum anno 1008. ſub *Æthelredo* editarum: qui Regis vitæ inſidiatus fuerit, vitæ ſuæ reus ſit, & ſi illud excuſare velit, faciat hoc per compenſationem æſtimationis capitis Regii, vel per triplex Ordalium juxta Leges Anglorum. In Capitul. *Carol.* & *Lud.* lib. 7. tit. 148. Servi Dominos accuſare non poſſunt; ſi ſervi facinora dominorum confeſſi ſunt, nullo modo audiantur, niſi forte eos reos deferat Majeſtatis. Vid. & tit. ſeq. 177. & tit. 342. Servus criminis delator atque accuſator domini, quo exiſtimatio, caput atque fortunæ ejus pereant, ante exhibitionem teſtium, ante examinatum judicium, in ipſa expoſitione criminum, atque accuſationis exordio ultore gladio feriendus. Quanto magis ſi inſidias vitæ domini fecerit? ſi ſervus dominum ſuum interfecerit, tormentis interficiatur, eſt Lex *Friſionum* 20. §. 3. Apud *Wiſigothos* quicunque ſervus dominum vel dominam intra domum vel cortis ſuæ januam violenter incluſerit, eiſque aditum egreſſionis negaverit, ſive ut id fieret, aliis præceperit, pro auſi temeritate auctor ſceleris det domino vel dominæ auri ſolidos numero 30. & inſuper centum flagella ſuſcipiat. Apud *Longobardos* ſervus, qui dominum ſuum occiderit, occidatur, & ſi quis ipſum hominem defenſaverit, qui dominum ſuum occiderit, ſit culpabilis 90. ſolid. medietatem Regi, & medietatem parentibus mortui. Vid. Tom. 1. Cod. LL. Antiq. *Lindenbrogii*.

ratione æſtimationis capitis domini ſui culpa eximatur.

V. *De pace eccleſiaſtica*. (1)

Ordinamus etiam cuilibet Eccleſiæ ab Epiſcopo conſecratæ pacem hanc. Si quis facinoroſus incurrat, vel (*ad eam*) confugiat, ut nemo ipſum intra ſeptem dies inde extrahat. Si quis hoc fecerit, reus ſit violationis pacis Regiæ & Eccleſiæ (majoris criminis, ſi plures exinde rapuerit) ſi præ fame vivere poſſit, niſi ipſe viam vi aperuerit. Si æditui magis opus habeant Eccleſia ſua, cuſtodiant eum in alia domo, quæ non habeat plura oſtia quam Eccleſia. Caveat Eccleſiæ illius Senior, ut ei intra hoc ſpatium cibum non præbeat. Si ipſe arma ſua capientibus eum extradere vellet, cuſtodiant ipſum triginta dies, & illum cognatis ſuis offerant. Pax Eccleſiæ etiam eſt, ſi quis ad Eccleſiam confugerit pro delicto quod antea tamen patefactum non erat, & illud ibi in Dei nomine fateatur, dimidium (*pœnæ*) ei condonetur. Si quis furetur die Dominico, vel feſto Nativitatis Chriſti, vel Paſchate, vel feſto Aſcenſionis Domini, vel diebus luſtrationis, volumus ut eodem modo duplum ſolvat, ac feſtis quadrageſimæ.

VI. *De ſacrilegio*. (2)

Si quis in templo aliquid furetur, ſolvat valorem, & mulctam quæ ad valorem pertinere poteſt, & manus ei abſcindatur, quacum hoc commiſit. Si manum redimere velit, & hoc ei permittatur, ſolvat id quod ad capitis ejus æſtimationem pertinet.

VII. *De iis qui in aula Regia pugnant*.

Si quis in aula Regia pugnet, vel arma ſua extrahat & capiatur, ſit in Regis arbitrio tam mors quam vita, ſicut ei condonare voluerit. Si aufugiat, & poſtea capiatur, redimat ſeipſum pro æſtimatione capitis ſui, & culpam hanc compenſet tam ratione æſtimationis capitis ſui, quam ratione mulctæ, ſicut egerit.

VIII. *De eo qui monialem e templo eduxerit*. (3)

Si quis monialem e templo educit, abſque venia Regis vel Epiſcopi, ſolvat centum viginti ſolidos, dimidium Regi, dimidium Epiſcopo ac Præpoſito templi qui monialem habet. Si ipſa diutius vivat, quam ille qui ipſam eduxit, nihil ea de hæreditate ejus habeat. Si infantem procreaverit, non habeat plus de hæreditate ipſius quam mater ejus. Si infans illius occidatur, ſolvatur Regi pars maternæ cognationis, patris parentibus pars detur.

IX. *De eo qui mulierem gravidam interficit*. (4)

Si quis mulierem gravidam interficit, quum

---

(1) Vide quæ ſupra de Aſylis & Pace Eccleſiæ diximus.

(2) De ſacrilegio jam ſupra ad Leges *Æthelbirhti* quædam diximus.

(3) *Edmundus* Rex rapinam Monialis æque ac homicidium compenſari vult, & corpus malefici hujuſmodi a conſecrato cœmeterio arcet. In *Conſtitut. Siculis* lib. I. tit. 19. Si quis rapere ſacratas Deo virgines aut nondum velatas occaſione etiam matrimonii jungendi præſumpſerit, capitali pœna feriatur. Apud *Bajuvarios* Lex extat tit. I. §. 12. Si quis ſanctimonialem, hoc eſt, Deo dicatam de monaſterio traxerit, & eam ſibi in conjugio duxerit contra Legem Eccleſiaſticam, requirat eam Epiſcopus civitatis illius cum conſilio Ducis; velit, nolit, tamen reddat eam ad illud monaſterium, unde eam tulit, & componat ad illud monaſterium dupliciter, ſicut ſolet componere qui alienam rapit ſponſam. In Capitul. *Carol.* & *Lud.* Impp. lib. 5. tit. 232. hæc ſtatuitur Lex: Si quis rapuerit, vel ſollicitaverit, vel corruperit religioſam fœminam, bona amborum Eccleſia vindicet, in qua talis mulier habitavit; ipſi tamen capitali periculo jubjiciantur. Quod ſi hæc mulier conſenſit, cum ſuis rebus monaſticæ cautioni tradatur; ſi vero liberos habet, pars legitima eis reſervetur. Quod ſi intra annum poſt cognitum tale ſcelus a religioſis locis non vindicetur, Comes loci illius hæc noſtro fiſco addicat. Si vero Comes Provinciæ vindictam tali crimini imponi neglexerit, honore careat, & duas libras auri fiſci juribus dare compellatur. Vid. & lib. 6. tit. 100. Apud *Longobardos*, lib. 2. tit. 37. §. I. hæc ſtatuitur Lex: Qui fœminam, quæ velamen Religionis in ſe recepit, rapuerit, componat ſolid. mille, & præcedat cauſa Dei ſolid. 100. quoniam de raptu ſecularis fœminæ compoſitio 900. ſolid. in edicto legitur: ipſa vero quæ non ſervavit eam cauſam, quæ ſupra legitur, & malo ſupradicto conſenſerit, pœnæ ſupradictæ ſubjaceat. Conf. huc Canon. *Iſaaci* Epiſcopi *Lingonenſis*, tit. 5. de Raptoribus, tom. I. Capitul. *Baluz.* p. 1261. ſeqq.

(4) Inter Leges Civiles regni *Sueciæ*, titul. II. de Homicid. volunt. cap. 12. de homicidio mulieris prægnantis, extat Lex: Si occidatur caſu mulier uterum ex infante concepto geſtans, mulcta dupli erit: ex illa mulcta mulieris occiſæ hæredes dimidium, & Rex ac Civitas dimidium capient. Viginti vero marcarum mulctam pro infante extincto mulieris hæredes ſolam capiant, ſi ſex virorum & duarum bonarum uxorum teſtimonium adſit, quæ teſtentur fœtum in ejus utero vivum fuiſſe. Si hoc non adſit, purget ſe reus ſex virorum juramento, infantis cauſa. Vid. & tit. ſeq. 12. cap. 13. *Leg. Civil. Regni Sueciæ*. Lege *Salica* cap. 26. tit. 4. ſtatutum eſt, quod ſi quis fœminam gravidam occiderit, 28. mille den. qui faciunt ſol. 700. culpabilis judicetur. Repetitur ſtatutum hoc in Capitul. *Caroli M.* To. I. Capitul. *Baluz.* p. 297. *Wiſigothi*, lib. 6. tit. 3. §. 2. Legem habent, ſi quis mulierem gravidam percuſſerit quocumque ictu, aut per aliquam occaſionem mulierem ingenuam avortare fecerit, & exinde mortua fuerit, pro homicidio puniatur: ſi autem tantummodo partus excutiatur, & mulier in nullo debilitata fuerit, & ingenuus ingenuæ hoc intuliſſe cognoſcitur, ſi formatum infantem extinxit, 250. ſoli-

quum infans in ea eft, folvatur mulier illa integra capitis æftimatione, & infans pro paternæ prolis æftimatione capitis, dimidio. Semper fit mulcta fexaginta folidorum, donec æftimatio capitis crefcat ad xxx. folidos; poftquam ad hoc creverit æftimatio capitis, tum mulcta fit centum viginti folidorum. Olim erat fur auri, & equi admiffarii fur, & fur apum, & multæ mulctæ majores quam aliæ, nunc omnes funt æquales, excepto fure hominis, centum viginti folidorum.

X. *De fornicatoribus.* (1)

Si quis rem habeat cum duodecies centum (*folidorum*) hominis uxore, centum viginti folidos folvat pro æftimatione capitis. Sex centum folidorum hominis centum folidis emendet; coloni quadraginta folidis. Et hoc in viventi poffeffione pecunia componatur, & nullus homo propterea vendatur.

XI. Si quis coloni uxoris mamillas attrectaverit, quinque folidis ei emendetur. Si profternat eam, nec rem cum illa habeat, decem folidis emendet. Si rem cum illa habeat, fexaginta folidis compenfet. Si alius vir cum ipfa prius coivit, dimidium hujus fit emendatio. Si quis illum accufet, excufet hoc fexaginta hydis, vel perdat dimidium emendationis. Si illuftris familiæ marito hoc accidat, emendatio pro capitis æftimatione crefcat.

XII. *De fylvæ combuftione.* (2)

Si quis alterius nemus comburat vel cædat abfque venia, compenfet unamquamque magnam arborem quinque folidis; & deinde quamlibet, quotquot fint, quinque denariis, & triginta folidis mulctæ loco.

XIII. *De eo qui alterum profternit.*

Si quis alium in communi opere cafu profternat, detur cognatis arbor (*ad quam eum proftravit*) & habeant illam infra triginta dies e terra, vel fumat eam is cujus nemus eft.

XIV. *De muti hominis fceleribus.*

Si quis mutus vel furdus natus fit, ut peccata fua confiteri nequeat, nec inficiari, emendet pater fcelera ipfius.

XV. *De pugnis.*

Si quis coram Archiepifcopo pugnet vel arma ftringat, centum quinquaginta folidis emendet. Si coram alio Epifcopo vel Senatore hoc accidat, centum folidis emendet.

XVI. *De eo qui equam vel vaccam furatur.*

Si quis vaccam vel equam ad fœtum furetur, & pullum vel vitulum abegerit, compenfet hoc xl. folidis, & matrem pretio ejus (3).

XVII.

---

folidos reddat; fi vero informem, centum folidos pro facto reftituat. *Alamanni*, Lege 77. fanciverunt, fi qua mulier gravida fuerit, & per factum alterius infans natus mortuus fuerit, aut fi vivus natus fuerit, & octo dies non vivit, cui imputatum fuerit, 40. fol. folvat, aut cum 12. mediis electis juret. Lex *Ripuariorum* 36. ait; Si quis partum in fœmina interfecerit, feu natum priufquam nomen habeat, 100. folidorum culpabilis judicetur. Quod fi matrem cum partu interfecerit, 700. fol. mulctetur. *Longobardi*, tit. 8. lib. 1. §. 28. ftatuunt; Quod fi quis percufferit ancillam gravidam & abortum fecerit, componat fol. tribus; fi autem ex ipfa percuffura mortua fuerit, componat eum fimul, & quod in utero ejus mortuum fuerit.

(1) Vid. quæ fupra ad Leges *Æthelbirthti* de fornicationis pœna diximus.

(2) Rex *Ina* incendiarios æque ac veneficos puniri vult fupra Lege 77. & apud antiquos *Suecones* ac *Gothos* incendiarii in ipfo actu deprehenfi capitis rei erant, cum reliqua crimina pauciffimis exceptis pecunia expiari poterant. Vid. *Stiernb.* lib. 3. cap. 4. de Homicid. p. 361. In Legibus Provincialibus regni *Sueciæ*, tit. 5. *de Jure Ædific.* tit. 38. hæc extat Lex; Si quis comburat fructiferam fylvam cafu quodam, & quidem quercum aut fagum, pro fingulis pendat mulctam trium oratum, fic pro fecunda & tertia, & præftet juramentum de cafu fortuito cum terna manu, Si quartam arborem fructiferam exurat, pendat novem oras, & præftet juramentum cafualis incendii cum fex viris. Si novem aut plures exurat, mulctetur feptem marcis, & præftet jusjurandum de cafuali incendio cum duodena manu. Si tale juramentum præftare nequeat, pro una quercu pendat fex oras, ita pro altera & tertia; fi quartam comburat, mulctetur tribus marcis; fi decem comburat, mulctetur decem marcis tripartiendis; fi viginti vel plures comburat, mulctetur 20. marcis, nec major fit ea mulcta. Vide & Leges *W. Gothicas* in *Suionia* editas ab *Ol. Rubechio*, tit. *de legali luitione*, cap. 4. *Wifigothi* Legem conftituerunt, fi quis qualemque fylvam incenderit alienam, five piceas arbores vel caricas, hoc eft, ficus, aut cujuslibet generis arbores cremaverit, correptus a Judice centum flagella fufcipiat, & pro damno fatisfaciat, ficut ab his, qui infpexerint, fuerit æftimatum. Quod fi fervus hoc domino nefciente commiferit, 150. flagellorum verberibus addicetur. Et in pro eo dominus componere noluerit, cum duplum aut triplum dampni fecerit, quam quod eundem fervum valere conftiterit, ipfum fervum pro facto tradere non moretur. Et in *Edicto Theodorici Regis*, Lege 98. de arboribus frugiferis, aut fylvis, vinctis, vel fegete per incendium læfis, ftatutum eft, quod dominus fervi aut colonus dampnum compenfet, aut tradat eum Judici puniendum. *Longobardi* de igne in fylvam immiffo hæc decreverunt; fi fervus comprobatus fuerit hoc feciffe, dominus ejus ad flagellandum & caput tondendum eum tradat, aut pro eo quicquid damni fecerit, emendare cogatur. Si aliqua libera perfona hoc feciffe probata fuerit, emendare cogatur, & infuper bannum noftrum componat: & fi non habuerit unde componat, flagelletur. Lib. 1. LL. *Longob.* tit. 19. cap. 27.

(3) Veteres *Suecones* & *Gothi* fures abigeos qui equum, armenta vel pecora furabantur, fufpendio puniebant. Vid. *Stiernb.* cap. 5. *de Furtis*, p. 371. Hodiernæ Leges Provinc. & Ci-

XVII. *De eo qui alteri imbecillum quid commendat.*

Si quis alteri imbecille suum commendet, & illud in ipsa commendatione moriatur, justificet fraudem illam qui id pascebatur; si quis ipsum alicujus rei criminetur.

XVIII. *De contrectatione Monialis.*

Si quis Monialem fornicationis causa, vel vestem ejus vel ubera ejus, absque licentia contrectaverit, duplum compenset, sicut antea de laicis injunximus. Si cum maritata uxore concumbat, si sit coloni, sexaginta solidis compenset ei ad quem pertinet, & hoc in viventi possessione pecunia componatur, & nullus homo propterea vendatur. Si sit sexies centeni hominis, centum solidis compenset ei ad quem pertinet. Si illa sit duodecies centeni hominis, centum viginti solidis compenset ei ad quem pertinet.

XIX. *De eo qui ferrum suum mutuo dat ad homicidium.* (1)

Si quis arma sua alteri mutuo det, ad aliquem iis occidendum, debent conjungi si velint, pro æstimatione capitis ejus. Si seipsos conjungere nolint, solvat ille qui arma mutuo dedit, tertiam partem æstimationis capitis, & tertiam partem mulctæ. Si ille fidem facere velit, quod in hac mutuatione fraudem nesciverit, hoc ei liceat. Si machæropius alterius arma elimanda susceperit, vel faber alicujus opus faciendum, integra ei ambo reddant, sicut illud, sive illa, antea acceperunt, nisi prius paciscantur, quod ad solutionem non teneantur.

XX. *De eo qui monacho nummum concredit.*

Si quis alterius monacho pecuniam concredat, absque Præpositi monasterii venia, & eam ipsi amiserit, nihil inde recipiat qui eam prius possedit.

XXI. *De sacerdotum pugna.* (2)

Si sacerdos aliquem occidat, capiatur omne quo mansionem sibi emit, & Episcopus ipsum sacris ordinibus exuat, tunc ab Ecclesia extradatur, nisi dominus capitis æstimatione veniam illi impetrare voluerit.

XXII. *De debiti recognitione.*

Si quis in conventu populi Regis Præfecto debitum manifestet, & illud deinde remittere velit, constituat id ad rectiorem manum, si possit, si non possit, perdat æstimationem rei, & ad mulctam abeat.

XXIII. *De occisione per canem facta.* (3)

Si canis aliquem occidat, vel mordeat, pro primo delicto solvantur sex solidi, si (*dominus ejus*) cibum illi dederit: pro secunda vice duodecim solidos; pro tertia xxx. solidos. Si post hoc delictum aliquod canis aufugiat, compensatio hæc nihilominus fiat. Si canis majora delicta committat,

Civiles Regni *Sueciæ* ad patibulum eos damnant, nec ullum locum redemptionis illis concedunt. Vid. *Loccen.* tit. *de Furto*, c. 2. & c. 18. *Dani* fures equi, equæ, bovis aut vaccæ ad palum verberibus castigant, infami furacitatis stigmate frontem pungendos. Iterum tanti sceleris reos, iteratis ad palum coercent verberibus, ac ad ergastulum nauticum, aut alio ut catenis injectis æterno se labore ibi frangant, damnantur. Vid. lib. 6. *Jur. Dan.* cap. 17. §. 36. 37. *Wisigothi* mitiores in pœna furti equorum erant, ac mulctam sedecim trientum tripartiendorum, non vitam requirebant. Vid. Leges *W. Gothic.* edit. *Ol. Rudbeck.* tit. *de Prærept. rer. alien.* c. 1. Apud *Alamannos* dominus equi furtim ablati de valore illius cum duobus jurabat, postea fur illi solvebat talem qualem ille juraverit in caput, & illos alios 9. weregeldos solvebat, medietatem in auro valente pecuniam, medietatem autem qualem invenire potuerit pecuniam. Vid. LL. *Alaman.* apud *Lindenbr.* cap. 69. & 70. Vid. eandem fere Legem in Capitul. Regg. Franc. tom. 1. p. 77. Lex *Salica* equum juxta utilitatem & ornatum æstimari, ac capitale in locum ejus furtim ablati restitui vult. *Leg. Salic.* 19. & 40.

(1) Vide quæ supra ad LL. Æthelbyrthi de mutuo datis armis diximus.

(2) Agit Lex hæc de Sacerdote homicida potius quam de Sacerdotum pugna. In *Lib. Constitut. Æthelredi*. Presbyter homicida perdit tam ordinem quam terram, & ultio fit, quam amplam ei Papa præscripserit, & diligenter pœnitere jubetur. Idem & *Cnutus* Lege 38. asserit; superaddit quoque quod se purgare possit triplo, attamen nisi intra 30. dies compensationem inceperit apud Deum & apud homines, exlegem eum pronunciet. In Legibus Provincialibus & Civilibus Regni *Sueciæ* Sacerdos homicida mulcta homicidium expiat: Episcopus mulctæ partem Regi debitam capit, & hæredes mortui actori debitam mulctæ portionem, & civitas tertiam suam partem accipient. Vid. *Loccen.* tit. 10. & 11. de Homicid. volunt. c. 31. & 7.

(3) *Wisigothi* mortem hominis ex morsu canis mortui tribus marcis compensant. Vid. Leges *W. Gothicas* per *Ol. Rudb.* edit. tit. *de Homicid.* cap. ult. Apud *Burgundiones* Lex extat, quod si morsus canis hominis mortem intulerit, ut canis per quem damnum videtur admissum, tradatur illi, qui damnum pertulit. Leg. *Burgund.* tit. 18. §. 1. *Bajuvarii* Legum suarum tit. 19. §. 10. sanciverunt, quod si canis damnum aliquod fecerit, ut dominus canis, quod canis fecit componat medietatem acsi ipse fecisset. *Alamanni* severiorem pœnam statuerunt Lege 99. §. 22. Si canis alienus hominem occiderit, medium weregildum solvat (dominus ejus.) Et si totum weregildum quærat (hæres defuncti) omnia ostia sua claudantur, & per unum ostium semper intret & exeat; & de illo limitare novem pedes suspendatur, usque dum totus putrescat, & ibi putritus cadat, & ossa ipsius ibi jaceant. Per aliud ostium non intret nec exeat. Et si canem ipsum inde jactaverit, aut per alium ostium intraverit in casam, ipsum weregildum medium reddat. *Longobardi* restitutionem vel compositionem damni a cane facti requirunt. Legum lib. 1. tit. 21. §. 2.

tat, & ille eum retineat, solvat plenam capitis æstimationem secundum criminis cujuscunque quod commisit compensationem.

XXIV. *De delictis bestiæ.*

Si animal aliquem vulneret, capiatur animal illud, vel pretio redimatur.

XXV. *De stupro.* (1)

Si quis coloni mancipium ad stuprum comminetur, quinque solidis colono emendet, & sexaginta solidis mulctæ loco. Si servus servam ad stuprum coegerit, compenset hoc virga sua virili. Si quis puellam teneræ ætatis ad illicitum concubitum comminetur, eodem modo puniatur quo ille, qui adultæ servæ hoc fecerit.

XXVI. *De homicidio a turma facto.* (2)

Si quis hominem ducentorum solidorum innocentem cum turma occiderit, solvat qui homicidium hoc confessus est, capitis æstimationem, & mulctam; & quilibet homo qui ex ea parte fuerat, solvat xxx. solidos pro compensatione turmæ. Si sit sexcentenus homo, quilibet pro compensatione turmæ solvat sexaginta solidos, & interfector capitis æstimationem ac mulctam. Si sit duodecies centenus homo, quilibet eorum centum viginti solidos det, & interfector capitis æstimationem ac mulctam. Si turma hoc fecerit, & *quilibet* deinde juramento negare voluerit, accusentur illi omnes, & tunc omnes capitis æstimationem æqualiter solvant, & omnes pœnam sicuti ad capitis æstimationem pertinet.

XXVII. *De hominibus cognatis carentibus.*

Si paterna cognatione orbus homo pugnet, & aliquem interficiat, & tunc si ex materno latere cognatos habeat, solvant tertiam partem æstimationis hujus capitis, & tertiam partem contubernalibus ejus, & pro tertia parte fugiat. Si materno de latere cognatos non habeat, dimidia pars solvatur contubernalibus, & pro dimidia parte fugiat.

---

(1) Quæ de fornicatione ad Leges *Æthelbyrhti* supra diximus, ad posteriorem Legis hujus partem spectant, de stupro autem nulla specialis præter hanc inter Saxonicas extat Lex. In *Concilio Ænbamensi*, cap. 28. & in Lege *Cnuti* 24. jubemur evitare aut graviter compensare tale crimen. *Guilielmus* Conquestor Lege 19. sancivit, qui fœminam vi oppresserit, forisfacit membra sua. Qui prostraverit fœminam ad terram, & ei vim inferat, mulcta ejus domino est 10. solidi: si vero eam compresserit, forisfacit membra. Stuprum in virginem vel honestam viduam commissum gravissime puniebatur apud veteres *Suecones* & *Gothos*; naso oppressor mutilabatur, nisi stupratam duxisset, quæ sane pœna repagulo fuit multorum libidini & pudicitiæ monumento, ut aut non tangerent ingenuas, aut vitiatas ducerent. Pœna hæc postea commutata est in pecuniam, sed ut tunc fuerunt tempora gravissimam, sc. 40. marcarum, quæ etiam homicidii ordinaria erat, quæ plerumque infamiam comitem habuit, utpote qua nasi mutilatio redempta fuit, quandoque etiam relegatio conjuncta, nisi tutor fœminæ intercessisset. In Legibus Civilibus regni *Sueciæ* virgini aut mulieri violentum stuprum inferens, capite plecti jubetur, si sex virorum testimonium adsit; si non adsint testes, sed signa infallibilia facinoris commissi, 12. virorum cognitioni tota res committenda, & crimen vel vita vel mulcta compensandum est. Porro, si quis fœminæ violentum stuprum intentet, & illa illum hoc ipso occidat sex viris testantibus, impune sit. Vid. *Loccen.* tit. 9. *de Violat. Pacis*, cap. 11. Apud *Danos* qui virginem vel viduam spectatæ pudicitiæ unam vel alteram, tres pluresve constuprasse non erubuerit, non modo mulctam semunciæ infamis sufferto, sed etiam morte aliaque pœna gravissima multator, aliis exemplo ac terrori futurus. *Frisiones*, tit. 9. hanc de stupro statuerunt Legem: Si quis puellam virginem rapuerit, & violatam dimiserit, componat ei weregildum ejus, sive nobilis sive libera fuerit, ad satisfactionem & ad partem Regis similiter, tertium weregildum patri sive tutori puellæ. Si autem puella lita (*serva*) fuerit, satisfaciat ei similiter solutione weregildi sui & domino ejus 10. solid. componat. In Edicto *Theoderici* Regis Lege 89. quinta pars patrimonii in virginem stupratam conferebatur, si oppressor eam in uxorem duxerit; si autem uxoratus hoc commiserit, tertiam partem patrimonii illi tradat; si autem violator pudoris nullo patrimonio aut nobilitate fulciatur, supplicio adficitur extremo.

(2) De homicidio in præsentia plurium facto veteres *Gothi* & *Suecones* statuerunt, quod quamvis omnes ad pœnitentiam publicam, non ultra tres tamen obligentur ad pœnam cædis ordinariam, quorum unus consultoris nomine, alter detentoris, tertius occisoris, singuli ut auctores cædis puniendi, sed diversa tamen pœna. Vid. *Stiernh.* cap. 4. *de Homicid.* p. 361. seq. In Legibus Provinc. regni *Sueciæ* homicidium cooperantis mulcta est 9. marcarum: Et si quis culpetur consilii ad homicidii causam, purget se cum 12. Sacramentalibus, vel mulctetur sex marcis, quæ soli actori addicentur. Tit. 10. cap. 21. *Dani* omnes exilio mulctant, qui interfecto vim & manus intulerint, cædentes, vulnerantes seu lædentes, lib. 6. *Jur. Dan.* c. 6. §. 2. Lex *Salica*, tit. 44. §. 3. sancivit, quod si corpus occisi hominis tres plagas vel amplius habuerit, tres qui inculpantur, & quod in eo contubernio fuissent, convincuntur, 700. singulatim cogantur exsolvere. Alii vero tres de eodem contubernio sol. 90. unusquisque illorum culpabilis judicetur. Et tres adhuc in tertio loco de eodem contubernio sol. 45. singuli eorum cogantur exsolvere. Lex *Frisionum*, tit. 14. ait: Si homo quislibet in seditione ac turba populi fuerit interfectus, nec homicida poterit inveniri propter multitudinem eorum qui aderant, licet ei qui compositionem ipsius quærere vult, de homicidio usque ad septem homines interpellare, & unicuique eorum crimen homicidii objicere, & debet unusquisque eorum sua duodecima manu objecti criminis se purificare Sacramento. *Longobardi*, tit. 9. §. 1. homicidium in societate duorum aut trium hominum patratum componi volunt 20. solidis, ut quilibet se purificet, quod nec plagam nec feritam in ipso homine, qui occisus est, fecerit.

giat. Si quis hujusmodi hominem interficiat, si cognatos non habeat, solvatur dimidium Regi, dimidium contubernalibus.

XXVIII. *De rumoribus fictitiis*. (1)

Si quis publicum mendacium confingat, & ille in eo firmetur, nulla levi re hoc emendet, sed lingua ei excidatur, nec minori precio redimi liceat, quam juxta capitis æstimationem censebatur.

XXIX. *De eo qui de aliqua re Deo præstanda pro altero fidejusserit*. (2)

Si quis fidejussionis Deo pro altero præstandæ accusatus fuerit, & compellare voluerit, quod aliquid eorum quæ ipsi debebat, non præstiterit, faciat tunc ante juramentum in quatuor Ecclesiis, & si alter ipsum culpa eximere voluerit, in duodecim Ecclesiis hoc faciat.

XXX. *De mercatoribus*.

Item mercatoribus incumbit, ut homines, quos secum ducunt, sistant coram Regis Præfectis in populi conventu, & significent, quot sint eorum, & illi viros eos secum assumant, quos postea in Concilio populi ad jus restituere possint. Et cum opus sit plures homines secum in itinere suo habere, nuntient id solemniter Regiis Præpositis, quoties illis necesse est, in conventus testimonio.

XXXI. *De colono vinculis constricto*. (3)

Si quis colonum innocentem vinculis constrinxerit, decem solidis emendet; si eum verberaverit, viginti solidis emendet. Si eum ad ergastulum perduxerit, XXX. solidis emendet. Si ipsum in opprobrium ignominiosum totonderit, X. solidis emendet. Si illum in Presbyterum tondeat solutum, XXX. solidis emendet. Si barbam ejus resecaverit, XX. solidis emendet. Si eum vinciat, & tunc in Presbyterum tondeat, LX. solidis emendet.

XXXII. *De hastæ negligentia*.

Inventum est etiam, si quis hastam humero gestet, & in alium impegerit, solvat capitis æstimationem absque mulcta. Si in oculos impingat, tunc solvat æstimationem capitis; si accusetur sponte hoc fecisse, culpa eximatur per mulctam, & hoc pacto mulctæ satisfaciat; si acies altior sit tribus digitis quam reliqua pars cuspidis; si ambo sint æquales acies & reliqua pars cuspidis, sine culpa reputetur.

XXXIII. *De Domicilio*.

Si quis ex uno domicilio in aliud dominum quærere voluerit, faciat hoc testimonio Aldermanni, quem antea in sua provincia secutus est; si hoc eo inscio fecerit, solvat ei qui ipsum hospitio excepit CXX. solidos pœnæ loco. Quorum dimidium dividat Regi in provincia quam antea secutus est, dimidium in ea, in quam nunc venerit. Si aliquid mali fecerit, ubi prius erat, compenset hoc qui eum tunc in servum suscepit, & Regi CXX. solidos mulctæ loco (*solvat*.) (4)

XXXIV. *De pugna coram Senatore*.

Si quis coram Regis Senatore in concursu plebis pugnet, compenset capitis æstimationem & pœnam prouti justum est, & imprimis Senatori CXX. solidos pœnæ loco. Si quis concursum populi extractione armorum concitaverit, solvat Senatori CXX. solidos pœnæ loco. Si hoc coram Regii Senatoris substituto vel Regis Presbytero accidat, sit pœna XXX. solidi.

XXXV. *De pugna in coloni area*.

Si quis in coloni area pugnet, colono sex solidis compenset; si ferrum stringat & non pugnet, dimidium ejus; si horum aliquid homini DC. solidorum accidat, triplex excrescat compensatio pro coloni æstimatione; homini mille ducentorum solidorum du-

(1) Varia supra de Calumniatoribus (quorum res hic jam agitur) diximus, quæ huc refer, si placet.

(2) Jam supra de fidejussione ad Leges *Ælfredi* Civiles, cap. 3. de violatione vadimonii diximus. Hic, uti deinde ex Lege *Æthelredi* I. manifestum erit, adjicere placet, quod omnes ingenui & servi sub Fidejussoribus fuerint apud Veteres Saxones, unde herus propriæ familiæ fidejussor dicitur *Cnuto* lib. 2. LL. c. 8. Et *Edgarus*, lib. 2. LL. c. 6. ita de Fidejussoribus ait: Quilibet homo inveniat sibi fidejussionem, & Fidejussor illum ad quodlibet jus ducat & custodiat. Et *Guilielmus* Conquestor, Lege 64. Omnis homo qui voluerit se teneri pro libero, sit in plegio, ut plegius eum habeat ad justitiam, si quid offenderit, & quisquam evaserit, talium videant plegii, ut solvant quod calumniatum est, & purgent se, quia in evaso nullam fraudem noverint.

(3) Coloni apud *Saxones* in magno satis honore habiti sunt, præsertim divitioris conditionis, unde æstimatio capitis eorum 200. solid. cum Thanorum esset 1200. *Guilielmus* Conquestor Legem sancivit, ut præter debitum censum nihil molestiæ Colonis inferatur, Lege infra 33. Coloni namque liberi magis quam servi erant, illorum nonnulli tamen obnoxii servituti erant: unde in *Leg. Alaman.* tit. 9. & 23. liberi Ecclesiastici *Coloni* vocantur, ast & servis adjungi & connumerari, ac ad tributa & serviles operas eos teneri reperies. Vid. Leg. *Bajuvar.* cap. 1. tit. 13. de Colonis vel servis Ecclesiæ, qualiter serviant, vel qualia tributa reddant. *Spelmannus* inde in utroque statu eos collocandos esse censet, & Socmannis per omnia respondere. In *Jure Romano* prædia Colonis vendi aut legari non poterant. L. *Si quis inquilinos* 112. de legatis 1. l. 2. l. 12. de agricolis & cens. Cod. lib. 11.

(4) Loquitur Lex hæc de mutatione habitaculi ex una Provincia in aliam, & cavere videtur, ne crimen cum novo habitatore ex una Satrapia in alteram migret.

duplex sit pro æstimatione hominis DC. solidorum.

XXXVI. *De urbis violatione*. (1)

Violatæ pacis in urbe Regia (*compensatio*) sit CXX. solidorum; in Archiepiscopali urbe violatio pacis nonaginta solidorum; alterius Episcopi & Senatoris sexaginta solidorum; hominis MCC. solidorum, triginta; sexcentorum solidorum hominis, quindecim; coloni violatio septi quinque solidorum. Si horum aliquid accidat, cum exercitus vagatur, vel tempore jejunii Quadragesimalis, compensatio sit duplex. Si quis tempore Quadragesimæ velamen sacrum coram populo absque venia deponat, CXX. solidis compenset.

XXXVII. *De terra hæreditaria*. (2)

Si quis terram hæreditariam habeat, quam parentes ejus ipsi reliquerunt, tunc statuimus, ut eam non vendat a cognatis hæredibus suis, si adsit scriptura vel testis, quod illi viro prohibitum sit, qui eam ab initio acquisivit, & illi qui eam vendidit, ut ita facere nequeat, & hoc tunc in Regis vel in Episcopi testimonio recitetur coram cognatis suis.

XXXVIII. *De pugna*.

Injungimus etiam, ut si quis adversarium suum domi sedentem noverit, ut non pugnet cum eo antequam jus ab eo postulaverit. Si vires habeat, ut adversarium suum obsideat, & intus oppugnet, contineat eum septem dies intus, & in illis non pugnet, si ille velit immorari, & tunc septem diebus exactis, si obedire & arma sua reddere voluerit, contineat ipsum XXX. dies incolumem, & eum cognatis ac amicis suis præbeat. Si ad templum autem confugerit, tunc honor fiat templo, uti supra diximus. Si autem vires non habeat, illum intus continere, proficiscatur ad Senatorem, implorans auxilium ejus. Si auxiliari eum nolit, abeat ad Regem, antequam pugnet. Similiter etiam si quis in inimicum suum incidat, & ipse prius nesciat quod domi se contineat, si arma sua dare voluerit, custodiatur XXX. dies, & amicis illius indicetur. Et si arma sua dare noluerit, tunc eum impugnare licet. Si obsequi & arma sua tradere voluerit, & aliquis super hoc eum impugnet, compenset tam capitis æstimationem, quam vulnus prouti fecerit, & mulctam, ac facultates suas perdat. Item dicimus, quod quis pro domino suo pugnet impune, si dominum quis oppugnet: ita dominus cum servo pugnare debet. Hoc modo pugnare quis debet cum cognato suo nato, si quis eum injuste impugnet, excipe cum domino suo, id quod non permittimus. Et pugnare quis debet impune, si alium inveniat cum uxore sua, clausis ostiis, vel sub uno stragulo, vel cum filia sua germana, vel cum sorore sua germana, vel cum matre sua quæ patri suo legitime nupta est.

XXXIX. *De festivitate diei festi*. (3)

Omnibus ingenuis hominibus dies hi sint remissi, exceptis servis & operariis. Duodecim dies in Natali Domini, & dies ille in quo Christus Diabolum superavit, & Sancti Gregorii dies memorialis, & septem dies ante Pascha, & septem post, & unus dies in festo S. Petri & S. Pauli; & in autumno plena septimana ante festum B. Mariæ, & unus dies ante celebrationem omnium Sanctorum, & quatuor dies Mercurii in quatuor septimanis jejunialibus, omnibus hominibus sunt remissi, pro beneplacito cujuslibet, illi qui aliquid in Dei nomine bene fecerit, vel illi qui in aliqua sua opera promereri poterit.

XL. *De vulneribus*. (4)

In compensationem vulneris capitis, si utrum-

(1) *Ælfredus* in Lege hac de tumultu in urbe concitato agit, ac pœnam juxta dignitatem Domini urbis cujuslibet adstruit. Violatio urbis semper pro violatione pacis publicæ in urbe sumitur.

(2) Veteres *Suones* & *Gothi* bona Allodialia hæreditaria sive avita, quæ in possessione familiæ, & ex aliquo progenitorum devoluta sunt, vendi non posse statuerunt, propter familiarum conservationem, ut prædia & fundi, quoad ejus fieri possit, in familia, in qua fuerunt, permaneant. Licuit tamen ea interdum vendere fame aut captivitate alterius conjugum premente, sed post publicationem publicam in gratiam retrahentium bona avita, & tunc ea hæredibus offerebantur, non primis tantum & proximis, sed & post illos qui proximi essent, ad quartum usque gradum, ubicunque etiam extra territorium constitutis. Donare bona hæreditaria permissum etiam fuit, ast non nisi cum expresso hæredum consensu, & non nisi ad sacros tantum usus, & tunc non ultra decimam fundorum partem. Vid. *Stiernh.* c. 5. *de Contractib.* p. 240. seq. De divisione hæreditariorum bonorum inter fratres & sorores, multa habent Leges Provinc. & Civiles Regni *Sueciæ*, tit. *de Jure hæreditario*, & *de Hæreditate*: Venditionem autem avitorum bonorum per Jus hæreditarium prohibuerunt. Vid. & *Jus Danic.* lib. 5. c. 2.

(3) In fœdere *Edoardi* & *Guthruni* Lex septima homini libero *die festo* operanti libertatem adimit; aut mulctam vel Legis violatæ pœnam ei adjudicat; servo autem verbera vel redemptionem eorum imponit. *Northumbrenses Presbyteri* sanciverunt, ut diem festum violans, solvat mulctam 12. orarum. Præter has pœnas, multæ admonitiones passim in Legibus seqq. habentur; ut *Edg.* (a) 5. *Can. Edg.* 18. *Æthelr. Concil. Ænham*, Lege 15. *Cnuti Leg.* lib. 1. 14. & lib. 2. 42. Vid. quæ supra de solennitate diei Solis diximus.

(4) Vulnerum compensationem satis ample supra *Æthelbyrhtus* descripsit, quo Lectorem remittimus.

utrumque os perforatum sit, dentur ei xxx. solidi. Si exterius os sit perforatum, dentur xv. solidi compensationis loco. Si in coma sit vulnus uncia longum, detur unus solidus compensationis loco: si ante comam vulnus sit uncia longum, duo solidi compensationis loco. Si alicui auris abscindatur, dentur ei xxx. solidi compensationis loco. Si auditus impediatur, ut audire nequeat, dentur LX. solidi pro compensatione. Si oculus alicui excutiatur, dentur ei sexaginta sex solidi & sex denarii, & tertia pars denarii pro compensatione. Si (*oculus*) in capite sit, & ille tamen videre nequeat, retineatur tertia pars compensationis illius. Si alicui nasus abscindatur, compensetur ei LX. solidis. Si alicui dens ex anteriore parte capitis excutiatur, compensetur octo solidis; si sit dens caninus, dentur quatuor solidi compensationis loco: dens genuinus xvi. solidis æstimetur. Si quis alterius genam contundat, ut fracta sit, quindecim solidis compenset. Si os menti alicujus sit fissum, dentur xii. solidi compensationis loco. Si alicujus guttur sit perforatum, compenset xii. solidis. Si alicujus lingua e capite sit avulsa ab altero, eadem ac oculorum sit compensatio. Si quis in humero sit vulneratus, ut succus articularis emanet, xxx. solidis compenset. Si brachium sit fractum supra cubitum, solvat ibi xv. solidos pro compensatione. Si utrumque os brachii fractum sit, compensatio sit xxx. solidorum. Si pollex abscissus sit, ei xxx. solidi compensationis loco debentur. Si ungues abscissi sint, ei v. solidi compensationis loco debentur. Si index digitus abscissus sit, compensatio sit xv. solidorum; ungues ejus sint quatuor solidorum. Si medius digitus sit abscissus, compensatio sit xii. solidorum, & unguium ejus compensatio sit duorum solidorum. Si digitus annularis sit abscissus, ei solvantur xvii. solidi pro compensatione, & pro unguibus ejus iv. solidi compensationis loco. Si digitus auricularis sit abscissus, ei solvantur pro compensatione ix. solidi, & unus solidus pro ungue, si sit abscissus. Si quis in alvo sit vulneratus, solvantur ei xxx. solidi compensationis loco; si vulneratus sit totus ad utrumque orificium, xx. solidi. Si tibia alicujus perforata sit, solvantur ei xxx. solidi pro compensatione; si sit fracta, compensatio etiam sit xxx. solidorum. Si crus infra genu sit perforatum, solvantur ibi xii. solidi pro compensatione: si fractum sit infra genu, solvantur ei xxx. solidi compensationis loco. Si parvus pedis pollex abscissus sit, solvantur ei xx. solidi pro compensatione. Si posterior pedis digitus sit abscissus, solvantur ei xv. solidi pro compensatione. Si medius pedis digitus sit abscissus, ibi solvantur novem solidi pro compensatione. Si sit quartus pedis digitus, ibi solvantur vi. solidi compensationis loco. Si minimus pedis digitus sit abscissus, solvantur ei quinque solidi pro compensatione. Si quis alterius testiculos adeo vulneraverit, ut liberos gignere nequeat, compenset ei illud LXXX. solidis. Si cui brachium cum manu integra sit amputatum ad cubitum usque, compensetur LXXX. solidis. Unius cujusque vulneris ante comam, & ad manicam, & infra genu, compensatio sit duplo major pœna. Si lumbus sit perfractus, solvantur ibi LX. solidi pro compensatione; si telo sit perfossus, xv. solidi pro compensatione; si sit perforatus, solvantur ibi xxx. solidi pro compensatione. Si humerus alicujus sit vulneratus, emendetur LXXX. solidis, si homo vivat. Si quis alterius externam partem manus percusserit, solvat ei xx. solidos pro compensatione, si sanari possit. Si dimidium ejus avolaverit, tunc XL. solidi solvantur pro compensatione. Si quis alterius costam integra sub cute fregerit, solvat x. solidos pro compensatione. Si cutis sit fracta & os extrahatur, solvat xv. solidos pro compensatione. Si alterius oculus effodiatur, vel manus aut pes abscindatur, eadem omnium solvatur compensatio, sexaginta sex solidi, sex denarii & tertia pars denarii. Si crus cum genu alicui sit abscissum, ibi solvantur LXXX. solidi pro compensatione. Si quis alterius scapulam absciderit, solvantur ei xx. solidi pro compensatione. Si intus percutiatur, & os extrahatur, solvantur pro compensatione ejus xv. solidi. Si majores nervi truncentur, si sanari possint ut integri sint, solvantur xii. solidi pro compensatione. Si quis claudicet ex vulnere nervorum, & sanari nequeat, solvantur xxx. solidi pro compensatione. Si parvi nervi præcidantur, solvantur ei sex solidi pro compensatione. Si alicui supra in collo vires adimantur, & vulneretur hoc modo, ut ejus usum non habeat, & tamen vivat ita contumeliatus, solvantur ei centum solidi pro compensatione, nisi Sapientum judicio plus etiam ei adjudicetur.

FŒDUS ÆLFREDI ET GUTHRUNI REGUM. (1)

HOc est fœdus (2) quod Ælfredus Rex & Gythrun Rex, & totius Anglicæ nationis Sapientes, & omnis gens quæ in Anglia Orientali habitat, simul fecerunt, & jurejurando confirmaverunt pro seipsis, & pro posteris suis tam natis quam nondum natis, qui Dei vel nostram misericordiam curant.

I. PRimo evehantur nostræ ditionis fines ad Tamesin, & tunc usque ad Ligam & in longum Ligæ usque ad originem scaturiginis, tunc recta ad Bedfordiam, tum ad Usam vel Wetelingianam viam.

De occisi hominis æstimatione capitis.

II. Hoc est; si quis occidatur, nos omnes admittimus æque charum (*nobis*) Anglum & Dacum ad quatuor marcas fusilis auri, excepto colono qui terram censualem possidet; & redemptiones eorum sint æque caræ nimirum ducentorum solidorum.

De Ministris incusatis.

III. Si quis Regis Ministrum homicidii incuset, si se purgare audeat, faciat hoc XII. Ministris Regis. Si quis autem Ministrum incuset, qui minoris cognationis sit quam Regis Minister, excuset se per XI. sui æquales, & unum Regis Ministrum. Et ita in qualibet lite quæ major est quatuor mancusis. Et si non audeat, solutio sit triplo major quam æstimata est.

De jugis boum.

IV. Et quilibet vir noscat jugum suum hominum & equorum et boum.

V. Et nos omnes statuimus eo die quo jusjurandum præstitimus, quod nec servi nec liberi debeant ad exercitum proficisci absque venia, neque eorum aliquis ad nos. Si tunc accidat, ut necessitatis causa illorum aliqui nobiscum commercium instituere velint, vel nos cum illis de pecoribus et de possessionibus; hoc est permittendum; hoc modo, ut vades dent in testimonium fœderis, ut sciatur, quod in illorum ore veritas consistat.

LEGES EADWEARDI REGIS. (3)

De jure & lite.

EAdweardus Rex jubet Præfectos omnes, ut judicent secundum Leges Juris quam justissime possunt, & in Libro Judiciali (4) extat, non formident aliquid, quo minus jus gentium corrigant, & ut quælibet lis terminum habeat quando pertractatur, ut tunc eam corrigatis.

(1) *Guthrum* (vel *Godroun* vel *Gurmound*) Rex Dacorum & Northumbriæ anno 878. cum 30. electissimis de exercitu suo viris ad *Ælfredum* Regem in loco, qui dicitur *Aar*, pervenit, quem Rex in filium adoptionis suscipiens, de fonte sacro Baptismatis elimavit, multisque muneribus ditavit, eique post interfectionem S. Eadmundi Eastangliam tradidit. Vid. *Sim. Dunelm. Hist. de gest. Reg. Anglor.* hoc anno, quem idem auctor anno 891. obiisse dicit: *Bromton in Chronica*, anno regni *Ælfredi* 18. (quæ est Christi 890.) eum obiisse dicit, Vid. & *Histor. Ingulphi* ad ann. 873.

(2) Quo planius istius fœderis causa & principium intelligatur, quæ sequuntur pauca ex *Joanne Piko* (qui regnante Henrico primo floruit) delegimus. " *Aluredus* Rex sic Dacos „ contudit, ut dabant ad libitum obsides, „ quod terram exirent, vel Christianitatem „ reciperent, quod & factum est. Nam Rex „ eorum Guthrum (quem Gurmundum vo- „ cant) cum 30. proceribus. & omni pene „ populo baptizatus, in filium ab Aluredo su- „ sceptus est, imposito sibi nomine Ethelsta- „ no. Hic igitur mansit, dataeque sunt sibi „ Provinciæ Orientalium Anglorum, & Nor- „ thanhumbrorum, ut eas sub fidelitate Regis „ jure foveret hæreditario, quas pervaserat „ latrocinio. „ Hæc ille. Atque in eandem sententiam scribit Asserius Menevensis, Aluredo familiaris, plurimique alii scriptores Angli. Solus Polydorus errore ductus, falso Gormonem dicit, atque Orientalium Anglorum provincia haud fuisse donatum magnopere pugnat; cum interim Krantius Gormonem illum ad fidem Christi conversum negat, atque adeo fœdus ipsum Orientalium Anglorum regionem incoluisse testimonio est. *Albert. Krant. Frontonem quendam per id temporis conversum fatetur.*

(3) *Edwardus* juxta fastos Savilianos regnum auspicabatur anno Christi 901. & moriens relinquebat anno 924. quo anno *Æthelstanus* ipsi successit. *Ingulphus* de Edwardo nostro dicit, quod dictus fuerit Senior eo, quod post illum plures ejusdem nominis regnaverunt, quorum omnium ipse primus erat: patre quidem literis inferior, sed imperii gloria multo major; quippe Merciam, Norfolchiam, Northumbriam, Scotiam, Walliam bellando subegit, & paganos de omnibus urbibus & castellis muratis ejiciens, Christianos introduxit. *Bromtonus* in Chronico *Edwardum* anno 901. regnare cœpisse, ab *Ethelredo* Archiepiscopo apud *Kyngiston* consecratum esse, 24. annos sedisse, apud *Farandon* prope Oxonium mortuum, ac apud *Wintoniam* sepultum esse dicit.

(4) *Dombec*, *Liber Judicialis*, corpus forsitan

De emptione.

I. ET ego volo, ut quilibet habeat advocatum suum, & nullus homo emat extra portam urbis, sed habeat testimonium urbis Præfecti vel alius veracis hominis cui fides haberi possit. Et si quis extra portam emat, tunc contumaciæ in Regem reus sit, & advocatio nihilominus procedat, donec sciatur in quo consistit. Statuimus etiam (*de illo*) qui advocare debet, ut testimonium verax habeat ejus quod juste advocet, vel tunc jusjurandum inveniat, ut credere ei possit petitor. Similiter diximus, de proprio cujuscunque, ut quilibet adducat verax testimonium de eo, vel jusjurandum inveniat, si possit non cooptatum (1), in quo petitori satisfiat. Si autem non possit, tunc nominentur ei sex viri in eadem vicinia, in qua ipse degit, & obtineat pro illis sex unum pro uno animali, vel pro pecore, quod illud valeat, & postea crescat secundum emptionis æstimationem, si plus ipsi vendendum est. Item statuimus; si quis malus vir esset, qui alterius hæreditatem pignoris loco elocare vellet ex injusta accusatione, ut confirmet jurejurando, quod nullo dolo hoc fecerit, sed juxta jus gentium, absque figmento & fraude, & faciat sicubi audet, apud quem id invenitur, ut sibi appropriet vel advocet.

II. *De eo qui alteri jus denegat* (2).

Item diximus, quod dignum esset alteri jus denegare, sive in possessione propria, sive in fundo populari, quando ei jus datur coram Præfecto. Si tunc nullum jus habeat nec in possessione propria, neque in fundo populari, sit ille qui jus denegat reus xxx. solidorum apud Regem; altera vice eodem modo; tertia vice contumaciæ erga Regem, hoc est, cxx. solidorum, nisi se prius excuset.

III. *De perjuris* (3).

Item diximus de illis hominibus qui perjuri fuerint, si manifestum sit, eos vel juramentum violasse, vel pejerasse, ut in posterum non juramento sed ordalio digni sint.

IV. *De pace.*

Cum Eadweardus Rex cum Sapientibus suis Exoniæ esset, inquirebant omnes quomodo pax eorum melior esse possit, quam antehac fuit, quoniam ei videbatur quod negligentius observaretur, quam oportebat, quam antea præceperat. Inquirebat, quis eorum ad emendationem redire vellet, & in ea societate esse, in qua ipse erat, & illud amare, quod ipse amabat, & hoc nolle quod ipse nollet, sive in mari sive in terra; hoc est, ut tunc nullus homo alteri jus suum deneget. Si hoc quis faciat (4), emendet sicuti antea scriptum est; prima vice xxx. solidis, & secunda vice eodem modo, & tertia vice cxx. solidis pro Rege.

V. *De Præposito qui a Jure deflectit.*

Et si Præpositus a jure deflectat, per eorum virorum testimonium, qui ei testium loco sunt annumerati, tunc solvat pro contumacia erga me cxx. solidos.

VI. *De furti accusatis.*

Si quis furti accusatus sit, tunc sumant eum in vadimonium, qui illum domino commendaverunt, ut ipsum ea de re justificent, vel alii amici, si habeat, faciant idem. Si nesciat quis fidejussor ejus esse velit, tunc sumant illi ad quos pertinent ejus possessionem pignoris loco. Si neutrum habuerit, nec bona nec alium fidejussorem, tunc servetur ad judicium.

VII. *De iis qui propria sua* (bona) *quærere nolunt* (5).

Volo etiam ut quilibet homo semper habeat

tan est Legum congestum a Regibus Anglo-Saxonicis, qui ante Edwardum vixerunt. An autem alius quidam Liber fuerit, qui nulli hactenus innotuit, vix dicere audeo.

(1) *Juramentum non cooptatum*, *ungecorenne*, idem est, quod supra *unceases ath*, quod præstatur a viris non speciatim ad id electis, sed cujuscunque conditionis dummodo fide digni fuerint.

(2) Cum variæ apud Saxones fuerint Judiciorum Curiæ, in quibus res ad quodlibet forum speciatim pertinentes tractabantur, Lex nostra vetat Jus a Præfecto dari, cum illud in alio foro dandum, nempe ubi res quæ in terra ex scripto (*boclande*) vel sine scripto (*folclande*) possessa examinantur.

(3) Perjuros eodem modo ac pessimos maleficos tractaverunt Saxones, ideo ex terra relegandos esse sanciverunt inter se *Edwardus* & *Guthrunus* in Fœdere, Lege 11. *Æthelstanus* perjuris consecratum cœmeterium denegat, Lege 25. *Edmundus* eos a Dei consortio in æternum rejicit, Legg. c. 1. §. 6. *Cnutus*, lib. 2. LL. Lege 33. perjuris manus abscindit, vel dimidium æstimationis capitis eos solvere jubet. Imp. *Carolus* cap. 2. ad Legem *Salicam*, §. 4. convictum perjurum manum perdere aut redimere vult; idem & *Ludovic.* Imp. Capitul. 1. ad Leg. Salicam asserit. Vid. & lib. 2. LL. Longobard. cap. 51. & 58. & *Constitut. Sicular.* lib. 3. tit. 37. §. 3. & lib. 3. tit. 59. & lib. 3. *Capitular.* tit. 10. & lib. 5. tit. 125. Lege *Frisonum* 10. sancitum est, ut si quis homo super reliquiis Sanctorum falsum Sacramentum juraverit, ad partem Regis weregildum suum componat, & alio weregildo manum suam redimat, de conjuratoribus ejus unusquisque weregildum suum persolvat.

(4) *Si quis hoc faciat*: hoc est, si quis alteri pacem mutuam amanti jus deneget, mulcta negligentiam suam compenset, uti Lege 2. supra dictum est.

(5) Ut justitia cuilibet fiat, Legislator injungit omnibus, ut bona sua sive ipsi sive per alios quærant, etiamsi magnitudo sumptuum a recuperatione bonorum propriorum eos absterrere possit.

beat viros paratos in terra sua, ut conducant eos qui suum proprium quærere volunt, & eos pro nulla mercede conservent.

VIII. *De eo qui immundum protegit* (1).

Immundum alicubi non protegas neque hospitio excipias volens vel sponte. Si quis hoc negligat, & juramentum suum ac fœdus suum violet, quod omnis populus contulit, compenset sicuti Liber Judicialis adnotat. Si tunc nollet, perdat omnium nostrum amicitiam, & omne quod habet. Si quis eum deinceps hospitio excipit, compenset, sicut Liber Judicialis dicit. Et reus est qui profugum hospitio excipit, sive sit in hac, sive sit in Orientali, sive sit in Boreali parte (*regni nostri*) compenset sicuti Pacis Scripta dicunt.

IX. *De eo qui libertatem suam perdit.*

Si quis ex furti accusatione libertatem suam perdit, & otiari incipiat, & cognati ejus ipsum deserant, & nesciat quis pro eo compenset; tunc dignus sit servili opere quod ad id pertinet, et excidat capitis æstimatione parentibus ejus.

X. *De eo qui alterius hominem suscipit absque venia.*

Ne suscipias hominem alterius viri absque venia ejus quem prius sequebatur, antequam innocens sit apud quemlibet. Si quis hoc facit, compenset pro contumacia erga me.

XI. *De conventuum terminis.*

Ego volo, ut quilibet Præfectus conventum habeat semper circa quatuor septimanas, et faciat ut quilibet Jus gentium habeat, et ut omnis lis finem habeat et terminum quando proponenda est. Si quis hoc prætermittat, compenset sicuti antea diximus.

FŒDUS EADWEARDI ET GUTHRUNI REGUM.

HÆc sunt Jura quæ Ælfredus Rex & Guthrun Rex sanciverunt. Et hoc est Senatusconsultum quod Ælfredus Rex & Guthrun Rex, & deinde Eadweardus Rex & Guthrun Rex elegerunt & statuerunt, cum Angli & Dani pacem & amicitiam plene susceperunt, & Sapientes etiam qui postea erant, sæpe & continuo eadem renovaverunt & bono adauxerunt.

IN primis est, quod statuerunt, ut unum Deum diligere velint, et omnem gentilismum sedulo rejicere; et constituerunt etiam secularem disciplinam, pro eo quod sciebant, quod non possent multos aliter gubernare, et multi nollent ad Ecclesiasticam emendationem aliter flectere, sicuti debebant. Et compensationem secularem instituerunt Christo et Regi communem, sicubi homo nollet ad Ecclesiasticam compensationem inclinare jure ad Episcopi jussum.

I. Hoc est igitur primum, quod dixerunt, ut Ecclesiæ pax intra parietes, et Regis manu data pax persistat æqualiter incorrupte.

II. Et si quis Christianismum spernat, vel paganismum veneretur verbis vel operibus, compenset tam æstimationem capitis quam mulctam et Legis violationem secundum quod factum est.

III. Si quis Sacris initiatus (2) furetur, vel dimicet, vel pejeret, vel fornicetur, compenset secundum quod factum est, tam æstimatione capitis, quam mulcta et Legis violatæ pœna; et ergà Deum saltem emendet sicut Canones adnotant, et fidejussorem inve-

(1) Supra Rex *Ina* Legem sancivit, ut qui colonum fugitivum hospitio exceperit, ac illum nutriverit, proprii capitis æstimatione eum excuset. *Edwardus*, Lege 27. Hospitem si tres noctes aliquem hospitatus fuerit malefactorem, ad damnum ejus restaurandum condemnat. Et *Guilielmus Conquestor* Lege 56. de Hospitibus statuit, ut nemo alium recipiat ultra tres noctes, nisi is eum illi commendaverit, cui prius serviverit. Veteres *Suecones* liberalitati admodum dediti hospitium nemini denegarunt; & *Jus Norwegicum* vetat quemquam pauperem post solis occasum, & ante ortum, quacunque tandem hora venissent, domo expellere; si quis vero recusasset suscipere, hospitio denegato, & illi fame aut frigore morerentur, teneretur is pœna ordinaria homicidii casualis. Non multo post autem idem Jus Norvegicum cautius itinerantibus subveniendum, nec nisi necessitate urgente alimenta suppeditari jussit. Vid. *Stiernh. lib.* 1. *cap. ult. de Jure Sueonum & Gothor. vetusto.*

(2) Crimina Presbyteri hac Lege prohibita multoties a Legislatoribus Saxonicis damnantur, nullibi autem pœna pecuniaria, sed jejunia & monita tantum ad evitanda ea adduntur. *Presbyteri Northumbrenses* infra, mulctam duodecim orarum pro maxima parte criminum Presbytero in Legibus suis statuerunt, liberum tamen relinquunt Episcopis pœnam vel compensationem ab illis requirendi peculiarem pro gravioribus delictis. In Constitut. sub *Æthelredo* editis, Presbyter homicida, falsus testis, perjurus, furti conscius & cooperator dejicitur a communione consecratorum, & perdit tam societatem quam amicitiam, & qualemcunque dignitatem, nisi apud Deum & homines gravius compenset.

nveniat, vel in carcerem deflectat. Si Presbyter populum male instruat de festivitate, vel jejunio, solvat xxx. solidos apud Anglos, et apud Danos sesquimarcam. Si Presbyter ad justum terminum Chrisma non paret, vel baptisma deneget ei, qui ejus opus habet, solvat mulctam apud Anglos & apud Danos pœnam Legis violatæ, hoc est, XII. oras. Si Sacris initiatus aliquid morte dignum perpetraverit, capiatur & ad Episcopi judicium deferatur.

IV. *De incestibus* (1).

De incestibus Sapientes instituerunt, ut Rex habeat majoris conditionis homines & Episcopus minoris, nisi homo coram Deo & mundo compenset secundum id quod factum est, sicuti Episcopus adnotat. Si duo fratres vel duo consanguinei cum una uxore rem habeant, compensent in omni mansuetudine sicuti eis permittitur, sive mulcta, sive æstimatione capitis, sive pacis violatæ pœna, secundum id quod factum est.

V. Et si mortis reus confiteri cupiat, nunquam hoc ei negetur, & omnes Dei Leges sedulo pacificentur per Dei misericordiam & per pœnas quas Sapientes irrogabant.

VI. Si quis decimas retineat, solvat Legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos. Si quis S. Petri denarium retineat, solvat Legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos. Si quis nummum candelarem retineat, solvat Legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos. Si quis aratri eleemosynam non dat, solvat Legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos. Si quis aliqua Ecclesiastica Jura supprimat, solvat Legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglo. Si prælietur, & hominem vulneret, vitam (2) perdat. Si aliquem morte afficiat, tunc sit exlex, & eum persequatur cum damno quilibet eorum qui Jus amat; & si faciat ut quis eum occidat pro eo quod Dei vel Regis Juri se opposuit; si hoc affirmetur, jaceat sine compensatione.

VII. *De operibus festi diei*.

Si quis die Dominica mercari præsumat, perdat mercatum, & XII. oras apud Danos, & xxx. solidos apud Anglos. Si liber homo die festo operetur, perdat libertatem suam, vel solvat mulctam & Legis violatæ pœnam. Servus homo vapulet, vel verbera redimat. Si dominus servos suos die festo ad opus cogat, solvat Legis violatæ pœnam dominus juxta Leges Danorum, & mulctam apud Anglos.

VIII. *De jejuniis* (3).

Si liber homo justum jejunium dissolvat, solvat mulctam vel Legis violatæ pœnam. Si servus hoc fecerit, vapulet, vel verbera redimat.

IX. *De ordalio & juramentis*.

Ordalium & juramenta sunt prohibita diebus festis & legitimis jejunii diebus. Et si quis illud dissolvat, solvat Legis violatæ pœnam apud Danos, & mulctam apud Anglos.

Si fieri possit, numquam occidatur in diei

(1) In eos, qui incestum committebant olim apud veteres *Suecones* & *Gothos* severissime fuit animadversum, & quidem vivicomburio, si gradus esset Lege divina prohibitus, nec confessio publica præcessisset. *Dalicæ* Leges incestuosos novem marcarum mulcta plectunt, ast neutrum capitis supplicio afficiunt. In Suburbio Boreali *Holmensi* extat ordinantia facta ab Ecclesiasticis & Militaribus anno 1439. quæ se refert in consuetudinem & Leges regni, ubi incestuosi vivicomburio puniebantur. Vid. *Stiernh.* lib. 2. c. 2. p. 330. *Danicæ* Leges incesto pollutos flagitio morte multant, item si vel pater & filius eandem fœminam, vel idem vir matrem & filiam, vel pater filiam, vel filius matrem incestaverit, cadavera eorum, postquam capita cervicibus sunt abscissa, igne cremantur. Vid. lib. 6. *Jur. Danici* c. 13. §. 14. *Wisigothi* usque ad sextum generis gradum nulli permittunt sanguinis propinquitatem libidinose fœdare, vel in conjugio appetere, si qui vero contra hanc constitutionem præsumpserint facere, statuunt, ut Judex eos non differat separare, ut a tam nefanda pollutione divisi juxta qualitatem sexus in monasteriis delegentur, illic jugiter mansuri. Vid. lib. 3. *Wisigoth.* LL. tit. 5. §. 1. In *Capitul. Carol. & Ludov.* Impp. lib. 2. cap. 38. constitutum est, ut incestuosi juxta canonicam sententiam pœnitentia multentur. Et lib. 5. tit. 7. incestuosis si bona habeant, omnia eripiuntur; si non habeant, plagis multis cæduntur: & tit. 98. incestuosi, si pœnitere noluerint, de Ecclesia expelluntur; vel (tit. 185. lib. 7.) anathemate feriuntur; vel (lib. 7. tit. 335.) 60. solidos fisco Regio persolvunt; vel (lib. 7. tit. 336.) ut gentiles a consortio Christianorum relegantur. Conf. *Capitula* sub Rege *Pipino* edita, §. 1.

(2) Prælium & vulnus hic non in genere intelligitur inflictum aut factum, sed in assertione Jurium Ecclesiasticorum, cum nempe quis Judicio Episcopali morem gerere nolens, injustitiam suam armis defendere conatur. Quod autem in hac Lege prælium & vulnus morte puniantur, homicidium autem relegatione, fit, quia cuilibet licebat homicidam illum persequi, ut vitam morte pejorem redderet.

(3) Jejunia pœnæ ecclesiasticæ loco apud Anglo-Saxones indicta facile dissolvebantur, & facile compensabantur, uti videre est, ex Canonibus sub *Edgaro* Rege editis, cap. *de Satisfactione*, §. 18. 19. *Northumbrenses Presbyteri* infra inter Leges suas mulcta 12. orarum puniunt solutionem jejunii. *Cnutus*, *Leg. Secul.* Lege 43. ait: Si liber homo verum jejunium dissolvat, solvat violatæ Legis pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos, pro ratione ejus quod factum est. Si servus hoc fecerit, perdat cutem suam, vel pretium cutis pro ratione ejus quod factum est. In *additione* 4. *Capitular. Ludov.* anathematizatur solvens jejunium: Si quis eorum qui continentiæ student, absque necessitate corporea tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia custodita superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

diei Dominicæ/festo qui aliquid perpetravit; sed capiatur & teneatur usque dum dies festus transiit.

X. Si particula membri claudicantis ejus qui condemnatus fuerit, præcidatur, & ille posthæc tres dies vivat, potest ei deinceps auxilium ferri cum Episcopi venia, si quis velit doloribus & animæ mederi.

XI. *De sagis, incantatoribus, perjuris*, &c.

Si sagæ vel incantatores, perjuri vel venefici, vel fœtidæ, inquinatæ, publicæ meretrices aliqua in regione compareant, tunc relegentur ex terra, & gens purgetur, vel ibi omnia illis eripiantur, nisi cessent, & altius compensent.

XII. *De sacris initiatis & alienigenis*.

Si sacris initiatus vel alienigena per aliquam rem seducatur de pecunia vel de vita, tunc Rex ei adesse debet vel Comes qui in regione, & Episcopus gentis ejus pro cognatis & pro patronis, nisi alias alios habeat, & sedulo compenset secundum id quod factum est, Christo & Regi, sicuti decet, vel qui Rex est in (*illa*) gente factum hoc vindicet, admodum vehementer.

Æstimatio capitis hominis mille ducentorum solidorum, est MCC. solidi; ducentorum hominis æstimatio capitis est CC. solidi.

Si quis occidatur, compensetur juxta nativitatem suam.

Justum etiam est, ut homicida postquam æstimationem capitis promiserit, inveniat fidejussorem ad eam solvendam juxta quod decet; hoc est, ad æstimationem capitis hominis MCC. solidorum, requiruntur duodecim homines, ad fidejussionem eam octo cognationis paternæ, & quatuor cognationis maternæ.

Hoc facto constituatur Pax Regia, hoc est, ut omnes illi communibus manibus de qualibet cognatione in una armatura mediatori tradant Regiæ Pacis constitutionem, ab illo die intra XXI. dies solvantur CXX. solidi, collistrigii loco, pro æstimatione capitis MCC. solidorum hominis.

Collistrigium decet (1) liberos, fratres & patres; non decet aliquem cognatorum qui pugnaverit, nisi qui ab alio educatur, ab illo die quo collistrigium compensatum est intra XXI. dies, solvatur compensatio homicidii; inde intra XXI. dies mulcta pugnæ; inde intra XXI. dies prima solutio æstimationis capitis; & sic deinceps usque dum compensatum sit plenario, in intervallo illo, quod Sapientes constituerunt, quoniam cum amore hoc peragendum est, si quis integram amicitiam habere velit.

Quilibet æstimationem capitis coloni solvere debet juxta modum qui ad eum pertinet, uti de MCC. solidorum homine diximus.

LEGES ÆTHELSTANI REGIS.

Æthelstani Regis Constitutio (2).

EGo Æthelstanus Rex consilio Wulfhelmi Archiepiscopi, & aliorum etiam Episcoporum meorum præcipio Præpositis cujuscunque urbis, & vos rogo in Dei nomine & omnium Sanctorum ejus, & per amicitiam meam etiam jubeo, ut prius de propriis meis bonis primitias detis tam vivorum animalium quam annuorum terræ fructuum, quam justissime possit mensurari, vel numerari, vel ponderari; & deinde Episcopi idem hoc faciant idem in propriis suis bonis, & Senatores ac Præpositi mei itidem: & volo ut Episcopus & Præpositi hoc jubeant omnes illos qui eis obedire debent, & ut hoc justo die præstetur. Agedum cogitemus quid Jacob Patriarcha dicat, *Decimas & hostias pacificas offeram tibi*; & quid Moses dicat in Lege Dei, *Decimas & primitias non tardabis offerre Domino*. Nobis cogitandum est, quam terribiliter in libris dictum est, si decimas Domino reddere nolimus, quod nobis auferat novem eorum partes, cum minime arbitraremur, & in æternum peccatum illud habeamus. Volo etiam, ut Præpositi mei faciant, ut reddantur Ecclesiæ census, & pecunia sepulchralis in

(1) *Collistrigium decet*, &c.) Sensus Legis hujus est, quod si quis pugnans pacem Regiam violaverit, & homicidium commiserit, tunc in carcerem mittantur liberi, fratres & patres fidejussorum loco, usque dum æstimationem capitis solverit homicida. *Spelmannus* Collistrigium (Saxonice *healsfange*) vocat pegma infamiæ ad supplicium fallariorum olim inventum, Anglice *Pillory*.

(2) *Æthelstanus* juxta Fastos Savilianos, Polychronicon *Ran. Higdeni*, & Histor. *Ingulphi*, 16. annos regno præfuit, auspicatus namque illud est anno 924. & moriens reliquit anno 940. *Joh. Bromton.* & *Ran. Higdenus* *Æthelstanum* apud *Kyngeston* in Southreia ab *Athelmo* Dorobernensi Archiepiscopo in Regem consecratum, & apud Gloverniam absque liberis mortuum, & apud urbem Malmesbury (quam *Higdenus* Maidulfum vocat) sepultum esse ajunt.

Constitutio hæc in *MS. Cotton Nero*, A I. & *Coll. Corp. Christi Cantabr.* S. 18. reperitur, parumque differt a sequenti, quam Lambardus olim expresserat. Variantes lectiones utriusque recitare nimis prolixum foret, parumque utilitatis adferret; utramque ergo hic subjungere placuit.

in iis locis ad quæ jure pertinent, & arationis eleemosyna quotannis, eo modo, quo illa utuntur in sacris locis, qui Ecclesiis suis inservire ac apud Deum sedulo mereri voluerint. Si quis autem nolit, perdat dignitatem suam, vel deinde ad justum revertatur. Jam vos decet, dicit Rex, quod ego bonum duco, & quod vos præstare debetis sub pœna contumaciæ, facite etiam ut mihi concedatis proprium meum, quod juste mihi acquirere potestis, nolo *tamen*, ut injuste mihi possessionem alicubi acquiratis; sed volo proprium vestrum concedere vobis juste, ea conditione, ut mihi concedatis meum, & caveatis ne tam vobis quam aliis concilietis iram Dei et pœnam contumaciæ erga me.

EGo Æthelstanus Rex consilio Wulfhelmi Archiepiscopi mei, et aliorum meorum Episcoporum, præcipio omnibus meis Præfectis per totum meum regnum in domini et omnium Sanctorum nomine, et per amorem meum, ut illi prius meæ propriæ possessionis decimas solvant tam viventis animalis quam annui fructus; et ut idem quoque faciant de suo proprio Episcopi et Senatores etiam mei, et Præfecti. Et volo, ut Episcopi mei et Præfecti hoc judicent omnibus qui illis obedire debent, et ut quilibet ad eundem terminum perficiat quod hic ponimus; et hoc sit ad diem decollationis Sancti Joannis Baptistæ. Agedum recordemur quod Jacobus Patriarcha Domino dixit, *Ego tibi veddam decimas meas & hostiam meam pacificam.* Et Dominus ipse in Evangelio dixit: *Omnibus habentibus dabitur, & illi abundabunt.* Cogitare debemus etiam ejus, quod terribiliter in his libris scriptum est: Si nos decimas nostras reddere nolumus, nobis novem partes subtrahantur, & decima una nobis superstes fit. Doctrina Evangelica nos admonet, ut res cœlestes terrestribus, & æternas temporaneis promereamus. Nunc auditis quod Dominus nobis præcipit, & quid nos perficere oportet. Facite ut ea libenter concedatis, quæ mihi legitime parare potestis. Ego nolo ut aliquid mihi cum errore paretis. Si ego vobis omnia vestra concedo, eo consilio *facio*, ut mea mihi libenter concedatis. Cavete vobis, & iis qui vos attinent, ab ira Dei & mea.

Ego Æthelstanus Rex omnibus meis Præfectis in regno meo notum facio ex consilio Wulfhelmi Archiepiscopi mei, & omnium meorum aliorum Episcoporum & Dei ministrorum pro remissione peccatorum meorum, quod velim, ut nutriatis omnibus modis unum pauperem Anglum, si quem habeatis, vel alibi inveniatis. De duabus meis villis detur ei quovis mense una amphora farinæ, & una perna porci, vel unus aries qui valeat IV. denariis, & vestitus pro duodecim mensibus quolibet anno. Et ut redimatis unum libertate mulctatum servum, & hoc omne factum sit ex Dei misericordia & amore mei, sub Episcopi testimonio, in cujus dominio sit illud. Et si Præfectus hoc prætermittat, compenset XXX. solidis, & pecunia dividatur egenis, qui in ea urbe sunt, ubi hoc non erat peractum, testimonio Episcopi.

I. *De furibus.*

PRimo ne parcatur ulli furi, qui furtum manu tenens captus sit, supra XII. annos *nato*, & supra octo denarios; & si quis hoc faciat, tunc compenset furem pro capitis ejus æstimatione, nec lenius cum fure hoc in aliquo agatur, neque per hoc excusetur. Si tunc resistere voluerit vel fugere, tunc nemo ei parcat in posterum. Si fur in carcerem mittatur, ut sit ibi quadraginta dies, & tunc relaxetur pro CXX. solidis, & sit cognatus ejus fidejussor ipsius, ut semper abstineat. Et si hoc non obstante, furetur, tunc compenset pro capitis ejus æstimatione, & eum iterum illuc reducat. Et si quis obstiterit, compenset pro capitis ejus æstimatione, tam Regi quam illi ad quem jure pertinet; & quilibet vir qui huic assentitur, solvat Regi CXX. solidos mulctæ loco.

II. *De hominibus domino carentibus.*

Et statuimus de hominibus domino carentibus, a quibus nullus jus suum obtinere potest, ut oretur cognatio eorum, ut eos ad Jus gentium adducant, & dominum iis inveniant in conventu populi; & si hoc tunc adquirere nolint, vel non possint ad hunc terminum, tunc sit postea fugitivus, & pro fure eum capiat quisquis in eum inciderit; & si quis hoc non obstante, illum hospitio excipiat, compenset eum capitis ejus æstimatione, vel ipsum hoc modo excuset.

III. *De juris denegatione* (1).

Et dominus qui rectum denegat, & a partibus servi sui mali stat, & tunc ad Regem adpellatur, compenset æstimationem emptionis, & solvat Regi CXX. solidos. Et si tunc Regem requisiverit, antequam sibi jus

(1) Apud *Wisigothos* Lex erat: Si dominus cum servo suo ad furtum faciendum ierit, hanc compositionem non servum sed dominum implere jubemus; ita tamen ut dominus ejus juxta Leges 100. flagellis fustigetur: servus autem ideo erit indempnis, quia domini jubentis obedivit imperiis. Lib. 7. LL. *Wisigoth.* tit. 2. cap. 5. Idem etiam lib. 8. tit. 1. c. 1. afferitur: Hoc principaliter generali sanctione censetur, ut omnis ingenuus atque etiam libertus aut servus si quodcunque inlicitum jubente Patrono vel domino suo fecisse cognoscitur, ad omnem satisfactionem & compositionem Patronus vel dominus obnoxii teneantur. Nam qui ejus jussionibus obedientiam tulerunt, culpabiles haberi non poterunt, quia non suo excessu, sed majoris imperio id commisisse probantur.

jus postulet, quoties ad hoc pertinet, solvat quamlibet mulctam, quam alius debuerat, si jus ei deneget. Et dominus qui servi sui furti conscius est, & hoc ei manifestum fiat, perdat servum illum, & sit capitis ejus æstimationis reus prima vice. Si sæpius hoc faciat, reus sit omnium quæ habet. Et quilibet etiam Regis Thesaurarius vel Præfectus noster, qui eorum furti conscius fuerit qui furati sunt, sit eidem obnoxius sententiæ.

IV. *De insidiis domino factis.* (1)

Et diximus de insidiis domino factis, quod vita privandus sit, qui eas inficiari nequit, vel postea in triplici ordalio reus est.

V. *De fractura Templi.*

Et diximus de fractura Templi, si reus esset in triplici ordalio, compenset illud sicut Liber Judicialis dicit.

VI. *De veneficiis.* (2)

Et diximus de incantationibus, & de sacrificiis barbaris, et de homicidiis; si quis aliquem occiderit, et is hoc negare nequeat, ut vitam suam perdat. Si tunc illud inficiari vellet, et in triplici ordalio reus fieret, ut sit cxx. dies in carcere, et cognati eum deinde educant, et solvant Regi cxx. solidos, et compensent æstimationem capitis ejus cognatis ipsius, et fidejussores illius sint, quod semper a simili facto abstineat. De incendiariis. Incendiarii, et furem vindicantes, eodem (*jure*) digni sunt; et si quis furem vindicare velit, et nullum hominem vulneraverit, solvat Regi cxx. solidos mulctæ loco pro transgressione.

VII. *De simplici ordalio.*

Et diximus de simplici ordalio, si homines furti accusati essent, et rei fierent, et nescirent quis fidejussor eorum esset, mittantur in carcerem, et educantur sicut antea dictum est.

VIII. *De hominibus fundo carentibus.*

Et diximus, si quis terra carens homo in alia comitatu serviat, & deinde cognatos suos visitet, et hoc modo ab ipsis hospitio excipiatur, ut eum ad Jus gentium ducant, si culpam commiserit, vel compensent.

IX. *De eo qui pecudem* (suam) *recipit.* (3)

Et si quis pecudem (*suam*) deprehendat, nominentur ei quinque homines vicini ipsius, et obtineat illorum quinque unum, ut cum eo juret, quod illum in Jure gentium sibi vendicaverit. Et si quis eam sibi appropriare velit, nominentur illi x. homines, et obtineat illorum duos, et præstent juramentum, quod ea in possessione sua nata sit, absque communi vicinorum juramento, et constet jusjurandum electum plus xx. denariis.

X. *De bonorum permutatione.* (4)

Ut nemo permutet bona aliqua absque testimonio Præfecti, vel Presbyteri vel Thesaurarii, vel domini terræ vel alterius veracis hominis; si quis hoc faciat, solvat xxx. solidos, et dominus terræ permutationem capiat. Si tunc inveniatur, quod eorum aliquis in falso testimonio sit, ut testimonium illius nunquam in posterum alicui præstetur, et solvat etiam xxx. solidos mulctæ loco.

XI. *De eo qui culpam pro occiso exigit.* (5)

Diximus de eo qui culpam exigit pro fure occiso, ut eant numero tres, duo patris cognati, et tertius matris, et tunc juramentum præstent, quod in cognato suo nullum furtum scirent, quod vitæ suæ valorem pro eo non solverint. Et illorum eant deinde XII. numero, et defendant eum, sicuti antea dictum erat; et si mortui hominis cognati eo venire nolint ad illum terminum, solvat quilibet cxx. solidos, qui id antea loquebatur.

XII. *De eo quod quis non emat extra portam urbis.* (6)

Diximus de hoc, quod nemo mercatum mercetur extra portam supra xx. denarios, sed

(1) Vide quæ supra de insidiis vitæ domini factis diximus ad Leges *Ælfredi*.

(2) De Veneficis, Homicidis & Incendiariis jam supra aliqua adnotavimus.

(3) Lex hæc de duobus pecudem eandem sibi vendicantibus loquitur, sc. de *primo*, qui cum testimonio unius vicinorum suorum ex Jure gentium pecudem ad se pertinere juret; de *altero* autem, qui non obstante hoc juramento cum duobus hominibus sibi assignatis jurat, pecudem in sua domo natam esse.

(4) Apud veteres *Suecones & Gothos* in singulis Provinciis & locus & tempus constitutum fuit, ubi & quando ad mercium commutationem convenirent. quæ emporia illis *Kiøpung* dicta fuerunt. Ibi permutatio mercium fiebat, pecuniæ usu adhuc vel ignoto vel raro, quem defectum tamen supplere conati sunt, constituto sive definito rebus pretio, quas pecuniæ loco repudiare nefas fuit. Vid. *Stiernh.* cap. 5. *de Contract.* p. 229. Leges Provinciales regni Sueciæ prohibent patrifamilias uxoris suæ bona immobilia permutare, sive liberos habeant, sive non, nisi cum uxoris & hæredum ejus consensu, & permutet tunc in melius, non deterius. Tit. 2. *de Conjugio*, cap. 19. & in Legibus Civilibus *Suecicis*, tit. 4. *de Jure agrario*, cap. 11. omnes permutationes fundorum in emporio vel ruri sitorum publicis literis firmari jubentur. In *Jure Danico* absque indicatione judiciali bona soli urbani vel prædia vendi & permutari possunt per tabulas manu signoque permutantis affixas. Vid. lib. 5. cap. 3.

(5) De judicio sive pœna furis occisi jam supra egimus.

(6) De emptione in præsentia testium jam supra.

sed mercetur intra eam sub testimonio Præfecti urbis, vel alius veracis hominis, vel deinde sub Præfecti testimonio in conventu populi.

XIII. *De castri emendatione.*

Statuimus ut quodlibet castrum instauretur XIV. dies supra lustrationem, et ut quælibet negotiatio sit intra portam urbis.

XIV. *De monetariis.*

Statuimus ut una moneta sit per omnem Regis ditionem, et nemo monetam cudat extra portam. Et si monetarius reus fieret, manus ejus abscindatur, quacum reatum commisit, et affigatur fabricæ monetariæ. Et si tunc accusatus sit, et ipse se purgare velit, tunc abeat ad candens ferrum, et purget manum ab illo cujus est accusatus quod fraudem hanc fecerit. Et si tunc in ordalio reus fieret, fiat ei quodlibet, sicuti antea dictum est (1).

In Cantuaria sint VII. monetarii; quatuor Regis, duo Episcopi, et unus Abbatis.

In Roffensi civitate tres, duo Regis, et unus Episcopi.

Londini VIII.

Wintoniæ VI.

In Lewisio II.

In urbe Hastingio unus,

Alius Cicestriæ.

Hamtoniæ duo.

Werhamiæ II.

Duo Exoniæ.

II. Schaftesburiæ.

Alias in aliis castellis unus.

XV. *De scutariis.*

Statuimus, ut nullus scutarius pellem ovinam superimponat scuto, et quod si faciat, solvat XXX. solidos.

XVI. Ut quilibet habeat pro aratro duos bonis equis impositos viros.

XVII. *De eo qui a fure mercedem accipit.*

Si quis a fure mercedem accipit, et alterius jus pervertit, capitis sui æstimationis sit reus.

XVIII. *De equis.*

Nemo equum aliquem ultra mare mittat nisi eum donare velit.

XIX. *De servo ex ordalio reo facto.*

Statuimus de servo, si reus fiat ex ordalio, ut solvatur æstimatio emptionis, et vapulet ter, vel aliud pretium det, et sit mulcta dimidiata pro servo.

XX. *De eo qui a concilio abfuerit* (2).

Si quis a Concilio abfuerit ter, solvat pro contumacia in Regem, si hoc septem diebus ante concilium innotescat. Si tunc rectum facere nolit, neque pro contumacia solvere, tunc iter faciant seniores omnes qui ad hoc oppidum pertinent, et adimant omne quod habet, et eum pignoris loco collocent. Si quis autem cum sociis suis iter facere nolit, solvat pro contumacia erga Regem, et edicatur in concilio illo, ut pacificetur omne quod Rex pacificare velit; et abstineat a furto sub periculo vitæ suæ, et omnium, quæ habeat. Et si quis propter hoc abstinere nolit, tunc proficiscantur Seniores omnes qui ad hoc oppidum pertinent, et sumant omne quod habet, et manum injiciat Rex ad dimidium, ad dimidium illi viri qui in eo itinere sunt, et constituant eum pignoris loco. Si nesciat, quis fidejubeat pro eo, capiatur. Si obedire nolit, occidant eum, nisi aufugiat. Si quis illum tunc vindicare velit, vel eorum aliquem interimat, tunc sit inimicus Regis et omnium amicorum ejus. Si autem aufugiat, et quis ipsum hospitio excipiat, sit reus æstimationis capitis, nisi eum excusare audeat pro fugitivi æstimatione capitis, quod ipsum profugum esse nesciret.

XXI. *De eo qui pro ordalio componere vult.*

Si quis pro ordalio componat, componat pro facti pretio, quod potest, ne quicquam pro mulcta, nisi ille ad quem pertinet permittere velit.

XXII.

(1) Lib. 2. *Capitul. Carol. & Lud.* Impp. c. 18. una moneta per totum regnum ab omnibus haberi jubetur, sub pœna amissionis denarii, quem forte quis negotiandi causa protulerit. *Longobardi* manus incidunt ei qui sine jussione Regis aurum figuraverit, aut monetam confinxerit. Et paulo post: De falsa moneta jubemus, ut qui eam percusserit & probatum fuerit, manus ejus amputetur; & qui hoc consenserit, si liber est, 60. solid. compenset, si servus est, 60. ictus accipiat. Lib. 1. LL. *Longobard.* tit. 28 Eadem Lex repetitur lib. 4. *Capitul. Car. & Lud.* Impp. tit. 33. *Wisigothi* dextram manum abscindi jubent servo, qui monetam adulteraverit, circumciderit, sive raserit; judex autem hoc facere differens quartam partem bonorum suorum fisco tradendam amittat. Ingenuus medietatem bonorum fisco det, humilior statum ingenuitatis suæ perdat. In *Constitut. Siculis*, lib. 3. tit. 40. adulterinam monetam cudentibus vel scienter accipientibus pœna capitis irrogatur, & eorum substantia publicatur; consentientes etiam hac pœna feriuntur.

(2) Conventus & Concilia sedulo frequentari voluerunt Reges Anglo-Saxones; unde *Eadgarus* in Legibus suis, cap. 2. Lege 5. ter Conventum Oppidanum in anno, & bis Provincialem haberi, Conventui Provinciali Episcopum & Senatorem interesse vult, & postea tam divinum quam humanum Jus doceri. Et in *Canonibus* sub *Eadgaro* Rege datis, §. 3. 4. & seqq. Sacerdotes jubentur interesse Synodis proponentes ea quæ ad Parochiam vel Ecclesiam suam pertinent. Conf. & *Capitula incertæ Editionis* infra §. 4.

XXII. *De eo qui alterius servum suscipit.* (1)

Nemo suscipiat alterius servum absque venia ejus quem antea sequebatur. Si quis hoc faciat, reddat servum illum, et solvat pro contumacia erga Regem, et nemo a se dimittat accusatum hominem, antequam rectum fecerit.

XXIII. *De eo qui ordalium* subire *spondet.* (2)

Si quis ordalium *subire* spondet, tunc triduum ante illud ad Presbyterum veniat, qui id sanctificare debet, et pascat se pane et sale, et aqua et oleribus, antequam illud adire debeat, et intersit missis, illis tribus diebus singulis, et offerat, & eat ad sacrosanctam Communionem illo die quo ad ordalium abire debet, et juret tunc juramentum illud, quod juxta Jus gentium innocens sit earum accusationum, antequam ad ordalium abeat. Et si sit aqua, ut immergatur sesquiulnam in fune. Si sit ordalium ferri, tres dies transeant antequam manus inquiratur; et quilibet accusationem suam prosequatur præjuramento, sicuti antea diximus, et sint singuli eorum jejuni ex utraque parte qui præsto sunt, ex mandato Dei et Archiepiscopi, et non sint ibi in alterutra parte plures quam XII. Si autem accusatus homo pluribus stipatus sit, quam numero XII. tunc ordalium sit fractum, nisi illi discedere velint.

XXIV. *De eo qui bona emit.* (2)

Qui bona emit præsentibus testibus, et ea deinde quis sua esse contendat, tunc recipiat ea (*venditor*) qui illa prius emerat, sive sit servus sive liber sive quicunque alius sit. Et (*jubeamus*) ut nulla emptio sit diebus Solis. Si quis autem hoc faciat, perdat pretium emptionis, et solvat XXX. solidos pro mulcta.

XXV. *De perjuris.* (2)

Qui falsum juramentum præstat et inde convictus fuerit, nunquam ei in posterum fides habeatur, neque in aliquo consecrato cœmeterio jaceat, quando moritur, nisi habeat Episcopi testimonium, in cujus diœcesi est, quod ita illud compensaverit, prout delicti confessio ei præscripsit; et delicti confessio ipsius nuntietur Episcopo intra XXX. dies, utrum ad compensationem ejus redire velit: Si hoc ita non fecerit, compenset eo quod Episcopus ipsi concedere vult.

XXVI. Si quis Præfectorum meorum autem hoc facere nolit, vel remissus sit in eo quod diximus, tunc solvat pro contumacia erga me, et ego inveniam eum qui velit; et Episcopus admoneat contumaciam illam in Præposito, qui in ejus mansione est. Qui ab hac constitutione discesserit, solvat prima vice quinque libras, secunda vice æstimationem capitis ejus; tertia vice perdat omne quod habet, et nostrum omnium amicitiam.

Omne hoc constitutum erat in magna Synodo Greatanleagensi, in qua erat Archiepiscopus Wulfhelmus cum omnibus Nobilibus et Sapientibus quos Æthelstanus Rex congregavit.

EGo Æthelstanus Rex declaro, quod inquisiverim, quod pax nostra pejus observetur, quam mihi placet, vel quam Greatanleæ dictum erat. Et Sapientes mei dicunt, quod hoc nimis diu pertulerim. Nunc inveni cum Sapientibus qui Exoniæ mecum erant ad Natale Christi, quod omnes parati sint illi ipsi cum bonis & cum uxoribus & cum omnibus rebus suis eo proficisci, quo tunc volebam, nisi hac in re acquiescere velint (*transgressores pacis*) ea ratione, ut nunquam postea in patriam redeant. Et si aliqui unquam deinde in patria compareant, ut sint ita rei, ac si furtum manu tenentes capiantur. Et si quis eos vel aliquem eorum hospitio excipiat, aut aliquem ad illos mittat, perdat vitam & ea quæ sua sunt. Et exinde fit, quod juramenta & fidejussiones & pignora omnia negligantur & violentur, quæ data erant. Et nos nescimus ullis aliis rebus credere quam his.

I. *De eo, qui alterius servum suscipit.*

ET qui alterius servum suscipit, quem ob scelus suum dimittit, et delictum illius corrigere nequit, solvat ille quem prius sequebatur, et solvat Regi CXX. solidos. Si dominus tunc velit illum injuste perdere, crimen diluat, si possit in conventu populi: & si innocens sit, quærat in testimonio dominum sibi quem velit; quoniam volo, ut quilibet eorum qui innocens est, serviat cuicunque velit domino. Et quilibet Præfectus qui hoc negligit, et curare non vult, solvat Regi pro contumacia sua, si hoc pernoscatur cum veritate, et ille se purgare nequeat. Et quilibet Præfectus qui mercedem capit, et alterius jus ideo pervertit, solvat Regi pro contumacia sua, et pro ignominia, sicut diximus. Et si sit Thanus qui hoc facit, idem sit. Et nominentur

(1) De susceptione alterius servi absque domini venia superius jam dictum est, & in pagina statim sequente pluribus agetur.

(2) De ordalio supra jam egimus; ut & de emptione in præsentia testium, & evitanda emptione diei Solis, nec non de perjuris,

tur in cujuslibet Præfecti ditione tot homines, quot noscuntur esse credibiles, ut sint in testimonio cujuslibet litis. Et sint juramenta credibilium illorum hominum pro pecuniæ valore absque electione.

II. *De eo qui pecudem persequitur vestigiis.* (1)

Si quis investiget pecudem in alia terra, educat illam terræ dominus, si possit; si non possit, stet vestigium illud pro præjuramento, si aliquis ibi compelletur.

III. Et quolibet die Veneris cantentur in qualibet Ecclesia ab omnibus Dei ministris quinquaginta Psalmi pro Rege ipso, et pro omnibus qui volunt, quod ipse vult, et pro aliis sicuti illi merentur.

Diximus etiam in Concilio ad Thunresfeldam *habito*, si fur aliquis vel prædo refugiat ad Regem, vel Ecclesiam aliquam, et Episcopum illum, ut novem dierum spatium habeat.

Et si ad Senatorem vel Abbatem vel Thainum refugiat, habeat trium dierum spatium.

Et si quis illum occidat intra spatium illud, tunc solvat patrocinium quod alter prius quæsivit, vel ipsum nonnulli XII. excusent, quod refugium ejus ignoraverit.

Et quodcunque refugium quæsiverit, non sit vita sua dignus nisi per tot dies quot hic supra diximus. Et si quis eum ultra hoc spatium hospitio excipiat, omnium illorum reus sit ac fur ipse, nisi seipsum excusare possit, quod nullam fraudem et nullum furtum in eo sciverit.

Pax Regis tam late se extendere debet; a porta castri, in quo residet, in quatuor partes: hoc est, tria miliaria, et tria stadia, et latitudinem trium agrorum et novem pedum, et novem semipedes, et novem ptisanas.

Quomodo quis jurare debeat.

In Domino, coram quo Sanctuarium sanctum est, volo esse N. pius & fidelis, & omnia diligere, quæ ipse diligit, & omnia fugere quæ ipse fugit, juxta jus Dei, & juxta statuta mundi, & nunquam me velle sponte verbo vel facto aliquid facere, cujus me pigere possit, quatenus mihi tribuat id quod mereri volo, & omne illud præstet, quod pactio nostra fuit, cum ad ipsum deflecterem, & voluntatem ejus eligerem.

In Domino, coram quo Sanctuarium sanctum est, uti loquor, ago cum pleno jure gentium absque figmento, & absque offensa, & absque ulla fraude, quod mihi furto ablata sit possessio N. de qua loquor, & quam cum N. ceperam.

In Domino non eram nec loquens nec agens, nec conscius nec consultans, ubi injuste N. possessio ablata est. Sed quomodo pecuniam habeam, quomodo juste eam possideam, & quomodo illam apportari faciam, quomodo eam mihi vendiderit, is, in cujus manu jam collocavi; & quomodo possessionem habeam, quomodo eam mihi vendiderit, qui illam vendendam habebat; & quomodo possessionem habeam, quæ de meis propriis rebus oritur, & quomodo juxta jus gentium propria mea possessio est, & in ea victus meus.

In Domino non accuso N. ex fervore vel dissimulatione, vel injusta avaritia, neque aliud quid verum scio, nisi quod mens mea mihi dicit, & ego ipse pro vero enarro, quod possessionis meæ fur esset.

In Domino sum innocens tam facto quam verbo, ab illo crimine, cujus N. me accusat.

In Domino juramentum purum est & immune, quod N. jurabat.

In Dei Omnipotentis nomine tu me declara purum & mundum, quod hoc mihi vendideris, & plenum fuerit cum petitione in testimonio N. qui simul ibi erat.

In Dei Omnipotentis nomine, quomodo ego N. hic in vero testimonio stem, non rogatus, & non emptus, quomodo oculis meis illud viderim, & auribus meis audiverim, illud quod ipsi dixerim.

In Dei Omnipotentis nomine nesciebam in illa re, de qua loqueris, impuram fraudem, nec vilem maculam ad illam diei horam, in qua illud tibi vendidi, sed tam purum quam mundum fuit absque ulla fraude.

In Dei Viventis nomine, quomodo pecuniam obtulerim, quomodo in meo dono sit illud quod N. declaravit mihi, ut meum ipsi venderem.

In Dei Viventis nomine, non debeo N. censum, nec solidum, nec denarium, nec valorem denarii, sed omnia ei præstiti, quæ ipsi debebam, eo modo quo verbum nostrum quam firmissime dictum esset.

Juramentum Sacerdotis & Ministri Secularis juxta Legem Anglorum æque charum est.

Et pro septem ordinibus ecclesiasticis, quos Sacerdos Dei beneficio suscipit, sit jure Thaini dignus.

Juramentum hominis MCC. solidorum, valet ac juramentum sex colonorum, quoniam si ul-

(1) In *Judiciis Civitatis Lundoniæ*, cap. 8. de investigatione vestigii pecoris ex una provincia in aliam statuitur, ut excipiant vestigium illi, qui proximi sunt, & insequantur illud, usque dum Præposito indicetur; & si quis vestigium ex provincia sua expellere nequeat, pecus compenset compensatione simplici. Vid. plura loco citato. In *Senatusconsulto de Monticolis Walliæ*, cap. 1. investigatio pecudis concredi jubetur colonis vel signis confirmari, ut quis recte consequatur, & deinde qui terram possidet, ubi vestigium inventum est, solvat pecudis pretium intra novem dies. Vid. plura loco citato.

si ultio sumenda esset ab homine MCC. solidorum, plena ultio sumatur a sex colonis, & æstimatio capitis ejus sit æstimatio capitis sex colonorum.

Coloni capitis æstimatio est in Lege Merciorum CC. solidorum; Thani æstimatio capitis est sex, tot ut sit 1200. solidorum. Tunc sit Regis simplex æstimatio capitis, VI. Thanorum æstimatio capitis juxta Legem Merciorum, hoc est XXX. mille sceattarum, hoc est CXX. librarum. Tanta est æstimatio capitis.

Et pro regno decet aliud quid compensationis loco in æstimatione Regia.

Æstimatio capitis decet cognatos, & compensatio Regia populum.

JUDICIA CIVITATIS LUNDONIÆ.

HOc est consilium (1) quod Episcopi & Præfecti, qui ad curiam Lundinensem pertinebant, edixerunt, & juramentis confirmaverunt, in nostris fœderatorum sodalitiis, tam Comites quam Coloni, præter Jura illa quæ ad Greatanleam & ad Exoniam & ad Thunresfeldam constituta erant.

HOc igitur est primum, ut non parcatur alicui furi ultra duodecim denarios & ultra duodecim annos nato, tunc cum juxta jus gentium inquisivimus quod reus sit, & neutiquam inficiari possit, ut occidamus illum, & capiamus omne quod possidet, & inprimis sumamus rei furto ablatæ pretium ab hærede, ac dividatur postea reliquum in duas partes, una pars uxori, si munda & facinoris conscia non sit, & residuum in duo, dimidium capiat Rex, dimidium societas.

Si sit terra hæreditaria vel Episcopalis, tunc terræ domino (2) medietas cum societate sit communis.

Et si furem clam susceperit, & facinoris ac culpæ conscius sit, fiat ei hoc idem.

Et qui cum fure steterit, ac cum eo pugnaverit *adversus alios*, cum fure occidatur.

Et si quis furti sæpe aperte condemnatus esset, & ad ordalium abiret, & ibi reus fieret, occidatur, nisi cognati illius vel dominus eum redimere velint per capitis æstimationem & per plenum rei furto ablatæ pretium, ac fidejussionem etiam postea præstent, quod ab omni malo cesset.

Si deinde præter hoc furetur, tunc reddant cognati illius eum Præposito ad quem hoc pertinet ita condemnatum, prouti illum ex ordalio acceperant, & occidatur a furis vindice.

Si tunc quis eum defendere ac eripere velit illum in ordalio reum, quin occidatur, vitæ suæ reus sit, nisi Regem requisiverit, & ille vitam ipsi condonare voluerit, sicuti apud Greatanleam, & apud Exoniam, & apud Thunresfeldam dictum erat.

Et si quis furem vindicare velit, ac Legis transgressionem committat, vel in via desiliat *ad eripiendum illum*, sit CXX. solidorum reus apud Regem.

Si tunc hominem occidat in vindicta illa, sit reus vitæ suæ, & omnium eorum quæ possidet, nisi Rex ejus misereri velit.

Secundo diximus, ut quilibet nostrum conferat quatuor denarios ad communem nostram necessitatem intra duodecim menses, & compensemus pecus quod captum esset, postquam pecuniam contulimus, & habeamus nos omnes inquisitionem illam communem; conferat etiam quilibet homo solidum suum, qui pecus habuerit XXX. denariis dignum, exceptis pauperibus viduis, quæ nullum delictum patraverint, nec terram aliquam habeant.

Tertio, ut computemus semper decem homines, & senior conservet novem ad singula illa officia quæ omnes nos ediximus; & postea tota illorum societas unum e societate hominem *constituat* qui X. illos homines commoneat ad omne nostrum commune commodum *observandum*; & undecim illi conservent societatis suæ pecuniam, et sciant quid mittant, cum aliquid solvendum est, et quid deinde recipiant, si pecunia nobis oriatur ex communi nostra edictione. Sciant etiam, quod qualibet executio illorum quæ nos omnes ediximus, proveniat ad omnium nostrum commodum per triginta denarios, vel per animal unum, ut omne sit præstitum quod in consultationibus nostris diximus, et in nostro prædicto extat.

Quarto, ut quilibet illorum qui mandatum hoc audiverit alteri coadjutor sit tam in-

(1) Leges hæ civitatis Lundoniæ sub Rege Æthelstano editæ ex Codice Roffensi, fol. 88. descriptæ sunt. Jussu & auctoritate Regis eas compositas & approbatas esse constat, quod Juribus ad Greatanleam, ad Exoniam, & ad Thunresfeldam sint annexæ, ea autem a Rege sancita esse, verba ipsa Æthelstani dicunt. Accedit quod cap. 12. sequenti, Præpositi sive Ministri Regis ipsa quasi verba ejus, nunc demum ad *Witlam* castrum prolata ceu Legem introduxerint. Continent Leges hæ statuta quædam de puniendis furibus & eorum hæredibus, & de modo colligendi census ac tributa Regis annua.

(2) Per *terræ dominum*, *landhlaford*, hic intelligitur hæres post furem occisum superstes, qui si furti conscius furem clam susceperit, tres partes terræ suæ hæreditariæ perdere debet.

inveſtigando, quam coequitando, quamdiu veſtigium ſciatur; et poſtquam veſtigium defecerit, ut inveniatur homo aliquis *ex duabus decimis*, ubi frequens populi concurſus eſt; ſic ex una decima ubi minor eſt populi numerus *eligatur aliquis* ad equitandum vel ad ambulandum (niſi magis neceſſe ſit) ubi quam maxime oportet, et omnes edixerunt.

Quinto, ut nulla inquiſitio prætermittatur, nec a boreali parte nec ab auſtrali, antequam quilibet qui equum habet unam equitationem equitaverit; et qui equum non habet, negotia curet domini qui pro ipſo equitat, vel ambulat uſque dum domum perveniat, niſi antea jus conſequi poſſint.

Sexto pro ſolvendo capitali noſtro equus, ſi tam bonus ſit, dimidia libra *valeat*; et ſi melior ſit, ſolvatur juxta pulchritudinis valorem, et juxta id quod dominus ejus æſtimaverit, præterea teſtes habeat, quod, prout ipſe dixit, bonus ſit; et tunc reliquum habeamus quod ante conſtituimus.

Et bos mancuſa (1), et vacca viginti *denariis*, et ſus decem, et ovis ſolido *digna ſit*.

Diximus etiam, de noſtris miniſtris, qui ſervum habeant, ſi homo ille furetur, ut id compenſetur dimidia libra; ſi autem pretium erigamus, ut apprecietur ſecundum vultus ejus pretium (2), et habeamus tunc reliquum, quod antea conſtituimus.

Si et tunc furtum faciat, ut ad lapidandum ducatur, uti antea dictum erat; et conferat quilibet, qui ſervum habet, tam denarium quam obolum, juxta ſocietatis monitum, prouti pretium illud erigere valeant.

Si autem aufugiat, ut compenſetur juxta pretium vultus ejus, et nos omnes illum inquiramus: ſi eum aſſequi poſſumus, fiat ipſi omne id quod ſervo furi factum eſt, vel ſuſpendatur.

Et pretium rei furto ablatæ ſemper crecat ſupra XXX. denarios uſque ad dimidiam libram; poſtmodum requiremus illud ulterius, cum pretium illud rei furto ablatæ auxerimus per plenam compenſationem, et inquiſitio procedat, uti antea dictum erat, licet parva ſit (3).

Septimo, diximus, ut quilibet totis viribus annitatur, quo omnis noſtra injuria vindicetur, ut omnes in eadem amicitia vel inimicitia ſimus, quomodocunque tunc eveniat; et ſi quis furem occidat coram aliis hominibus, ut de omnium noſtrum pecunia præmium XII. denariorum habeat, pro illo facto et effectu (4). Et qui pecuniam quam compenſamus habuerit, ſub pœna contumaciæ non negligat inquiſitionem, et admonitionem cum ea, donec ad ejus ſolutionem perveniamus, et nos etiam illi pro labore ſuo gratias agamus de communi noſtra pecunia juxta dignitatem operis, ne forte admonitio negligatur (5).

Octavo, ut conveniamus ſemper ad unum menſem, ſi poſſimus et quietem habeamus cum hominibus ſocietatis, et illis qui decimas cuſtodiunt, tam ad doliorum impletionem, quam aliter ſicut poterimus; et ſciamus quid noſtrorum edictorum completum ſit (6). Duodecim homines (7) etiam convictum ſuum habeant ſimul, et paſcant ſe prout eos decet, et dividant omnem cibum ſuperſtitem pro Dei amore.

Et ſi eveniat ut aliqua cognatio adeo fortis et adeo magna ſit intra terram vel extra terram mille ducentorum ſolidorum, vel ducentorum ſolidorum, ut nobis rectum noſtrum deneget (8), et furem defendat, ut eos

(1) Mancuſa vel manca nummus apud Saxones 30. denariis valens fuit.

(2) *Wlite* non tantum pulchritudinem vel ornatum vultus denotat, ſed etiam cultum corporis: & ſenſus Legis hujus eſt, quod ſi ſervus egregia corporis ſpecie donatus, furtum commiſerit, dominus pro eo compenſet pretium ſtatutum majus quam pro alio communis formæ ſervo.

(3) Senſus poſterioris partis Legis hujus eſt, quod ſi pretium rei furtim ablatæ excedat dimidiam libram, dominus ſervi furantis plenam æſtimationem capitis ejus compenſet, & licet res furtim ablata minimi ſit pretii, inquiſitio tamen legitime procedat, æque ac in re majoris momenti.

(4) Apprehenſionem furis *Witbrædus* Rex dimidio æſtimationis capitis ejus pretio compenſari jubet ſupra, verſus finem Legum ſuarum. Hinc veteres *Suecones* præmia furum apprehenſoribus decernebant; vel omnia quæcunque apud illos inveniebantur, dum capiebantur, vel (ut de Jure *Sueonum* vetuſto) furti concepti pars quinta. Vid. *Stiernh.* cap. 5. *de Furto*. *Henricus* I. cap. 65. LL. ſuarum ſtatuit, ut ſi quis furem gratis dimittat, emendet ſecundum weram ipſius furis, aut plena lada perneget, quod cum eo falſum neſcivit. Si quis audito clamore non exierit, reddat overſeunesſ Regis (*mulctam pro contumacia erga Regem*) aut plane ſe ladiet.

(5) Mens Legislatoris hæc eſt, quod homo non deſiſtat a proceſſu furi deprehenſo faciendo, poſtquam pecuniam a Rege acceperit; ſed ſi hæc fecerit, nec Judicibus occaſionem furem admonendi & puniendi dederit, ſit reus contumaciæ erga Regem is, qui furem deprehenſum non vult ſiſtere judicio, & excidat gratiarum actione, quam meruerat, quia etiam admonitioni noſtræ locum dare noluit.

(6) Vult Legislator ut omnes Regis Miniſtri ad certum menſem quotannis conveniant, poſtquam nempe Juſticiarii Regii & Decimarum Curatores (qui ſocietatem conſtituere debent) decimas frugum terræ & aliarum rerum collegerint, & poſtquam illis innotuerit, quænam Edicta Regis, ſubditorum obedientiam exercuerint.

(7) Duodecim homines ad hoc officium obeundum a Rege conſtituti.

(8) De cognatione 12. vel 2. ſocietatum intra vel extra provinciam Regis hic ſermo eſt. Quod ſi Angloſaxonica verba aliquantiſper variatim legantur, ſenſus erit: Quod ſi cognatio aliqua in tantum numerum excreverit, ut vel 12. vel 2. *hydas* terræ intra vel extra territorium Regis poſſideat, tunc auxilium Præfecti provinciæ implorandum erit.

eos adeamus omnes cum Præposito, in cujus mansione est.

Et mittamus etiam hinc et inde ad Præpositos, et quæramus ab eis auxilium tot hominum, quot nobis tunc videbitur competens ad tantam causam, ut malefactores eo magis timeant nostrum conventum, & accedamus omnes, & nostram injuriam vindicemus, & furem illum occidamus, & illos qui cum eo pugnabant & stabant, nisi ab illo discesserint.

Et si quis vestigium investiget de provincia in aliam, excipiant hoc illi qui proximi sunt, & vestigium insequantur usque dum Præposito indicetur, suscipiat deinde cum domesticis suis, & expellat vestigium ex provincia sua, si possit; si autem non possit, compenset pecus compensatione simplici, & ambæ Præposituræ plenam causam communem habeant, ubicunque sit, sive a Septentrionali marca (1), sive ab Australi, semper de provincia in aliam, ut omnis Præpositus adjuvet alium ad pacem nostrum omnium sub pœna contumaciæ erga Regem *conservandam*.

Et ut quilibet etiam alios adjuvet, prouti dictum, & pactis confirmatum est, & quicunque illud (*vestigium*) ultra limites dimiserit, reus sit xxx. denariorum, vel unius bovis, si aliquo eorum abundet, quæ in nostris scriptis extant, & nos pactis nostris confirmavimus.

Diximus etiam de quolibet eorum, qui in nostris Societatibus pactum suum tradiderit, si mori eum contingat, ut quilibet socius det unum pulmentarium panem, pro anima ejus, & cantet unum quinquagenarium *Psalmorum*, vel perquirat cantandum intra xxx. dies.

Et præcipimus etiam clientibus nostris fiduciariis, ut quilibet sciat, quando pecus suum habeat, vel quando non habeat, in testimonio vicinorum suorum, & nobis vestigium monstret, si invenire nequeat intra tres dies.

Quoniam credimus, multos negligentes homines non curare quomodo peculium suum agat, quia nimium confidunt in pace.

Tunc præcipimus, ut intra tres dies vicinis suis indicet, an rei furto ablatæ pretium offerre velit, & tamen inquisitio procedat, sicut ante dictum erat, quoniam nolumus aliquod incustoditum pecus redimere, nisi furto ablatum sit; multi namque loquuntur fraudulenta verba.

Si nesciat vestigium adnotare, juramento affirmet cum tribus vicinis suis, intra tres dies furto ablatum fuisse, & deinde offerat pretium rei furto ablatæ.

Nec prætereundum aut tacendum est, si Dominus noster vel Præpositus noster alicui nostrum augmentum quoddam (2) excogitare possit ad pacis nostræ compensationem, ut illud læte excipiamus, prouti nobis omnibus convenit, & necesse est.

Tunc confidamus Deo & regni nostri Domino, si hæc omnia ita præstare volumus, quod res totius populi in meliorem statum contra fures reducatur, quam antea fuerat.

Si autem remissius egerimus de pace & pacto quod dedimus & Rex nobis præcepit, tunc putare possumus, vel diligenter scire, quod fures isti regnaturi sint adhuc magis, quam ante fecerant.

Sed utinam teneamus pactum nostrum & pacem, prouti Domino nostro placuerit; nobis *enim* valde necessarium est, ut exquiramus quid ipse velit, & si nobis plus præceperit, & injunxerit, nos humiliter parati simus.

Nono, quod diximus de illis furibus qui statim culpabiles judicari nequeunt, & postmodum inquiratur, quod culpabiles & noxii sint, ut dominus vel cognati eos eodem modo educant, quomodo educitur homo qui in ordalio culpabilis factus est.

Decimo, quod omnes Sapientes vadimonium suum omnes simul dederint Archiepiscopo ad Thunresfeldam, cum Ælfeah, Stybb, & Brihtnoth filius Oddanis convenirent ad concilium juxta Regis mandatum; ut quilibet Præfectus vadimonium sumat in propria sua provincia, ut omnes pacem illam ita observent, uti Æthelstanus Rex constituerat & Sapientes ejus primo ad Greatenleam, & deinde ad Exoniam, & postea ad Fæfresham, & quarto demum ad Thunresfeldam coram Archiepiscopo & omnibus Episcopis & Sapientibus suis, quos Rex ipse nominabat; qui ibi interfuerant, ut jura illa conservarentur quæ in hoc concilio constituta erant, præter hoc quod ante inceptum erat, quod erat emptio diei Solis, et quod cum pleno ac fideli testimonio emptio fieri debeat extra portam.

Undecimo, Rex Æthelstanus præcepi Episcopis meis & Præpositis ac Præfectis meis omnibus per totum regnum meum, ut ita pacem teneatis uti vobis constitui, ego & Sapientes mei. Si aliquis vestrum negligat & me audire nolit, & pactum a clientibus suis fiduciariis sumere nolit, & faveat occultis actionibus, et circa disciplinam ita occupatus esse nolit, uti ego præcepi, et in nostris scriptis extat; tunc perdat Præpositus præpositturam suam et amicitiam meam, et det mihi cxx. solidos, et dimidium hujus omnis Thanus meus, qui terras habeat, et justitiam servare nolit ita uti ego præcepi.

(1) *Marca* Latino-barbara vox, hic pro *limite imperii* sumitur. Forsan & melius verteretur pro *terræ plaga*.

(2) Per *eacan* sive augmentum hic intelligitur alia via magis proficua ad commodum publicum.

Duodecimo, quod Rex nunc iterum dixit apud Witlan caſtrum, ad Sapientes ſuos, et juſſit oſtendi Archiepiſcopo per Theodredum Epiſcopum, quod ei miſerabile videatur, quod tam juvenis occidatur (1) vel etiam pro re tam parva, uti innotuit ei quod ubique fieret.

Dixit ibi quod ei videbatur, et iis cum quibus loquebatur, ut nullus juvenis xv. annorum occidatur, niſi ſe defendere velit, vel aufugiat et ſe dedere nolit, ut tunc deducatur tam major quam minor, quicunque fuerit.

Et ſi tunc ſe dedere velit, tunc mittatur in carcerem, prouti ad Greatanleam dictum erat, et per idem redimatur.

Vel ſi in carcerem non veniat, et nemo adſit, qui eum juxta plenam capitis æſtimationem in fidejuſſionem ſumat, ut ſemper ab omni malo abſtineat.

Si cognatio eum educere nolit, nec pro eo vadimonium præſtare, tunc juret ſicut Epiſcopus ipſum docuerit, quod ab omni malo ceſſare velit, et ſit in ſervitute pro æſtimatione capitis ſui.

Si præter hoc furetur, occidatur vel ſuſpendatur, uti ſenioribus antea fiebat.

Et Rex etiam dixit, ut nemo occidatur pro minori pretio quam XII. denariorum valore, præterquam ſi fugere velit, vel ſe defendere, tunc non dubitetur, licet pro minori *pretio* eſſet (2).

Si hæc ita conſervemus, tunc confido in Deo, quod pax noſtra melior futura ſit quam antea erat (3).

De gentis & legis honoribus. (4)

Fuit quondam in Legibus Anglorum ea gens et lex pro honoribus, et ibi erant ſapientes populi honore digni, quilibet pro ſua ratione; Comes et Colonus, Thanus et Ruſticus.

Et ſi Colonus tamen ſit, qui habeat integras quinque hydas terræ, Eccleſiam et culinam, turrim ſacram, et atrii ſedem ac officium diſtinctum in aula Regis, ille tunc in poſterum ſit jure Thani dignus.

Attamen, ſi Thanus ſit, qui ſerviat Regi, & iter equeſtre ipſius faciat in provincia illius, ſi tunc Thanum habeat, qui eum ſequitur, qui ad Regis egreſſum quinque hydas habeat, & in Regis aula Domino ſuo ſerviat, & ter cum epiſtola ejus proficiſcatur ad Regem, ille in poſterum cum præjuramento ſuo Domini vicario munere fungi debet circa varias neceſſitates, & cauſam ejus juſte vindicare ubicunque debebat.

Et qui eos ſtipatores dignitatis ergo non habeat, juret ipſe pro jure ſuo, vel illam perdat.

Attamen ſi Thanus Come fiat, tunc jure Comitis in poſterum ſit dignus.

Et ſi mercator tamen ſit, qui ter trans altum mare per facultates proprias abeat, ille poſtea jure Thani ſit dignus.

Et ſi diſcipulus in doctrina proficiat, ut ordinem habeat, & Chriſto ſerviat, tanto honore & pace dignus ſit in poſterum, uti ad eum pertinet, niſi aliquid commiſerit, ut ordinis hujus officio uti non debeat.

Et ſi fiat ut ordinatis vel extraneis alicubi noceatur verbo vel opere, tunc Regem decet & Epiſcopum, ut hoc emendent quam diligentiſſime poſſint.

De capitis æſtimatione.

Regis æſtimatio capitis eſt apud Anglos juxta jus gentium xxx. mille Thrymſarum; xv. mille Thrymſæ ſint pro ipſius capitis æſti-

---

(1) Veteres *Sueones* & *Gothi* ſub pœna graviſſima & quidem infamante furem impunitum vetuerunt dimitti, unde & impuberibus, quos alias vel ratione defectus vel ætatis excuſare ſolent, in furtis non pepercerunt, etſi non pari prorſus cum reliquis pœna afficerent. In Lege *Salica*, cap. 26. tit. 9. ſtatutum eſt, ſi quis puer infra 12. annos aliquam culpam commiſerit, fredus (h. e. compoſitio pacis Regalis violatæ) ei non requiratur.

(2) De pretio furti furi vitam adimente variæ apud varias gentes extant Leges. *Sueones* & *Gothi* dimidiam marcam aut ejus pretium ad ſuſpendium ſufficere ſtatuerunt, quæ pœna etiam manſit poſt reviſionem Juris a Rege Chriſtophoro 1442. factam, & alibi in regno Sueciæ hodie rigoroſe ſervatur. In LL. Civilibus regni *Sueciæ*, tit. 15. de Furto, fur pro una marca vel ejus æſtimatione patibulo affigi debet; ſi autem ex templo vel balneo, vel a domino ſuo furetur, tunc ſuſpendatur pro dimidia marca. Alias pro dimidia marca apud eos fur flagellatur, & duabus auribus privatur; pro tribus oris flagellatur, & una aure privatur, & pro duabus oris, virgis caſtigatur. Apud *Danos*, qui rem dextante argenti (h. e. 10. unciarum) valentem furatus fuerit, ad palum verberibus caſtigetur infami furacitatis ſtigmate frontem pungendus; crimen hoc iterans ad ergaſtulum nauticum, quod Havniæ eſt, in æternum damnatur. Vid. *Jus Dan.* lib. 6. c. 17. *Longobardi* furta rei parvæ aut mediocris ſex ſolidis compenſari jubent, & fur in tali furto deprehenſus non incarceretur, ſed tantum componat. Vid. Lib. 1. LL. *Longob.* tit. 25. cap. 33. ſeqq. *Bajuvarii* rem haud magni pretii novies reſtitui volunt, LL. tit. 8. qui autem 10. aut 12. ſolid. valentem rem abſtulerit, judici tradatur judicandus. *Wiſigothi* cujuslibet rei furtum, & quantalibet prætii æſtimatione taxatum ab ingenuo novies, a ſervo vero ſexies ei qui perdidit ſarciri jubent, & utrumque reum 100. flagellorum verberibus coerceri. Lib. 7. tit. 2. *Burgundiones* parvi pretii furta 12. ſolidis mulctæ nomine componi volunt.

(3) His ſubjungit Latina verſio apud *Bromptonum*, Leges de Ordalio, quarum tenorem vide in Legibus *Æthelredi*, cap. ult. in *Concilio Ænham.* Lege 18. in Lat. Legibus Edoardi Lege 9. & alibi.

(4) Tria hæc quæ ſequuntur capita in Ms. Roffenſi adduntur Judiciis Civitatis Lundoniæ; utrum autem ad ea pertineant, valde dubito; potius Legibus *Æthelſtani* annecti vellem.

æstimatione, & xv. mille pro regni; æstimatio capitis competit cognatis, & compensatio Regia populo.

Æstimatio capitis nobilis est xv. mille thrymsæ.

Episcopi & Senatoris, VIII. mille thrymsæ.

Ducis & Summi Præpositi IV. mille thrymsę.

Ministri Ecclesiastici & Ministri Sæcularis, duo millia thrymsarum.

Coloni æstimatio capitis est CCLXVI. thrymsarum, quæ faciunt CC. solidos juxta Legem Merciorum,

Et si Wallus tamen habeat portionem terræ, & Regis tributum producere queat, tunc æstimatio capitis ejus sit CCXX. solidi.

Et si non habeat plus quam dimidiam hydam, tunc æstimatio capitis ejus sit LXXX. solidi.

Et si nihil terrarum habeat, & tamen liber sit, compensetur LXX. solidis.

Et si rusticus tamen habeat quinque hydas terræ ad Regis egressum, & si ipse occidatur, compensetur duobus millibus thrymsarum.

Et si tamen habeat galeam, thoracem & gladium inauratum, si terram non possideat, sit tamen nihilominus colonus.

Et si filio ejus & filii filio accidat, ut tantam terram postea habeat, sit soboles ejusmodi conditionis per duo millia thrymsarum.

Et si hoc non habeat, neque ad id pervenire possit, solvatur *compensatio* coloni.

De Lege Merciorum.

Coloni æstimatio capitis est juxta Legem Merciorum CC. solidorum; Thani æstimatio capitis est tot solidorum sexies repetitorum, hoc est, mille ducentorum solidorum, Tunc Regis simplex compensatio capitis est sex Thanorum compensatio capitis juxta Merciorum Legem, hoc est, xxx. millia sceattarum, & hæc omnia faciunt CXX. libras. Tanta est æstimatio capitis in jure gentium juxta Legem Merciorum; & pro regno aliud quid ad compensationem requiritur in compensatione Regia, Æstimatio capitis incumbit cognatis, & compensatio Regia populo,

Juramentum mille ducentorum solidorum hominis valet ac VI. colonorum juramentum, quoniam si a MCC. solidorum homine ultio sumenda est, integra ultio sumitur a sex colonis, & æstimatio capitis ejus sit sex colonorum æstimatio capitis.

LEGES EADMUNDI REGIS. (1)

EAdmundus Rex congregavit magnam Synodum in civitate Londini, sancto Paschali tempore, utriusque tam Ecclesiastici ordinis quam Politici. Ibi erat Oda & Wulfstan Archiepiscopus, & multi alii Episcopi contemplantes animæ suæ salutem, & eorum qui illis subjecti erant,

I. *De sacris initiati castitate.*

INprimis ut sacris initiati, qui populum Dei vitæ exemplum docere debeant, castitatem suam retineant secundum ordinem suum sive virilem sive fœmininum. Si ita non faciant, tunc illo sint digni quod in Canone dictum est, hoc est, ut perdant possessionem mundanam & consecratum cœmeterium, nisi emendent.

II. *De decimis & Ecclesiasticis censibus.*

Decimas injungimus singulis Christianis per Christianismum eorum, & Ecclesiæ censum, & nummum eleemosynarium. Si quis hoc facere nolit, sit excommunicatus.

III. *De homicidio.*

Si quis Christianum sanguinem fundat, non appropinquet Regis conspectum, si Regis servus sit, priusquam pœnitentiam egerit, sicut Episcopus ipsi significat & confessio illum admonet.

IV. *De Monialium stupro & adulterio.*

Si quis cum moniali coeat, non sit dignus consecrato cœmeterio, nisi compenset, sicuti pro homicidio. Idem dicimus de violatione conjugii.

V. *De templi instauratione.* (2)

Diximus etiam, quod quilibet Episcopus in-

(1) *Eadmundus* Rex admodum juvenis regnavit & obiit. Juxta Fastos Savilianos sex annos, ab anno 940. ad 946. tenuit imperium. *Ingulphus* sex annos & dimidium, *Ranulphus*, *Higdenus* & *Bromtonus* ferme 7. annos eum regnasse dicunt. Mortem ejus nonnulli ad Pulkirchiam, alii ad Cantuariam referunt; sc. cum in festo S. Augustini convivaretur; latro a Rege olim eliminatus, & jam ab ipso capillis apprehensis in terram dejectus, mortem ei intulit. Vid. auctores modo citatos in vita ejus.

(2) Templorum instaurationem *Cnutus* omni populo commendat. Legg. c. 2. §. 63. Apud veteres *Gothos* templum fundare & erigere juris fuit olim mere Episcopalis, ab anno 1295. usque ad Reformationem; videtur tamen antiquitus inter regalia sive reservata Regis censitum: *Ronungar skal kioerkio byggia*. Hodie apud *Suecos* absque scitu atque permissu Regis id facere Episcopis non est concessum, cujus, ut alia absint, scire est divisiones & districtus territoriorum propter redditus fisci & justitiæ administrationem. Cæterum jure loci & cœ-

inſtauret domum Dei de ſuo proprio, & Regem etiam commoneat ut omnia Dei templa bene ſint ornata, ſicuti nobis valde neceſſarium eſt.

VI. *De perjuris & faſcinationibus.*

Qui pejerat, & faſcinationes operatur, ſit in æternum ab omni Dei conſortio rejectus, niſi ad juſtiorem pœnitentiam ſe converterit.

EAdmundus Rex ſignifico omni populo, tam ſenioribus quam junioribus, qui in mea ditione ſunt, me contemplatum eſſe cum Sapientum meorum conſilio tam Eccleſiaſtici quam Laici ordinis, primo quomodo Chriſtianiſmum maxime erigere poſſem. Tunc viſum eſt nobis primo maxime neceſſarium, ut pacem noſtram & concordiam quam firmiſſime inter nos teneamus per omnem meam ditionem. Me & nos omnes valde tædet injuſtarum et multiplicium pugnarum, quæ inter nos ipſos ſunt; tunc diximus.

I. *De homicidio.*

SI quis poſthæc aliquem occidat, ut ſolus portet inimicitiam; niſi ope amicorum intra XII. menſes eum compenſet plenaria capitis æſtimatione, cujuſcunque ſit conditionis. Si eum tunc cognatio deſerat, & compenſare nolit, tunc volo, ut tota cognatio ſit ab inimicitia immunis præter homicidam, & illa ei poſtea nec victum præbeat nec pacem. Si autem deinde aliquis cognatorum ipſum hoſpitio excipiat, tunc reus ſit apud Regem omnium quæ habet, & portet inimicitiam cum cognatis, quoniam antea eum dereliquit. Si quis autem in alia cognatione ultionem faciat in aliquo alio homine præter homicidam, ſit inimicus Regis & omnium ejus amicorum, & perdat omnia quæ habet.

II. *De eo qui alium in Templo vel Oppido Regio oppugnat.* (1)

Si quis ad Eccleſiam vel Oppidum meum confugit, & quis eum ibi quærat vel affligat, illi qui hoc fecerint, rei ſint ejus, quod antea diximus.

III. *De mulcta pugnæ & homicidii.*

Et ego nolo ut aliqua pugnæ mulcta vel homicidii ſit remiſſa.

IV. *De ſanguinis effuſione.*

Significo etiam, quod nolim refugium haberi ei qui ſanguinem humanum fundit ad meam familiam priuſquam Eccleſiaſticam compenſationem ſuſceperit, & cognatis compenſaverit abundanter, & ad quodlibet jus inclinaverit, ſicut Epiſcopus ei denotat, in cujus provincia ille ſit.

V. *Gratiarum actio ei, qui in profligandis furibus aliquem auxiliatus eſt.*

Deo etiam gratias ago, & vobis omnibus, qui me auxiliati eſtis in pace quam contra furta ſancivimus; tunc confido in vobis, quod me ad eam tanto melius adjuvare velitis, quanto magis nobis omnibus utile eſt ut conſervetur.

VI. *De pacis violatione & immunitate domus.* (2)

Diximus etiam de pacis violatione & de im-

cœtus impetrato, vel privatis ædificare propria impenſa conceſſum ſub ſpe juris patronatus, vel omnibus pro ratione virium & conditione uniuſcujuſque imperatum ſub pœna pecuniaria quæ tota Eccleſiæ novæ ceſſit, utpote a membris ejus, qui ideo Jus Patronatus antiquitus habuiſſe videntur in eligendo paſtore. Apud *Danos* Lege ſancitum eſt, ut quibus Jus eſt Patronatus Eccleſiaſtici, adeoque reditus Templorum cedunt, ædificia Templorum ſarta tectaque præſtent ſub amiſſione ejuſmodi Juris ac Beneficii. Lib. 2. *Jur. Dan.* c. 22. §. 4. Apud *Longobardos* Lex extat, quod ſi Eccleſiæ per negligentiam deſtructæ ſint, Epiſcopi auctoritate emendentur ab iis, qui eas reſtaurare debuerant: ſi autem per impoſſibilitatem hoc contigerit, Epiſcopus modum inveniat, qualiter emendari congrue & ſubſiſtere poſſint. Eadem Lex extat lib. 5. *Capitul. Car.* & *Lud.* Impp. §. 144. & lib. 4. *Capit.* §. 40. De opere vero & reſtauratione Eccleſiarum Comes & Epiſcopus, ſive Abbas, una cum Miſſo noſtro (dicit Imperator) quem ſibi ipſi ad hoc elegerint, conſiderationem faciant ut unuſquiſque eorum tantum inde accipiat ad operandum & reſtaurandum, quantum ipſe de rebus Eccleſiarum habere cognoſcitur.

(1) Vide quæ ſupra de Aſylis Eccleſiæ diximus.

(2) Rex *Ælfredus* ex cap. XXII. Exodi Legem tulit contra effractores domus, cap. 1. LL. §. 25. *Cnutus*, lib. 2. LL. §. 59. ſancivit, ut ſi quis in domum irruptionem fecerit, compenſet quinque libris Regi juxta Leges Anglorum, & in comitatu Cantii juxta immunitatem quinque Regi, & tribus Archiepiſcopo, & juxta Leges Danorum, prouti antea obtinuit; & ſi quis ipſum ibi occiderit, jaceat inultus. *Gulielmus* Lege 17. ſtatuit, quod ſi quis appellatus fuerit de tractione cubiculi, neque fuerit antea infamis, a retro ſe purget per 42. legales homines nominatos duodecima manu; & ſi alias infamia notatus fuerit, purget ſe per triplum, videlicet per 48. homines legales nominatos trigeſima ſexta manu. Vide plura loco citato. In Legibus Provincialibus *Sueciæ*, tit. 8. *de turbatione Pacis*, cap. 5. ſtatuitur, ut ſi quis invadat alterius domum nocendi propoſito, quamvis nocere non poſſit, mulctetur tamen 40. marcis pro doloſa invaſione, vel purget ſe duodenæ manus juramento a propoſito nocendi. Et cap. ſeq. 6. ſi talis vulneretur, occidaturve, omne illud impune eſt, quod accipit. *Dani*, lib. 6. Juris ſui, cap. 14.

immunitatibus domus, si quis hoc in posterum fecerit, ut perdat omne quod habet, & sit in Regis arbitrio utrum vitam habeat.

VII. *De inimicitia.*

Sapientes debent inimicitiam pacare; primo juxta Jus commune occisor debet prolocutorem suum certificare, & prolocutor cognatos, quod occisor velit compensare apud cognatos. Tum postea occisoris prolocutor certificare debet, quod occisor in pace appropinquare possit & æstimationem capitis spondere. Hoc cum spoponderit, tunc inveniat ad hoc fidejussores æstimationis capitis. Hoc cum factum est, tunc firmetur pax Regia, ab illo die ad XXI. diem solvatur collistrigium, inde ad XXI. diem compensatio homicidii, inde ad XXI. diem prima compensatio æstimationis capitis.

Quomodo virgo desponsanda, & quinam ritus ibi esse debent. (1)

I. SI quis virginem vel uxorem in matrimonium ducere velit, & hoc illi ac amicis placeat, tunc justum est, ut sponsus juxta Jus Dei, & instituta mundi, prius pro-

---

14. §. 5. Legem constitutam habent; si quis causa nondum cognita ac dijudicata alienum ædificium in solo vel suo ipsius vel alterius possessoris exstructum effregerit, tum effractario possessor domus actionem damni violenti habeto. *Longobardi*, lib. 1. Legum, tit. 14. §. 9. hanc Legem habent: Si quis domum alienam cuilibet fregerit, quidquid per virtutem (h. e. *per vim*) abstulerit, aut rapuerit, aut furatus fuerit, secundum Legem & ewam (*Jus*) illi, cujus domus fuerit fracta aut expoliata, in triplo componat, & insuper bannum dominicum solvat. Vide eandem Legem lib. 3. *Capitul. Car. & Ludov.* Impp. tit. 65. & lib. 7. *Capitular.* Lege 262. Hi qui ædes aliquas villasque expoliaverint, effregerint, expugnaverint, siquidem id turba cum telis coacta fecerint, capite puniantur. Apud *Wisigothos*, si quis evaginato gladio vel quolibet genere armorum munitus præsumptivo modo in domum alienam intraverit, cupiens dominum domus occidere, si ipse fuerit occisus, mors ejus nullatenus requiratur. Si autem ipse, qui in domum alienam intravit, hominem occiderit, continuo & ipse moriatur. Quod si non criminalem culpam admiserit, secundum Legum ordinem componere non moretur, juxta quod damnum in eadem domo fecerit.

(1) De Nuptiarum ritu apud *Suecones* & *Gothos* usitato, hæc ex *Stiernhookio* excerpta accipe L. B. Ætas conjugii fœminæ Jure *Helsingico* ad annum 12., adolescentum autem ad 18. terminatur, quamvis *Uplandicum* ad 20. annum extendat, eo enim demum instruuntur gladio, securi, casside, scuto, arcu, &c. Fœmina virgo perinde ut vidua a tutore petebatur, patre sc. vel fratre, vel avo, patruo, avunculo aut agnato. De Jure *Westmannico* vidua sui juris fuit, quamvis in consilium matrimonii admittere teneretur patrem & propinquos. Jus *Uplandicum* & *Helsingicum* matri & sorori hoc juris tribuunt, ut alio propiore non existente super nuptiis dispensent filiæ vel sororis. Postquam fœminæ & tutoris consensus impetratus fuit, sponsalia sub binis testibus ab utraque contrahentium parte celebrabantur, & dos sponsæ constituta æstimabatur. Olim quidem apud *Suecones* Lege cautum erat, ut vir uxori dotem (Morgengavium), non uxor viro adferret. Apud *Gothos* veteres tamen dos pro fœminis requisita fuit, & in tribus constitui debuit; in lecticalibus, in fundo & servis, in auro & argento, & ea quidem necessitate, ut si non vivæ daretur, mortuæ hæredibus constitui deberet, & tam ducenti uxorem filio, quam nubenti filiæ ad familiæ onera sustinenda, & quidem respectu sobolis; qua deficiente, redibat dos ad datorem aut ejus hæredes ad tertiam usque generationem. Et quamvis dos respectu liberorum data fuerit, tamen post mortem mariti in divisionem cum liberis non veniebat, sed mansit mulieri integra & superstes nulla alia conditione a marito alienanda, quam *fundus allodialis*; videlicet, si aut fame premerentur, nec alia superessent media vitæ sustentandæ, aut mulier in captivitatem ab hostibus abducta redimenda esset. Post dotem promissam & constitutam arrhæ sponsalitiæ non sponsæ, sed ejus sponsori vel tutori dabantur: sponsæ dabatur equus frænatus & vestes, si ditior esset, aut etiam boves. Olim præter equum & boves etiam arma dabant. Hoc facto in potestate & arbitrio sponsi erat, quandocunque vellet nuptias celebrare; earum diem sex ante septimanas tutoribus denunciare tenebatur. Dein sponsores vel tutores sponsam securam & inviolatam in familiam, lectumque aut sinum sponsi reponebant sub gravi mulcta duplici quam pro homicidio propter sponsam, propter liberos autem quorum generatio sic impedita vel interrupta judicabatur, triplici. Postquam in domum sponsi venerint, tutor copulationem peragit neonymphorum his verbis: *Conjungo tibi filiam (sororem) in honorem & uxorem, in jus dimidii thori & clavium, & trientis in bonis omnibus acquisitis & acquirendis juxta Jura Uplandica, & ea quæ dedit Divus Ericus in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Hæc conjunctio olim fiebat excusso per ferrum & silicem igne, mutatum postea & faculæ ac cerei prælati. Post copulationem per tutorem factam, consecratio a Sacerdote fiebat, præsente semper tutore. Dein convivium nuptiale a sponso instituebatur, in quo donis hospites prosequebatur, successu temporis autem noviter nuptis ab hospitibus convivis aliquid retribuebatur. Finito Symposio solemni ritu & ceremoniis, lectum genialem cum cantu & tripudiis, & cum fausta convivarum acclamatione ingrediebantur. Postridie dos (*Morgengavium*) dabatur ob virginitatem quidem, in qua distribuenda viduæ pari cum virginibus jure fruebantur. Morgennatica, præsentibus 12. testibus, vel ut jura eos vocant, firmatoribus dabatur. In nuptiis nobilium hastam vexillarem complicatam ad pedes sponsæ deponebant, ac finito de Morgennatica sermone & promissione ante novos conjuges, a 12. illis firmatoribus contractam ejiciebant. Apud plebejos poculum (quod maritale vocabant) sponsus post sermonem pronubi de mutato vitæ genere propinat sponsæ, ac simul Morgennaticam promittit, quod illa mutato habitu delibat, ac amorem, fidem, diligentiam ac subjectionem repromittit. Plura de hoc ritu vide apud Stiernh. lib. 2. c. 1. de Nuptiis & Jure Conjugum. De aliarum gentium ceremoniis nuptialibus consule Cl. *Selden.* lib. de uxore Hebræa, lib. 2. per totum.

promissum & fidem det viro qui eorum prolocutor est, quod ille hoc modo eam cupiat, ut juxta Jus Dei eam servare velit, sicut vir fœminam suam debet, & hoc spondeant amici illius.

II. Postea sciendum est, ad quem cibariorum exhibitio pertinet; hoc spondeat deinde sponsus, & fidejubeant amici ejus.

III. Postmodum significet sponsus quid ei destinet, pro eo quod illa voluntatem ipsius elegerit, & quid ei destinet, si illa supervivat eum.

IV. Si hoc ita pacto conventum est, tunc justum est, ut ea dimidiam bonorum partem habeat, & omnia si prolem invicem habeant, nisi illa deinde maritum *alium* eligat.

V. Confirmet omne quicquid promiserat, sponsione, & amici fidejubeant.

VI. Si illi tunc in omni re concordant, tunc adeant cognati & spondeant consanguineam suam in uxorem, & ad rectam vitam ei, qui illam desiderat, & accipiant fidejussorem *eum* qui in sponsionem jus habet.

VII. Si eam ex terra illa ducere velit in alterius Thani regionem, tunc sponsio ipsius sit, quam amici paciscantur, ut maritus ejus nullam illi injuriam inferat, & si illa delictum commiserit, ut possint esse propinquiores emendationi, si illa non habeat unde compenset.

VIII. Dationi Presbyter intersit, is de jure cum Dei benedictione conjunctionem eorum adunare debet in omni felicitatis plenitudine.

IX. Bonum etiam est cavere ut sciatur ne per consanguinitatem conjuncti sint, quo minus postea separentur, qui injuste conjuncti sunt.

LEGES EADGARI REGIS. (1)

HOc est institutum, quod Eadgarus cum Sapientum suorum consilio instituit in gloriam Dei, et sibi ipsi, in dignitatem Regiam, et in utilitatem omni populo suo.

I. HOc sit igitur primum, quod Ecclesiæ Dei jure suo dignæ sint, & dentur omnes decimæ Primariæ Ecclesiæ, ad quam parochia pertinet; & tunc præstetur sive de terra Thani, sive de terra villanorum; prouti aratrum circumducitur.

II. *De censu ecclesiastico.*

Si quis Thanorum sit, qui in feodo suo Ecclesiam habet, in qua sit cœmeterium, det tunc tertiam partem propriarum decimarum suarum Ecclesiæ suæ. Si quis ecclesiam habet, in qua non sit cœmeterium, tunc ex novem partibus Presbytero suo det quicquid velit, et transeat quilibet ecclesiasticus census ad Primariam Ecclesiam de qualibet terra libera.

III. *De Decimis.* (2)

Et singulæ fœtuum decimæ præstentur ad Pentecosten, et terræ frugum ad æquinoctium. Et quilibet census ecclesiasticus præstetur ad festum Martini, per plenam mulctam quam Judicialis liber adnotat. Et si quis decimas præstare nolit, sicut diximus, proficiscatur ad eum Præfectus Regis et Episcopi, et Ecclesiæ Presbyter, et sumant invito eo decimam partem quæ ad Ecclesiam pertinet, et dimittant ei nonam partem, et dividantur octo partes in duo, et capiat Dominus dimidium, dimidium Episcopus, sive sit Regis sive Thani minister.

IV. *De nummo in domos singulas imposito.*

Et quilibet nummus in domos singulas impositus detur ad Petri festum diem, & qui ad illum terminum (*hoc*) non præstiterit, portet eum Romam, & alios præterea xxx. denarios, & referat inde testimonium, quod ibi tot tradiderit. Et tunc domum reversus solvat Regi cxx. solidos; & si eum iterum solvere nolit, portet illum deinde Romam, & simile quid compenset, & tunc domum reversus solvat Regi ducentos solidos. Si tertia vice reddere nolit, perdat omne quod habet.

V. *De festis diebus & jejuniis.*

Quodlibet diei Solis festum celebretur ab hora pomeridiana diei Saturni, usque ad diluculum diei Lunæ, sub mulcta quam liber Judiciorum adnotat; & singuli alii festi dies (*celebrentur*) sicut jussum est. Et institutum jejunium servetur cum omni devotione.

Leges Politicæ.

I. Hoc est Institutum seculare, quod ut observetur, volo, & est hoc. Volo ut quilibet homo jure communi sit dignus, sive pau-

(1) *Eadgarus* Rex juxta Fastos *Savilianos* & juxta Chronicon de *Mailros*, anno Christi 959. ætatis 17 regnum auspicatus est, & tenuit annos 16. ut sic anno Christi 975. vitam cum morte commutaverit. *Bromptonus* multus est in laudibus ac vita ejus, factaque ipsius vere pia, heroica & regia enumerat; qua ratione autem ipse & *Higdenus* 37. ætatis anno eum obiisse dicere potuerint, ipsi videant.

(2) Vide quæ antea de decimis diximus.

pauper sive dives, & ei justum judicium judicetur. Et in compensatione talis sit remissio qualis coram Deo venialis, & coram mundo tolerabilis sit.

II. *De eo qui ad Regem appellat, & de æstimatione capitis.* (1)

Nemo ad Regem appellet pro aliqua lite, nisi domi jure suo dignus esse vel jus consequi non possit. Si jus nimis severum sit, alleviatio deinde quæratur apud Regem; & nulla mulcta culpæ pecuniaria superet æstimationem capitis.

III. *De injusto judicio.* (2)

Judex, qui alicui injustum judicium judicat, solvat Regi centum viginti solidos compensationis loco, nisi juramento confirmare audeat, quod rectius judicare nescivit; & perdat Thani sui dignitatem in perpetuum, nisi postea a Rege impetret quomodo ei placere possit. Et mittat provinciæ illius Episcopus compensationem ad Regis manum.

IV. *De eo qui alium diffamat.* (3)

Si quis alium injuste diffamare velit, ut sive vita sive fortunis pejor sit; si alter refellere possit quod de eo quis affirmare velit, linguæ suæ reus sit, nisi eam æstimatione capitis compensare voluerit.

V. *De conventibus.*

Quæratur Centuriæ Conventus, sicut antea institutum erat; & habeatur ter in anno Conventus Oppidanus, & bis Provincialis Conventus: & intersit Conventui Provinciali Episcopus & Senator, & postea doceant tam divinum Jus quam humanum.

VI. *De fidejussoribus.*

Quilibet homo inveniat sibi fidejussorem, & fidejussor illum ad quodlibet Jus ducat & custodiat, & si quis tunc injuriam faciat & clam aufugiat, portet fidejussor quod ille portare debuerat. Si sit furtum, & si ipsum intra XII. menses accersire possit, sistat eum judicio, & reddatur ei quod antea solverat.

VII. *De crebræ accusationis infamia notatis.*

Si quis crebra accusatione infamatus, et populo mendax sit, et conventum non visitet, tunc evocentur ex conventu qui ad eum proficiscantur, et inveniat sibi tunc fidejussorem, si possit; si tunc nequeat, capiatur quocunque modo possit, sive vivus sive mortuus, et auferatur omne quod habet, et solvatur accusatori justa rei compensatio, et capiat dominus terræ dimidium, dimidium Hundreda. Et si aliquis vel cognatus vel alienigena iter hoc detrectet, solvat Regi centum viginti solidos. Quicquid autem quæsiverit fur publicus vel qui in

(1) In Legibus Civilibus regni *Sueciæ*, tit. 8. de Judicio Curiali, cap. 3. de appellatione hac statutum est, ut si quis ad Regem appellare velit, 20. marcas opponat Prætoris, Consulum & Senatorum 40. marcis intra octiduum a die sententiæ latæ. Qnod si eadem sententia in Regio Judicio feratur vel confirmetur, quæ in Judicio Curiali lata est, appellans perdat 20. marcas: si vero alia sententia appellanti feratur in Regio Judicio, Prætor & Consules perdunt 40. suas marcas, actori soli addicendas, qui & recipiet suas 20. marcas. *Gustavus Adolphus* Rex Sueciæ anno 1614. statuit, ut si quis ab inferioribus Judiciis ad Regem appellaret, resolutionem capiat ab illis Judiciis, eamque ad Judicium Regium Stockholmiæ residens deferat, & quicquid deinde a Rege & Regio Judicio per sententiam dijudicabatur, & pronunciabatur, hoc ratum & firmum erit, nec revocari poterit, nec ullus potestatem habeat illud ulterius impugnandi sub mulcta 100. dalerorum pro violatione sententiæ Judicii Regii, & nihilominus ad principalem causam damnabatur. Vid. Procesf. Judic. ordin. sub Gust. Adolpho, p. 313. in Legibus Civilibus Loccenii.

(2) *Gulielmus* Conquestor, Lege 15. Judicem qui falsum tulerit judicium, weram suam perdere vult, nisi tactis sacrosanctis (Evangeliis) probare poterit, se melius judicare nescivisse. Judex injustus apud veteres *Suecones* & *Gothos* non tantum gravissime mulctabatur, sed & cum infamia perpetua ab officio removebatur. Vid. *Stiernb.* lib. 1. cap. 3. Apud *Danos*, Judici iniquam sententiam dicenti munus abrogatur, neque unquam ei judicandi potestas est, deinde damnum bonis vitæ famæve innocentis illatum resarcit, & quicquid denique de bonis ejusdem tum fuerit reliquum, Regi cedit; lib. 1. *Jur. Dan.* c. 5. In *Edicto Theodorici Regis*, §. 1. Judex pecuniam accipiens quatenus adversum caput innocens contra Leges & Juris publici cauta judicaret, capite punitur. Et §. 2. in quadruplum quod venalitatis studio accepit, exsolvere jubetur illi profuturum, contra quem redemptus docebitur tulisse sententiam. *Constitutiones Siculæ*, tit. 46. ita statuunt: Si Judex fraudulenter atque dolose contra Leges sententiam protulerit, ab auctoritate judiciaria irrecuperabiliter cadat, noteturque infamia rebus suis omnibus publicatis. *Et porro:* Judex si accepta pecunia reum aliquem criminis & mortis fecerit, periculo capitis subjacebit. *Wisigothi*, lib. 7. tit. 4. de injusto judicio hæc sanciverunt. Si Judex quolibet beneficio corruptus aliquem innocentem occiderit, simili morte dampnetur: si vero eum, qui morte dignus est, criminosum absolverit, septuplum quantum pro ejus absolutione acceperat, illi cui erat culpabilis, cogatur exsolvere. Et de judiciaria potestate repulsus infamis, a sibi successore Judice distringatur, ut eum quem relaxavit, præsentet in judicio, qualiter de crimine convictus pœnam excipiat, quam meretur. Et §. sequ. si absolverit criminosum, tam pro homicidio, quam pro omni negotio summam compositionis exsolvat. *Bajuvarii* pecuniam ab injusto Judice acceptam dupliciter restitui volunt, & in fisco 40. solid. exsolvi. In *Capitul. Car. & Lud.* Impp. lib. 7. cap. 176. Judex oblatas sibi in Judicio Leges vel Juris species audire nolens, & cum ira eas judicans, ex hac re convictus in carcere deportetur.

(3) Vide quæ supra de calumniatoribus diximus.

in insidiis domino suo factis deprehensus est, nunquam vitam suam expectet.

VIII. *De monetis & dimensionibus.*

Una moneta per totum Regis imperium obtineat, et eam nemo repudiet, ut et dimensio, quæ Wintoniæ adservatur. Et valeat pondus lanæ dimidia libra, et nemo eam carius vendat.

LEGUM EADGARI SUPPLEMENTUM. (1)

HIc in hoc scripto ostensum est, quomodo Eadgar Rex consultaverit, quid loco remedii serviret pro repentina morte, quæ patriam suam admodum & longe lateque per ditionem suam vexabat.

HOc igitur primum est, quod ipsi et Sapientibus ejus visum sit, quod cum peccatis et contumacia contra Dei præcepta hujusmodi infortunium mereamur, et sæpius cum subtractione necessarii tributi, quod Christiani Deo præstare deberent in decimarum suarum censibus (2).

Considerabat et contemplabatur divina juxta consuetudinem mundanam.

Si colonus aliquis negligat domini sui tributum, et hoc ei justis diebus non præstiterit, (putatur.) Si dominus misericors sit, ut hanc negligentiam remittat, et tributum suum absque pœna accipiat.

Si tum sæpe per exactores suos tributum suum requirat, et ille obduratus sit, ac cogitet vi eripere; (putatur) quod domini ira in tantum excrescat, ut ei nec possessionem nec vitam concedat.

Hæc est opinio, quod Dominus noster *ita* puniat audaciam illam, qua homines contemnunt crebras illas admonitiones quas Doctores nostri faciebant de necessario tributo Domini nostri, quod est Decimæ nostræ et Census Ecclesiastici.

Tunc jubeo ego et Archiepiscopus, ut Deum ad iram non provocetis, neque mereatis subitam mortem hujus præsentis vitæ, neque saltem futurum æternum infernum, aliqua subtractione judiciorum Dei, sed tam pauper quam dives qui aliquem laborem habet, præstet Deo decimas suas cum omni gaudio, et cum omni concessione, prouti Constitutio notat, quam Sapientes ad Andeferam statuerunt, et deinde ad Wihtbordesstane pactis confirmaverunt.

Tum præcipio Præpositis meis per amicitiam meam, et per omnia ea, quæ habent, ut omnibus his remedium inveniant, qui hoc præstare nolint, et sapientum meorum pactum violent cum aliquo contemptu, volo prouti prius nominata Constitutio adnotat, *ut* (&) in hac disciplina nulla detur remissio; si tam pauper sit, ut utrumque faciat, vel bonum hoc omittat in detrimentum animæ suæ, vel diligenter cum animi molestia, commutet illud, ut ei (*pauperi*) proprium quid attribuat, cum multa sibi propria sunt, ut postea ei in æternitate reddatur, si libere et cum pleno gaudio hoc facere vellet.

Ad hæc volo, ut Dei judicia observentur æqualiter in mea ditione, et Dei ministri, qui census suscipiunt quos Deo reddimus, vivant puram vitam, ut per sanctitatem suam apud Deum pro nobis intercedere possint. Et ego ac Thani mei facere volumus quod Sacerdotes nostri, qui pastores animæ nostræ *sunt*, nos docent; hi sunt Episcopi nostri, quibus nunquam inobedientes esse debemus in ulla aliqua re, quam nos in Dei nomine docent, ut per obedientiam quam illis coram Deo præstamus, vitam æternam consequamur, ad quam nos assuefaciunt doctrina et exemplo bonorum operum.

Volo, ut statuta temporalia observentur in qualibet natione, quam optime honorari possunt, in Dei gloriam, et meam plenariam potestatem Regiam, et pauperibus ac indigis ad necessitatem et pacem. Et in qualibet urbe ac in qualibet provincia habeo regale meum judicium, prouti Pater meus habuit, et Thani mei sua habent officia meis temporibus, uti Patris mei *tempore* habebant. Volo etiam ut temporalia statuta apud Danos observentur juxta optimam, quam eligere possunt, formam Legum; apud Anglos autem observetur quod ego et Sapientes mei ad maxime vetustas Leges meas addidimus pro necessitate totius nationis.

Attamen sit utrinque consilium hoc commune toti populo, tam Anglis quam Danis et Brittonibus, in quacunque terrarum mearum parte, ideo ut pauper et indigus possidere queant id quod juste acquisiverint, & fur

(1) Hoc quod sequitur statutum sub *Eadgaro* Rege sancitum ab Anglis, Danis & Britonibus æqualiter observandum ex MS. C. C. C. C. K. 2. excerpsi, Latinamque addidi versionem. Ea quæ textui Saxonico in MS. codice præfixa est, non adeo feliciter sensum Legislatoris exprimit, cum paraphrasis potius quam versio ejus dici mereatur.

(2) Subtractionem decimarum causam repentinæ mortis esse adserit Rex, de quo vide supra notas de decimis tractantes.

et fur nesciat, ubi furtum abscondat, cum aliquid furatus sit, et eum adeo lateat illorum dissensus, ut illi multa non perdant.

Hoc præterea volo, ut quilibet sub fidejussoribus sit tam intra quam extra urbes, et ubi hoc non obtinet, constituatur in qualibet urbe, et qualibet centuria.

In qualibet urbe XXXIII. eligantur ad testimonium.

In parvis oppidis et in qualibet Hundreda XII. nisi plures velint.

Et quilibet cum testimonio suo emat (1) et vendat omnem mercaturam quam emerit vel vendiderit, sive in urbe sive in wapentachio, et quilibet eorum, qui primum in testem electus sit, juramentum præstet, quod nunquam nec pro pecunia, nec ex amore, nec ex timore, et ullius alicujus rei causa cujus testis esse possit, nihil aliud in testimonio dicat, quam id quod vidit, vel audivit, et ita in qualibet emptione duo vel tres jurati homines adsint in testimonium; et si quis ad propriam mercaturam equitet, narret vicinis suis, ad quid equitet, et cum domum venerit, eloquatur etiam hoc testimonio, cum emptionem fecerit.

Si autem inopinato emptionem fecerit extra itinerantium viam, ut antequam exiret, illud denunciare non potuerit, denunciet illud cum domum venerit; si vivum quid sit, cum testimonio eorum qui ejusdem cum eo sunt civitatis, in commune pascuum deducat.

Si hoc non fecerit intra quinque dies, annuncient illud homines ejusdem civitatis Seniori Hundredæ, et a pœna immunes sint tam illi ipsi, quam pastores eorum, et perdat animal suum, qui illud eo deduxit, quoniam vicinis suis id denunciare noluit, et terræ dominus dimidium, dimidiumque Hundreda capiat.

Si autem ultra quinque dies in communi pascuo non indicatum commoretur, perdat possessionem suam, uti antea diximus, et pastorum quilibet vapulet, et remissionem peccati ejus non obtineat, etsi eam quæsiverit, licet etiam enunciare voluerit, quo testimonio animal hoc emerit.

Si autem notum sit, quod cum testibus hoc emerit, illis, qui ad testimonium nominati sunt vel in urbe vel in Hundreda, et Senior Hundreda inquisiverit, quod hoc verum sit, perdat tamen animal illud, quoniam vicinis suis hoc indicare noluit nec Seniori Hundredæ suæ, nec habeat plus damni.

Si autem profiteatur, quod cum testimonio hoc emerit, et illud falsum sit, sit fur, et perdat caput ac omnia quæ ipsius sunt, et retineat dominus furto ablatum animal, et animalis pretium emptionis, usque dum proprium liberum juramentum interveniat, et cum testimonio sibi animal illud attribuat. Deinde volo, ut in usu sit apud Danos quam optima eligi possit Lex, et ego illis dedi permissionem, et placere volo quamdiu vita mihi concedatur pro vestra fidelitate, quam mihi semper promisistis; et hoc cupio, ut unum jus in quolibet scrutinio nobis omnibus sit commune ad tutamen et pacem omni populo. Volo etiam, ut cives et eorum pastores habeant idem scrutinium in vivis meis animalibus, et Thanorum meorum, ac in propriis suis habent; si hoc autem Præpositus meus vel alius alter dives vel pauper respuat et incongruum præcipiat vel civibus vel pastoribus eorum; eligatur juxta Leges Danorum aliqua correctio, quam illi observare velint.

Apud Anglos ego et Sapientes mei elegimus, quæ correctio esse debeat, si aliquis quodam modo incipiat, vel in totum occidat aliquid eorum, quæ in hoc scrutinio sunt, et animal occultum prodat, vel quoddam illorum quæ in vero testimonio sunt, sua cum veritate, *ceu* innocens eripiat, et nocens juste perdat; tunc volo ut semper apud vos observetur, ut ad pacis compensationem eligatis cum magna sapientia, et magno meo emolumento; et hoc semper nobis sit commune in his insulis habitantibus. Tunc curet Oslac Comes, et exercitus omnis qui in hoc comitatu commoratur, ut hoc observetur in Dei gloriam, et omnium nostrum necessitatem animæ, et omnis populi pacem; et multæ literæ de his rebus conscribantur, ac mittantur ad Ælferum et Ægelvinum Senatores, et illi quorsum consultum fuerit pauperibus & indigis.

Ego Dominus vobis benignus maneo, quam diu vixero, & vobis omnibus qui pacem diligenter curatis, admodum amicus sum.

(1) De emptione in præsentia testium jam supra.

CANONES EDITI SUB EADGARO REGE. (1)

Hoc pertinet nunc ad Eadgari institutum de sacris initiatorum vivendi formula.

I. DOcemus, ut Dei ministri sint devote Deo servientes & ministrantes, & pro omni populo Christiano intercedentes, & ut omnes illi Senioribus suis sint fideles & obedientes, & omnes prompti in communi necessitate, ac ut quilibet sit aliis auxilio & adjutorio tam coram Deo quam coram hominibus, & ut sint etiam dominis suis mundanis fidi & veri.

II. Docemus etiam ut quilibet honoret alterum, & Juniores diligenter audiant Seniores suos & ament; et Seniores diligenter doceant Juniores suos.

III. Docemus etiam, ut illi ad quamlibet Synodum habeant quotannis libros & vestimenta ad servitium ecclesiasticum & atramentum ac pergamenas ad eorum constitutiones, & trium dierum commeatum.

IV. Docemus etiam ut Sacerdos quilibet ad Synodum *abiens* habeat Clericum suum & aptum hominem pro ministro, & non ignotum aliquem, qui stultitiam amet, sed proficiscantur omnes in ordine, & in Dei omnipotentis timore.

V. Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos in Synodo enuntiet, si quid ei noceat, & si aliquis magnam ipsi injuriam fecerit, & tunc illi omnes suscipiant quasi sibi omnibus factam, & adjuvent ad compensationem, prouti Episcopus adnotaverit.

VI. Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos in Synodo enuntiet, si in Parochia sua noscat aliquem erga Deum contumacem, vel qui in peccatum mortale male incidit, quem ad emendationem inclinare nequit, vel non audet, propter populum hujus mundi.

VII. Docemus etiam, ut nullum negotium, quod inter Sacerdotes est, deferatur ad arbitrium secularium, sed illorum proprii socii componant & pacificent, vel transferant ad Episcopum, si opus fuerit.

VIII. Docemus etiam, ut nullus Presbyter sponte Ecclesiam deserat, cui consecratus erat, sed habeat eam pro legitima conjuge.

IX. Docemus etiam, ut nullus Sacerdos faciat aliquid eorum quæ ad alterum spectant, non in Ecclesia ejus, nec in Parochia ejus, neque in Societate illius, neque in aliqua earum rerum quæ ad eum pertinent.

X. Docemus etiam, ut nullus Sacerdos suscipiat alterius scholarem, absque venia ejus quem prius obsequebatur.

XI. Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos augendæ scientiæ causa, diligenter discat opificium.

XII. Docemus etiam, ut quis doctus Sacerdos non contumelia afficiat semidoctum, sed corrigat eum, si melius norit.

XIII. Docemus etiam, ut nullus Sacerdos illustris natus contemnat inferioris conditionis Sacerdotem; si quis hoc recte contempletur, omnes homines ejusdem sunt nativitatis.

XIV. Docemus etiam, ut Sacerdos quilibet legitime se gerat, & non sit mercator injustus, nec sibi injurius mercator.

XV. Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos baptismum peragat simul ac requiritur; & deinde in parochia sua præcipiat, ut quilibet infans baptizetur intra XXXVII. dies, & ut nemo nimis diu ab Episcopo confirmari differat.

XVI. Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos Christianismum diligenter promoveat, & omnem Gentilismum omnino extinguat, & prohibeat cultum voluntarium, & necromantiam, & auguria, & incantationes, & divinum hominis cultum, & plura quæ exercentur in variis præstigiis, et in cathedris pacis, et in ulmis, et etiam in aliis variis arboribus, et in saxis, et in multis aliis phantasmatibus, quibus multi eorum qui non deberent, decipiuntur.

XVII. Docemus etiam, ut quilibet Christianus infantem suum ad Christianismum diligenter adsuescat, et eum *Pater Noster* et *Credo* doceat.

XVIII. Docemus etiam, ut diebus festis cessent prophana cantica et ludi diabolici.

XIX. Docemus etiam, ut cessent diebus Solis mercaturæ et conventus populi.

XX. Docemus etiam, ut cessent falsa et stulta colloquia, et ignominiosæ blasphemiæ.

XXI. Docemus etiam, ut cessent concubinatus, et amentur justa conjugia.

XXII. Docemus etiam, ut quilibet discat Pa-

---

(1) Canones hi dati sub *Eadgaro* Rege, admonitio potius aut doctrina sunt a Monachis & Presbyteris observandi; quomodo nempe ipsi a peccatis abstinere, & alios ad idem faciendum exhortari debeant per confessionem & per jejunium vel per pœnitentiam, quæ pro varia criminis ratione varia fuerat. A quonam conscripti sint hi Canones, non facile patet; emanasse (inquit *Spelmannus*) censeo a diversis authoribus; Canones, enim juxta synodicam locutionem plurali eduntur numero, *we lærath, nos docemus*.

Pater Noster et *Credo*, si quando in consecrato cœmeterio jacere, vel Eucharistiam sacram percipere velit; propterea quia is non est bonus Christianus, qui hoc discere non vult, nec jure potest alios e Baptismate levare, nec Episcopi manum accipere (*in Confirmatione*), nisi hoc prius addiscat.

XXIII. Docemus etiam, ut in diebus festis et statis jejuniis nulla nimia contentio sit inter quoscunque homines.

XXIV. Docemus etiam, ut in diebus festis et jejuniis juramenta et ordalia prætermittantur.

XXV. Docemus etiam, ut quilibet vir abstineat ab uxore sua in diebus festis et statis jejuniis.

XXVI. Docemus etiam, ut Presbyteri Ecclesias custodiant cum omni veneratione, ad Ecclesiasticum ministerium, et ad purum servitium, et ad nullas alias res, neque sit aliquid inutile ibi, neque in vicinia; non permittantur vana colloquia, nec vanæ actiones, neque indecora compotatio, neque unquam alia vanitas, neque intra Ecclesiæ sepem canis aliquis veniat, neque porcorum plures quam quis regere possit.

XXVII. Docemus etiam, ut nihil in Ecclesia reponatur, quod ibidem indecens sit.

XXVIII. Docemus etiam, ut *omnes* in Ecclesiæ encæniis valde sobrii sint, et diligenter orent, nec pocula neque aliquid inutile ibi exerceant.

XXIX. Docemus etiam, ut in Ecclesia nemo sepeliatur, nisi sciatur quod in vita Deo bene placuerit, ut inde judicetur quod sit sepultura dignus.

XXX. Docemus etiam, ut Sacerdos in nulla domo Missam celebret, nisi in consecratis Ecclesiis, præterquam ob extremam alicujus ægritudinem.

XXXI. Docemus etiam, ut Sacerdos nunquam saltem Missam celebret, nisi super consecratum altare.

XXXII. Docemus etiam, ut Sacerdos nunquam Missam celebret absque libro, et sit Canon ei ante oculos positus, si velit, ut eo minus impingat.

XXXIII. Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos habeat corporalem vestem, quum Missam celebrat, et subuculam sub alba sua, et omnia vestimenta Missæ debite contexta.

XXXIV. Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos diligenter curet, ut bonum et saltem justum librum habeat.

XXXV. Docemus etiam, ut nullus Sacerdos solus Missam celebret, si non habeat eum qui ipsi respondeat.

XXXVI. Docemus etiam, ut quilibet S. Eucharistiam accipiat jejunans, nisi ob extremam ægritudinem.

XXXVII. Docemus etiam, ut nullus Sacerdos uno die sæpius quam ter ad summum Missam celebret.

XXXVIII. Docemus etiam, ut Sacerdos semper habeat paratam Eucharistiam prouti opus fuerit, & hanc diligenter in puritate custodiat, & caveat, ne inveterascat: si autem inveteraverit, ut accipi nequeat, tunc comburatur in puro igne, & cineres sub altare condantur, & diligenter apud Deum emendet qui hoc neglexit.

XXXIX. Docemus etiam, ut Sacerdos nunquam præsumat Missam celebrare, nisi omnia habeat quæ ad sacram Eucharistiam pertinent, hoc est, puram oblationem, & vinum purum, & aquam puram. Væ illi qui Missam inchoat, antequam hæc omnia habeat, & væ illi, qui impurum quid addit illis; hoc simile esset ei quod Judæi fecerunt, quum acetum & fel simul miscerent, & illud postea Christo in ludibrium porrigerent.

XL. Docemus etiam, quod Sacerdos nunquam dignus sit Missam celebrare, qui non ipse S. Eucharistiam percipit, nec consecret, nisi ipse consecratus sit.

XLI. Docemus etiam, ut quilibet calix fusus sit, in quo S. Eucharistia consecretur, & in ligneo nunquam consecretur.

XLII. Docemus etiam, ut omnia quæ altare appropinquant, & ad Ecclesiam pertinent, sint valde pura & digne disposita, & nihil *impurum* appropinquet illud, sed reponatur Sanctuarium valde honorifice, & semper lumen ardeat in Ecclesia, quum Missa decantatur.

XLIII. Docemus etiam, ut non negligatur aliquid consecratum, non aqua consecrata, nec sal, nec thus, nec panis, nec aliquid sanctum.

XLIV. Docemus etiam, ut nulla uxor altare appropinquet, quamdiu Missa celebratur.

XLV. Docemus etiam, ut justo stato tempore campana pulsetur, & Sacerdos quilibet cantum suum horarium in Ecclesia psallat, & ibi cum Dei timore sedulo oret, & pro omni populo intercedat.

XLVI. Docemus etiam, ut Sacerdos vel Parochialis aliquis non veniat intra ostium Ecclesiæ, nec intra sacrarium, absque indumento suo superiori, neque saltem ad altare, ut ipsi ministret, absque vestitu illo.

XLVII. Docemus etiam, ut nullus sacris initiatus homo tonsuram suam confecret, nec eam male tonderi permittat, nec barbam suam per aliquod tempus alat, siquidem benedictionem Dei, & S. Petri & nostram habere velit.

XLVIII. Docemus etiam, ut omnes Sacerdotes festis diebus & jejuniis unanimes sint, & omnes uno modo orent, ne populum in errorem ducant.

XLIX. Docemus etiam, ut quodlibet jejunium eleemosynis honorificetur, hoc est, ut quisquis ex devotione erga Deum eleemosynam sedulo dare velit, tunc jejunium ipsius Deo sit gratius.

L. Docemus etiam, ut Sacerdotes in Ecclesiæ

clesiæ ministeriis omnes simul operam navent, & sit æquale salarium in anni spatio in omnibus Ecclesiæ ministeriis.

LI. Docemus etiam, ut Sacerdotes juventutem sedulo doceant, & ad opificia trahant, ut Ecclesiæ auxilium *inde* habeant.

LII. Docemus etiam, ut Sacerdotes quolibet die Solis ad populum prædicent, & semper bene exponant.

LIII. Docemus etiam, ut nullus Christianus sanguinem comedat alicujus generis.

LIV. Docemus etiam, ut Sacerdotes populum admoneant ejus, quod sedulo Deo facere debent, ad correctionem in decimis, & aliis rebus, primo aratri eleemosynis xv. dies a Paschate, & fœtuum decimis ad Pentecosten, & frugum terræ ad Omnium Sanctorum (*festum*), & denarii S. Petri ad Petri festum, & census Ecclesiæ ad Martini festum.

LV. Docemus etiam, ut Sacerdotes ita populi eleemosynam distribuant, ut deinde tam Deum propitium reddant, quam populum ad eleemosynas assuescant.

LVI. Docemus etiam, ut Sacerdotes Psalmos cantent, quum eleemosynas dividunt, & pauperes diligenter orent, ut pro populo intercedant sedulo.

LVII. Docemus etiam, ut Sacerdotes sibi caveant ab ebrietate, & illam diligenter reprehendendo interdicant aliis hominibus.

LVIII. Docemus etiam, ut nullus Sacerdos sit cerevisiarius, nec aliquo modo scurram agat secum ipso vel aliis; sed sit, sicut ordinem ejus decet, prudens & venerandus.

LIX. Docemus etiam, ut Sacerdotes a juramento sedulo sibi caveant, & illud valde etiam prohibeant.

LX. Docemus etiam, ut nullus Sacerdos mulierum consortium nimis amet, sed diligat legitimam suam uxorem, hoc est, Ecclesiam suam.

LXI. Docemus etiam, ut nullus Sacerdos adstet falso testimonio, neque a consiliis furum sit.

LXII. Docemus etiam, ut Sacerdos nunquam ordalia visitet aut juramenta.

LXIII. Docemus etiam, ut Thanum Sacerdos non excuset, nisi Thanus præjuraverit.

LXIV. Docemus etiam, ut Sacerdos non sit venator, neque accipitrarius, neque potator, sed incumbat libris suis, sicut ordinem ipsius decet.

LXV. Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos confessionem & pœnitentiam doceat eum qui ipsi confitetur, & ad emendationem quoque adjuvet, & ægroto S. Eucharistiam præbeat, quum ei opus est, & ungat illum quoque, si hoc desideret, & post obitum diligenter involvat, neque permittatur aliquid vanum circa corpus, sed cum Dei timore decenter sepeliatur.

LXVI. Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos oleum habeat tam ad baptismum quam ad ægrotos inungendos; sit etiam paratus jus populi & Christianismum sedulo promovere quovis modo, tam bene prædicando, quam bene exponendo, tunc lucrabitur ut Deus Omnipotens ei sit propitius.

LXVII. Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos norit repetere, quum Chrisma tollit, quid in orationibus pro Rege et Episcopo fecerit.

De Confessione.

I. QUando aliquis voluerit confessionem facere peccatorum suorum, viriliter agat, et non erubescat confiteri scelera et facinora se accusando: quia inde venit indulgentia, et quia sine confessione nulla est venia. Confessio enim sanat, confessio justificat.

(*Magna hic lacuna sive spatium ἄγραφον in MS. codice, cui cætera alias inserturus videbatur Scriba.*)

Præveniat hunc famulum tuum quæso, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur, per *Jesum Christum Dominum nostrum*.

Exaudi quæso, Domine, supplicum preces clamantium ad te, quæso, Domine.

II. Ut cogitare debeat, si quis sit Medicus animarum hominum, et earum actiones norit, ut dividat, et ut discernat quomodo hominum actionibus censuram imponat; attamen, non condemnet eos, neque desperare faciat. Cum homo delicta sua ei confiteri vult, exaudiat eum primo patienter, quam prudens ipsius sit intentio; si velit et possit humiliter actiones suas confiteri, et tu percipias, quod pœniteat peccatorum suorum, doce ipsum amanter et cum misericordia. Si non possit actiones suas confiteri et reatus suos examinare.

III. Interroga eum de moribus ipsius, et extorque reatus illius, et expone actiones ejus, et cogita, quod nunquam debeas eodem modo judicare divites et pauperes, liberos et servos, senes et juvenes, sanos et infirmos, humiles et superbos, fortes et debiles, sacris initiatos et laicos.

Quodlibet factum judex prudens discernere debet prudenter, quomodo factum sit, et ubi vel quando: nullo tempore injustum permissum est, attamen quis diebus festis et jeju-

jejuniis & locis festivis quam diligentissime *ab eo* sibi caveat. Et quanto potentioris & majoris ordinis homo sit, tanto gravius coram Deo & coram mundo injustitiam emendare debet, quoniam potens & impotens non possunt æqualia onera habere, nec infirmus firmo similis esse; hi ergo sunt distinguendi & discrete discernendi.

IV. Posthæc surgat humiliter ad confessionem suam, & dicat primo: Ego credo in Dominum, Altissimum Patrem, omnium rerum gubernatorem, & in Filium, & in Spiritum Sanctum; & ego credo vivere post mortem; & ego credo resurgere in die Judicii; & omne hoc credo per Dei potentiam & misericordiam ejus mereri.

V. Et tunc dicat animo pœnitenti & humili confessionem suam Confessario suo, inclinans humiliter, & sic dicat,

Ego confiteor Omnipotenti Deo & Confessario meo, spirituali medico, omnia peccata mea, quibus per malignitatem spiritus unquam pollutus fui, sive in factis sive in cogitationibus, sive cum masculis sive cum fœminis, vel cum aliqua creatura, peccata naturalia sive præternaturalia.

VI. Confiteor gastrimargiam ciborum tam mane quam vespere. Confiteor omnem avaritiam & invidiam, et detractionem, et bilingue vitium, mendacium, et injustam gloriam, et vaniloquium et injustam magnificentiam, et omnem superbiam, quæ ad corporis mei pravum consilium accidit. Confiteor quod nimis sæpe fuerim peccati auctor, et peccati fautor, et peccati conscius, et peccati doctor.

VII. Confiteor animi mei homicidium, et perjuria, et seditionem et superbiam, neglectum Dei præceptorum. Confiteor omnia quæ unquam oculis vidi ad avaritiam, vel ad detrectationem, vel auribus ad inutilia audivi, vel ore meo vana locutus sum.

VIII. Confiteor omnia corporis mei peccata, cutis, et carnis, et ossis, et nervorum, et renum, et cartilaginum, et linguæ, et labiorum, et faucium, et dentium, et comæ, et medullæ, et rei cujusque mollis vel duræ, humidæ vel siccæ. Confiteor quod Baptisma meum pejus servaverim, quam Domino meo sum pollicitus, et ordinem meum, quem in amorem Dei et Sanctorum ipsius debebam custodire, et in meam ipsius æternam salutem, ego non debito modo custodivi. Confiteor quod horas meas canonicas sæpius neglexerim, et pejeraverim, Domini mei vitam et Domini mei nomen in vanum sumpserim.

IX. Omnium rogo a Domino meo remissionem, ut nunquam Diabolus mihi insidietur, ut absque confessione et emendatione peccatorum meorum *non moriar*, sicut hodie confiteor omnes meos reatus coram Domino Salvatore Christo, qui gubernat cœlum et terram, et coram hoc sancto altari, et his reliquiis, et coram Confessario meo, et Domini Presbytero, et sum in pura et in vera confessione, et in bona voluntate omnia mea peccata emendare, et deinde taliter abstinere, qualiter unquam possim.

X. Et Tu, Salvator Christe, sis misericors animæ meæ, et remitte ac dele peccata mea et reatus meos, quæ olim vel unquam antea commisi, et duc me ad sublime tuum regnum, ut ibi habitem cum Sanctis tuis et Electis absque fine, in æternum. Jam te oro humiliter, Sacerdos Domini, ut sis testis meus in die Judicii, ut Diabolus nequeat in me potestatem habere, et ut tu apud Dominum sis Advocatus meus, quod peccata mea et reatus meos emendem, et ab aliis hujusmodi abstineam; ad hoc adjuvet me Dominus, qui vivit et regnat in æternum. Amen.

Modus imponendi pœnitentiam.

I. Senex et juvenis, dives et pauper, sanus et infirmus, et cujuscunque ordinis, et si quis aliquid invitus peccaverit, non sit similis ei qui voluntarie et sponte de industria peccavit, et si quis etiam necessitate coactus deliquerit, sit toleratione et correctione Legis semper dignus, quia necessitate coactus erat ad id, quod perpetravit.

II. Quodlibet factum distinguendum est caute coram Deo et coram mundo.

Hæc ministeria observantur trans mare; hoc est.

III. Ut quilibet Episcopus sit in sede sua Episcopali die Mercurii, quem appellamus caput jejunii; tunc quilibet illorum qui peccatis mortalibus pollutus est, in illa provincia, ad eum veniat illo die, et peccata sua ei fateatur, et ille tunc doceat eum pœnitentiam, juxta quamlibet reatus rationem; qui si *magnæ* sit enormitatis, removeatur ab ecclesiastica communione, attamen ad propriam necessitatem excitetur et concedatur, et ipse sic cum venia ejus domum revertatur.

IV. Et deinde die Jovis ante Pascha omnes ad suum quilibet locum congregentur, et cantet super eum Episcopus, et absolutionem det, et ille sic postea domum revertitur cum Episcopi benedictione. Hoc ita observandum est omni Christianorum populo.

V. Attamen Sacerdos diligenter considerare debet, quali cum contritione, et quali cum perfectione pœnitentiam compensaverit quæ ipsi imposita erat, et ita ipsi remissionem dare.

VI. Si laicus alium occidat sine causa, jejunet VII. annos, III. pane et aqua, et IV.

IV. ficuti Confeffarius eum docuerit, & poft feptem annos compenfet, poftea diligenter lugeat delictum fuum qua poterit induftria, quoniam incognitum eft, quo modo accipiatur confeffio ejus apud Deum.

VII. Si quis alterum occidere velit, & nequeat voluntatem fuam implere, jejunet tres annos, unum pane & aqua, & duos ficuti Confeffarius ipfius eum docuerit.

VIII. Si laicus invitus aliquem occidat, jejunet tres annos, unum pane & aqua, & duos ficut Confeffarius illius eum docuerit, & lugeat delictum fuum femper.

IX. Si fit Subdiaconus, jejunet fex annos. Si fit Diaconus, jejunet feptem annos. Si fit Sacerdos, jejunet x. annos, & Epifcopus XII., & lugeat femper.

X. Si quis infantem fuum occiderit invitus, jejunet quinque annos, tres pane & aqua, ut fupra.

XI. Si Epifcopus vel Sacerdos aliquem occiderit, perdat ordinem fuum, & poftea diligenter compenfet.

XII. Si uxor infantem fuum enecet intra fe, vel poftquam in lucem venerit, potu vel aliis rebus, jejunet decem annos, tres pane & aqua, & feptem prouti Confeffarius ejus ex mifericordia fanciverit, & deinde illud lugeat.

XIII. Si quis mancipium fuum occiderit, fine culpa in furore fuo, jejunet tres annos.

XIV. Si maritus mulierem fuam verberet ex aliqua zelotypia, & illa inde moriatur, & fit innocens, jejunet feptem annos, & fi illa fit rea, jejunet tres annos & lugeat delictum fuum femper.

XV. Si quis feipfum fponte occidat (1) armis, vel aliqua Diaboli inftigatione, non eft permiffum, ut pro tali homine miffæ cantentur, neque cum aliquo Pfalmi cantu corpus terræ inferatur, neque in pura fepultura jaceat fepultus. Idem illud judicium faciendum eft ei, qui pro reatu fuo vitam fuam tormentis finit, quales funt fur, homicida, et Domini proditor.

XVI. Si quis fe cum beftia polluit (2), vel mafculus cum alio, fi fit XX. annorum, jejunet quindecim annos, et fi vir uxorem fuam habeat, et ipfe quadraginta annos natus fit, et tale quid committat, abftineat et jejunet, quam diu in vivis eft, et non præfumat Domini corpus fufcipere, antequam mors illum avocet. Juvenis et infipiens acriter verberetur, qui tale quid committit.

XVII. Si quis adulterium committit, per feptennium tribus diebus in hebdomada jejunet, pane et aqua, five fit uxor five maritus.

XVIII. Si quis conjugem fuam deferit, et ducit aliam uxorem, adulterium committit; non concedatur ei aliquid eorum jurium, quæ ad Chriftianos pertinent, nec mortuo nec vivo, nec fepeliatur homo hic cum Chriftianis. Et de uxore fimiliter etiam, et cognatorum, qui idem fecerint, perdat quilibet jus fuum, nifi citius reverti et fedulo corrigere velint.

XIX. Si quis habeat uxorem, et concubinam etiam, nullus Sacerdos ei aliquod officium faciat cum Chriftianis, nifi ad emendationem revertatur, unam retineat fibi five uxorem five concubinam.

XX. Si vir cum alterius legitima uxore coeat, vel uxor cum alterius uxoris legitimo conjuge, jejunet feptem annos, tres pane et aqua, et quatuor ficut Confeffarius eum docuerit, et lugeat delictum fuum femper.

XXI.

(1) Pœna autocheiriæ politica nullibi inter Saxonicas reperitur præter in Canonibus datis fub *Eadgaro*, & hæc ecclefiaftica tantum, quæ in aliis criminibus *pœnitentia* eft, hic autem prohibitio a fepultura honefta. Apud *Danos* longe alia obtinet Lex: Qui mortem fibi ipfi confciverit, bonis, quæ ipfius funt, omnibus, Domino ipfius tribuendis multator, locum fepulturæ nec in templo neque in cœmeterio inventurus, nifi invaletudo atque amentia fua eum iftuc perpulit. In *Capitul. Car.* & *Lud. Impp.* lib. 6. c. 70. ita ftatuitur de eo, qui femetipfum occidit, aut laqueo fe fufpendit: Confideratum eft, ut fi quis compatiens velit eleemofynam dare, tribuat, & orationes in Pfalmodiis faciat: oblationibus tamen & miffis ipfi careant, quia incomprehenfibilia funt judicia Dei, & profunditatem confilii ejus nemo poteft inveftigare. Et lib. 7. *ejufd. Capitular.* c. 344. Quicunque fe propria voluntate aut in aquam jactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percufferit, aut quomodolibet voluntariæ fe morti tradiderit, iftorum oblatio non recipiatur.

(2) De *Sodomia*, five coitu hominis cum beftia, & mafculi cum mafculo, non datur alia Lex inter Saxones præter eam, quæ ex Exod. cap. XXII. fupra inter Leges *Ælfredi* defumpta eft, & illam quæ cap. fequ. 37. comprehenfa eft. *Dani* hanc de hoc crimine ftatuunt Legem: Nefando non naturalis impudicitiæ crimine qui damnatur, in rogum ardentem impofitus flammis abfumitor, lib. 6. *Jur. Dan.* cap. 13. §. 15. Leges *Uplandicæ* veteres, coitus cum beftiis convictos vivicomburio aut defoffione puniunt, ut quoad ejus fieri poffet, in memoriam tanti fceleris abolerent. *Gothi* caftratione contenti fuerunt, æquum rati ut in pofterum perpetuo ejus membri ufu privarentur, quod femel tanto & tam fœdo dehoneftaffent abufu. Vid. *Stiernh.* de *Jure Sueo.* & *Goth.* vet. p. 329. *Wifigothi* mafculos cum fe invicem coeuntes caftrari jubent, lib. 3. tit. 5. §. 5. & 7. Et in *Capitular. Car.* & *Lud.* Impp. lib. 6. cap. 206. Mulier quæ fuccubuerit cuilibet jumento, fimul interficiatur cum eo, ficut & ille qui cum pecoribus coierit, 15. annis, alias 11. pœniteat. Animalia talia coitu hominum polluta occidantur, carnefque canibus projiciantur, fed crura eorum abfumantur. Et lib. 7. *Capitul.* ejufd. cap. 273. quifquis cum pecoribus coitu mixtus fuerit, aut more pecorum cum confanguineis ufque affinitatis lineam inceftum commiferit, aut cum mafculis concubuerit, aut capite puniatur, aut fi ei vita conceffa fuerit, juxta Ancyrani Concilii fententiam pœnitentiam veraciter agat.

XXI. Si quæ uxor duos fratres in conjugium sumat, unum post alium, judicandi sunt illi, et seduli in pœnitentia sint quamdiu vivant, prout Confessarius eorum docuerit ipsum, et in eorum obitu Sacerdos faciat iis officium, sicut Christianis fit, si hoc promiserint, se diutius emendare voluisse, si diutius vivere debuissent.

XXII. Si quis in aliquo nefando peccati exercitio permanserit, usque dum vitam suam finiat absque ulla resipiscentia, non novimus aliquod ei consilium excogitare, nisi quod hoc ad Dei Judicium pertineat, neque potest absolvi.

XXIII. Si uxor aliqua desponsata sit, non sit permissum, ut aliquis alius vir eam illi eripiat; si quis hoc fecerit, sit excommunicatus.

XXIV. Si quis cum fraude sua uxorem vel virginem invitam sumpserit ad injustum concubitum, iis invitis, sit ille excommunicatus.

XXV. Si quis illecebris suis alterius hominis pedissequam ab eo seducat scortationis causa, et cum illa invita coeat, si sit sacris initiatus homo, perdat ordinem suum, si sit laicus, sit excommunicatus ab omnibus Christianis officiis.

XXVI. Si quæ virgo desponsata sit, et hoc temporis intervallo abducatur, vel sub aliquo prætextu auferatur ab eo cui desponsata erat, et deinde accidat, ut illa in conspectum ejus veniat, cum venia illi possunt coire, quoniam hæc invita ab eo aberat.

XXVII. Si fœmina consecrata sit, et deinde ad mundanam vanitatem revertatur, et familiam suscipiat et cogitet se ex possessione sua emendaturam esse, quod a Deo declinaverit; hoc nihil est, sed deserat peccatum, et revertatur ad Christum, et vitam suam vivat sicut Confessarius illius docuerit, et diligentissime deinde delictum corrigat.

XXVIII. Si Presbyter vel Monachus hominem occidat, perdat ordinem suum, & jejunet decem annos, quinque pane & aqua, & quinque tribus diebus per hebdomadem, & reliquis fruatur cibo suo, & lugeat delictum suum semper.

Diaconus VIII. pane & aqua, & reliquis ut supra.

Clericus VI. annos, IV. pane et aqua.

Laicus V. annos, III. pane & aqua, ut supra.

XXIX. Si quis sacris initiatum occidat, vel proprium proximum cognatum, deserat terram & possessionem suam, et faciat sicuti Papa instruxerit eum, et lugeat semper.

XXX. Si Presbyter vel Monachus concubitum lascivum exerceat, vel conjugium violet, jejunet X. annos, et lugeat semper. Diaconus VII. Clericus VI. Laicus V. uti propter homicidium.

XXXI. Si Presbyter vel Monachus vel Diaconus legitimam uxorem habeat, antequam consecratus sit, et eam deserat, et ordines recipiat, et postea per concubitum illam suscipiat, jejunet quilibet eorum tanquam pro homicidio, et valde lugeant.

XXXII. Si Sacerdos vel Monachus vel Diaconus vel Laicus vel Clericus cum Monacha coeat, jejunet quilibet prouti ordini suo convenit tanquam pro homicidio, et Monialis decem annos, uti etiam Sacerdos, et lugeant postea.

XXXIII. Si quis cum Moniale coire vellet, et illa nollet, jejunet unum annum, pro injusta illa voluntate, pane et aqua. Si quis vellet coire cum alterius legitima uxore, et ipsa nollet, jejunet unum annum, pro injusta illa voluntate, pane et aqua.

XXXIV. Si quis coire vellet cum alterius legitima conjuge, et ipsa nollet, jejunet tres quadragesimas pane et aqua, unam in æstate, aliam in autumno, tertiam in hyeme.

XXXV. Si quis velit cum uxore injuste coire, jejunet XL. dies pane et aqua.

XXXVI. Si quis alium cum filia sua deprehendat, compenset cum amica, et uterque jejunet unum annum diebus Mercurii et Veneris, et aliis diebus utantur cibo suo, excepta carne, et legitimo matrimonio conjungantur.

XXXVII. Si quis cum bestia coeat, jejunet XV. annos, octo pane et aqua, et septem alios, quolibet anno tribus quadragesimis, et diebus Mercurii et Veneris quamdiu vivit, et lugeat semper delictum suum.

XXXVIII. Si quis seipsum propria de voluntate polluat, jejunet tribus annis, quolibet tribus quadragesimis pane et aqua, et prætermittat carnem singulis diebus, excepto die Solis.

XXXIX. Si quis alium veneficio occidat, jejunet septem annos, tres pane et aqua, et quatuor alios annos tribus diebus per hebdomadem pane et aqua, et lugeat semper.

XL. Si quis alicui morbum inferat, jejunet tres annos, unum pane et aqua, et duos tribus diebus per hebdomadem pane et aqua, et si homo exinde moriatur, tunc jejunet septem annis, sicuti hic adscriptum est, et lugeat delictum suum semper.

XLI. Si quis veneficio utatur ad alterius amorem (*sibi conciliandum*) et ei det in esu, vel in potu, vel in arte incantandi, si sit laicus, jejunet dimidium anni diebus Mercurii et Veneris pane et aqua, et aliis diebus utatur cibo suo excepta carne. Clericus unum annum ut supra, tribus diebus per hebdomadem pane et aqua. Diaconus tres annos ut supra. Presbyter quinque annos, unum eorum pane et aqua, et quatuor quolibet die Veneris pane et aqua; et aliis diebus prætermittat carnem.

XLII. Si quis turpiter in præternaturalibus rebus contra Dei creaturam per aliquam rem se pollueris ipsum, lugeat semper quamdiu vivit, illud quod factum est.

XLIII. Si quis in somno infantem suum comprimat, ut moriatur, jejunet tres annos, unum pane & aqua, & biennium tribus diebus per hebdomadem; & si per ebrietatem factum sit, compenset gravius, sicut Confessarius ipsius docuerit, & lugeat illud semper.

XLIV. Si infirmus infans ethnicus (*i. e. absque baptismo*) decedat, & hoc ex Sacerdotis culpa sit, perdat ordinem suum, & sedulo hoc corrigat; & si id per amicorum negligentiam fiat, jejunet tres annos, unum pane & aqua, & biennium tribus diebus per septimanam, & lugeat hoc semper.

XLV. Si quis Christianum ad Ethnicismum vendat, non sit dignus aliqua requie cum Christianis, nisi ipsum deinde domum redemerit, contra quam vendiderit foris; & si hoc facere nequit, dividatur pretium illud totum Dei gratia, & alium redimat alio pretio, & eum tunc dimittat, & adhæc augeat compensationem tres annos integros, sicuti Confessarius illum docet. Et si pecuniam non habeat, quæ hominem redimere posset, compenset gravius, hoc est, septem annos integros, & lugeat semper.

XLVI. Si quis seipsum valde labefactet multifariis peccatis, & ille deinde ab iis abstinere & sedulo corrigere velit, inclinet ad monasterium, & serviat ibi semper Deo & hominibus, sicuti docetur, vel a patria longe peregrinetur, et pœnitentiam agat semper quamdiu vivit, atque adjuvet animam suam vel saltem in terra per gravissimam compensationem, quam unquam experiri possit, prouti docetur.

De Pœnitentia.

I. IN hac confessione valde conducit alicujus Theologi necessarium auxilium, sicuti omnino bonus medicus est ægroti hominis medela.

II. Per concupiscentiam homo peccat sæpe, et haud raro per Diaboli instigationem, et hoc est formidabile, quod sacris initiati tam valde apud Deum peccant, ut ordinem amittant.

III. Et ad hoc corrigendum opus est rigida pœnitentia, semper tamen juxta ordinis et juxta peccati modum, secundum Legem Canonum. Et hoc quærere quis debet totis suis viribus, et conatu suo, et proprii cordis pœnitentia. Aliqui pœnitentiam agant annum, aliqui plus anno, et deinde pro delicti modo: aliqui pœniteant mensem, aliqui plus mense: aliqui septimanam pœniteant, aliqui plus septimana: aliqui diem pœniteant et aliqui plus die, et aliqui omnes vitæ suæ dies.

IV. Si medicus gravia vulnera bene curare debet, adhibeat oportet bona medicamenta; nulla vulnera sunt adeo mala, quam vulnera peccati, quoniam iis homo meretur æternam mortem, nisi per confessionem et per abstinentiam et per pœnitentiam sanetur.

V. Tunc medicus debet esse sapiens et prudens, qui vulnera curare debet. Per bonam doctrinam prius curetur, et hoc facto expurgetur venenum, quod in eo est, hoc est, ut seipsum prius purget per confessionem.

VI. Omnis homo evomere debet peccata per bonam doctrinam cum confessione, eodem modo, ac fit lethalis morbus per bonam potionem.

VII. Non potest aliquis medicus bene curare antequam venenum excesserit, neque homo aliquis etiam pœnitentiam bene docere potest eum, qui confiteri nolit, neque aliquis homo peccata absque confessione corrigere potest, sicut minus bene curari potest, qui lethale quid exhausit, nisi venenum admodum evomat.

VIII. Post confessionem per pœnitentiam quis Dei misericordiam potest cito mereri, si cum interiore corde plangat, et lugeat quod per Diaboli instigationem antea seductus sit ad injustitiam.

IX. Prudenti Confessario valde etiam conducit prudens pœnitentia, sicut omnino bono medico ægri hominis curatio. De compensatione necessarii usus, et de operibus hominis inquiri debet secundum Leges Canonicas, et moderari etiam pro viribus et pro modo, et pro eo qui agnoscit cordis sui luctum, et solicitudinem propriam.

X. Gravis pœnitentia est, quod laicus arma sua deponat, et nudus pedibus longe peregrinetur, et non pernoctetur alicubi, et jejunet ac valde vigilet, et oret diligenter die ac nocte, et volens lassus et ita incultus sit, ut ferro nec crines nec ungues tangat.

XI. Nec ut ingrediatur thermas, nec lectum mollem, nec gustet carnem, nec aliquid ejus unde ebrius esse possit, non ingrediatur Ecclesias, attamen locum sanctum diligenter quærat, et reatum suum confiteatur, et intercessionem roget, et neminem osculetur, sed semper peccata sua valde lugeat.

XII. Crudeliter agit qui seipsum hoc modo damnat, attamen beatus est ille, si nulli rei invigilet, quam ut plene corrigat; quoniam nullus homo in mundo adeo valde Deum peccatis offendit, quin apud Deum emendare queat, si hoc sedulo aggrediatur.

XIII. Pœnitentiæ fiunt variis modis, et multi homines eleemosynis eam redimere possunt.

XIV. Si quis ad hoc facultates habeat, erigat Ecclesiam in laudem Dei, et si præterea quidquam opportune facit, adjiciat terram, et intromittat decem juvenes, qui ibi pro eo servire, et ibi quotidie Deo possint

ſint miniſtrare, et inſtauret etiam Dei Eccleſiam ubique per id quod quam opportune poteſt, et inſtauret vias publicas pontibus ſuper aquas profundas, et ſuper cœnoſas vias, et diſtribuat Dei gratia diligenter id quod habet quam maxime opportune poteſt; et adjuvet diligenter pauperes viduas, et orphanos et peregrinos; manumittat ſervos ſuos proprios, et redimat ab aliis hominibus ſervos ſuos ad libertatem, et ſaltem pauperes bello vaſtatos, et paſcatur egenos, ac veſtiat, hoſpitio et foco, balneo et lectis eos proſpiciat, et in ſui ipſius neceſſitatem ubique diligenter interceſſionem faciat in Miſſarum et Pſalmorum cantibus, et ſemetipſum ex devotione erga Dominum ſuum corripiat quam acerrime per abſtinentiam a cibo et potu, et quacunque corporali concupiſcentia.

XV. Et ſi quis autem minus facultatum habeat, diligenter pro viribus ſuis faciat, quod poteſt, decimet in Dei timore omne quod habet, et examinet ſeipſum quoties opportune poterit, et ſæpe viſitet eleemoſynis ſuis Eccleſias, et ſanctificet locum cum ſalutatione candelari; et concedat hoſpitium et cibum et protectionem eis quibus opus eſt, et ignem ac alimentum, et lectum ac balneum, et faciat veſtiri et adjuvari pauperes, quoad poteſt.

XVI. Viſitet ex amore Dei ægros animo et ægrotos, ac mortuos ſepeliat ex devotione erga Deum, et ipſe in occultis locis in genua provolutus ſæpe, et ſuper terram totus proſtratus ſæpe ac crebro, et jejunet ac vigilet, et diligenter oret die et nocte, ſæpe et crebro. Et ſi quis adhuc minus ſubſtantiæ habeat, pro viribus ſuis faciat ſedulo quicquid poteſt; ſaltem labore conterat corpus ſuum adverſus libidinem, ſi prius per mollem libidinem Diabolo placuit; jejunet nunc e contrario, quod prius per injuſtam ingluviem perpetraverit; vigilet et laboret e contrario, quod prius ſæpe ſomnolentus et piger fuerit, cum non deberet, vel inutiliter nimis vigilaverit; ſuſtineat frigus et balneum frigidum contra æſtum, quem per cupidinem ſuam ubique excitavit. Et ſi aliquem ubique injuſte ſponte exacerbaverit, compenſet diligenter, et ſi aliquis eum offendat, admodum remittat ex timore Dei, et ſemper quantum poterit, cogitet diligentiſſime, quicquid compenſationis loco poſſit contra ſingula peccata, quæ per Diaboli ſemen prius adoleverant; et ſi de via aliquem, ad lucrandum quicquam, deduxerit, ducat eum diligenter poſtea in rectam viam. Hoc eſt, quod volo: ſi aliquem ad peccatum incitaverit, faciat ei ſicut neceſſarium eſt, deducat eum inde, et ducat illum in rectam viam, et quemlibet diligenter dehortetur a peccatis, tunc peccata ipſius ſtatim erunt leviora.

XVII. Idem judicium poteſt quis cum Confeſſarii conſilio ſibi ipſi judicare, qui conſtanter a peccatis ſuis abſtinere, et peccata ſua corrigere vult, diſtribuat ex devotione erga Deum omne quod habet, et deſerat cum iis totam terram et patriam et omnem mundi amorem, et ſerviat Domino ſuo die et nocte, et laboret quam maxime poteſt contra propriam cupidinem omnes vitæ ſuæ dies. Quid magis poteſt, niſi ut hortetur (ad lucrandum ſibi aliquid) quemlibet hominem ad jus quam poteſt diligentiſſime.

Hic indicitur quomodo ægrotus jejunium ſuum redimere debet.

XVIII. Unius diei jejunium uno denario redimi poteſt; quilibet homo poteſt unius diei jejunium redimere ducentis & viginti Pſalmis; quilibet homo XII. menſium jejunium redimere poteſt XXX. ſolidis, vel unus aliquis liberetur, qui tanti æſtimetur. Et pro unius diei jejunio, ut cantetur ſex vicibus *Beati immacul.* & ſex vicibus *Pater noſter*, & pro unius diei jejunio, ut genua flectantur & incurventur ſexaginta vicibus ad terram cum *Pater noſter*. Poteſt etiam aliquis unius diei jejunium redimere, ſi omnia membra extendat ad Deum in orationibus ſuis, & cum vera contritione, et cum fide recta, et XV. vicibus cantet *Miſerere mei Domine*, et XV. vicibus *Pater noſter*: et tunc ei conceſſa ſit totius diei allevatio peccatorum.

XIX. Septennale jejunium quis XII. menſibus compenſare poteſt, ſi quotidie cantando finiat Pſalterii Pſalmos, et itidem nocte, et L. veſpere. Redimi poteſt etiam per unam miſſam XII. dierum jejunium, et per X. miſſas allevari poteſt IV. menſium jejunium, et per XXX. miſſas allevari poteſt XII. menſium jejunium, ſi velit ex vero Dei amore pro ſeipſo intercedere, et peccata ſua Confeſſario ſuo confiteri, et eadem corrigere prout ille eum docuerit, et diligenter ſemper ab iis abſtinere.

De Magnatibus.

I. ITa vir potens & amicorum dives pœnitentiam ſuam auxilio amicorum multum allevare poteſt. Primo in Dei nomine per Confeſſarii ſui teſtimonium oſtendat veram fidem, et condonet omnibus illis qui erga eum peccaverunt, et faciat confeſſionem ſuam intrepide, et polliceatur abſtinentiam, et ſuſcipiat pœnitentiam cum multo gemitu.

II. Deponat tunc arma ſua & inanem veſtium cultum, & ſumat ſcipionem in manus, & eat ſedulo nudus pedibus, & corpori induat lanea cilicia, & non ingrediatur lectum, ſed jaceat in area, & faciat hoc

hoc VII. annis integris; ſit intra tres dies ita paratus; accipiat in auxilium ſibi primo XII. homines, & jejunent tres dies pane & viridibus oleribus & aqua, & comparet ſibi ad conſummandum hoc, quomodocunque poteſt ſepties, cxx. homines, qui jejunent ſinguli pro eo tribus diebus; tunc jejunantur tot jejunia quot ſunt dies in VII. annis.

III. Cum quis jejunat, diſtribuat fercula, quibus ipſe uti deberet, omnibus Dei pauperibus, & tribus diebus quibus jejunat, negligat omnia mundi negotia, & die ac nocte quam ſæpiſſime poteſt in Eccleſiis habitet, & ibi cum eleemoſynario lumine vigilet diligenter, & ad Deum clamet, & remiſſionem petat, animo gementi, & ſæpe genua flectat ſuper crucis ſignum, interdum erigat ſe, interdum ſe proſternat, & diligenter noſcat vir potens lacrymas fundere, & peccata deflere. Et paſcat tribus diebus pauperes quotquot maxime poteſt, & quarto abluat omnes, & hoſpitio excipiat, & pecuniam donet, & ipſe pœnitentiam agens ſit circa lotionem pedum eorum (*occupatus*) & miſſæ dicantur eo die pro ipſo tot quot unquam obtineri poſſunt, & illarum miſſarum tempore, detur ei abſolutio, & tum S. Euchariſtiam percipiat, niſi ad eam percipiendam nimium gravis ſit peccator, ut adhuc nequeat; & tunc polliceatur ſaltem quod ſemper abhinc Dei voluntatem peragere velit, & ab omni injuſtitia per Dei auxilium in poſterum abſtinere, Chriſtianiſmum quam ſtrenue unquam poteſt juſte tenere, & omnem Gentiliſmum omnino abjicere. Cogitet miniſtri (*Dei*) verborum, & opera ſedulo corrigat, omnem juſtitiam colat, & injuſtitiam evitet per Dei auxilium, quam diligentiſſime unquam poſſit, & maxime neceſſarium eſt, ut ille ipſe hoc præſtiterit quod Deo pollicitus eſt.

IV. Hæc eſt potentis viri & amicorum divitis pœnitentiæ alleviatio; eſt infirmus non poteſt ita procedere, ſed debet in ſeipſo illud requirere diligentius. Et hoc eſt etiam æquiſſimum, ut quilibet propria ſua delicta diligenti correctione ulciſcatur in ſeipſo. Scriptum eſt enim, *Quia unuſquiſque onus ſuum portabit*.

NORTHUMBRENSIUM
PRESBYTERORUM LEGES. (1)

I. SI quis Presbytero alicui injuriam aliquam intulerit, omnes ſocii ejus auxilio Epiſcopi diligenter compenſationem curent, & ſint ad quodcunque juſtum faciendum, uti ſcriptum eſt, *quaſi cor unum & anima una*.

II. Et Dei interdictum prohibemus, ut nullus Sacerdos vel emat aliam Eccleſiam (2) vel recipiat, niſi eam quis capitali crimine perdiderit, ut altari deſerviat, cum eo dignus non eſſet. Et ſi quis Presbyter contrarium fecerit, perdat dignitatem ſuam, et ſociorum ſuorum amicitiam, et nullibi Miſſam celebret, donec obtineat, ut jure agat, et ſolvat is qui injuriam fecit xx. oras Epiſcopo, XII. oras Sacerdoti, quem ex Eccleſia ſua ejecit, XII. oras omnibus ſociis: et perdat etiam pecuniam illam, ſi injuſte aliquid pro alterius Presbyteri Eccleſia dederit. Quilibet etiam Sacerdos inveniat ſibi XII. fidejuſſores, quod Leges Presbyterorum jure obſervare velit.

III. Et ſi quis Sacerdos delinquat, ac præter Epiſcopi mandatum Miſſam celebret, ſolvat pro mandato illo XII. oras, et adhæc etiam delictum illud compenſet, quod antea patravit.

IV. Si Presbyter Epiſcopi proprium edictum negligat, ſolvat xx. oras.

V. Si Presbyter tributum laicis det, quod ſacris initiatis debebat, ſolvat xx. oras.

VI. Si Presbyter Archidiaconi edictum negligat, ſolvat XII. oras.

VII. Si Presbyter criminis ſit reus, et abſ-

(1) Legibus *Eadgari* ſubjunguntur in MS. Codice *Cantabr*. Leges Northumbrenſium Preſbyterorum, quæ uti ex Canone 56. conſtat, ad provinciam Eboracenſem pertinere dicuntur, Oſwaldo forte tribuendæ, qui poſt *Eadgari* Regis mortem Archiepiſcopatus illius cathedram 20. annis tenuit, & pro ſeveritate, qua in Romanis efferbuit Canonibus obſervandis, iſtas noviter cenſeri poteſt induxiſſe, vel langueſcentes denuo ſuſcitaſſę. Sic autem Britannię pars incultior arctioribus Eccleſię Legibus jam coercetur.

(2) Eccleſiam vel Parochiam deſerere, & aliam, non niſi cum Epiſcopi venia, ſuſcipere licuit Presbytero, uti ſępius in Legibus Saxonicis, Ælfrici Epiſtola, & in his ſeqq. Legibus habetur. Eccleſias jure hęreditario tenere antiquitus in more poſitum fuit, unde Eccleſias (ſeu potius reditus Eccleſię) inter cohęredes dividere in *Capitul Car.* & *Lud.* Impp. lib. 5. tit. 44. dicitur. De Eccleſiis quæ inter cohæredes diviſæ ſunt, conſideratum eſt, quatenus ſi ſecundum providentiam & admonitionem Epiſcopi ipſi cohæredes eas voluerint tenere & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, ut in Epiſcopi poteſtate maneat, utrum eas ita conſiſtere permittat, ut reliquias exinde auferat. Et ubi ad noſtrum beneficium Eccleſiæ pertinentes ita diviſæ inventæ fuerint, ut deſcribantur, & nobis renuntietur. Et *Addit.* 3. *Capitul. Lud.* Imp. Lex datur Imperatoris, ut cum Eccleſiæ inter hæredes litigantes diviſæ ſint, ut ab Epiſcopo civitatis præcipiatur, ut non celebrentur ibi ſolemnia donec ad concordiam redeant. *Hæc ibidem*. De emptione autem Eccleſiæ per Sacerdotem nullibi præterquam in hoc loco.

abſque Archidiaconi edicto Miſſam celebret, ſolvat XII. oras.

VIII. Si Presbyter Baptiſmum vel Confeſſionem negaverit, compenſet hoc XII. oris, et ſaltem apud Deum intercedat ſedulo (1).

IX. Si Presbyter juſto tempore chriſma non quærat, ſolvat XII. oras.

X. Quilibet infans mature baptizetur intra IX. dies, ſub pœna VI. orarum; et ſi infans paganus intra IX. dies per negligentiam mortuus ſit, emendent apud Deum abſque mulcta mundana; et ſi ſupra IX. dies fuerit, emendent apud Deum, et ſolvant XII. oras Parocho illi, quod ethnicus tam diu fuerit.

XI. Si Presbyter populo male indicat feſtum vel jejunium, compenſet apud Deum, et ſolvat XII. oras.

XII. Si Presbyter injuſte extra Dioceſin ordinem obtineat, ſolvat XII. oras, et Diaconus VI. oras; et perdant ordinem ſuum, niſi Dioceſanus Epiſcopus ordinem illis confirmaverit.

XIII. Si Presbyter in nonconſecratis ædibus miſſam celebret, ſolvat XII. oras.

XIV. Si Presbyter extra conſecratum altare miſſam celebret, ſolvat XII. oras.

XV. Si Presbyter in ligneo calice Euchariſtiam conſecret, XII. oras.

XVI. Si Presbyter abſque vino miſſam celebret, ſolvat XII. oras.

XVII. Si Presbyter S. Euchariſtiam negligat, ſolvat XII. oras.

XVIII. Si Presbyter ſæpius quam ter uno die miſſam celebret, ſolvat XII. oras.

XIX. Si quis eccleſiaſticam pacem violet, compenſet pro Eccleſiæ dignitate, et pro immunitate ejus.

XX. Si quis cum Eccleſia mercaturam exerceat, compenſet pœnam violatæ legis.

XXI. Si quis Eccleſiam neceſſariis ſuis ſervire faciat, compenſet hoc pœna violatæ legis.

XXII. Si quis Presbyterum injuſte ex Eccleſia ejecerit, compenſet hoc pœna violatæ legis.

XXIII. Si quis Presbyterum vulneret, compenſetur cura vulneris, et ad compenſationem altaris propter ordinem illius dentur XII. oræ, pro Diacono VI. oræ ad altaris compenſationem.

XXIV. Si quis Presbyterum occiderit (2), ſolvatur plena capitis ejus æſtimatio, et Epiſcopo XXIV. oræ in altaris compenſationem; pro Diacono XII. oræ ad altaris compenſationem.

XXV. Si Presbyter Eccleſiam dedecoret, unde omnis ejus gloria oriri debet, hoc compenſet.

XXVI. Si Presbyter rem indecentem in Eccleſiam poſuerit, hoc compenſet.

XXVII. Si Presbyter rem Eccleſiæ ejecerit, hanc compenſet.

XXVIII. Si Presbyter ſua ſponte Eccleſiam deſerat, in qua ordinatus erat, hoc compenſet.

XXIX. Si Presbyter alium contempſerit, vel in eum peccaverit verbo vel facto, hoc compenſet.

XXX. Si Presbyter cum alio pugnet, compenſet ei et Epiſcopo.

XXXI. Si Presbyter aliis in re injuſta auxilio ſit, compenſet hoc.

XXXII. Si Presbyter aliis juſtum auxilium deneget, hoc compenſet.

XXXIII. Si Presbyter alium non admonitum linquat de eo, quod noverit ipſi detrimento fore, hoc compenſet.

XXXIV. Si Presbyter tondere negligat barbam vel comam, hoc compenſet.

XXXV. Si Presbyter concubinam deſerat, et aliam accipiat, anathema ſit.

XXXVI. Si Presbyter temporibus conſtitutis non pulſet vices, nec horas cantet, hoc compenſet.

XXXVII. Si Presbyter cum armis Eccleſiam ingrediatur, hoc compenſet.

XXXVIII. Si Presbyter incondite peragat eccleſiaſticum annuum miniſterium die vel nocte, hoc compenſet.

XXXIX. Si Presbyter ordalium male diſpoſuerit, hoc compenſet.

XL. Si Presbyter tonſuram obvelet, hoc compenſet.

XLI. Si Presbyter ebrietati deditus ſit, vel ſcurrilis aut cereviſiarius fuerit, hoc compenſet.

XLII. Si Presbyter aliquid occultet in parochia ſua inter viros ad injuſtum regimen, compenſet hoc.

XLIII.

(1) De Baptiſmo per Sacerdotem conferendo jam ſupra egimus.

(2) *Cnutus* Rex ſeverius homicidium Presbyteri puniri jubet, c. 2. lege 36. ita inquiens: Si quis altaris miniſtrum occiderit, ſit exlex apud Deum & apud homines, niſi per exilium & apud cognatos etiam melius compenſet, vel purget ſe capitali purgatione, & intra 30. dies incipiat compenſationem ubique, tam apud Deum quam apud homines, per omne quod habet. Repetitur eadem fere Lex *initio capitis* 66. LL. *Henrici I. Sueci* in Legibus Provincialibus & Civilibus ob homicidium Clerici Regi, Civitati & Actori mulctam ſuam attribuunt. Vid. *Tit.* in Legibus illis *de Homicidio*. In *Capitul. Car. & Lud.* Impp. lib. 4. tit. 15. Clericus occiſus capitis æſtimatione compenſatur, & medietas wergildi ab Epiſcopo utilitatibus Eccleſiæ, cui præfuit, tribuitur, & altera medietas in eleemoſyna illius juſte diſpertitur. In *Capitul. Reg. Franc.* ſub *Dagoberto* conſtitutum fuit, ut homicida juxta nativitatem ſuam pro Clerico occiſo compenſet; pro Presbytero DC. ſolidos, pro Diacono D., pro Subdiacono CCCC. ſolidos; quæ pœna etiam ſub Carolo M. repetita eſt (Vid. Baluz. Capitul. tom. 1. p. 319.) & apud *Longobardos* in uſu fuit, uti videre eſt ex lib. 1. LL. *Longob.* tit. 9. c 27. Et apud *Ripuarios* vide Leges *Ripuariorum*, tit. 36. Vide eandem pœnam apud *Gratian.* cauſa 16. qu. 4. cap. 27.

XLIII. Si Presbyter annuos ritus per oblivionem prætermittat, compenset hoc.

XLIV. Si Presbyter Synodum negligat, hoc compenset.

XLV. Si Presbyter ad justitiam non inclinaverit, sed contra Episcopi decretum repugnaverit, hoc compenset; vel separetur a cœtu ordinatorum, & perdat tam societatem quam dignitatem quamlibet, nisi se submittat, & magis compenset.

XLVI. Si quis divinam vel humanam Legem spernat, sedulo compenset.

XLVII. Omnes unum Deum venerari & diligere debemus, & unum Christianismum diligenter servare, & omnem Paganismum omnino abjicere.

XLVIII. (1) Si igitur aliquis notus fiat, quod Paganismum aliquem exercuerit, vel sortilegio vel stupefactione, vel aliquo veneficio delectetur, aut idola colat, si sit Regis Thanus, solvat x. semimarcas, dimidium Christo, dimidium Regi.

XLIX. Si sit alius terræ possessor, solvat VI. semimarcas, dimidium Christo, & dimidium fundi domino.

L. Si sit rusticus, solvat XII. oras.

LI. Si Regius Thanus negaverit, tunc nominentur ei XII. (2); & sumat XII. cognatos & XII. peregrinos; & si deficiat, tunc solvat pœnam violatæ legis, decem semimarcas.

LII. Si terræ possessor neget, tunc nominentur ejus æquales tot quot Thano Regis; si hoc ei defecerit, solvat pœnam violatæ Legis VI. semimarcas.

LIII. Si colonus neget, tunc nominentur ei æquales ipsius tot, quot aliis; si hoc ei defecerit, tunc solvat pœnam violatæ Legis XII. oras.

LIV. Si conventus superstitiosus sit in alicujus terra, extra lapidem, vel arborem, vel lanam, vel aliquas ejusmodi nugas, tunc solvat si quis hoc fecerit pœnam violatæ Legis, dimidium Christo, dimidium terræ domino. Et si terræ dominus ad disciplinam auxilium præbere noluerit, tunc habeat Christus & Rex hanc compensationem.

LV. Diei solis mercaturam prohibemus ubique, & omnem populi conventum, & omne opus, & quamlibet peregrinationem, tam in curribus quam in equis & cum oneribus.

LVI. Si quis aliquid horum fecerit, solvat mulctam; homo liber 12. oras, servus vapulet, nisi peregrinari debeant ex necessitate, cibi inopiam portare, & propter bellum; proficisci licet vigiliis festorum necessitatis causa inter Eboracum & sex miliaria mensurata.

LVII. Si quis festum aut justum jejunium violet, solvat mulctam XII. orarum. Volumus etiam, ut quilibet Romæ denarius solvatur (3) circa festum Petri, Episcopali cathedræ. Volumus etiam, ut in quolibet Wapentachio nominentur duo fideles Thani, & unus Presbyter, ut eum colligant, ac deinde tradant, prouti audeant jurare.

LVIII. Si Regius Thanus vel aliquis terræ dominus eum detineat, solvat x. semimarcas, dimidium Christo, dimidium Regi.

LIX. Si aliquis villaticus denarium celet vel detineat, solvat terræ dominus illum denarium, & sumat bovem unum ab illo homine; & si terræ dominus hoc negligat, tunc capiat Christus & Rex in plenam compensationem XII. oras.

LX. Si quis decimas detineat, & sit Regis Thanus, solvat x. semimarcas; terræ possessor VI. semimarcas; colonus XII. oras.

LXI. Et prohibemus quasi Dei interdictum, ut nullus vir habeat plus una uxore, & illa sit legitime conjugata & data; & ut nullus vir uxorem ducat in cognatione, scilicet infra quartum gradum; neque vir aliquis sponsorem suum in Baptismo uxorem ducat, & si quis hoc fecerit, non habeat Dei misericordiam, nisi resipiscat, & compenset sicuti Episcopus indixerit.

LXII. Si is tunc in injustitia vitam finiat, perdat honestam sepulturam, & Dei misericordiam.

LXIII. Si quis cum moniale concubuerit, sit uterque capitis æstimationis reus, tam ille quam ipsa, & si in hoc absque pœnitentia moriantur, perdant honestam sepulturam & Dei misericordiam.

LXIV. Si quis legitimam suam uxorem viventem dimittat, & aliam uxorem injuste duxerit, non habeat Dei misericordiam, nisi illud compenset.

LXV. Sed retineat quilibet juste matrimonium suum, quamdiu illa vivat, nisi accidat quod absque injuria Episcopi consilio separentur, & inde postea castitatem servare velint.

LXVI. Si aliquis in posterum justam Legem

---

(1) De Veneficio & sortilegio ad Leges *Inæ* supra jam diximus.

(2) Consacramentales sc. ei nominentur, qui juramentum cum eo præstent, quod non exercuerit sortilegium; idem & in seqq. Legislatores afferunt. Vide quæ supra de consacramentalibus commentati sumus.

(3) In *Fœdere Edoardi & Guthruni Regum* de retentione denarii S. Petri dicitur, quod qui hoc fecerit, solvat Legis violatæ pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos. In *libro Constitut.* sub *Æthelredo* statuitur, ut qui denarium Petri solvere negaverit, addat 30. denarios, & solvat Regi 120. solidos. *Cnutus*, lib. I. LL. cap. 9. 30. denarios addere, & Regi 220. solidos solvere jubet eum, qui denarium Petri solvere recusaverit. Et *Guilielmus Conquestor* enumerat Lege 18. quisnam solvere debeat denarium hunc, nempe qui campos 30. denariis vel dimidia marca dignos habuerit; Lege autem 20. qui negaverit denarium S. Petri, Ecclesiæ 30. & tot Episcopo, Regi autem 40. solidos dare jubetur.

gem ſpernat, compenſet hoc diligenter.

LXVII. Omnes debemus unum Deum diligere & colere, & unum Chriſtianiſmum ſedulo ſervare, & omnem paganiſmum omnino abjicere. Volumus etiam ut pretium fundi pacto datum, & legis emptio, & reſponſa Prudentum, & verum teſtimonium, & juſtum judicium, & Baptiſmus, & prima teſtium dicta firmiter permaneant, & præmium potandi, & domini jura dentur, & ſaltem unus Chriſtianiſmus, & unum regnum ſemper in populo *ſint*.

Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

LEGES ÆTHELREDI REGIS. (1)

HOc eſt conſilium quod Æthelredus Rex & Sapientes ejus conſultaverunt ad emendationem pacis omni populo Wodſtoci in regione Merciorum, ſecundum Angliæ Leges.

I. *De fidejuſſoribus*. (2)

HOc eſt, ut quilibet liber fideles fidejuſſores habeat, ut fidejuſſor illum ad omne jus præſentet, ſi accuſaretur. Si accuſationibus diffamatus ſit, tunc abeat ad triplex ordalium. Si dominus dicat quod neutrum ei fregerit, nec juramentum nec ordalium poſt concilium Bromdunæ, aſſumat dominus ſibi duos fideles Thanos intra centuriam, & jurent quod nunquam ſibi juramentum violaverit, nec furti ſolutionem ſolverit, niſi tunc Præfectum habeat, qui ea ſit dignitate, ut hoc facere poſſit. Si jusjurandum tunc procedat, eligat is qui accuſatus eſt, quodcunque voluerit, ſive ſimplex ordalium, ſive libra & xxx. denariis dignum jusjurandum intra tres centurias. Si autem juramentum præſtare non audeant, abeat ad triplex ordalium. Si tunc reus fieret, prima vice compenſet accuſatori duplum, & domino æſtimationem capitis, & fideles conſtituat fidejuſſores, quod ab omni malo deinde abſtineat. Et ſecunda vice non ſit alia ulla compenſatio niſi capitis. Si autem effugiat & ordalium declinet, ſolvat fidejuſſor accuſatori rei pretium, & domino æſtimationem capitis, quæ mulcta ejus digna ſit. Et ſi tunc dominus accuſetur, quod ille de ſuo conſilio aufugerit, & antequam malum admitteret, aſſumat ſibi quinque Thanos, & ipſe ſit ſextus, & ſe ab eo purget. Et ſi accuſatio procedat, ſit æſtimationis capitis reus; & ſi non proceſſerit, capiat Rex æſtimationem capitis, & ſit fur exlex apud omnem populum. Et quilibet dominus habeat familiam ſuam in propria ſua fidejuſſione; ſi tunc accuſaretur & effugeret, ſolvat dominus capitis ejus æſtimationem Regi. Et ſi tunc dominus accuſaretur, quod de ſuo conſilio aufugerit, purget ſe quinque Thanis, & ipſe ſit ſextus. Si excuſatio ejus violata fuerit, ſolvat Regi æſtimationem capitis ſui, & ſit ſervus exlex.

II. Et ſit Rex qualibet eorum mulcta dignus, qui aliquid patraverint, & qui terram propriam habent, & non compenſet aliquis pro accuſatione aliqua, niſi ſit Regii Præfecti teſtimonium.

III. *De ſervis reis*.

Si ſervus reus fieret in ordalio, ſignetur (3) prima vice, & ſecunda vice non compenſet aliquid niſi caput.

IV. *De eo quod quis non emat abſque teſtimonio*.

Et nullus homo faciat alterutrum, nec emat nec permutet, niſi fidejuſſorem habeat et teſtimonium. Et ſi quis hoc fecerit, dominus terræ capiat et retineat rem illam, uſque dum ſciatur, quis illud jure habeat.

V. *De iis qui omni populo infideles ſunt*.

Si quis vir omni populo infidelis ſit, proficiſcatur ad eum Regius Præfectus, et eum ſub fidejuſſionem reducat, ut ad jus perducatur eis qui ipſum accuſant. Si tunc fidejuſſionem non habeat, occidatur, et cum reis ſepeliatur. Et ſi quis pro eo propugnaverit, ſint ambo uno jure digni.

Et ſi quis hoc neglexerit, et promovere noluerit, ſicut omnium noſtrum eſt inſtitutum, ſolvat Regi cxx. ſolidos.

Hoc

---

(1) *Æthelredus*, juxta Faſtos Savilianos, regnum auſpicatus eſt anno Chriſti 979 & morte finivit 1016. ut ſic 37. annos regnum occupaſſe dici poſſit. *Bromptonus in Chronico* 35. tantum annos ei aſſignat ab anno 981. ad 1016. *Chronicon de Mailros* Æthelredum anno 978. poſt Paſchalem feſtivitatem die Dominico 18. Kal. Maii, a SS. Archiepiſcopis Dunſtano & Oſwaldo & 10. Epiſcopis in *Kingiſtun* in Regem conſecratum eſſe, & 38. annis regnaſſe dicit.

(2) Jam ſupra ad LL. *Ælfredi* de violatione vadimonii & fidejuſſoribus egimus. Repetitur fidejuſſionis neceſſitas Lege ſequ. 5.

(3) Signetur, ſc. ferro ignito, quo ordalium peractum fuiſſe ex ſuperioribus conſtat, & in Lege *Cnuti* Civil. 29. reperitur, quod ſervus ex ordalio impurus factus prima vice inuratur.

HOc eſt fœdus & pactum quod Æthelredus Rex & Sapientes cum exercitu illo fecerunt, qui cum Anlavo et Juſtino et Guthmundo Stegetani filio erant.

I. PRimum, ut mundana pax conſiſtat inter Æthelredum Regem et omnem ejus populum, et exercitum illum omnem cui Rex pecuniam dedit poſt pactiones quas Sigericus Archiepiſcopus et Æthelweardus et Ælfricus Senatores fecerunt, cum impetrarent a Rege, ut poſſent pacem emere illi parti terræ, quam ſub Regis imperio gubernabant. Et ſi quis navalis exercitus Angliam infeſtaret, ut habeamus eorum omnium auxilium, et nos ei debeamus alimenta parare, quamdiu nobiſcum eſt. Et quælibet regio, quæ pacem aliquam feriat cum iis qui Angliam infeſtant, ſit exlex apud nos et apud totum exercitum.

II. *De navibus mercatoriis*. (1)

Et quælibet navis mercatoria pacem habeat quæ intra portum veniat, licet ſit inimica navis, ſi non ſit tempeſtate jactata. Et licet ſit jactata, et confugiat ad aliquam pacis curiam, et homines confugiant ad curiam illam, tunc homines illi pacem habeant, et ea quæ ſecum portant.

III. *De Regis populis fœderatis*.

Quilibet noſter fœderatus pacem habeat tam terra quam mari, tam intra quam extra portum. Si Æthelredi Regis fœderatus veniat in terram inimicam, et exercitus ſuperveniat, navis ejus pacem habeat, et omnis ipſius poſſeſſio. Si navem ſuam appulerit, vel tuguriolum comportaverit, et tentorium erexerit, ut ibi pacem habeat, et omnis ejus poſſeſſio. Si poſſeſſionem ſuam portet inſimul cum inimici hominis poſſeſſione in domum, perdat poſſeſſionem ſuam, et ipſe habeat pacem ac vitam, ſi ſe manifeſtet. Si fœderatus fugiat vel pugnet, et nolit ſe manifeſtare, ſi quis eum occidat, jaceat ſine compenſatione.

IV. *De eo qui in navi eſt ſpoliatus*.

Si quis bonis ſuis ſit ſpoliatus, et ipſe norit a quanam nave, det Nauclerus bona, aut adjungat ſibi quatuor et juret (et ipſe ſit quintus) quod juſte ſumpſerit, prouti antea affirmatum erat.

V. *De homicidio*. (2)

Si Anglus Danum occidat, liber liberum, compenſet eum xxv. libris, niſi ſe dedat homicida; et Danus idem faciat Anglo, ſi eum occidat. Si Anglus ſervum Danum occidat, compenſet eum libra, et Danus Anglum eodem modo, ſi ipſum occidat. Si octo viri occidantur, tunc pax eſt violata intra curiam, vel extra; minus octo viri compenſentur integra æſtimatione capitis.

VI. *De violatione pacis intra curiam*.

Si intra curiam facta ſit hæc pacis violatio, eò proficiſcantur oppidani ipſi, et compenſent proximi cognati homicidæ ſive vivi ſive mortui caput pro capite. Si nolint, eo proficiſcatur Senator; ſi nolint, proficiſcatur eo Rex; ſi ille nolit, jaceat principatus ille in inimicitia.

VII. Omnes cædes et omnes exercituum direptiones et omnia damna, quæ antequam pax conſtituta eſſet, facta erant, remittantur omnia, et nullus homo ea ulciſcatur, neque compenſationem petat; et ut neuter neque illi, neque nos ſuſcipiamus alterius ſervum, neque alterius furem, neque alterius inimicum.

VIII.

(1) Artem navigatoriam veteres *Suecones* magnis ſtudiis proſequebantur, naufragantesque (licet inimicos) in bonorum poſſeſſionem reſtituebant, dummodo ad Curiam vel Judicium ad id conſtitutum ſe contulerint. *Suecones & Gothi* veteres, humanitatis maxime ſtudioſi, ſingulos illius territorii incolas, in quo damnum ex naufragio acceptum eſt, nemine prorſus excepto, ſive Clericus ſive Nobilis eſſet, qui modo domicilium & familiam haberet, obſtringebant, juxta æſtimationem damni accepti a bonis viris factam, fortunam ejus qui naufragium perpeſſus eſt, ſublevare & reſarcire. Vid. *Stiernh.* lib. 2. part. 1. c. 9. De Pace Navali *Suecorum* LL. Civiles hodiernæ, tit. 7. de Jure Nautico ſtatuunt, ut tantum pacis navigantes habeant in ſua navi, quantum alii in ſua domo. Et quæcunque diſſenſiones ibi oriuntur, dijudicabuntur in foro Civili, & dirigentur ſecundum qualitatem facti, quod accidere poteſt in homicidio, vulneratione, vel quodcunque ſit. *Dani* bona naufragantibus non reſtituunt omnia, ſed plebem, præmio auxilii propoſito, ad opem naufragis ferendam, navemque & merces periculo expoſitas pro re rata conſervandas ac recuperandas evocant. Poſteaquam ita allatum eſt auxilium, Præfecturæ maritimæ Præſes & Conſul & Senatores definiant, quantum mercedis pro rei conditione, merciumque pretio, auxiliatoribus a Navarcho vel Mercatore perſolvi oporteat. Vid. *Jus Danic.* lib. 4. c. 4. In *Conſtitution. Siculis*, lib. 1. tit. 58. Bona nonnulla de naufragiis curiæ cedere conſtituit Imp. *Fridericus*. Et *Tit. præced.* 28. eos qui res naufragiorum rapuerint, capitali ſententia feriendos eſſe jubet idem Imp. & bona rapta in quadruplum reſtitui domino; quæ Lex poſterior apud *Wiſigothos* etiam reperitur, lib. 7. tit. 2. l. 18. *Rationem* quare inimicorum naves, tempeſtate licet jactatæ, pacem obtinebant apud Saxones, aſſignat Lex ſequens, quia idem amicitiæ & humanitatis genus *Æthelredus* ſibi & fœderatis ſuis expetit ab inimicis.

(2) Homicidium in ſuperioribus per æſtimationem vel amiſſionem vitæ compenſari dicitur: in hac Lege autem 25. libris homo liber, ſervus libra expiatur. Per violationem pacis intra vel extra curiam motus publici vel rebellio intelligitur, quare Lege 6. ſequenti, ſi Senator & Rex illam pacis violationem ulciſci noluerint, provincia illa in rebellione erga Regem verſari dicitur.

VIII. *De colono accusato.*

Si quis de colono dixerit, quod pecuniam furatus sit, vel homicidium commiserit, et hoc dixerit pirata et aliquis colonus, tunc non sit aliqua negatione dignus (1). Et si eorum servi nostras possessiones occiderint, tunc sit exlex tam apud illos quam apud nos, et non sit aliqua compensatione dignus. XXII. millia librarum auri et argenti data sunt exercitui Anglico pro pace.

IX. *De eo qui rem amissam recuperat.*

Si quis recuperet quod amiserat, indicet ille, qui id prius accepit, unde ad manus ipsius pervenerit, et fidejussores constituat, quod adferat advocatum suum, in quo illud delatum sit. Si viventem advocationem indicet, et sit in alia provincia ille quem advocat, tot spatium habeat, quot ad id pertinet, mittat in manum qui ei illud vendidit, et jubeat ut purget si possit. Si in se receperit, tunc purget illum cum quo prius deprehensus erat: indicet deinde unde hoc venerit; si advocet ultra provinciam unam, habeat unius septimanæ intervallum; si advocet ultra duas provincias, habeat duarum septimanarum intervallum; si advocet ultra tres provincias, habeat trium septimanarum intervallum. Præterea ultra quot Provincias advocet, tot septimanarum intervallum habeat; et veniat semper eo ubi prius deprehensus erat.

X. *De advocationibus.* (2)

Olim mos erat, ut ter advocaretur eo ubi prius quid deprehensum erat, et deinde sequeretur advocatum, quocunque advocaret. Tunc consultarunt Sapientes, quod melius esset, ut semper advocaretur ubi prius deprehensum erat tamdiu donec sciretur, ubi consistere vellet, ne forte impotens homo nimis remote et nimis diu pro suo proprio laboraret. Laboret magis qui injuste conquisitum in manu sua teneat, & minus qui juste postulat. Caveat etiam si quis proprium suum deprehendat, ut ad quamlibet advocationem habeat fideles fidejussores, et caveat ut injuste non deprehendat, ne forte seipsum labefactet, prouti alteri fecerat. Si quis mortuum advocet, nisi hæredes habeat, qui illud purgent, demonstrent cum testibus, si possit, quod juste advocet, qui illud advocat, et eo seipsum purget. Tunc sit mortuus culpabilis, nisi amicos habeat qui eum juste purgent, prouti ipse deberet, si posset, vel viveret. Si tunc ibi amicos habeat, qui illud facere audent, tunc advocatio violetur eodem modo ac si viveret, & ipse negationem faceret, tunc ille furti sit reus, qui in manu illud habet; quoniam semper negatio potior est affirmatione. Etiam inter advocandum, si quis eo progrediatur, & ulterius advocationem non advocet, sed possidere velit, non potest hoc ei denegari, si fidele testimonium ad possessionem ei viam aperiat. Quoniam possessio propior est habenti, quam deinceps repetenti.

LIBER CONSTITUTIONUM.

In Nomine Domini, Anno Dominicæ Incarnationis MVIII.

HÆc est Constitutio (3) quam Rex Anglorum & tam ordinibus consecrati quam laici Sapientes elegerunt & constituerunt. Hoc igitur est primum, ut nos omnes unum Deum diligamus & honoremus, & unum Christianismum diligenter observemus, & totum ethnicismum omnino rejiciamus; & hoc omnes tam verbis quam pactis confirmavimus, ut sub uno regno unum Christianismum observemus. Nostri Domini etiam & Sapientum ejus Constitutio est, ut justæ Leges statuantur, & omne injustum sedulo evitetur, & ut quilibet homo jure suo dignus esse permittatur, & ut pax ac amicitia legitime teneatur in hac terra coram Deo & coram mundo.

Nostri Domini & Sapientum ejus Constitutio etiam est, ut Christiani & innocentes non vendantur de terra (4), neque saltem ad paganismum ducantur, sed sedulo cu-

(1) Non sit aliqua negatione dignus, h. e. non credatur colono accusato, si hoc negare voluerit.

(2) Hæc & præcedens Lex fundatur super Lege de Fidejussoribus (de quibus jam antea bis tractavimus.) Hi enim bona apud alium deprehensa vel jure vel injuste possideri debebant affirmare.

(3) Constitutiones has sub *Æthelredo* editas esse Chronologia demonstrat. Priores duæ ex *MS. Cotton. Nero.* A. 1. descriptæ sunt, *tertia* mutila in *MS. Cotton.* desumpta est ex *MS.* C. C. C. C. S. 18. & in omnibus fere convenit, nisi quod Lege 5. Cottonianus codex aliquid addat. *Quarta*, quæ incipit, *This syndon*, ex Textu Roffensi descripta est.

(4) Venditio hominum apud Veteres *Saxones* usitata hic prohibetur; ea namque conditio fuit servorum, ut jus vitæ & necis in illos domini ipsorum exercerent. Hic autem prohibetur venditio, ne dominium *Æthelredi* subjectis spolietur, & talis servus ad Paganismum convertatur. Apud Veteres *Suecones* & *Gothos* servi ut pecudes alienari in præsentia te-

custodiantur, ne anima negligatur, quam Christus propria sua vita redemit. Domini nostri & Sapientum ejus Constitutio etiam est, ut Christiani ante omnia pro parvis rebus ad mortem non condemnentur, sed potius parentur pacificæ correctiones ad necessitatem populi, nec perdatur pro parvo opus manuum Dei, & propria ejus possessio, quam caro emit.

Nostri Domini & Sapientum ejus Constitutio etiam est, ut cujuslibet ordinis homines sedulo inclinent coram Deo & coram mundo, quilibet ad judicium, ad quod pertinet, & ante omnia Dei servi, Episcopi & Abbates, Monachi & Moniales, Sacerdotes & Vestales ad justitiam inclinent, & regulariter vivant, & pro omni Christiano populo diligenter intercedant.

Nostri Domini & Sapientum ejus Constitutio etiam est, ut quilibet Monachus qui extra monasterium est, & regulas non curat, faciat prouti ipsi necessarium est; inclinet diligenter ad monasterium cum omni humilitate, & a facinore abstineat, ac diligenter emendet quicquid perperam egerit; cogitet verbi & pacti quod Deo promisit.

Et Monachus qui non habet monasterium, veniat ad Episcopum Provincialem, & stipuletur ille ipse cum Deo & cum hominibus, (&) saltem tria abhinc se observaturum esse, hoc est, puritatem suam, & monachalem tonsuram, & se servire velle Domino quam optime possit; & si hoc præstiterit, tunc dignus sit, ut melius observetur ubicunque habitaverit.

Et Canonicorum cura ibidem sit, ut refectoria et dormitoria habeant, monasterium suum in justitia et sanctitate conservent, prouti regula illorum notat, vel uti justum est: perdat curam suam quicunque hoc *facere* noluerit.

Omnes etiam Sacerdotes rogamus et docemus, ut sibi ipsis caveant ab ira Dei.

Diligentissime sciant, quod jure non debeant per fornicationem cum fœmina conversari; et si quis ab hoc abstinere velit et sanctitatem conservare, habeat Dei misericordiam, et præterea etiam honorem mundi, ut dignus sit æstimatione capitis et jure Thani, tam in vita quam in morte; et si quis hoc nolit, quod ordinem ejus decet, diminuit honorem suum tam coram Deo quam coram mundo.

Quilibet etiam Christianus injustum concubitum sedulo evitet, et divinas Leges juste conservet; quælibet etiam Ecclesia sit in pace cum Deo et Rege, et omni Christianorum populo; et solus homo in posterum non serviat Ecclesiæ, nec Ecclesiæ negotia injuste peragat, nec Ecclesiæ minister ejiciatur absque Episcopi consensu.

Dei statuta etiam observentur diligenter quolibet anno; hoc est aratri-eleemosyna 15. diebus post Pascha, et primitiæ recens natorum circa Pentecosten, et fruges terræ ad festum Omnium Sanctorum, et denarius Petri ad festum Petri, et nummus candelaris ter in anno.

Justissimum etiam est, ut pecunia sepulchralis detur semper ad apertum sepulchrum; et si aliquis extra parochiam veram, aliorsum sepeliatur, detur tamen pecunia sepulchralis ad illud monasterium, ad quod pertinebat, et omnia Dei statuta colantur diligenter prouti necesse est, et festa ac jejunia legitime observentur.

Diei solis festa sedulo observentur prouti decet, et a mercatura ac conventu populi sancto illo die diligenter cessandum est.

Omnia etiam S. Mariæ festa colantur sedulo, prius jejunio, et deinde festivitate; et ad quamlibet Apostoli solemnitatem jejunetur, et festum celebretur, exceptis Philippi et Jacobi festis; neque jejunium aliquod injungimus ante Paschatis festum.

Alias cætera festa et jejunia diligenter celebrentur, prouti illi, qui optime ea observant, illa celebrarent.

Sapientes etiam constituerunt ut Sancti Eadwardi festum celebretur per totam Angliam xv. Kal. Aprilis.

Et quolibet die Veneris jejunetur, nisi festum sit.

Ordalia etiam ac juramenta peragantur festis diebus, et veris diebus Quadragesimæ, et ab Adventu Domini usque ad Octa-

---

testium poterant per donationem, per mutationem, per emptionem & venditionem; hac tamen cum exceptione, ut nulli experientiæ dies his, uti in emptione equi, bovis, concederentur; sed tria solummodo observarent, ut servus venditus habilis esset tam novilunio quam plenilunio, ut morbo sontico non laboraret, & ut provectioris quam dixisset non esset ætatis. Vid. *Stiern.* lib. 2. c. 4. *Lex Saxonica* extat in LL. veterum codicibus apud *Lindenbrog.* tom. 1. p. 475. quod si nobilis nobilem extra solum vendiderit, & reducere non potuerit, componat eum ac si occidisset; si vero reduxerit eum, emendet ei juxta quod placitare potuerit. Si autem ille sua sponte reversus fuerit, medietatem weregildi ejus componat. Similis fere datur Lex *Ripuariorum*, tit. 16. Si quis ingenuus ingenuum Ripuarium extra solum vendiderit, & iterum eum ad solum non potuerit reducere, 600. solid. culpabilis judicetur, aut cum 72. juret: & si eum in solum reduxerit, 200. solid. culpabilis judicetur. In *Capitul. Reg. Francor.* venditio hominum licebat, ast nonnisi in præsentia Comitum aut Missorum Regis. Vide *Baluz, Capit.* tom. 1. 351. Et *Dagobertus* Rex in *Capitul. Regum Francorum* constituit, ut ingenuus venditus in libertatem reducatur, & 40. solidos a venditore requirat; si autem extra provinciam ipsum vendiderit, & illum reducere non possit, tunc cum weregildo componat, h. e. 160. solidos solvat parentibus. *Capit. Baluz.* tom. 1. p. 131. Et inter Chartas Regales, quas *Formulas Bignonianas* vocat *Baluzius*, extat formula vendendi servum, quæ in æque expressis terminis concepta est, ac venditio fundorum immobilium. Vide cap. 2. *Form. Bignon.* tom. 1. *Capit. Regg. Franc.*

ctavam Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad xv. dies post Pascha.

Et sanctis his diebus, prouti decet, omnibus Christianis pax et concordia communis sit, et omnis lis amoveatur.

Et si quis aliis fidejussionem vel compensationem debeat pro rebus mundanis, sedulo hoc præstet ante vel post.

Quælibet etiam vidua, quæ seipsam in pace cum Deo et Rege tenuerit, permaneat XII. menses absque marito (1), postea eligat quemcunque ipsa voluerit.

Et quilibet Christianus faciat prouti ipsi necesse est, Christianismum suum observet diligenter, et se ad confessionem crebro assuefaciat, et intrepide peccata sua enarret, et sedulo emendet, prouti ipsi adnotatur; præparet se etiam quilibet ad S. Eucharistiam sæpe et frequenter; verba et opera debite disponat, et juramentum ac pactum mascule teneat.

Quælibet injustitia etiam diligenter de hac terra abjiciatur, quoad ejus fieri potest.

Fraudulenta facta et injuriosa injustitia admodum evitentur, hoc est, falsum consilium, et pravæ mensuræ, et falsum testimonium, et turpes rixæ.

Et horribilia perjuria et diabolica facta in veneficiis et homicidiis, in furtis et rapinis, in avaritia et gastrimargiis, in luxuriis et ebrietatibus, in insurrectionibus et variis legum violationibus, in violationibus ordinum ac fœderum, et in diversi generis facinoribus.

Sed Dei statuta in posterum verbis ac operibus diligantur, tunc hæc natio mox Deo chara erit; et diligenter curetur compensatio pacis et compensatio nummaria ubique in terra, et instauratio urbium in qualibet parte, et expeditiones etiam juxta id quod consultum, semper autem necessarium fuerit.

Et expeditio navalis quam diligentissime possit curetur, ut quælibet statim post Pascha cujuslibet anni constituta sit.

Et si quis absque venia ab expeditione revertatur, cui Rex ipse interest, luat vitam, et omnia sua bona; et si quis aliter ab expeditione revertatur, sic cxx. solidorum reus.

Et si aliquis excommunicatus absque pace sit, non commoretur in Regis vicinia alicubi, antequam divinam compensationem diligenter fecerit, tunc spondeat seipsum & omnes suas possessiones.

Et si aliquis Regis vitæ insidietur, vitæ suæ reus sit (2), & si illud excusare velit, faciat hoc per compensationem æstimationis capitis Regii, vel per triplex ordalium juxta Leges Anglorum.

Et si quis furtum vel publicam rebellionem adversus jus Christi vel Regis alicubi operetur, compenset tam æstimationem capitis quam mulctam, & pœnam violatæ Legis pro ratione ejus quod factum est; & si justo per transgressionem Legis se opposuerit, & id perpetraverit, ut damnetur, jaceat sine compensatione omnibus suis amicis.

Et semper supprimatur in posterum injustitia, quæ antehac nimis late in usu erat.

Et quælibet injustitia supprimatur diligenter, quoniam per hoc in terra instaurat possessionem, qui injustitiam supprimit, & justitiam diligit coram Deo & coram mundo.

Omnes nos unum Deum diligere & venerari debemus, & omnem ethnicismum omnino rejicere.

Et agedum unum dominum Regem benigne colamus, & vitam ac terram *ejus* simul omnes custodiamus, quam optime possumus.

Et Dei omnipotentis auxilium interiore corde rogemus.

De Pace & de Protectione.

PAx Dei præ omni pace quam optime procuranda & diligentissime conservanda est, & tum proxime Regis.

Tunc justa etiam Ecclesiæ Dei pax intra parietes, & pax Christiani Regis manu data consistat semper incorrupta.

Et aliquando erant Capitolia, & multa auctoritas summi gradus, & protectionis dignitas *ei* qui eis opus habebat, pacificanda, & conservanda semper juxta dignitatem quæ

(1) Infra in *Concil. Ænhamens*, cap. 25. & in LL. Civil. *Cnuti*, §. 71. vidua per 12. mensium spatium absque marito permanere jubetur, & deinde nubere cui voluerit. Apud *Longobardos*, tit. 6. Rex Liutprandus statuit, ut nulli sit licentia quamlibet mulierem post mortem mariti sui ante anni spatium velare, aut monastico habitu induere. Imp. *Carolus* autem considerans, quia præterito tempore pro ipsa dilatione multæ etiam raptæ intra idem spatium ad aliam partem distractæ fuerunt, concedit ante tempus constitutum. Vid. Legem eandem in *Capitul. Imperat. Hlotharii* apud *Baluz.* tom. 2. p. 324. & 349. Imper. *Ludovicus* jussit, ut qui viduam intra primos 30. dies viduitatis suæ sciens vel invitam vel volentem sibi copulaverit, bannum nostrum scilicet 60. solid. id est, triplum componat. Eadem Lex repetitur *Capitul.* lib. 4. tit. 17. Imp. *Hlotharius* de fœminis quæ viros amittunt, ait: Placet nobis, ne se, sicut hactenus, indiscrete velent, sed ut 30. dies post decessum viri sui expectent, & post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel si Episcopus absens fuerit, cum consilio aliorum religiosorum Sacerdotum, suorumque parentum atque amicorum, id quod eligere debent, eligant.

(2) Vide quæ supra ad Leges *Ælfredi* de insidiis vitæ domini factis diximus.

quæ ad ea pertinet; & ita res se habebat in illis diebus apud Anglos.

Cum vitæ reus homo ad Regem, Archiepiscopum vel Nobilem confugerit (1), tunc pacem habeat novem dies ad vitam conservandam, nisi Rex majus spatium ei concedere velit.

Et si fugerit ad Episcopum provinciæ, vel Senatorem, vel summum Capitolium, tunc habeat VII. dierum pacem, nisi ei diutius concedere (*quis*) velit.

Et in Cantuariensi Lege Rex et Archiepiscopus habent æqualem et æque charam pacis fractionem.

Et in illis Legibus Archiepiscopi pretium est undecim solutionum, et Regis novem solutionum.

Et Ecclesiæ Christi patrocinium est æquale cum Regis.

Et in Australium Anglorum Lege Lex pacis ita obtinebat; quod si quis pugnaverit in Ecclesia vel in Regis domo, perdat omnia quæ possidet, et sit in Regis jure utrum vitam habeat vel non habeat.

Et si quis pugnaverit in Monasterio extra Ecclesiam, emendet omnia cum plena compensatione, quæ ad hoc pertinet juxta dignitatem Monasterii.

Et si quis nihilominus Regiæ pacis fractionem commiserit, compenset hoc quinque libris juxta Legem Anglorum; Archiepiscopi et Nobilis fractionem pacis tribus libris, alterius Episcopi et Senatoris duabus libris.

Et si quis coram Nobili vel Archiepiscopo pugnam inceperit, cum CL. solidis emendet; si coram alio Episcopo vel Senatore hoc accidat, cum C. solidis hoc emendet.

Et in Septentrionalium Anglorum Lege obtinet, quod si quis hominem occidat intra Ecclesiæ parietes, sit vitæ reus: et si quis aliquem vulneret, sit manus reus; et si quis aliquem occidat intra Ecclesiæ portas, solvat Ecclesiæ illi CXX. solidos juxta Legem Septentrionalium Anglorum.

Et si liber homo vivum in patrocinio suo male tractet, solvat XXX. solidos.

Et si quis in Regis urbe vel in vicinia ejus pugnet, vel furetur, vitam suam perdat, nisi Rex ei permittere velit, ut capitis æstimationis solutionem solvere possit.

Et si homo condemnatus ad altare confugiat, et per hoc vitam protrahat, tunc tres pro vita ejus respondeant, nisi eum melius honorare velint, solutio capitis æstimationis æternum servitii ergastulum pœna *sit*.

Et quæcunque illa tria sint (*quæ elegerit*) solvat, serviat, & perdat (*vitam*), inveniat fidejussionem si possit: & si non possit, tunc juret quod in posterum non sit furaturus pecuniam, nec aufugiet, nec de pœna ulciscetur.

Et si hoc quis retrectet, nunquam deinde vitam suam perdat vel amittat.

Templi pax & ordinis pax semper legitime & diligentissime observetur, & Dei Legibus obediendum ac Doctoribus obtemperandum est, prouti decet. Episcopi sunt Præcones, & Dei Legis Doctores; & ipsi diligenter sæpe & crebro ad Christum clamare debent, & pro omni populo Christiano sedulo intercedere, instaurare etiam ac exemplis confirmare debent Ecclesiasticam necessitatem gentis Christianæ.

Si quis eos auscultare spernat, hoc eis cum Deo ipso commune sit.

Sed nonnulli dantur homines, qui ob scripta sua & etiam propter nativitatem spernunt Ecclesiasticis Senioribus obtemperare prouti deberent, quando jus postulant, & incipiunt sæpius vituperare, cum eos laudare deberent, & æstimant pessimos qui pauperis originis *sunt*, cum seniores eorum in mundo non facti sint opimi aut elati per splendorem mundi, nec in macilenta vita acquisiverint gloriam aut opes. Sed illi nullo modo prudentes sunt, qui Deo nolunt obedire, nec melius intelligere, quod sapius ex parvo ad magnum erexerit eos qui ipsi obsequebantur. Juste etiam nos Sapientes diximus, quod Dei providentia servus fiat Thanus, & Colonus fiat Comes, Cantor Sacerdos, & Scriba Episcopus.

Et olim fiebat, prouti Deus voluit, pastor ovium Rex, & ille fuit valde celebris; factus est etiam, prouti Deus voluit, piscator Episcopus, & ille admodum carus ac utilis fuit Christo.

Talia sunt dona Dei, qui facile potest ex parvis in magnos erigere omnino, uti ipse velit, sicut Psalmista vere loquebatur, ita cantans: *Quis sicut Dominus Deus noster, &c. suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui?* hæc intelligit de eo, qui Dei timorem habet, & sapientiam curat.

Prudentes etiam erant in diebus annuis Sapientes mundi, qui prius constituerunt, præter Jura Ecclesiastica, Leges mundanas, Episcopos, & consecratos cœtus, & Sanctuarium, ac ordines ex amore Dei honorabant, & domum Dei ac Dei ministros omnino tuebantur.

Et ubi potest saltem aliquis in mundo Deum magis venerari, quam in Ecclesiis & in eleemosynis, & deinde in consecratis summis ordinibus.

Et quocunque animo aliquis unquam ea saltem faciat, ut in Ecclesia sedulo oret, et ante altare Dei diligenter inclinet, et ante vel post, in vel extra Ecclesiam pœnitentiam agat, et spernat vel diminuat id quod ad Ecclesiam pertinet.

Vel

(1) Huc refer quæ supra de Refugiis diximus.

Vel quo animo poteſt aliquis unquam in mente ſua cogitare, ſe ad Sacerdotum altare inclinare, et benedictionem impetrare, et Miſſas eorum in Eccleſiis ſuis peragere, et ad panis circumgeſtationem manus illorum oſculari, ſi ſtatim poſt calumnietur aut impius fiat verbo vel facto.

Sed Sanctuarium, et Ordines, et conſecrata Dei domus ſemper coram Deo diligenter honorari debent, et Deus ſemper interiori corde diligi.

Maxime etiam neceſſarium eſt ſingulis indigis, ut aliis hoc jus faciant, quod ſibi fieri velint pro ratione rei.

Omnes unum cœleſtem Patrem habemus, et unam ſpiritualem matrem, quæ Eccleſia Dei vocatur, et ideo nos ſumus fratres.

Juſtum igitur etiam eſt, ut nos invicem jure conſervemus, et ut quælibet Eccleſia ſit in Dei omnipotentis et omnis Chriſtianorum populi pace; quoniam omnis Eccleſiæ pax eſt propria Chriſtiani pax, et cuilibet Chriſtiano admodum neceſſe eſt, ut magnam in hac pace auctoritatem agnoſcat.

De Pace Eccleſiæ.

Anno MXIIII. *ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

HÆc eſt ſecunda Conſtitutio, quam Rex Anglorum conſilio Sapientum ſuorum ſtatuit; primum eſt hoc, quod velit, ut omnes Dei Eccleſiæ ſint plena pace dignæ, & ſi quis in poſterum ita pacem Eccleſiæ Dei violaverit, ut intra Eccleſiæ parietes hominem occidiſſet, tunc hoc ſit inexpiabile, & perſequatur eum quilibet illorum qui Dei amici ſunt, niſi fiat quod inde aufugiat, & tantopere aſylum quærat, ut Rex ei vitam concedat cum plena compenſatione tam apud Deum quam apud homines.

Et hoc eſt primum, ut propriam capitis æſtimationem tradat Regi & Chriſto, & hoc ipſo ſe exlegem reſtituat ad compenſationem.

Nam Rex Chriſtianus eſt Chriſti vicarius in gente Chriſtiana.

Et diligentiſſime injuriam Chriſto factam ulciſci debet.

Et ſi tunc ad compenſationem perventum ſit, & hoc Regi placeat, tunc compenſetur pax Eccleſiæ illi, juxta plenariam pacis Regiæ violationem; ac Monaſterii ſanctitatem reſtituat, uti ad id pertinet, & apud Deum ſedulo ſaltem intercedat.

Et ſi per homines vivos pax Eccleſiæ violata ſit, compenſetur diligenter juxta id quod factum eſt, ſive per pugnam, ſive per prædam, ſive per injuſtum concubitum, ſive per quodcunque aliud, violatio pacis prius ſemper compenſetur Eccleſiæ illi, juxta id quod factum eſt, & juxta dignitatem Eccleſiæ.

Non ſint omnes Eccleſiæ æquali auctoritate mundana dignæ, licet eccleſiaſticam conſecrationem æqualiter habeant.

Violatio pacis Monaſterii primarii cum rebus compenſatione dignis excuſetur juxta pacem Regiam, hoc eſt, quinque libris ſecundum Legem Anglorum.

Et mediocris Monaſterii CXX. ſolidis, hoc eſt, juxta mulctam Regis.

Et adhuc minoris LX. ſolidis.

Et campeſtris Eccleſiæ XXX. ſolidis.

Jus in poſterum legitime faciendum eſt, & lenitas pro dignitate rei.

Et de decimis Rex & Sapientes ejus ſtatuerunt & decreverunt, prouti juſtum eſt; quod tertia pars decimarum illarum quæ ad Eccleſiam pertinent, detur ad compenſationem Eccleſiæ, & ſecunda pars Dei miniſtris, tertia pauperibus Dei & inopibus ſervilibus.

Sciat etiam quilibet Chriſtianus, quod domini ſui decimas uti aratri ita decimas agri legitime præſtet, pro ratione miſericordiæ Dei & plenæ pœnæ quam Eadgarus Rex conſtituit.

Hoc eſt, ſi quis decimas legitime reddere nolit, tunc abeant Regis Præfectus, & Monaſterii Sacerdos, vel Præfectus domini fundi & Epiſcopi, & ſumant invite decimam partem pro Monaſterio ad quod ea pertinet, & aſſignent ei nonam partem, & octo partes diſtribuantur in duo, & dominus capiat dimidium, dimidium Epiſcopus, ſive ſit Regis ſive Thani miniſter.

Et quælibet recens natorum decimæ reddantur ad Pentecoſten ſub pœna, & frugum terræ ad æquinoctium vernum, vel ſaltem ad feſtum Omnium Sanctorum.

Et denarius Petri ſolvatur quotannis ad feſtum Petri, & ſi quis hoc ſolvere nolit, addat ei XXX. denarios, & ſolvat Regi CXX. ſolidos.

Et Eccleſiæ cenſus ſolvatur ad feſtum Martini, & ſi quis eum non ſolverit, duodecies hoc redimat, & Regi CXX. ſolidos *det*.

Eleemoſyna aratri ſolvi debet ſub pœna quolibet anno, elapſis XV. diebus poſt Paſcha, & nummus candelaris ſolvatur ad feſtum Purificationis B. Mariæ, vel ſæpius, ſi quis velit.

Et juſtum eſt, ut pecunia ſepulchralis ſemper tradatur ad ſepulchrum apertum.

Et omnia Dei ſtatuta colantur diligenter, prouti neceſſe eſt.

Et ſi quis hoc nolit, ad juſtitiam trahatur per mundanam diſciplinam; & hoc ſit commune Chriſto & Regi, ſicuti olim fuit.

Feſta etiam & jejunia ſub pœna diligenter obſerventur.

Mercaturæ etiam diei Solis prohibeantur ſedu-

sedulo sub plenaria mundi pœna.

Ministrorum etiam altaris dignitas observetur ex timore Dei.

Si quis Presbyterum qui regulariter vivit accuset de simplici causa, missam celebret, si audet, & purget seipsum ad S. Eucharistiam, & a triplici causa, si audet, seipsum etiam purget in S. Eucharistia cum duobus ejusdem cum eo ordinis.

Si quis Diaconum regulariter viventem accuset de simplici causa, assumat duos ejusdem cum eo ordinis, & se per eos purget; & si de triplici causa accusetur, assumat sex ejusdem cum eo ordinis, ac se per eos purget, & ipse sit septimus.

Si quis Presbyterum popularem accusationibus oneret, qui regulas vitæ non habet, purget se uti Diaconus qui regulariter vivit.

Si quis amicis orbum altaris ministrum accusationibus oneret, qui non habet sacramentales, eat ad offam execratam (1), et ibi tunc experiatur quicquid Deus voluerit, nisi in S. Eucharistia se purgare debeat.

Et si quis virum consecratum inimicitiæ accuset, & dicat quod sit homicida, vel mali consiliarius, purget se cum cognatis suis, qui inimicitiam simul portare vel prius compensare debent.

Et si sit cognatis orbus, purget se cum sociis suis, vel jejunet usque ad offam execratam, & ibi experiatur, quicquid Deo consultum fuerit.

Nec debet aliquis monasterii Monachus ullibi jure compensationem inimicitiæ rogare, nec compensationem inimicitiæ emendare, *nam* abit a Lege cognatorum, cum ad Regularium Leges accedit.

Si Presbyter homicida fieret, vel alias simile quid commiserit, tunc perdat tam ordinem quam terram, et ultio fiat quam amplam Papa ei præscripserit, ac diligenter pœniteat.

Si Presbyter alicubi inveniatur in falso testimonio, vel in perjurio, vel furti conscius et cooperator, tunc dejiciatur a communione consecratorum, et perdat tam societatem quam amicitiam et qualemcunque dignitatem, nisi apud Deum et apud homines gravius compenset, plenario prouti Episcopus ei adnotaverit, et inveniat sibi fidejussorem, quod ab hujusmodi in posterum abstinebit, et si se purgare velit, purget juxta facti dignitatem triplici purgatione pro ratione ejus quod factum est.

Si altaris minister juxta statuta vitam suam legitime degat, tunc dignus sit plenaria æstimatione capitis et dignitate Thani tam in vita quam in morte.

Et si vitam suam male transigat, diminuat dignitatem suam pro ratione ejus quod factum est.

Sapientem, si quando velit, non decet nec uxor nec bellum mundi, si Deo legitime obsequi velit, & Dei Legem observare, uti ordini suo juste competit.

Sed diligenter docemus et amanter rogamus, ut cujuscunque ordinis homo vitam agat quæ ipsum decet; et in posterum volumus ut Abbates et Monachi regularius vivant, quam antehac in usu habebant.

Et Rex omnes suos Præfectos jubet in quocunque loco, ut Abbates in omnibus mundi necessitatibus tueamini, quam optime potestis, et juxta quam maxime amicitiam Dei ac meam conservare vultis, auxiliamini ministros eorum ubique ad jus suum, ut ipsi eo sæpius in Monasterii claustris habitare et regulariter vivere possint.

Et si consecratus vel alienigena per aliquod accidens amittat pecuniam, vel vitam, vel si vinciatur, aut verberetur, vel aliquo modo male tractetur, tunc Rex ei sit loco cognati et loco patroni, nisi alias alios habeat.

Et compenset tam ipsi quam Regi, prouti decet juxta rationem facti, vel factum illud quam gravissime ulciscatur.

Christianos quam maxime decet injuriam Deo factam diligentissime ulcisci.

Et prudentes erant sapientes mundi, qui Ecclesiasticis Legibus adjunxerunt Leges Seculares, ad disciplinam populi, & statuerunt compensationem Christo et Regi, qua multi ex necessitate ad jus cogendi sunt.

Sed in conventibus, licet sæpe fierent in honoratis locis, post Eadgari mortem Christi Leges diminuebantur, et Regis Leges parvi fiebant.

Et ibi dicebatur quod antea Christo et Regi secularis disciplina communis esset, et hoc semper eo pejus fieret coram Deo et coram mundo, jam veniat ad compensationem, si Deus voluerit.

Et licet compensatio cognatorum accedere velit, incipiant diligenter & serio.

Et si terra legitime purganda est, tunc considerari et lubenter investigari debet, ubi ille homo habitaculum fixit, qui abstinere non vult nec coram Deo emendare, sed ubicunque inveniatur, ad jus cogatur sponte vel invite, aut de terra tollatur, nisi submittant et ad jus revertantur.

Si Monachus vel Presbyter omnibus adver-

(1) *Offa execrata*. *Spelmannus* in Glossario panem consecratum vel potius exorcizatum vocat ex hordeo confectum. Anglo-Saxonibus erat in more positum, certis quibusdam destinatisque sententiis consecratum reo gustandum offerre: habebant enim penitus insitam opinionem, non posse quemquam mali conscium panem hoc modo dedicatum deglutire. Dicitur alias *nedbreath*, *panis coactus*, vel coacte comestus. Item *offa judicialis* apud *Spelmannum* & *Somnerum*, & ideo excogitata, ut gravissima illa per Eucharistiam probatio in rebus levioribus non adhiberetur. Vide infra *Legem* 5. *Cnuti* LL. Eccles.

versarius fieret, semper sit excommunicatus, nisi citius submittat ad necessitatem suam.

Et si quis Dei exleges ultra terminum quem Rex fixit, habeat in potestate, spondeat pro ipsis et omni sua possessione *confirmet* apud Christi vicarium, qui Christianismum et regnum tuetur et gubernat quamdiu Deus hoc concesserit.

Sed utinam agamus uti nobis necesse est: utinam nobis in exemplum proponamus quod pristini Sapientes mundi consilio decreverunt.

Quomodo Æthelstanus et Eadmundus et Eadgarus successor ejus, Deum venerati sunt, et Dei leges observarunt, et Dei tributum dederunt, quamdiu vivebant; et utinam Deum diligamus intimo corde, et Dei leges observemus quam optime possumus.

Et agedum verum Christianismum diligenter veneremur, et omnem ethnicismum omnino despiciamus; et agedum unum dominum Regem benignum conservemus et amicum, cui jure fidelitatem præstemus, alium non diligamus, et jure colamus.

Hoc pertinet ad Constitutionem Æthelstani, quam de Decimis statuit.

HÆ sunt Leges quas ÆTHELREDUS Rex et Sapientes ejus constituerunt apud Vanetungam ad pacis emendationem.

HOc est, ut pax ejus consistat firma, sicut antea extitit in Antecessorum suorum diebus, et sit ea inexpiabilis, quam propria sua manu dederit, et pax quam Senator et Regis Præfectus in quinque urbibus honoratis dederit, emendetur XII. hundredis.

Et pax quæ datur in urbe honorata, emendetur VI. hundredis.

Et ubi *pax* detur in wapentachio, emendetur hundredo, si infracta sit.

Et si detur in cerevisiario, emendetur hoc de hominibus occisis VI. semimarcis, et de vivis, XII. oris.

Et ut hoc probetur cum testimonio, ut nemo hoc pervertat de vivis plus quam de mortuis, et eat quilibet homo ad testificandum illud, quod audeat in Sanctuario jurare, quod ei in manus datur.

Et pretium fundi pacto datum ac Domini donum, quod juste donare potest, et legis emptio, et responsum Prudentum, et testimonium hoc ita permaneat, ut nullus illud evertat. Et ut habeantur Conventus in quolibet wapentachio, et exeant Seniores XII. Thani et Præfectus cum eis, et jurent super Sanctuarium quod eis in manus datur, quod nolint ullum innocentem accusare, nec aliquem noxium celare. Et capiantur tunc accusati, qui cum Præposito causam habent, et omnis eorum det VI. medias marcas vadii, dimidium domino fundi, et dimidium wapentachio. Et quemlibet emat sibi Lex XII. oris, dimidio fundi dominus, dimidio wapentachium. Et omnis infamatus homo ad triplex ordalium abeat, vel reddat quadruplum.

Si Dominus eum tunc purgare velit cum duobus bonis Thanis, quod nunquam furti solutionem solverit, postquam concilium fuerit in Bromduno, nec ille accusatus fuerit, vadat ad simplex ordalium, vel solvat tres solutiones.

Si tunc immundus sit, percutiatur, ut collum ei frangatur, et si ordalium declinet, solvat capitale possessoris, et terræ domino XX. oras, et abeat deinde ad ordalium.

Et si possessor ordalium quærere nolit, solvat XX. oras, & perdat placitum suum, & ille tamen abeat *cum* terræ domino ad ordalium, vel solvat duas solutiones.

Et si quis fidejussore carens pecus habeat, & terræ domini illud accipiant, reddat pecus & solvat XX. oras.

Et quilibet accusatus potestatem habeat eligendi sive aquam sive ferrum; ac quælibet accusatio et quodlibet ordalium sit in Regis castro, et si ab ordalio aufugiat, fidejussor solvat capitis ejus æstimationem.

Et si quis furem purgare velit, tradat C. pacti loco, dimidium terræ domino, & dimidium Regis Præfectis intra portam, et abeat ad triplex ordalium; si purus sit in ordalio, facultates suas resumat, si autem impurus sit, jaceat ubi jacet, et solvat C.

Et quilibet monetarius qui accusatus est, quod falsam monetam cuderit, postquam prohibitum sit, abeat ad triplex ordalium, si impurus sit, occidatur.

Et nemo officinam aliquam monetariam habeat, præter Regem.

Et omnem officinam monetariam, quæ accusata est, Lex emat XII. oris.

Et nemo occidatur, nisi adsit duorum fidelium hominum testimonium, et ipse trium dierum hydam terræ habeat, et boves ac oves etiam.

Et si hydam ante hæc vendat, solvat XX. oras.

Et quilibet fugitivus fugiat in quamcunque regionem, in qua solus sit.

Et nemo immunitatem aliquam habeat super Regis Thanum præter Regem ipsum.

Et pro Regis causa, sex dimidiæ marcæ pacti loco tradantur, et pro Comitis ac Episcopi XII. oræ pactum; et pro quolibet Thano VI. oræ pactum.

Et si quis accusetur, quod eum exceperit, qui Domini nostri pacem violaverit, purget eum cum tribus duodecim, et Præfectus nominet purgationem.

Et

Et si quis illum cum eo circumdet, ambo eodem jure digni sunt; et hoc jus vigeat ubi Thani concordes sunt; si contendant, obtineat uti VIII. eorum determinant.

Et qui inde ejectus sit, quilibet eorum solvat VI. dimidias marcas; et Thanus habeat ambos sumptus amoris vel Legis, et si amorem eligat, æque ac jus firmum persistat.

Et si præter hanc purgationem patiatur, vel si eam tradat, solvat VI. dimidias marcas.

Et qui sederit sine lite, et quietus in possessione sua in vita, ut nemo bona ejus aggrediatur, nec litem moveat post mortem ejus.

Et qui spoliet aliquem claro die, et hoc probetur tribus temporibus *factum esse*, ut non sit aliqua pace dignus.

Et monetarii qui in ligno operantur, vel alicubi aliter, sint vitæ suæ rei, nisi Rex ipsis condonare velit.

CONCILIUM ÆNHAMENSE. (1)

EGo sum Consecrationis Liber: Propitius sit illi Dominus, qui me tam pulchre ornatum composuit. *Thureth* piæ memoriæ sic me jussit concinnari, amoris & honoris causa eorum qui nummi candelaris sunt memores; multum valet is, qui illius explicationem perficere potest, & retribuat ei Rector nationum, quod solicitus sit multos thesauros consignatos mihi offerre, & ipse mercedem integram inveniet, quod rectam ejus explicationem perfecerit.

De Sapientum decretis.

HÆ sunt Constitutiones quas Angli Consiliarii elegerunt & edixerunt, ac instanter docuerunt, ut observarentur. Hoc autem imprimis est Episcoporum primum consilium, ut omnes a peccatis quam diligentissime possumus, revertamur, & malefacta nostra libenter confiteamur & sedulo emendemus, & unum Deum recte diligamus & veneremur; & unam Religionem Christianam firmiter teneamus, & quemlibet ethnicismum diligenter evitemus, & preces instituamus sedulo inter nos, & pacem ac concordiam admodum diligamus, atque unico Domino fideliter obsequamur, & sedulo eum colamus cum vera fidelitate.

Decretum Sapientum etiam est, ut Abbates & Abbatissæ propriam suam vitam recte disponant, ac etiam familiam suam prudenter instituant, & ut cujuslibet ordinis homines diligenter inclinent coram Deo & coram mundo, quilibet ad eam justitiam, quæ ad ipsum pertinet; & ante omnia, Dei Ministri, Episcopi & Abbates, Monachi & Monachæ, Canonici & Moniales ad rectum convertantur & regulariter vivant, & pro omni populo Christiano diligenter intercedant.

Decretum Sapientum etiam est, ut quilibet Monachus, qui extra Monasterium est, & regulas non observat, faciat prout eum oportet, revertatur diligenter ad monasterium cum omni humilitate, & a malefactis abstineat, & emendet quam diligentissime, quod transgressus est; meminerit voti & pacti, quod Deo promisit. Monachus etiam, qui monasterium non habet, accedat ad Episcopum provinciæ, & fideliter seipsum obstringat coram Deo & coram hominibus, quod tria saltem abhinc observaturus sit, h. e. castitatem suam, et vestitum habitus monachalis, et *quod* Domino suo, quam optime possit, inserviturus sit. Et si hoc præstiterit, tunc dignus sit, ut eo melius æstimetur, ubicunque habitaverit.

Et Canonicis honori sit, quod refectoria et dormitoria habere possint, teneant monasterium suum in castitate, uti regulæ eorum adnotant, vel etiam justum est, ut perdat honorem ejus, qui hoc nolit.

Et omnes Dei Ministros et inprimis Sacerdotes rogamus et docemus, ut Deo obediant, et castitatem diligant, et caveant sibi ipsis ab ira Dei. Certissime norint, quod non debeant habere ob aliquam coitus causam uxoris consortium; ast consuetudo est, ut aliqui habeant duas, vel plures; et quidam licet dimiserit, quam nuper habuit, ipsa vivente postea aliam accipit, uti nullos Christianos facere decet; et quicunque ab hoc abstinere voluerit et castitatem servare, habeat Dei misericordiam, et adhuc augeat mundi venerationem, ut sit æstimatione capitis Thani, et jure Thani dignus, tam in vita quam in cœmeterio. Et si quis hoc *facere* nolit quod ordinem ejus decet, pri-

(1) *Spelmannus* in primo Concil. Tomo, Concilium hoc Generale seu Pananglicum vocat, hortatu Ælfeagi Dorobernensis & Wulstani Eboracensis Archipræsulum, ab Æthelredo Rege, accersitisque Episcopis & universis Anglorum Optimatibus in die S. Pentecostes celebratum, sc. inter annos Domini 1006., id est, Regis *Æthelredi* 28., (quo *Ælfeagus* a Wintonia ad Doroberniam translatus est) & 1013., (h. e. *Æthelredi* 35.) quo truncato a Danis nefandissime Ælfeago, Livingius successit in Dorobernensi Archiepiscopatu. Versionem Latinam, quæ post Textum Saxonicum in Ms. Biblioth. Cotton. reperitur, novam substituens rejeci, quia adeo ab originali discrepat, ut nec versionis speciem exhibeat, neque sectionibus ejus respondeat.

privetur dignitate sua tam coram Deo quam coram mundo.

Attamen volumus omnes amicos obsecrare, et omnem populum etiam diligenter docere, ut interiore corde unum Deum diligant, et quemlibet paganismum diligenter evitent.

Et si sagæ vel harioli, incantatores, vel scorta, homicidæ vel perjuri alicubi in terra inveniantur, ejiciantur ex hac terra, et purgetur natio hæc, vel cum omnibus *suis* terra exeant, nisi abstineant, et eo magis emendent.

Sapientum Decretum etiam est, ut justæ Leges erigantur coram Deo et coram mundo, et omnis injustitia diligenter deleatur, et ut deinceps cuilibet homini tam pauperi quam diviti juris gentium dignitas concedatur, et ut pax ac amicitia debite colatur intra hanc terram coram Deo et coram mundo.

Sapientum Decretum etiam est, ut Christiani et innocentes extra patriam non vendantur, neque saltem in pagani servitium; sed caveant diligenter, ne anima perdatur, quam Christus propria sua vita redemit.

Sapientum Decretum etiam est, ut Christiani ante omnia pro re minima ad mortem non seducantur, sed potius parentur pacificæ correctiones ad necessitatem populi; nec perdatur pro parvo opus manuum Dei, et propria ejus possessio, quam caro emit; sed quodlibet crimen discernatur caute, et judicium ex facto temperetur juxta meritum, prouti coram Deo est justum et coram mundo tolerabile; ac cogitet diligentissime, qui alium judicat, quid ipse petat, cum ita dicit: *Et dimitte nobis debita nostra*, &c.

Docemus etiam instantius, ut Christianus quilibet illegitimos fugiat concubitus, et Christianam Legem recte teneat.

Et nunquam etiam fiat, ut Christianus uxorem ducat in sexti hominis consanguinitate in propria sua familia, h. e. intra quartum gradum, neque viduam, quæ adeo propinqua esset, in mundana cognatione; neque cognatam uxoris quam prius habuit; neque sanctam aliquam monialem, neque susceptricem suam, neque repudiatam aliquis Christianus unquam uxorem ducat, neque uxorem sumat, dum unam habuerit, sed sit illa unica, quamdiu vixerit, si Legem Divinam recte curare velit, et ab inferni incendio animam suam liberare.

Et quælibet Ecclesia sit in pace Dei et Regis, et totius populi Christiani.

Et sit cujuslibet Ecclesiæ pax intra parietes, et pax Regis manu data æque incorrupta.

Et nemo in posterum Ecclesiæ servitium imponat, nec negotiationem Ecclesiæ injuste faciat, neque ejiciat Ecclesiæ Ministrum absque Episcopi jussu.

Et Deo debita præstentur quovis anno quam diligentissime; h. e. eleemosynæ aratri xv. dies saltem post Pascha.

Et fœtuum decimæ ad Pentecosten, et fructuum terræ ad Omnium Sanctorum festum.

Et denarius Petri ad festum Petri; et census ecclesiastici ad festum Martini.

Et luminarium census ter in anno.

Et justissimum est, ut animæ census solemniter semper solvatur ad apertum sepulchrum.

Et si aliquod corpus extra suam Parochiam alicubi condatur, tunc animæ census præstetur nihilominus ad Monasterium ad quod pertinet, et omnia Deo debita diligenter promoveantur omnino uti necesse est.

Festa etiam et jejunia observentur legitime. Diei Solis festum observetur sedulo, prouti ad illud pertinet; et a mercatura ac conventu populi et venatione ac operibus mundanis in sanctis diebus abstinendum est diligenter. Et Sanctæ Mariæ summum festum omnes sedulo honorent primum jejunio, et deinde festivitate; et ad cujuslibet Apostoli festum jejunent diligenter, præterquam ad Philippi et Jacobi solemnitatem; neque jubemus aliquod jejunium ante Paschalem festivitatem, nisi quis velit. Omnia alia festa et jejunia sedulo celebrentur, prouti illi celebrant, qui ea optime celebrant.

Et jejunia quatuor temporum, et jejunia prouti S. Gregorius Anglorum nationi imposuit.

Et jejunandum est quolibet die Veneris, nisi festum sit.

Et ordalium ac juramenta et matrimonia semper sint prohibita summis diebus festis, et veris jejuniis quatuor temporum; et ab Adventu Domini ad Octavam Epiphaniæ; et a Septuagesima ad xv. dies post Pascha. Et sit sacris illis temporibus, prouti justum est, omnibus Christianis pax & concordia communis, et omnis contentio componatur. Et si quis alius debeat fidejussionem vel compensationem pro rebus mundanis, solvat illud ipsi jam, aut statim postea.

Et sit quælibet vidua, quæ seipsam recte continuerat, sub præsidio Dei et Regis, et sedeat xii. menses marito orba, deinde eligat quem ipsa voluerit.

Et quilibet Christianus faciat, prouti ipsi necesse est, diligenter observet Christianismum suum, et frequenter adeat confessionem, et intrepide peccata sua confiteatur, ac diligenter emendet, prouti ipsi adnotatur. Præparet etiam seipsum ad S. Eucharistiam saltem ter in anno, qui proprium suum commodum intelligere velit, prouti illi opus est.

Verba etiam et opera quilibet amicus observet decenter, ac juramentum et pactum caute teneat; et quælibet injustitia quam diligentissime quis possit, de hac terra ejiciatur. Et dolosa facta ac detestanda injuria

ria admodum evitentur; h. e. injusta pondera, et iniquæ mensuræ, et falsa testimonia, et turpes rixæ, ac illiciti concubitus, et tremenda perjuria.

Et diabolica facta in homicidiis, et in cædibus, in furtis, et in rapinis, in avaritia, et in concupiscentia, in gula et in ebrietate, in fascinationibus, et in variis violationibus Legis, in adulteriis et in sacrorum ordinum violationibus, in violationibus festorum, et in jejuniorum violationibus, in sacrilegiis, et in diversi generis maleficiis.

Diligenter etiam intelligendum est, quod omne hujusmodi sit evitandum, et nunquam diligendum.

Sed diligatur Dei judicium in posterum sedulo verbo et opere, tunc hæc natio Deo mox erit accepta.

Noverint etiam omnes pacis compensationem, et compensationem nummariam quam diligentissime considerare.

Ita compensationem pacis, prouti patribusfamilias accepta, et furibus odiosa sit; et ita compensationem nummariam, ut una moneta transeat per omnem hanc regionem, præter falsam. Et mensuræ ac pondera sedulo examinentur, et omnis injustitia in posterum evitetur. Oppidorum etiam et pontium instauratio diligenter suscipiatur in qualibet parte, et militaris etiam ac navalis profectio, prouti semper necesse est, uti imperatum est ob universale commodum.

Cavendum etiam est, ut quolibet anno statim post Pascha expeditio navalis præparetur.

Et si quis Reipubl. navem militarem corruperit, sedulo emendet, et Regis pacem; et si eam vitiaverit, ut nulli usui inserviat, plenario compenset, et Regi pacem violatam.

Et si quis ab exercitu, cui Rex ipse interest, absque venia revertatur, luat possessionem suam.

Et si occulti homicidæ vel perjuri vel manifesti homicidæ adeo præsumant, ut in Regis vicinia habitent, antequam compensationem inceperint coram Deo et coram mundo, tunc luant possessionem suam, et omnes suas facultates, nisi refugium petierint.

Et si quis vitæ Regis insidietur, reus sit vitæ suæ et omnium quæ possidet, si hoc de eo affirmetur, et si seipsum purgare velit et possit, faciat hoc per maxime solemne juramentum, vel per triplex ordalium in Lege Anglorum, et in Lege Danorum per illud, quod eorum Lex est.

Et si quis oppositionem contra Leges Christi vel Regis alicubi fecerit, solvat capitis æstimationem vel mulctam pro ratione facti; et si se opposuerit, et ipse autor sit, ut occidatur, jaceat inultus.

Et si quis monialem vitiarit, vel viduam stupraverit, serio hoc emendet coram Deo et coram mundo.

Et consideretur semper quolibet modo, quam certissime possit consilium exquiri, in commodum nationis, & verus Christianismus quam maxime stabiliri, ac qualibet injustitia diligentissime evitari; quoniam per hoc in terra possessioni prodesse debent, cum injustitia supprimitur, & justitia diligitur coram Deo & coram mundo.

Nunc etiam Dei ministros sedulo docere volumus, ut saltem caute reminiscantur & per Dei auxilium castitatem diligant, & sedulo libris suis ac orationibus indulgeant, & die ac nocte sæpe & crebro Christum invocent, & pro omni populo Christiano diligenter intercedant.

Insuper etiam amicum quemlibet monere volumus, prouti nobis incumbit sæpe facere, ut quisque diligenter meminerit, & ut a peccatis diligenter revertatur, & aliorum hominum injustitiam cohibeat, & ut sæpe ac crebro habeat in memoria, quod hominibus quam maxime necessarium est sæpissime reminisci, h. e. ut sinceram fidem unanimiter habeant in verum Deum, qui gubernat & fecit omnes creaturas, & ut rectam fidem Christianam recte teneant, & ut Ecclesiasticos Doctores sedulo audiant, ut Dei doctrinis & legibus diligenter obtemperent, & ut Dei Ecclesias ubique diligenter salutent & tueantur, & cum lumine ac oblationibus eam sæpe salutent, & ipsimet ibi sedulo ad Christum orent.

Et ut Dei debita quolibet anno juste præstent, & festa ac jejunia debite observent.

Et ut a mercatura diei Solis & conventu populari sedulo cessent.

Et ut Dei ministros semper tueantur & honorent.

Et ut Dei pauperes foveant & pascant.

Et ut viduas ac orphanos non lacessant crebro, sed sedulo consolentur.

Et ut peregrinos ac extraneos non vexent, neque graventur.

Et ut aliis hominibus injuriam non inferant omnino; sed quilibet homo aliis faciat illam justitiam, quam ipse voluerit, ut ei fiat juxta id quod justum est. Et hæc est Lex æquissima.

Et quicunque unquam in posterum veram Legem spernat Dei vel hominis, sedulo hoc emendet, quocunque modo hoc convenit, tam per ecclesiasticam compensationem quam per mundanam disciplinam.

Et si ex mulcta pro peccatis adversus Deum commissis proveniente, compensatio pecuniaria exsurgat, prouti mundi Sapientes disciplinæ loco constituerunt, hoc debite pertinet juxta Episcoporum constitutionem ad orationes comparandas, & ad commodum pauperum, & ad Ecclesiarum instaurationem, & ad populum Dei erudiendum, & ad vestiendum ac ad pascendum eos qui Deo inserviunt, & ad libros, & ad campanas, & ad vestimenta Ecclesiæ, & nunquam ad mundanas inanes vanitates,

sed

sed pro disciplina mundana ad ecclesiasticas necessitates, interdum de mulcta, interdum de solutione æstimationis capitis, interdum ex pœna colli obstricti, interdum ex mulcta Legis violatæ, interdum de facultatibus, interdum de possessione, & interdum de majoribus, interdum de minoribus.

Et si quis sit potentior hic in mundo, vel per honorem superior in ordine, hic gravius peccata emendet, et omnia malefacta carius compenset. Quoniam potens et impotens non sunt æquales neque æqualia onera habere possunt; neque infirmus sano æqualis est, et illi sunt moderandi, ac discrete discernendi, tam in ecclesiasticis confessionibus, quam in secularibus disciplinis, senes et juvenes, divites et egeni, sani et infirmi, et cujuscunque ordinis. Et si contigerit, ut quis involuntarie aut fortuito aliquid malefecerit, non sit æqualis ei qui sponte et de industria ipse malefecerit; et etiam qui necessitate compulsus hoc patraverit, hic tutamine et meliore jure semper dignus sit, quia necessitate compulsus erat ad id quod fecit.

Omne factum cautius discernendum est, et jus semper juxta factum recte disponendum, et juxta meritum moderandum coram Deo et coram mundo; et clementia exhibeatur ex timore Dei, et mansuetudo fiat libenter, et foveatur pro facti ratione is, qui ea opus habet; quoniam omnibus nobis necesse est, ut nobis Dominus noster crebro et sæpe misericordiam suam concedat. Amen.

SENATUS-CONSULTUM
DE MONTICOLIS WALLIÆ. (1)

HOc est Consilium, quod Anglicæ nationis Sapientes et Walliæ Consiliarii inter Monticolas constituerunt; hoc est,

I. *De investigatione pecoris furtim ablati.* (2)

SI vestigium deprehendatur furtim ablatæ pecudis e loco aliquo, tunc concredatur colonis investigatio illa, vel signis confirmetur, ut quis recte consequatur; conferat se deinde ad illum qui terram hanc possidet, & faciat disquisitionem illam, & pecudis ejus pretium solvat intra IX. dies, vel ad illum diem pignus det, quod pecudem dimidio superet, & in IX. diebus pignus liberet justa solutione. Si quis dicat quod vestigium injuste sit consecutus, tunc ille qui pecudem investigat ad locum ducere debet, & ibi sex non electi credibiles tamen jusjurandum præstent, quod juxta jus populi de terra illa affirmet, quod nempe pecus ejus in illa pastum sit.

II. *De facto juris inter Wallum & Anglum.*

Semper circa IX. dies decet inter loca, ut aliis jus tribuatur, tam de excusatione, quam de qualibet controversia, quæ inter eos est. Non sit ulla alia excusatio pro accusatione præter ordalium inter Wallum & Anglum, nisi condonare quis velit. Ab alterutro loco pignus auferri potest, nisi aliter quis jus suum consequi possit.

III. *De pignoribus.*

Si pignus sumatur ex pecunia cujusdam pro alterius rebus, tunc pignus domum recipiat, si quod sumptum sit, vel de proprio suo tunc restituat, qui pecuniam habet. Debet is compulsus postea jus facere, qui antea noluit. XII. Jurisperiti debent jus docere Wallos & Anglos, sex Angli & sex Walli; perdant omnia quæ illis propria, si injuste doceant, vel excusent se, quod melius non possent.

IV. *De eo cujus excusatio deficit.*

Licet pro furti accusatione excusatio deficiat Anglo vel Wallo, solvat simplicem compensationem quacum oneratus erat, alius compensationis nihil, nec mulctæ quam maxime.

V. *De homicidio.*

Si Wallus Anglum occidat, non debet eum plus quam dimidiata capitis æstimatione compensare, nec Anglus pro Wallo plus compenset, sive sit Thanus natus, sive colonus; dimidiata æstimatio capitis ibi sufficiat.

VI. *De Anglis in Wallia iter facientibus.*

Non debent iter facere neque Walli in Angliam, neque Angli in Walliam, nisi constituti coloni eos ad limites recipiant, & postea absque periculo reducant. Si colonus

(1) Etsi, Lector candide, quo tempore factum sit hoc de Monticolis Senatus-consultum plane non reperimus, tamen cum haud difficilis sit conjectura, tempestate *Æthelredi* Regis fuisse perscriptum, nos vetera secuti exemplaria, isto in loco collocandum censuimus.

(2) Jam supra de investigatione pecoris egimus.

nus alicujus fraudis conscius sit, tunc mulctæ sit reus, nisi *aliquorum* testimonio seipsum excuset. Ita etiam quilibet conscius vel auctor ejus, quod extraneus indigenæ noceat, excuset notitiam illius per substantiæ valorem, & juret, & si quis de eo mentiatur, cesset controversia ipsius per juramentum prius. Si excusatio deficiat, solvat duplum, & domino mulctam.

VII. *De cujuscunque animalis valore, si perdatur.*

Equus triginta solidis compensari vel per valorem excusari debet: Equa xx. solidis, & pullus annotinus eodem modo; Onager XII. solidis, vel per valorem; Bos xxx. denariis; Vacca XXIV. denariis; Porcus octo denariis; Vir libra; Ovis solido; Capra duobus denariis; alia non seminata juramento æstimari debent, & deinde per compensationem.

VIII. *De rebus super flumen deprehensis.*

Si quis rem aliquam deprehendat, & ultra flumen advocare velit, tunc fidejussor constituatur, vel pignus interponat, ut controversia finem habeat. Si quis illud sibi attrahat, sex jurare debent, quod illud ita attraxerit, ac si furtim ablatum esset; & si quis advocet, unus faciat juramentum, quod ille qui ei dedit ad manus suas advocarit. Si quis aliquid trans flumen sibi appropriare velit, tunc hoc fieri debet per ordalium. Eodem modo Anglo Walli jus suum tribuant.

IX. *De Dimetis, & Monticolis.*

Olim Dimetæ ad Monticolas pertinebant sed rectius pertinent ad Occiduos Saxones eo debent censum & obsides mittere. Monticolis etiam convenit, si hoc Rex voluerit, ut pacis obsides ad eum mittantur.

LEGES CNUTI REGIS. (1)

HOc est Consilium, quod Cnutus Rex, totius Angliæ et Danorum et Norwegorum Rex, cum Sapientum suorum consilio sancivit, in laudem Dei, et sibi ipsi in ornamentum regium, & ad utilitatem populi; et hoc erat sacris Natalibus Domini nostri Wintoniæ.

I. *De Deo, Religione & Rege debite colendis.*

HOc est primum igitur, ut super omnia alia unum Deum semper diligere, et Christianismum unanimiter conservare, & Regem Cnutum diligere, & justa fidelitate venerari velint.

II. *De pace Dei, Regis, & Ecclesiarum.*

Et Dei Ecclesias salutent ac protegant, & crebro frequentent, in salutem animæ & nobis ipsis ad utilitatem. Quælibet Ecclesia jure est in propria Christi pace, & quilibet Christianus multum laborare debet ut pacem illam magna in veneratione habeat. Pax enim divina & quam proxime Regis præ omni alia pace obtinenda & sedulo conservanda est. Tunc valde justum est, ut Dei Ecclesiastica pax intra parietes, & pax Christiani Regis manu data semper consistat immobilis. Et si quis alterutram violet, perdat terram & vitam, nisi Rex ei condonare velit. Et si unquam aliquis homo posthæc Dei Ecclesiasticam pacem adeo violaverit, ut intra Ecclesiæ parietes homicida fieret, tunc illud est inexpiabile, & persequantur *eum* omnes qui Dei amici sunt, nisi fieret, ut inde erumperet, & ad adeo magnum asylum confugerit, ut Rex ei per vitæ concessionem amplius compenset tam apud Deum quam apud homines. Et hoc est primum, ut propriam æstimationem capitis Christo & Regi det, & hoc modo se ipsum exlegem restituat ad compensationem. Et si tunc ad compensationem res rediit, & eam Rex toleret, tunc solvatur Ecclesiastica pax illi Ecclesiæ per Regis plenariam pacis violationem, & Templi purgationem consequatur, sicuti decet, & deinde tam cognati quam viri occisi compensationem plene solvat, & apud Deum saltem diligenter intercedat.

III. *De mulcta pro dignitate Ecclesiæ conferenda.*

Et si ulla Ecclesiæ pax sine interfectione sit violata, sedulo compensetur pro ratione ejus quod factum est, sive sit per pugnam, sive per rapinam, sive per aliud quid: compensanda est Ecclesiæ prius pacis violatio pro ratione ejus quod factum est, & pro ratione dignitatis Ecclesiæ. Non sunt omnes Ecclesiæ æquali modo terreno honore dignæ, licet eandem habeant ecclesiasticam consecrationem. Violatio pacis primariæ Ecclesiæ est eadem ac compensatio rerum pro Regis pace, hoc est, quinque libris, secundum Anglorum Leges; & in terra Cantii pro violatione pacis v. libris Regi, & tribus

(1) *Cnutus*, quem scriptores Latini *Canutum* fere semper appellant, juxta Fastos Savilianos, Polychron. R. Higdeni, Chronic. de Mailros, & Histor. Ingulphi, anno 1017. regnum auspicatus est, & tenuit 19. annos, mortem sc. cum vita commutans anno 1035. apud Shaftsberiam, Wintoniæ in veteri monasterio sepultus est.

bus Archiepiscopo; & mediocris Ecclesiæ cxx. solidis, & idem est pro Regis mulcta; & tunc adhuc minoris, ubi parvum est ministerium, & cœmeterium LX. solidis; & templi campestris, ubi cœmeterium non est, xxx. solidis.

IV. *De reverentia Sacerdotibus præstanda.*

Omnes Christianos quam maxime decet sanctuarium & ordinem, & consecratam Dei domum semper diligentissime frequentare & protegere, & quemlibet ordinem venerari juxta dignitatem. Intelligat etenim quicunque velit vel possit, magnum & præclarum esse, quod Sacerdos agendum habet pro salute populi, si Domino suo jure placeat. Magnum *quid* est Exorcismus, & præclarum est consecratio, quæ Diabolum dispellit & profugum reddit, quoties Baptismus peragitur, vel S. Eucharistia consecratur. Et sancti Angeli ibi circumfunduntur, & res illas custodiunt, & per Dei potentiam Sacerdotem adjuvant, quoties Christo jure serviunt. Et hoc toties faciunt quoties sedulo intimo pectore invocat Christum, & pro populi necessitate diligenter intercedit; & illi propter Dei timorem pro ordinis dignitate cum ratione sunt cognoscendi.

V. *De purgatione Ordinatorum.*

Et si contingat, ut quis accusationibus & imperitiis Sacerdotem oneret eum qui regulariter vivit, atque ille ipse conscius sit puritatis; celebret Missam, si audet, & purget seipsum per S. Eucharistiam a simplici accusatione, & triplicem accusationem purget, si audeat etiam in S. Eucharistia cum duobus ordinatis. Si quis Diaconum accuset, qui regulariter vivit, simplici accusatione, sumat duos ordinatos, et purget se cum illis. Et si accusetur triplici accusatione, sumat sex ordinatos (et ipse sit septimus) et purget se illis. Si plebeius Sacerdos accusationibus oneretur, qui regularem vitam non degit, purget se sicut Diaconus qui regularem vitam agit. Et si quis amicis destitutum altaris ministrum accusationibus oneret, qui non habet Sacramentales, eat ad offam execratam, et ibi fiat sicuti Deus vult, nisi se per S. Eucharistiam purgare debet. Et si quis sacris initiatum inimicitiæ accuset, et dicat quod homicidii auctor sit vel consiliarius, purget se per cognatos suos qui inimicitiam tolerare vel emendare debent. Et si sit cognatis destitutus, purget se per socios, vel jejunium suscipiat si audeat, et eat ad offam execratam, et ibi fiat, sicuti Deus judicaverit. Et nullus Templi Monachus unquam jure inimicitiæ compensationem petere, nec inimicitiæ compensationem solvere tenetur. Deponat cognationis Leges, cum transit ad Leges Regulares; et si Presbyter unquam fuerit falsus testis, vel perjurus, vel conscius furti, vel consiliarius fuerit, tunc sit sanctificata Ecclesia exclusus, et perdat ubique tam societatem quam amicitiam, et cujuslibet venerationem, nisi apud Deum et apud homines majus compenset, prouti Episcopus eum instruxerit, et inveniat sibi fidejussorem, quod in posterum semper a simili *crimine* cessaturus sit. Et si eum purgare velit, purget pro facti modo, sive triplici sive simplici excusatione, sive pro facti ratione.

VI. *Exhortatio ad Ecclesiasticos, ut sancte vivant.*

Et volumus ut cujuslibet ordinis viri diligenter inclinent singuli ad jus quod ad eos pertinet, et præsertim Dei Ministri, Episcopi et Abbates, Monachi et Moniales, Canonici et Vestales ad rectum inclinent, et regulariter vivant, et die ac nocte, sæpe et crebro Christum invocent, et pro omni populo Christiano diligenter intercedant. Et omnes Dei Ministros rogamus et docemus, et præsertim Sacerdotes, ut Deo obediant, et castitatem ament, et caveant sibi ipsis ab ira Dei, et ab æstuante incendio, quod furit in inferno. Diligentissime sciant, quod jure non debeant coitus causa cum fœmina communicare. Et si quis ab eo cessare, et castitatem servare velit, habeat Dei misericordiam, et ad terrenam venerationem sit jure Thani dignus. Et quilibet Christianus ex timore Domini sui injustum coitum sedulo evitet, et Leges Ecclesiasticas juste observet.

VII. *De conjugiis prohibitis.*

Docemus etiam ac rogamus, et in Dei nomine imperamus, ne aliquis Christianus intra sextum cognationis gradum in propria affinitate unquam uxorem ducat, neque cognati sui viduam, cui eadem vicinia cognatus erat, neque cognatam uxoris suæ quam antea habuerat ipse, neque susceptricem suam, neque consecratam Vestalem, neque repudiatam aliquis Christianus unquam uxorem ducat; neque aliquam meretricem unquam sectetur, neque plures una uxore habeat, et ea sit legitime nupta uxor: sed ea sit illius sola, quamdiu ipsa vixerit, si quis Dei Leges juste curare, et ab inferni incendio animam suam prohibere velit.

VIII. *De decimis reddendis.*

Et persolvantur Dei jura quovis anno juste diligenter, hoc est, arationis eleemosyna decimo quinto die a Paschate, et fœtuum decimæ ad Pentecosten, et terræ primitiæ ad festum Omnium Sanctorum; et si quis tunc decimas persolvere nolit, prouti diximus, hoc est, decimas agri, eodem modo ac aratrum progressum fecit, tunc conveniant Regis Præpositus et Episcopi, et fundi dominus, et Ecclesiæ Presbyter, et sumant invito illo decimam partem ad Ecclesiam ad quam pertinet, et assignent ei nonam partem, et dividatur octava pars in

in duo, et capiat terræ dominus dimidium, et dimidium Episcopus, sive sit Regis sive Thani Minister.

IX. *De nummo Romano.*

Et denarius Petri ad festum Petri *solvatur*, et si quis eum usque post illum diem servaverit, det Episcopo illum denarium, et addat xxx. denarios, et Regi ducentos viginti solidos.

X. *De primitiis seminum.*

Et seminum primitiæ ad Martini festum, et si quis eum usque post illum diem servaverit, det eas Episcopo, et compenset undecies, et Regi ducentos viginti solidos.

XI. *De decimis ad Ecclesiam Thani pertinentibus.*

Si quis tunc Thanus sit, qui in possessione sua Ecclesiam habeat, in qua sit cœmeterium, tradat tunc tertiam partem propriarum decimarum Ecclesiæ suæ. Si quis Ecclesiam habeat, in qua non est cœmeterium, det ex novem partibus Presbytero suo id quod velit, et quilibet Ecclesiæ census primario tradatur Templo ex omnibus ingenuorum focis.

XII. *De pecunia pro lucernis.*

Et nummus candelaris conferatur quotannis; primo, Vigilia Paschatis cera valoris dimidii oboli pro qualibet hyda, et deinde ad Omnium Sanctorum festum tot etiam; et postea ad Purificationem B. Mariæ similiter.

XIII. *De pecunia quæ dicitur symbolum animæ, & de sepultura.*

Et æquissimum est, ut pecunia sepulchralis semper concedatur ad apertum sepulchrum. Et si quis aliquod corpus ex sua Parochia alibi humaverit, solvatur nihilominus pecunia sepulchralis illi Ecclesiæ ad quam illud pertinet.

XIV. *De Dei juribus, festis & jejuniis conservandis.*

Et omnia Dei officia protegantur diligenter, prouti necessarium est: Festa et jejunia celebrentur; quolibet die Dominico festi celebratio *fiat* a die Saturni hora pomeridiana, usque ad diei Lunæ auroram, et quilibet alius dies festus, prouti indictus fuerit.

XV. *De die Dominico.*

Et die Solis mercaturam etiam diligentissime prohibemus, et omnem conventum populi, nisi pro maxima necessitate sit, et venationem; et ab omnibus mundanis operibus in hoc sancto die sedulo cessandum est.

XVI. *De jejuniis.*

Et ut quodlibet injunctum jejunium cum omni diligentia observetur, sive sit jejunium quatuor temporum, sive sit jejunium quadragesimale, sive sit aliud quodcunque jejunium; et ad quodlibet festum B. Mariæ, et ad jejunium cujuscunque Apostoli festi, excepto festo Philippi et Jacobi; non injungimus aliquod jejunium ante festum Paschatis; et quolibet die Veneris jejunium, nisi sit festum; et non necesse est jejunare a Paschate usque ad Pentecosten, nisi injunctum sit, vel ipse omnino velit jejunare, uti etiam a Natali Domini usque ad Octavam Epiphaniæ, h. e. septem dies post duodecimum diem festum.

XVII. *De temporibus justitiæ.*

Et prohibemus ordalium ac juramenta festis diebus, et diebus quatuor temporum, et diebus quadragesimalibus et justis diebus jejunalibus; et ab Adventu Domini usquedum octavus dies supra duodecimum diem præteriit; et a Septuagesima usque ad decimum quintum diem supra Pascha. Et Sancti Edweardi festum Sapientes elegerunt, ut festum celebraretur per omnem Angliam xv. Kal. Aprilis; et Sancti Dunstani festum xiv. Kal. Junii. Et his sanctis temporibus, prouti justum est, omnibus Christianis pax et communio sit, et omnis fraus dissipetur. Et si quis alicui fidejussionem vel compensationem pro rebus terrenis debuerit, reddat ei sedulo ante vel post.

XVIII. *Pia exhortatio ad confessionem & pœnitentiam.*

Rogamus etiam per Dei amorem, ut quilibet Christianus intelligat sedulo propriam suam necessitatem. Ante omnia tempus aliquod expectare debemus, quum nobis gratius erit, quam omne quod in toto orbe est, ut quamdiu possumus, pareamus diligenter voluntati Dei. Sed tunc simplicem mercedem habere debemus ejus, quod in vita antea fecimus. Væ illis, qui tunc promeruerunt inferni mulctam. Sed agedum, quam diligentissime a peccatis revertamur, et singuli delicta nostra Confessori nostro sedulo confiteamur, et semper abstineamus, ac sedulo compensemus. Et singuli nostrum injungamus, quod volumus, ut nobis injungatur. Hæc est lex justa, et Deo valde grata, et is erit felicissimus qui Legem hanc servaverit. Namque Deus Omnipotens nos omnes creavit, et deinde magno pretio, hoc est, propria vita, quam pro nobis tradidit, redemit.

XIX. *Ad Eucharistiam & probitatem.*

Et quilibet Christianus faciat prouti ipsi conducit, incumbat Christianismo suo diligenter, et præparet se etiam ad communionem S. Eucharistiæ, saltem ter in anno, prouti cuilibet, qui propriam suam necessitatem intelligere velit, necesse est; et verbum ac factum erga quemlibet amicum ordinet

dinet cum justitia, & jusjurandum ac fœdus caute servet; & quodlibet injustum diligenter ex hac terra eficiatur, quantum quis facere potest; & diligatur Dei justitia abhinc sedulo verbis & factis. Tunc nobis omnibus Dei misericordia præparabitur.

XX. *Ad fidelitatem erga Dominum.*

Agedum faciamus etiam sedulo, sicut docemus; simus semper Deo nostro constantes & fideles, & perpetuo omnibus viribus cultum ipsius tueamur, & voluntatem ejus operemur. Omne namque quod unquam pro vero Domino fideliter fecerimus, omne illud nobis ipsis facimus ad majorem utilitatem; illi namque Deus certe gratiosus est, qui Domino suo vere obsequens est. Magna etiam cuilibet domino est utilitas, ut famulos suos juste gubernet.

XXI. *Ad Deum ex intimis colendum & fidem.*

Et omnes Christianos quam diligentissime docemus, ut interiore corde Deum semper diligant, & ecclesiasticos Doctores sedulo audiant, & Dei doctrinam ac leges contemplentur, ac perscrutentur sæpe & crebro propriam suam utilitatem.

XXII. *Ut Orationem Dominicam & Symbolum calleant.*

Docemus etiam, ut quilibet Christianus discat, ut saltem possit veram fidem recte intelligere, & *Pater Noster* ac *Credo* discat; quoniam uno quilibet Christianus Deum implorare, & altero veram fidem ostendere debet. Christus ipse orabat prius *Pater Noster*, & hanc orationem discipulos suos docebat. Et in oratione hac ecclesiastica sunt septem petitiones; hanc si quis ex animo oraverit, mandatum semper defert ad Deum ipsum de qualibet necessitate, quæ ipsi conducit, sive pro hac vita sive pro futura. Sed quomodo quis unquam ex animo ad Deum orare potest, nisi internam habeat caritatem & veram in Deum fidem; quoniam ille deinceps non obit mortem in Christianorum communione, nec in consecrato cœmeterio quiescit, neque in vita sua S. Eucharistiam percipit, neque bonus est Christianus qui hoc discere nolit: neque ille jure alium suscipere potest ad Baptisma vel ad Confirmationem, nisi hæc discat, ut bene illa norit.

XXIII. *Ut exitialia fugiant.*

Docemus etiam ut exitialia peccata & diabolica facta quam diligentissime a quolibet evitentur, & compensentur libentissime pro Confessarii consilio, si quis per Diaboli instigationem in peccata fuerit lapsus.

XXIV. *Et inter hæc stuprum.*

Docemus etiam, ut a turpi stupro, & ab injusto concubitu, & ab omni adulterio moneantur semper.

XXV. *Ut caveant sibi de tremendo judicio.*

Docemus etiam, ut quilibet homo diligenter Dei timorem in animo suo habeat, & die ac nocte caveat a peccatis, diem judicii timeat, & ab inferno abhorreat, quasi semper finis dierum adstaret ipsi.

XXVI. *Ut Episcopi & Sacerdotes fide obeant officia.*

Episcopi sint Præcones & Doctores Legum Dei, & scholas erudiant ac doceant libenter ecclesiasticam utilitatem. Curam *hujus rei* gerere debet quicunque velit, quoniam inutilis pastor invenietur gregi, qui nolit gregem, quem tueri debet, clamore defendere, si alias possit, cum aliquod damnum gregi nocere incipit. Nullum est damnum adeo malum ac Diabolus ipse, qui semper hoc unum meditatur, quomodo animabus hominum maxime nocere possit. Tunc oportet pastores esse valde vigiles, & diligenter clamantes, qui ab hoc latrone publico populum tueri debent. Hi sunt Episcopi & Presbyteri qui ecclesiasticum gregem defendere & tueri debent sapientibus doctrinis, ne furiosus lycanthropus eum nimium discerpat, aut multos mordeat ex ecclesiastico grege. Et si quis maxime curet, ut Dei nunciis obediat, idem est ac si Deo ipsi obediat. Semper sit nomen Dei laudatum, & sit laus ei ac honor & gloria in omnes seculi ætates. Amen.

HOc est seculare Consilium, quod ex consultatione cum Sapientibus meis volo ut observetur per omnem Angliam.

I. *De justitia efferenda.*

HOc igitur est primum quod volo, ut justæ leges sanciantur, & quælibet injustitia sedulo damnetur, & ut sarculetur ac eradicetur quodlibet injustum, quam diligentissime possit de hac terra, & erigatur Dei justitia; ac in posterum omnes, tam pauperes quam divites, jure publico fruantur, & justum illis judicium reddatur.

II. *De misericordia exhibenda in judicio.*

Docemus etiam, quod licet quis delinquat, et ipse profunde pœniteat, tunc adhibeatur moderatio *in pœna irroganda*, prouti coram Deo decens, et coram mundo tolerabile est. Et cogitet diligentissime, si quis auctoritatem juris habet, ejus quod ipse habere gestit, cum hoc modo dicit: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimit-*

dimittimus. Et prohibemus ne Christianus ante omnia saltem levis rei causa ad mortem seducatur, sed potius pacifica pœna constituatur in populi commodum; neque perdatur pro re parva Dei manuum operatio, & proprium ejus pretium quod caro redemit.

III. *De Christiano non vendendo extra Regnum.*

Prohibemus etiam, ne Christianus quisquam procul de terra vendatur, neque ad Gentilismum saltem perducatur, sed diligenter foveatur, ne anima perdatur, quam Christus propria sua vita redemit.

IV. *De sagis, sortilegis, &c. ejiciendis.*

Præcipimus etiam, ut terram in quolibet fine diligenter mundare incipiant, & a nefandis actionibus ubique abstineant. Et si sagæ vel arioli, sicarii vel meretrices alicubi in regione deprehendantur, educantur sedulo ex terra illa, vel in terra pereant omnino, nisi cessent *a factis malis* & magis compensent. Præcipimus etiam ut profugi & exleges Dei ac hominum, de terra moriantur, nisi se incurvent & quam diligentissime emendent. Et fures ac latrones publici brevi pereant, nisi cessent *a malefactis*.

V. *De Gentilium superstitionibus abolendis.*

Prohibemus etiam serio omnem ethnicismum. Ethnicismus est, quod quis idola adoret, hoc est, quod quis adoret Deos gentiles & Solem vel Lunam, ignem vel fluvium, torrens vel saxa, vel alicujus generis arborum ligna, vel veneficium amet, vel sicariatum committat ullo modo, vel sorte vel teda, vel aliquo phantasmate aliquid perficiat.

VI. *De homicidis, perjurantibus, & mœchantibus.*

Homicidæ & perjuri, ordinum violatores & adulteri inclinent & emendent, vel scienter in peccatis moriantur.

VII. *De cohibendis assentatoribus, &c.*

Assentatores & mendaces, prædones & raptores, Dei odium semper habeant, nisi abstineant, & magis emendent. Et si quis terram recte purgare, & injustitiam deponere, ac justitiam diligere velit, tunc diligenter tali modo contendere, & hujusmodi evitare debet.

VIII. *De pace tuenda, & moneta corrigenda.*

Agedum etiam omnes de pace & pecunia compensanda diligentissime meditemur. De pace compensanda, prouti incolis sit optimum, & furibus odiosum: et de pecunia compensanda, ut una moneta, sine aliqua falsa, valeat per omnem hanc ditionem, et ut nemo eam sumere detrectet; et si quis præter hanc, falsam fecerit, perdat manum, quacum falsam confecit; et hoc nulla re excuset, nec auro nec argento. Et si quis tunc Præpositum suum accuset, quod ipsius venia falsam hanc confecerit, purget se triplici excusatione, et si purgatio ejus fracta sit, idem jus habeat ille *cum eo* qui falsam confecit.

IX. *De justo pondere.*

Et dimensiones ac ponderationes diligenter judicentur, et quodlibet injustum in posterum cesset.

X. *De instauratione oppidorum & pontium.*

Oppida et pontes, et navales apparatus diligenter reparentur, ac domestici etiam, prouti semper necesse fuerit pro communiori utilitate.

XI. *De consiliis ad utilitatem Reipublicæ pertinentibus.*

Et semper quolibet modo contemplemur, qua ratione præcipuum consilium exquiri possit in commodum nationis, et verus Christianismus potissimum erigi, ac quodlibet injustum sedulo everti. Quoniam per hoc aliquod terræ emolumentum accrescit, ut injustitia supprimatur, et justitia diligatur coram Deo et coram mundo.

XII. *De autoritate Regis in violatione pacis, &c.*

Hæc sunt jura quæ Rex habet super omnes homines in Occiduis Saxonibus; hoc est, *super* pacis violationem, et irruptionem in domum, surreptionem, fugitivorum susceptionem, et militiæ detrectatæ mulctam, nisi aliquem amplius honorari velit, et ipsi dignitatem quandam concedat. Et si quis opus hominis exlegis fecerit, potestatem pacis Rex habeat; et si terram propriam habeat, malefactor ille, cujuscunque servus fuerit, Regis manibus tradatur. Et si quis fugitivum paverit, vel hospitio exceperit, solvat quinque libras Regi, nisi seipsum purget, quod illum fugitivum esse nesciret.

XIII. Et in Mercia eodem modo ac antea scriptum est super omnes homines.

XIV. *Rex mulctas pacis violatæ in regionibus Dacorum accipiat.*

Et in Danelaga *Rex* habet mulctam pugnæ et militiæ detrectatæ mulctam, et violatæ pacis ac irruptionis in domum; nisi aliquem amplius honorari velit. Et si quis tunc pace exclusum hominem servet, vel fugitivum hospitio excipiat, compenset prouti lex antea fuerat. Et si quis injustitiam committat, vel injustum judicium deinde judicet, pro læsione vel pro pecuniæ susceptione sit apud Regem capitis æstimationis reus, in Englalaga, nisi juramento confirmare audeat, quod justius aliquod nesciret; et perdat semper Thani dignitatem, nisi a Rege postea redimat, et ille hoc modo ei

fa-

favere velit; et in Danelaga violatæ Legis mulcta dignus est, nisi seipsum purget, quod melius nesciret. Et si quis justam Legem et justum judicium *dare* detrectaverit, reus sit apud eos ad quos pertinet: si apud Regem CXX. solidos, et si apud Comitem LX. solidos, si apud Centuriam XXX. solidos, sic apud quemlibet eorum, si in Englalaga ita dignum fuerit. Et si quis in Danelaga justam Legem infregerit, solvat Legis violatæ mulctam.

XV. *De pœna convitiatorum.*

Et si quis alterum injuria diffamare velit, ut alterutrum vel pecunia vel vita ei diminuatur, si tunc alter eam refellere possit, ut quis ei testificari velit, perdat linguam suam, nisi illam capitis æstimatione compensare velit.

XVI. *Nemo Regi de alterius injuriis queratur.*

Nec appellet ullus homo ad Regem, nisi intra Centuriam suam aliquo jure dignus habeatur; et appelletur ad conventum Centuriæ pro mulcta, prouti justum est appellare.

XVII. *De comitiis municipalibus.*

Et ter in anno habeantur Comitia Municipalia, & duo Conventus Provinciales, aut plures etiam: et illis intersit Episcopus ac Senator, & ibi ubique doceatur tam Jus divinum quam humanum.

XVIII. *Nemo alium intra satrapem coerceat.*

Et nemo alicujus hominis nomen intra vel extra Provinciam assumat, antequam ter a Centuria jus ejus sit postulatum: Si tertia vice nullum jus habeat, tunc pergat quarta vice ad Conventum Provincialem, & Provincia ei statuat quartum diem. Si tunc fallat, veniam utrinque hinc & illinc sumat, ut proprium suum perquirat.

XIX. *Nemo liber in Centuriam se conjiciat.*

Volumus etiam, ut quilibet homo liber in Centuriam & Decemviratum conferatur, qui excusatione vel capitis æstimatione dignus esse velit. Si quis eum post duodecimum ætatis suæ annum accusare velit, vel si ipse postea non sit aliquo privilegio dignus, sive sit paterfamilias, sive pedissequa, ut quilibet in Centuriam & ad fidejussionem ducatur, & fidejussionem ibi servet, & ad quodcunque jus ducat. Multi potentes, si possint & debeant, protegere servum suum volunt, quocunque modo judicaverint æquum, ut ipsum facile defendere queant sive liberum sive servum. Sed nolumus hanc injustitiam pati, et volumus ut quilibet homo XII. annos natus jusjurandum præstet, se nolle furem esse neque furi consentaneum (1).

XX. *De fidelibus & infidis in jurejurando.*

Et sit quilibet homo fidelis, qui infamia non est notatus, et neque jusjurandum neque ordalium violaverit intra Centuriam suam, simplici excusatione dignus. Et infido homini eligatur simplex jusjurandum in tribus Centuriis, et triplex jusjurandum, quocunque more ad illud oppidum pertinente, vel ad ordalium abeat. Et conficienda est simplex purgatio simplici juramento, et triplex purgatio triplici præjuramento. Et si Thanus fidelem hominem habeat ad præjurandum pro ipso, hoc licitum est; si non habeat, ipsius sermo procedat, et non sit unquam aliquod præjuramentum remissum.

XXI. *De Advocatis.*

Et nemo sit aliqua appellatione dignus, nisi fideles testes habeat, unde ei ortum sit id quod apud ipsum antea est deprehensum. Et confirmet testis, quod in Dei et Domini fide verus ejus sit testis, prouti oculis suis viderit, et auribus suis audiverit, quod jure illud sit adeptus.

XXII. *De rebus non emendis sine testimonio.*

Et nemo rem aliquam emat plus quatuor denariis dignam, vivam aut mortuam, nisi habeat fidele quatuor virorum testimonium, sive sit intra oppidum, sive ruri. Et si quis tunc capiat aliquid, et tale testimonium non habeat, non sit inde aliqua appellatio. Sed detur libero homini suum proprium, et pretium deinde ac mulcta ei ad quem pertinet; et si testes habeat, sicuti antea diximus, tunc advocatio fiat ter, quarta vice assumat illud, vel det ei cui proprium est. Nobis etiam non videtur justum, quod quis possideat aliquid, cum adsit testimonium, et cognoscere possint, quod furto sit ablatum; quod nemo possit appropriare sibi aliquid citius quam post sex menses, postquam furto fuerat ablatum.

 XXIII.

(1) Quia omnes post 12. ætatis annum sub Fidejussoribus esse debebant apud Veteres Saxones, inde Legislator requirit, ut omnes juramentum præstent, se fures esse nolle, neque furibus consentaneos esse, partim ut digni sint qui in Centuriam & Decemviratum assumantur, partim ut aliquis *freeman*, homo magnæ auctoritatis, quodcunque velit jus exerceat, tuendo eos quos Leges extradi & puniri volunt.

XXIII. *De infidis accusatis.*

Et si quis ignominia notatus sit, & populo infidelis, Conventum ter declinaverit, tunc formetur quarto Conventus, ad quem proficiscatur, & inveniat tunc fidejussorem, si possit; si non possit, tunc apprehendatur, quocunque modo possit, sive vivus sive mortuus, & adimatur omne quod possidet, ac detur petenti justum pretium rei, & sumat dominus dimidium reliquorum *bonorum*, dimidium Centuria; & si alteruter vel cognatus vel alienigena iter detrectet, solvantur Regi cxx. solidi; & quicquid manifestus fur perquirat, vel si in proditione domini inventus sit, ut nunquam vitam acquirat. Et si deinceps furetur, quicquid perquirat, ut nunquam vitam acquirat pro manifesto furto.

XXIV. *De calumniatoribus.*

Et si quis in Conventu calumniis seipsum vel servum suum lacesserit, omnia hæc in vanum sint dicta, & respondeat alteri prouti Centuriæ æquum videtur.

XXV. *Quod nemo plus triduo accipiatur hospitio.*

Et ut nemo alterum suscipiat diutius quam tres dies, nisi ille, cui antea servivit, eum commendaverit. Et nemo servum suum a se amoveat antequam se purgaverit ab omni suspicione, cujus prius accusatus erat.

XXVI. *De latronibus per incuriam dimissis.*

Et si cui fur occurrerit, ac sponte eum abire permiserit absque clamore, compenset furis æstimationem capitis, vel pleno juramento se purget, quod nullam fraudem in illo sciverit. Et sit quis clamorem audiverit, & neglexerit, solvat Regi pro contumacia, vel se plenario excuset.

XXVII. *De infidis apud Centuriatos.*

Et si aliquis Centuriæ sit infidelis & infamia notatus, & eum tres viri simul accusent, nihil aliud faciendum, quam ut abeat ad triplex ordalium. Si dominus tunc dicat, quod nec jusjurandum nec ordalium violaverit, postquam Conventus fuerit Wintoniæ, assumat dominus duos fideles homines intra Centuriam, & jurent quod nunquam juramentum violaverit nec ordalium, nec furis pretium solverit, nisi tunc Præpositum habeat qui eo sit dignus, qui hoc facere possit. Si tunc juramentum procedat, eligat homo ibi accusatus quodcunque voluerit, sive simplex ordalium sive juramentum libræ valoris, & triginta denariorum intra tres Centurias; & si tunc juramentum præstare non audeant, pergat ad triplex ordalium, & triplex ordalium hoc modo procedat. Sumat quinque & ipse sit sextus, & si tunc impurus fiat prima vice, compenset petenti duplum pretium, & domino capitis sui æstimationem, si pœna illa dignus sit, ac constituat fideles fidejussores, quod ab omni malo postea sit cessaturus, & secunda vice non sit ibi alia compensatio, si impurus fieret, nisi ut manus ei amputentur vel pedes, vel utraque, pro eo quod factum est. Et si tunc adhuc magis hoc operatus fuerit, tunc oculi ejus eruantur, & abscindatur nasus ipsius & aures & labium superius, vel capilli cum ipsa capitis pelle detrahantur, quocunque modo consuluerint illi qui de hoc consultare debent, prouti averti *malum*, & animæ etiam illorum prospici possit. Si tunc effugiat, & ordalium declinet, solvat fidejussor petenti justum rei pretium, & Regi æstimationem capitis ipsius, vel ei qui hac mulcta dignus sit. Et si quis tunc dominum accuset, quod ipsius suasu effugerit, & injustum antea fecerit, assumat sibi quinque fideles homines, & ipse sit sextus, & purget se ab illo. Si purgatio procedat, sit capitis æstimatione dignus; & si non processerit, capiat Rex æstimationem capitis, & sit fur exlex apud omnem populum.

XXVIII. *De hero propriæ familiæ fidejussore.*

Et quilibet dominus famulos suos in propria fidejussione habeat; & si quis eum alicujus rei accuset, respondeat in ea Centuria ad id, cujus accusatus sit, prouti lex justa est. Et si accusaretur, & effugerit, solvat dominus servi illius æstimationem capitis Regi; & si quis tunc dominum accuset, quod ipsius suasu effugerit, purget se quinque Thanis, ipso existente sexto. Si purgatio ei frangat, solvat Regi æstimationem capitis, & sit homo exlex.

XXIX. *De servo Ordalii quæstione examinato.*

Et si servus ex ordalio impurus fiat, inuratur prima vice, & secunda vice nulla alia fiat compensatio nisi capite.

XXX. *Infidus vadem regium exigat.*

Et si quis homo omni populo sit infidelis, abeat ad eum Regis Præfectus; & ipsum sub fidejussionem reducat, ut ad justitiam ducat illum, qui actionem ipsi intenderit; si tunc fidejussionem non habeat, occidatur, & in immundo loco tumuletur: & si quis eum propugnaverit, ambo sint eodem jure digni; & si hoc negligat, & illud exequi noluerit, prouti nostra omnium sententia est, solvat Regi cxx. solidos.

XXXI. *De municipiis purgandis.*

Et stet inter burga lex una pro purgatione.

XXXII.

XXXII. *De advenis & peregrinis custodiendis.*

Si amicis orbus homo vel advena ita affligeretur per amicorum indigentiam, ut fidejussorem non habeat de prima accusatione, tunc ad ergastulum mittatur, & ibi maneat, usque quo ad Dei judicium pergat, & prouti poterit, ibi succedat. Similiter si quis amicis privatis & advenis pejus judicium judicet, quam sociis suis, sibi ipsi nocet.

XXXIII. *De pejerantium pœna.*

Et si quis perjurium in Sanctuario juret, & convictus fuerit, perdat ibi manus vel dimidium æstimationis capitis, & hoc commune sit Domino & Episcopo, & non sit abinde dignus juramento, nisi coram Deo magis emendaverit, & illi fidejussionem inveniat, quod postea semper ab his sit cessaturus.

XXXIV. *De falsi testimonii accusato.*

Et si quis in falso testimonio publice consistat, & convictus fuerit, testimonium ejus in posterum pro nihilo habeatur, sed solvat Regi vel fundi domino, qui immunitatem illius habet, pro colli obstricti mulcta.

XXXV. *Peccatum turpius est in diebus & locis sacris, & majores magis sunt plectendi.*

Injustum non est ullo tempore permissum, attamen diebus festis, & in jejuniis, et in locis sanctis diligentissime ab eo cavendum est. Et semper quo quis est potentior vel majoris ordinis, eo magis coram Deo et mundo injustum emendare debet. Et Ecclesiastica compensatio semper diligenter inquirenda est ex scriptis, et mundana compensatio inquirenda est ex mundana Lege.

XXXVI. *De Ministrum altaris occidente.*

Si quis altaris ministrum occiderit, sit exlex apud Deum et apud homines, nisi per exilium, et apud cognatos etiam magis compenset, vel purget se capitali purgatione, et intra xxx. dies incipiat compensationem ubique, tam apud Deum quam apud homines, per omne quod habet.

XXXVII. *Ut Rex sit ordinatis alienigenis patronus.*

Si quis sacris initiatum vel exterum per aliquam rem seducat de pecunia vel de vita, tunc Rex ei sit loco cognati, et loco patroni, nisi is alium dominum habuerit, et compensetur Regi prouti decet, vel factum illud quam maxime vindicet. Regem Christianum quam justissime decet, Dei injuriam quam maxime ulcisci, pro eo quod factum est.

XXXVIII. *De Ministro altaris homicida, &c.*

Si altaris Minister homicida fiat, vel alias magnum nefas perpetraverit, tunc perdat ubique tam ordinem quam honorem, et exulet, quam procul Papa ei præscripserit, et illud libenter emendet; & si se purgare velit, purget se triplo, et nisi intra xxx. dies compensationem inceperit apud Deum et apud homines, tunc sit exlex.

XXXIX. *De ordinatum vinciente aut verberante.*

Si quis sacris initiatum vinciat vel verberet (1), vel admodum convitietur, compenset ei prouti justum est, et Episcopo aræ expiandæ mulctam pro ordinis modo, et Domino vel Regi pro plena violatione pacis, vel purget seipsum plena excusatione.

XL. *De ordinato capitis reo.*

Si quis sacris initiatus capitale crimen commiserit, apprehendatur, et sistatur coram Episcopatu pro illo quod factum est.

XLI. *De reo Confessarium petente.*

Si quis capitalis criminis reus sedulo Confessario confiteri velit, non negetur illud ipsi unquam, et si quis ei negaverit, compenset hoc apud Regem cxx. solidis, vel purget se, sumens quinque homines, et ipse sit sextus.

XLII. *De Die Dominica & Festis observandis.*

Si apprehendi potest, non occidatur unquam diei Solis festo aliquis occidendus homo, nisi fugiat vel pugnet; sed apprehendatur et teneatur, usque dies festus prætериit. Si liber homo die festo laboret, tunc compenset hoc obstricti colli mulcta, et saltem apud Deum diligenter compenset prouti docetur. Servus si laboret, vapulet, vel pretium verberum pro ratione ejus quod factum est, *luat*. Si dominus servos suos die festo necessitet ad laborandum, perdat servum, et sit in posterum liber, et dominus solvat violatæ legis pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos, pro ratione ejus quod factum est, vel purget se.

XLIII.

(1) Apud *Alamannos* extat Lex 13. ut si quis Presbyterum Parochianum injuriaverit, aut fustaverit, aut mancaverit, vel qualemcunque ei injuriam intulerit, in triplum componatur. Et si eum ceciderit 600. sol. eum solvat, aut ad Ecclesiam ubi servivit, aut ad Episcopum de cujus Parochia fuit. Apud *Bajuvarios* triplex compensatio requirebatur ab eo, qui Presbyterum vel Diaconum injuria affecerit, vel plagaverit. Et in *Capitul. Hlotharii*: si quis percusserit Presbyterum, id est, Sacerdotem, componat auri optimi libras decem. Tom. 2. *Capit. Baluz.* p. 332.

XLIII. *De jejunium violante.*

Si liber homo verum jejunium dissolvat, solvat violatæ Legis pœnam apud Danos, mulctam apud Anglos, pro ratione ejus quod factum est. Malum est tempore veri jejunii ante prandium edere, & adhuc pejus seipsum carne defœdare: si servus hoc fecerit, vapulet, vel pretium verberum pro ratione ejus, quod factum est, *luat.*

XLIV. *Ut Quadragesima & Festa non temerentur.*

Si quis publice Quadragesimam dissolvat per dimicationem, vel per matrimonium, vel per rapinam, vel per aliquod nefandum facinus, duplo hoc compensetur, ut etiam in magno festo pro ratione ejus quod factum est. Et si quis neget, triplici purgatione se purget.

XLV. *De Ecclesiæ debita vi detinente.*

Si quis vi ecclesiastica judicia renuat, solvat violatæ Legis pœnam apud Danos, plenam mulctam apud Anglos, vel purget se sumens undecim, & ipse sit duodecimus. Si aliquem vulneret, compenset hoc, & solvat plenam mulctam Domino, & ab Episcopo manum redimat, vel eam perdat. Si aliquem occiderit, sit exlex, & perquirant clamore omnes illi, qui justitiam volunt. Si auctor fuerit quod sit occisus, pro eo quod ille contra jus repugnaverit, si hoc confirmetur, jaceat inultus.

XLVI. *De sacrum ordinem violante.*

Si quis sacrum ordinem violaverit, emendet hoc pro dignitate ordinis, sive per æstimationem capitis, sive per mulctam, sive per violatæ Legis pœnam, sive per omnem possessionem.

XLVII. *De adulterio.*

Si quis adulterium commiserit, emendet per hoc quod factum est. Malum adulterium *est*, quod uxoratus homo cum vacua coeat, & multo pejus cum alterius uxore, vel cum sacris initiata.

XLVIII. *De incestuosis.*

Si quis incestum commiserit, compenset hoc pro dignitate cognationis, sive per capitis æstimationem, sive per mulctam, sive per totam possessionem. Non sit eadem ratio, quod si quis cum sorore coeat, & hæc esset remotæ cognationis.

XLIX. *De viduam violante.*

Si quis viduam vi violaverit, compenset hoc per capitis æstimationem. Si quis puellam vi stupraverit, compenset hoc per æstimationem capitis.

L. *De uxoris adulteræ pœna gravi.*

Si marito vivo uxor cum alio concubuerit, & illud manifestum fieret, fiat ipsa in posterum infamia mundi, & habeat verus maritus omnia quæ possidebat, ac perdat illa utrumque tam nasum quam aures. Et si accusatio sit, & purgatio fracta sit, tunc Episcopus potestatem habeat & severissime judicet.

LI. *De uxorato fornicante aut concubinam habente.*

Si vir uxoratus coeat cum propria sua ancilla, perdat eam, & pro ipsa compenset apud Deum & apud homines. Et si quis legitimam uxorem habeat, & concubinam etiam, huic nullus Presbyter aliquod faciat judicium, quod Christianis fieri debet, antequam cessaverit, et quam maxime emendet, prouti Episcopus eum edocuerit, et postea ab iis abstineat.

LII. *Ut alienigenæ libidinosi ejiciantur.*

Si alienigenæ coitus suos dirigere nolint, ex regione cum possessionibus et peccatis suis exterminentur.

LIII. *Ut homicida in purgatione cadens Episcopo tradatur.*

Si homicidium manifestum fiat, quod quis sit trucidatus, tradatur cognatis *homicida*; et si accusatio sit, et purgatio male succedat, judicet Episcopus.

LIV. *De insidiis adversus Regem vel dominum.*

Si quis Regi vel domino insidiatus fuerit, vitam suam perdat, et omne id quod habet, nisi ad triplex ordalium pergat.

LV. *De violatione fidejussionis.*

Si quis Regis fidejussionem violaverit, emendet hoc quinque libris; si quis Archiepiscopi vel Nobilis fidejussionem violet, compenset hoc tribus libris; si quis Episcopi Diocesani vel Senatoris fidejussionem violet, emendet hoc duabus libris.

LVI. *De dimicatione in regia.*

Si quis in Regia dimicat, perdat vitam, nisi Rex hoc illi condonare velit.

LVII. *De eo qui alium armis injuste spoliarit.*

Si quis aliquem injuste armis spoliaverit, colli obstricti mulcta eum compenset: et si quis eum vinciat, compenset dimidiam capitis æstimationem.

LVIII. *De militum rapinis.*

Si quis in exercitu pacem violaverit, perdat vitam, vel pretium æstimationis capitis; si cooperatus sit, compenset pro ratione ejus quod factum est.

LIX. *De eo qui domum alterius invaserit.*

Si quis in domum irruptionem fecerit, compenset quinque libris Regi in Englalaga, & in Comitatu Cantii juxta immunitatem, quinque Regi, & tribus Archiepiscopo, & in Danelaga, prouti antea obtinuit, & si quis ipsum ibi occiderit, jaceat inultus.

LX. *De rapina.*

Si quis rapinam commiserit, reddat & compenset, & sit æstimatione capitis dignus apud Regem, vel apud eum qui immunitatem illius possidet.

LXI. *Quæ sunt scelera inexpiabilia.*

Irruptio in domum, & incendium, & furtum manifestum, & cædes publica et domini proditio, juxta Leges humanas sunt inexpiabilia.

LXII. *De viis publicis reficiendis.*

Si quis emendationem oppidorum vel pontium, vel profectionem militarem detrectaverit, compenset Regi cxx. solidis in Englalaga, et in Danelaga prout antea obtinuit, vel purget se, et nominentur ei xiv. et eligantur xi.

LXIII. *De fano reficiendo.*

Ad templum reficiendum omnis populus jure auxiliari debet.

LXIV. *De eo qui excommunicatum vel utlagatum custodierit.*

Si quis Dei fugitivum retineat injuste, tradat eum ad justitiam, et compenset illi ad quem pertinet, ac emendet Regi per capitis æstimationem. Si quis excommunicatum vel exlegem habuerit, et custodierit, luat vitam, et omnem suam possessionem.

LXV. *De misericordia exhibenda.*

Et si quis diligenter ab injustitia reverti velit postea ad justitiam, misericordiam consequatur pro timore Dei, quam optime et diligentissime quis possit.

LXVI. *Pii Regis misericordia & justitia.*

Et agedum, prouti nos decet, adjuvemus semper illum potissimum, qui auxilio maxime eget, tunc accipiemus præmium ubi nobis gratissimum est. Quoniam semper quis infirmum pro Dei amore et timore mitius judicare debet, et severiter agere cum potente; quia impotens, uti bene novimus, non potest æquale pondus cum potente elevare, nec infirmus æquale cum sano; et tum debemus mediare ac discrete erogare senectuti et juventuti, diviti et pauperi, libero et servo, sano et infirmo, & ubique tam juxta Statuta Ecclesiastica quam juxta Leges Politicas rem illam dijudicare. In multis etiam factis, si quis necessitate sit coactus, tutamine eo magis sit dignus, quia necessitate coactus fecit, quod fecit. Et si quis aliquid invitus fecerit, non sit in omnibus similis ei, qui sponte hoc fecit.

LXVII. *De victu ex Regis prædiis.*

Hæc est illa alleviatio, quam largiri volo omni populo, qui nimium antehac fuerat oppressus. Hoc est igitur primum, quod præcipio omnibus meis Præfectis, ut juste ex meo proprio lucrentur, et me exinde nutriant: & ut nemo ad victus adjumentum aliquid det, nisi ipse velit. Et si quis deinde mulctam petierit, sit tunc capitis æstimationis reus apud Regem.

LXVIII. *De intestato mortuis.*

Et si quis intestatus ex hac vita decedat, sive sit per negligentiam ejus, sive per mortem subitaneam, tunc non assumat sibi Dominus plus possessionis ipsius, quam justum armamentum; sed post mortem possessio ejus, quam justissime distribuatur uxori et liberis, et propinquis cognatis, cuilibet pro dignitate quæ ad eum pertinet. (1)

LXIX. *De hereotis.*

Et sint armamenta prouti dignitati convenit, Comitis prouti ad eum pertinet, nempe octo equi, quatuor ephippiati et quatuor absque ephippiis, et quatuor galeæ, et quatuor loricæ, et octo hastæ, ac totidem scuta, et quatuor enses et ducentæ mancusæ auri. Et postea Regii Thani armamentum, qui ei proximus, sit iv. equi, ii. ephippiati, et ii. absque ephippiis, et duo enses et iv. hastæ, et totidem scuta et galeæ et loricæ, et quinquaginta mancusæ auri. Et inferioris conditionis Thani, equus cum ornamentis ejus et armis, vel ejus mulcta obstricti colli in Saxonia occidua, et in Mercia duæ libræ, et in Anglia Orientali duæ libræ. Et Regii Thani armamentum apud Danos, qui suam immunitatem habet quatuor libræ, et si Regi ulterius notus

(1) Successio in arma tantum masculis concessa, fuit olim apud *Suecones* in usu, in qua & accurata graduum distantia observabatur. Leges *Sueciæ* antiquæ & modernæ suos cuique proximos agnatos ad successionem vocant, in casibus ubi simul conjuges, parentes & liberi pereunt. Apud *Wisigothos*, lib. 4. LL. tit. 2. cap. 4. eadem extat Lex: De successionibus eorum, qui sic moriuntur, ut nec donationem, nec ullum faciant testamentum, nec præsentibus testibus suam ordinent voluntatem, qui gradu illis proximi fuerint, eorum obtinebunt hæreditatem. Et cap. 10. Ex intestato autem juxta Legum ordinem debitam sibi hæreditare poterunt successionem. Et in *Capitul. Regg. Franc.* in Edicto *Chlotharii* II. Regis, §. 6. ita statutum est: Cuicunque defuncto si intestatus decesserit, propinqui absque contrarietate judicum in ejus facultate juxta Legem succedant,

tus sit, duo equi, unus ephippiatus, et alter absque ephippio, et ensis et duæ hastæ, et duo scuta, et quinquaginta mancusæ auri: et qui minus habuerit, et minus potens fuerit, duæ libræ.

LXX. *Conjux incolat eandem sedem quam maritus.*

Et ubi maritus habitavit absque lite et absque controversia, habitet uxor et infans ubique absque lite. Et si marito antequam moreretur, lis moveatur, tunc respondeant hæredes, prouti ipse deberet, si vivus esset.

LXXI. *Viduæ non nubant nisi post bis senos menses.*

Et vivat quælibet vidua absque marito duodecim menses, deinde eligat quem ipsa velit. Et si illa intra anni spatium, maritum eligeret, tunc perdat ea dotem mariti sui, et omnem possessionem, quam ipsa per priorem maritum habebat. Et capiant proximi amici terram et possessionem quam illa prius habuit; et sit ille *maritus* capitis æstimationis reus apud Regem, vel apud illum, qui immunitatem concesserat. Et licet ipsa vi sit rapta, perdat eam possessionem, nisi illa a marito post hæc recedere et nunquam ipsius *uxor* esse velit. Et nunquam vidua sacris nimium festinanter mitietur. Quælibet etiam vidua præstet armamentum intra annum, nisi prius mulctæ expers aliquid opportune fecerit.

LXXII. *Nemo nubat fœminam invitam.*

Et non cogatur neque uxor neque puella ad eum, qui ipsi displicet; neque pretio ea vendatur, nisi ille aliquid ex propria voluntate dare velit.

LXXIII. *De eo qui reliquerit telum pro foribus.*

Et recte permitto, quod si quis propriam hastam posuerit ad alterius domus portam, & ille intus negotium habeat; vel si quis alia arma caute ponat, ubi quieta esse possint, si permitterentur; & si quis homo arma illa apprehendat, & aliquod damnum cum iis faciat, tunc justum est, ut ille qui damnum hoc intulit, damnum etiam compenset. Et si quis arma hæc habeat, purget se si audeat, quod nunquam factum sit, se volente, aut auctore, nec consilio aut testimonio suo; tunc divina justitia est, ut sit mundus, & sciat alter qui hoc factum commisit, ut illud compenset, prouti Leges docent.

LXXIV. *Conjux quæ furata recipit, furti non tenetur.*

Et si quis rem furto ablatam domum in casam suam adferat, & ille intercipiatur, justum est, ut habeat id quod postea quæsivit, & nisi sub uxoris suæ sera custoditum fuerit, sit ea munda; sed claves illas ipsa custodire debet, hoc est thesauri sui, & cistæ suæ & scrinii sui; si sub uno horum custoditum sit, tunc illa rea sit; nec potest uxor aliqua marito suo interdicere, ne quodcunque velit in domum suam congreget. Mos fuit antehac, ut infantem in cunis jacentem licet nunquam cibum gustasset, avari putent æque reum ac si conscius rei esset. Sed ego hoc serio in posterum prohibeo, & multa similia quæ Deo sunt valde odiosa.

LXXV. *De servo deserente dominum.*

Servus etiam aufugiens a domino suo, vel a socio suo per segnitiam suam, sive sit in navali expeditione, sive in terrestri, perdat omne quod habet et propriam vitam, et capiat dominus possessionem illam ac terram ejus, quam ipsi prius dedit. Et si propriam terram habeat, Regis manibus ea tradatur. Et servo, qui in expeditione ante dominum suum ceciderit, sive sit intra regionem sive extra, sint armamenta remissa, et capiant hæredes terram et possessionem, ac dividant ea quam æquissime.

LXXVI. *Qui terram lite tutam præstiterit, eandem possidetor.*

Et si quis terram defenderit testimonio provinciæ, et ille qui eam prius possedit velit vel non possit, sine lite *illam* possideat dum vixerit, atque post obitum det et concedat ei qui ipsi amicissimus est.

LXXVII. *De feris abigendis.*

Volo etiam, ut quilibet homo sit dignus venatione sua in sylva, et in agris sibi propriis, ac abstineat quilibet a venatione mea ubicunque pacem haberi volo pro plena mulcta.

LXXVIII. *De officiis Domino debitis.*

Et potus retributio ac dona Domino debita semper maneant immutata.

LXXIX. *De eo qui ad comitia proficiscatur.*

Volo etiam ut quilibet sit pace dignus ad conventum, et de conventu, nisi manifestus fur sit.

LXXX. *De harum legum violatore.*

Et si quis has Leges spreverit, quas Rex jam omnibus hominibus præscripsit, sive Danus sive Anglus fuerit, sit capitis sui æstimationis reus apud Regem; et si secundo spernat, solvat duplo æstimationem capitis sui, et si post hæc facere audeat, ut tertia vice fiat, perdat omne quod habet.

Nunc diligenter rogo, et in Dei nomine oro quemlibet, ut ex intimo corde ad Dominum suum convertatur, et sæpe ac crebro contempletur quam diligentissime id

id quod ei est faciendum, et quod omittendum. Nos omnes maxime decet Deum diligere, et Dei Legibus obsequi, et Ecclesiasticis Doctoribus sedulo obedire, quoniam ii nos producent ad judicium, cum Deus judicabit quemlibet pro factis suis. Et beatus est Pastor, qui gregem illum ad Dei regnum et ad cœleste gaudium lætum ducere potest propter facta sua. Bene etiam est gregi illi, qui pastorem sequitur eum, qui illum a Diabolis eripuit, & Deo acquisivit. Agedum omnes unanimi corde diligenter Domino nostro placeamus jure, & in posterum semper caveamus diligenter ab incalescente incendio, quod prævalet in inferno. Faciant nunc etiam Doctores & Ecclesiastici Præcones, prouti justum & cuilibet opus est, exponant sæpe ecclesiasticas necessitates, & omnis qui discretus est, audiat eos diligenter, ac doctrinas ecclesiasticas in mente retineat quam firmissime in propriam sui utilitatem; et semper quilibet homo in honorem Domini sui præstet Deo suo id quod potest verbo et facto, hilariter semper. Tunc nobis omnibus Dei misericordia paratior erit. Sit nomen Dei semper in æternum benedictum, ac gloria ei et laus et veneratio *sit* semper in seculum seculi. Deus omnipotens sit nobis omnibus misericors, prouti ipsi placuerit, et conservet nos semper ad æternitatem. Fiat. Amen.

LIBER CONSTITUTIONUM. (1)

De Rege.

QUam justissime decet Christianum Regem, patris loco esse Christianæ genti, et in cautione ac custodia Christi Vicarius, uti etiam vocatur. Decet ipsum etiam ut tota sua anima Christianismum diligat, et Gentilismum evitet, et ut Dei Ecclesiam ubique diligenter veneretur et muniat, et omnem Christianum populum pacificet et componat vera doctrina, quam diligentissime possit, et per hoc illud bonum ei accrescet, quod justitiam amaturus et injustitiam evitaturus sit.

De Regno.

Octo columnæ sunt, quæ justum Regnum fideliter sustentant, veritas, et magnanimitas, et munificentia, et constantia, et auctoritas, et quosdam exaltandi desiderium, et humilitas, et justitia. Et septem res decent Regem justum; primo, ut multum Dei timorem habeat; et secundo, ut semper justitiam diligat; et tertio, ut humilis sit apud Deum; et quarto, ut severus sit erga malum; et quinto, ut egenis subveniat semper; et sexto, ut Dei Ecclesias promoveat, et in pace conservet; et septimo, ut amicos et alienos æqualiter in justis statutis conservet.

De Solio Regio.

Quodlibet solium Regis, quod quam justissime consistit, constat tribus basibus; una sunt Oratores, secunda sunt Laboratores, et tertia sunt Bellatores. Oratores sunt qui Deo servire debent, et die ac nocte pro omni populo diligenter intercedere. Laboratores sunt qui laborare debent illud unde tota natio vivere debet. Bellatores sunt qui terram armis custodire debent bellicose. In his tribus basibus quodlibet solium regium juste consistere debet; si desit illorum aliqua, solium statim vacillat, et si violetur illarum aliqua, tunc destruitur solium, et totum hoc in detrimentum populo cedit; sed confirmetur et corroboretur et stabiliatur diligenter cum sapienti Dei doctrina, hoc enim in longævum populi commodum sit. Quoniam verum est, quod dico, deficiente Christianismo statim vacillat Regnum; et si injustitia vel vitium aliquod alicubi in terra nimium exerceatur, hoc omne in detrimentum populi cedit, sed prouti necesse est, agendum est, injustitia deponatur, et justitia Dei erigatur in utilitatem coram Deo et coram mundo.

De Episcopis Paulus dicit.

Episcopum decet omnibus modis sapientia et cautio in verbis et in operibus, et bonitas in moribus absque arrogantia. Non convenit illi superbus aut vanus vestium cultus, nec multa arrogantia, nec sermonis iracundia, nec aliqua mollities verbi aut facti; sed hoc eo dignum sit, ut devotionem retineat in omnibus suis moribus, et examinet facta sua sapienter et caute, ut non sint omnia in commodum verbi vel facti, nec nimis fera, sed prouti convenit. Nam verum est quod dico, credat qui velit, severa, diligens et prudens cautio, et constantia animi, fundamentum cum multa patientia, et simplicitas in pleno consilio, quibuslibet sapientibus multum digna sint, cum mores suos ob res aliquas nimium variat: et saltem non convenit Episcopo unquam domi vel alibi falsitas, sed sapientia et di-

(1) Descripsi hunc Constitutionum Librum ex Cod. Membr. in C. C. C. C. S. 18. qui (dicente Clar. Wanleio) circa tempus Conquistionis Angliæ exaratus esse videtur. Sub quonam Rege, vel quo anno determinare non licet. Datur aliud earum exemplar in paucis a nostro diversum in Bibl. Bodl. *Codice Junii* cxxi. fol. 9. seqq.

et dignitas decet ordinem ipsius, et prudentia convenit iis qui eum sequuntur.

Item.

Episcopi libris & precibus incumbere debent, & die ac nocte sæpe ac crebro Christum invocare, & pro omni populo Christiano diligenter intercedere, discere etiam & recte docere debent, & populi facta sedulo considerare, ac Christianæ genti annuntiare & diligenter exponere ecclesiasticam necessitatem; neque debent aliquam injustitiam pati, sed ad omne jus sedulo adjuvare; Dei timorem in animo habere debent, nec nimium torpescant ex timore mundi, sed semper justitiam Dei sedulo injungant, & injustitiam prohiberi curent, si velint. Quoniam negligens hic pastor invenitur gregis sui, qui nolit gregem, quem conservare deberet, acclamationibus defendere, sicuti alias possit, si latro publicus populo infestus nocere incipiat. Nullum damnum adeo malum est, ac est Diabolus ipse. Hoc unicum semper curat, quomodo animis hominum maxime nocere possit; ideo Pastores valde vigilantes esse debent & diligenter clamantes, ut a publico hoc latrone populum defendant. Hi sunt Episcopi & Presbyteri, qui ecclesiasticum gregem custodire & confirmare debent prudentibus doctrinis, ne rabidus lupus nimium discerpat, aut nimis multos mordeat de ecclesiastico grege, & si eum audire spernat, hoc cum Deo ipso illi sit commune. Ah multi sunt qui tamen minime curant & parum observant præcepta librorum, vel doctrinam Episcoporum, ac etiam benedictionem vel maledictum leviter æstimant, & nemo intelligit, uti deberet, quod Christus in Evangelio suo manifeste dicebat, ita inquiens: *Qui vos audit*, &c. Et iterum: *Quodcunque ligaveritis*. Alibi etiam scriptum est: *Quodcunque benedixeritis*. Et Psalmista terribiliter loquitur, dicens: *Qui noluit benedictionem, prolongabitur ab eo.*

De Comitibus.

Comites & Duces & Judices mundi, & Præfectos similiter etiam oportet justitiam diligere coram Deo & coram mundo, & neutiquam per injustitiam pro inimicitia vel amicitia sapientiam suam negligant, ita ut injustum ad jus convertant, vel injuste judicent in detrimentum pauperum. Ast Ecclesias semper super omnia honorare & protegere debent, & viduas ac orphanos defendere, & egenos adjuvare & servos custodire, si Dei voluntatem recte exequi velint; fures & latrones publicos odisse, & raptores ac spoliatores destruere debent, nisi emendent, & semper ab injustitia valde abstineant. Quoniam verum est, credat qui velit: Væ illi qui injuriam facit, nisi emendet; certe eum affligere debet tenebrosum & profundum pœnæ infernalis antrum, auxilio destitutum; sed parum illis prodest intelligere, quomodo faciendum sit. Verum quilibet amicum suum, prouti opus est, admoneat ipse, & eum sedulo custodiat, ne Deum omnino ad iram provocet, sed placeat Domino suo cum factis justis.

De Sacerdotibus.

Justum est, ut Sacerdotes in suis Parochiis libenter & caute doceant, & ducant ecclesiasticum gregem, quem tueri debent. Illi etiam tam prædicent quam exponant; & Dei Ecclesias libenter diligant, et pro omni Christiano populo sedulo orent.

De consecratis hominibus.

Omnibus Christianis valde necessarium est, justitiam diligere & injustitiam evitare. Et saltem consecratis hoc maxime opus est, qui tam prædicare quam exponere aliis hominibus debent. Consecratos decet omnis castitas, quoniam omnibus aliis hominibus quamlibet impuritatem interdicere debent, si recte agant; omnem etiam castitatem suo proprio exemplo confirmare, quoniam valde terribile est, quod illi qui omnibus Christianis justum prædicare et etiam exponere deberent, fiant aliquibus exemplum ad perditionem potius quam ad utilitatem; hi sunt qui adulterium committunt, cum per summum ordinem Ecclesiæ conjugium susceperunt, et illud deinde violant. Nulli altaris ministro permissum est conjugem ducere, sed singulis id prohibitum est; jam multo magis est, si quis adulterium committit, et commisit. Sed rogo per amorem Dei, et diligentissime etiam obsecro, ut ab hoc abstineant. Laicis omnis uxor præter veram suam conjugem prohibita est, et nonnulli consecratorum sunt ita a Diabolo seducti, ut injuste uxores ducant, et delinquant ipsi per adulterium, in quo remanent; ast sedulo rogo ut ab his abstineant. Ecclesia est Sacerdotis matrimonium, non habeat jure aliud aliquod, quoniam non decet Sacerdotem aliquid quod ad fœminam vel bellum seculare attinet, si Deo recte obsequi et Leges Dei observare velit, prouti ordini ejus jure convenit.

De Abbatibus.

Justum est ut Abbates, et saltem Abbatissæ, firmiter in monasteriis continuo habitent, et diligenter gregis sui semper curam gerant, et semper iis exponant ac recte prædicent, et nunquam nimis de cura mundi vel vana pompa vel superbia sint solicitis, sed sæpissime occupati sint in ecclesiasticis necessitatibus, uti decet Abbates et viros monachalis ordinis.

De Monachis.

Justum est ut Monachi die et nocte interiori corde semper de Deo cogitent, et sedulo *eum* invocent, et cum omni humilitate regulariter vivant, incumbant libris suis

ſuis ac precibus diligenter, et omnem ſplendorem ac vanum veſtium cultum, & privatas poſſeſſiones, & inutilia facta & intempeſtiva colloquia omnino deſpiciant, uti decet Monachos.

De Monachis fœminis.

Juſtum eſt, ut Monachæ juxta morem Monaſterii vivant, prouti antea de Monachis diximus, & nunquam cum hominibus mundanis nimis mundanum colloquium commune habeant.

De Sacerdotibus & Monialibus.

Juſtum eſt, ut Sacerdotes & Moniales ſimiliter etiam regulariter vivant, & caſtitatem ſervent, ſicubi in Monaſterio vivere vel pro mundi dignitate gubernare velint. Conſecratos homines omnis decet caſtitas, quoniam omnes alios homines a qualiber impuritate prohibere, & omnem caſtitatem, ſi recte agant, proprio ſuo exemplo confirmare debent.

De Laicis.

Juſtum eſt, ut conſecrati homines laicis oſtendant, quomodo conjugium ſuum optime ſervent; hoc eſt, vita juſta, ut puer permaneat in pueritia ſua, uſquedum veram puellam in uxorem duxerit, & deinde nullam aliam habeat, quamdiu ipſa vixerit: ſi eorum alicujus obitus accidat, juſtiſſimum eſt, ut illa in poſterum vidua remaneat, attamen cum Apoſtoli venia laicus ex neceſſitate ſecunda vice uxorem ducere poteſt, & uxori laicorum id etiam permiſſum eſt. Feſtis & jejunii temporibus laici nullam communionem cum uxoribus habeant per concubitum, quanto magis primi ordinis homines omnibus temporibus hoc obſervent.

De Viduis.

Juſtum eſt, ut Vidua unum exemplum diligenter ſequatur, quod eſt, ut in templo die & nocte libenter ſerviat; jejunet admodum ſtricte, & precibus incumbat & pœnitenti animo clamet ad Chriſtum, & eleemoſynas diſtribuat ſæpe ac crebro, & ſemper Deo placeat, ut ille verba & facta & caput ejus inclinet ad gaudium cœleſte. Ita bona vidua Domino ſuo obedire debet.

De Eccleſiis.

Juſtum eſt, ut Chriſtiani Chriſtianiſmum ſedulo colant in juſtitia, & Eccleſiam Chriſti ubique diligenter venerentur & cuſtodiant. Nos omnes unum cœleſtem Patrem habemus, & unam cœleſtem matrem, quæ eſt Eccleſia, & eam ſemper diligere ac colere debemus. Juſtum etiam eſt, ut quælibet Eccleſia ſit in pace Dei, & in *pace* omnis Chriſtiani populi. Et pax eccleſiaſtica conſiſtat ubique intra parietes, & pax conſecrati Regis manu facta etiam pura, quoniam quælibet eccleſiaſtica pax eſt Chriſti propria pax, ac quilibet Chriſtianus multum opus habet, in hac pace veram rationem ſcire, quoniam cujuslibet Chriſtiani neceſſaria utilitas eſt, Dei Eccleſiam diligere & venerari, & ad eam crebro ac ſedulo confugere ob propriam ſuam neceſſitatem; & Conſecrati ſaltem ibi quam ſæpiſſime ſervire et miniſtrare debent, et pro omni Chriſtiana gente diligenter intercedere. Tum altaris miniſtris ſemper conſiderandum eſt, ut ante omnia vitam ſuam diſponant ita uti ad Eccleſiam jure pertinet. Eccleſia jure eſt Sacerdotis conjux, et ſi quis ad Eccleſiam conſecratur, non habet ea alium aliquem qui Dei Leges regat quam illum, niſi cum capitali crimine plenario *eam* perdat, et tunc Præfectus Provinciæ Chriſti hoc ſciat, et de hoc ſtatuat et judicet, uti adnotatum eſt. Nulla injuria unquam Eccleſiæ facienda eſt, neque aliquis error ullo modo imputandus; ſed nunc tamen magnæ lites Eccleſiæ pacificatæ ſunt, et malæ adminiſtrationes plane ſpoliatæ ſunt omnibus judiciis, et intus privatæ omni convenientia; et miniſtri Eccleſiæ ſunt a ſtipendiis et cenſibus ubique immunes; et væ ei qui gubernat, ſi ita non arbitretur; nam omnis eorum certe Dei eſt inimicus, qui Dei Eccleſiæ inimicus eſt, et qui Dei eccleſiaſtica judicia diminuit vel amputat, prouti ſcriptum eſt: *Inimicus enim Chriſti efficitur omnis, qui eccleſiaſticas res uſurpare injuſte conatur*, etc. Et terribiliter dicebat Sanctus Gregorius de hoc etiam ita inquiens: *Si quis Eccleſiam Chriſti denudaverit, vel ſanctimonia violaverit, anathema ſit. Ad quod reſpondentes omnes dixerunt, Amen.* Maxime neceſſarium eſt hominibus omnibus, ut res viduæ diligenter cuſtodiant, et quilibet Dei amicus admoneat eos ſemper, ut ſponſam Chriſti nequaquam male tractent. Omnes debemus unum Deum diligere et venerari, et unum Chriſtianiſmum diligenter ſervare, ac omnem ethniciſmum omnino rejicere.

De omnibus Chriſtianis.

Juſtum eſt, ut omnes Chriſtiani Chriſtianiſmum ſuum legitime colant, et vitam quæ ad eum pertinet, vivant juxta Dei Leges et mundi ſtatuta, et omnes ſuos mores juxta ea diligenter diſponant, ubicunque doceant quam prudenter et caute poſſint; et hæc eſt prima omnium ratio, ut quilibet homo præter omnia unum Deum diligat, et unam fidem ſinceram habeat in iis quæ nobis omnibus prius fecit, et pretioſo pretio deinde nos emit, et etiam quod opus habeamus diligenter conſiderare, quomodo præcepta Dei propria optime ſervanda, et omne illud præſtandum ſit quod promiſimus cum baptiſma ſuſciperemus, vel qui ad baptiſma noſtri ſtipulatores erant. Hoc igitur eſt primum quod promittitur, cum

cum baptisma datur, quod semper Diabolo renunciare velimus, & malam ejus doctrinam diligenter evitare, et cunctas ejus instructiones semper rejicere, & in æternum repudiare omnem cum eo communionem. Ac statim deinde cum vera fide sincere manifestetur, quod abhinc semper usque ad finem Deum diligere; et super omnia ipsum amare; et semper doctrinas illius diligenter obsequi, et propria ipsius præcepta servare velimus; et tunc baptisma erit observatum juxta pactum, omnium verborum et omnis ordinis, si quis *ita* velit. Et angeli custodiunt abhinc in posterum omnem, qui præstiterit post baptisma quicquid, antequam baptisma ei daretur, promisit. Agedum hoc sæpe et crebro cogitemus, ac diligenter præstemus id quod promisimus, cum baptisma susciperemus, prouti nobis opus est; et agedum verba ac opera legitime disponamus, et interiora nostra libenter purificemus, et juramenta ac pacta caute servemus, et crebro meditemur magnum illud judicium ad quod omnes nos tendimus, et caveamus nobis libenter ab æstuanti incendio pœnæ inferni, et promereamur nobis tabernaculum illud et mansionem eam, quam Deus præparavit illis, qui voluntatem ejus in mundo operati sunt.

LIBER CANONUM ECCLESIASTICORUM. (1)

Incipit Epistola de Canonibus.

ÆLfricus (2) humilis frater Venerabili Episcopo Wulffino salutem in Domino: Obtemperavimus jussioni tuæ libenti [1] animo, sed non ausi fuimus aliquid scribere, quia vestrum scire quomodo vos oporteat optimis moribus exemplum omnibus fieri, et continuis admonitionibus subditos exhortari; ad salutem quæ est in Christo Jesu. Dico tamen quod sæpius deberetis vestris Clericis alloqui et illorum negligentiam arguere, quia pene statuta Canonum, et sanctæ Ecclesiæ religio vel doctrina; eorum perversitate deleta sunt. [2] Ideoque libera animam tuam, et dic eis quæ tenenda sunt Sacerdotibus et Ministris Christi, ne tu pereas pariter, si mutus habearis canis: [3] Nos vero scriptitamus hanc Epistolam, quæ Anglice sequitur, quasi ex tuo ore dictata [4] sit, et locutus esses [5] ad Clericos Tibi subditos, hoc modo incipiens:

De Synodo Sacerdotum.

DIco vobis Sacerdotes, quod vestram negligentiam in ministerio vestro sufferre nolim; sed dicam vobis in veritate quid de Sacerdotibus constitutum est. Christus ipse stabilivit Christianismum et castitatem, omnes etiam qui ambulaverint in via ejus cum ipso, deserant mundana omnia, uxores non respicientes, quoniam ipse dicebat in aliquo Evangelio: *Qui uxorem suam non odit, non est dignus meus esse discipulus.*

Post ascensionem Christi in regnum cœlorum, et post excessum venerabilium suorum Apostolorum, tanta persecutio in media terra excitabatur, ut non possent ad synodum congregari Dei ministri, præ ethnicis persecutoribus, qui insidiabantur illorum morti, usque dum Constantinus Cæsar ad Christianismum converteretur, qui omnem orbem terrarum in potestate sua habebat.

Tunc congregabat synodum in civitate Nicæa trecentorum et octodecim Episcoporum ex omnibus nationibus ad confirmationem

1 *Liberati* male MS. 2 Male *sit* MS. 3 Male *scriptam* MS. 4 *Dicata* MS. 5 *Esset* MS.

(1) Canones hos Ecclesiasticos Regulas potius in usum Presbyterorum ex Regulis *Benedicti* confectas esse dixerim. Fuit olim Cod. membr. S. 12. C. C. C. C. ex quo Librum Canon. Eccles. desumpsi, Exoniensis Ecclesiæ peculium, ac circa tempora conquistionis Angliæ scriptus esse videtur, quo auctore & qua ætate haud constat. Illud tamen patet, Codicem hunc non esse Canones Concilii Nicæni, ut quidam Eruditi arbitrantur, a Theodoro Archiepiscopo Latine, & deinde ab Ælfrico Saxonice versos.

(2) Quis *Ælfricus* ille fuerit, qui Canones hos composuit, & quis *Wulfinus*, ad quem scripti sunt, cum Spelmanno pro certo affirmare nequeo. Videntur ambo fuisse Episcopi; sic dignoscitur Wulfinus ex Ælfrici verbis, & Wulfino parem innuit se Ælfricus, dum fratris nomine eum alloquitur. *Ælfricus* (inquit) *humilis frater Venerabili Episcopo Wulfino*, &c. Fuit *Wulfinus* quidam Episcopus Dorcestrensis, qui cathedram illam accepit anno 1053. eaque fruebatur usque ad A. D. 1067. *Ælfricus* quidam Putta vel Puttoc Eboracensem sedem occupavit ab anno 1003. ad A. D. 1051. An *hic* fuerit auctor Canonum horum, & *ille* coævus Ælfrico; vel an *ille* citius adierit sedem Dorcestrensem, vel *hic* diutius obtinuerit Eboracensem, certum omnino non est ex Auctorum calculis. Una autem si claruerint, ego illi Canones istos attribuerem, & circa A. D. 1052. collocarem.

nem fidei. Ibi erant multi clari Episcopi, ut miracula operarentur, et ita excommunicabant ibi Sacerdotem quendam Arium, quoniam credere nolebat, quod Dei viventis Filius æqualiter potens esset, ac gloriosus ipsius Pater. Tunc condemnabant omnes hunc hominem Diaboli, sed noluit resipiscere, donec intestina sua omnia videret effusa, cum ad latrinam abiret.

In hac synodo constituebantur sacra Ecclesiæ ministeria, & symbolum Missæ, & multa alia de Dei cultu & de Dei servitio.

Statuerunt omnes unanimi approbatione, quod neque Episcopus neque Presbyter neque Diaconus, nec ullus verus Canonicus, habeat in domo sua uxorem aliquam, nisi matrem suam vel sororem, amitam vel materteram; & si quis aliter fecerit, perdat ordinem suum.

Cogitate igitur hæc digna auditu, quoniam conditionem vestram ad hanc consuetudinem reduxistis, quasi nullum periculum esset quod Presbyter vivat more conjugati. Jam dicitis, quod absque mulierum servitiis vivere non possitis; & quomodo sancti viri ibi habitare poterant absque muliere; illi etiam nunc præmium habent castitatis animæ suæ semper absque fine in vita æterna. Nunc Sacerdotes sæpe dicunt, quod Petrus uxorem habuit: recte dicunt, quia ita eum oportebat sub Veteri Testamento, antequam ad Christum converteretur; sed reliquit uxorem suam, & omnia mundana, cum ad Christum inclinaret, qui castitatem instituit.

In Veteri Testamento Episcopus sibi sumere debuit castam virginem, & cum ea prolem suscitare ad constituta tempora, quoniam una familia semper esse debuit illius ordinis, & ex nulla alia cognatione Pontifex esse debuit. Attamen non debuit plus quam unam in uxorem ducere, nec viduam aut repudiatam in matrimonium sumere debuit, sed uti supra diximus virginem aliquam. Bene in illis diebus uxores habere poterant, quoniam nec Missam celebrabant nec Sacram Eucharistiam hominibus dabant, sed sacrificabant animalia veteri more, usquedum Christus sacram Synaxin consecraret ante passionem suam, & Missam institueret, quæ jam per eos consistit.

Ibi etiam constitutum erat in eadem synodo, ut qui viduam sumpserit vel repudiatam uxorem, aut qui secunda vice uxorem duxerit, quod nunquam postea ad ordinem aliquem suscipiatur, nec sanctificetur in Presbyterum. Sed si quis antea habuerit sibi castam uxorem, eligatur ad sanctum ordinem, prouti Apostolus Paulus in Epistola sua scribebat.

Nullus Sacerdos intersit nuptiis aliquibus, ubi vir secunda vice uxorem ducit vel mulier secundo marito nubit, non benedicat simul huic homini, nisi ostenderit quod melius esset illi in castitate vivere. Laicus tamen cum Apostoli venia secundas nuptias contrahere potest, cum uxor ei mortua sit; ast Canones prohibent benedictionem illis dare, & imponunt pœnitentiam cuilibet homini.

Septem ordines constituti sunt in Ecclesia: primus est Ostiarius, secundus est Lector, tertius Exorcista, quartus Acolithus, quintus Subdiaconus, sextus Diaconus, septimus Presbyter.

Ostiarius est custos portæ Ecclesiæ, qui campanis tempora indicare debet, & Ecclesiam aperire fidelibus, & infidelibus occludere.

Lector est qui in Dei Ecclesiis legit, & ad id consecratus est, ut verbum Dei prædicet.

Exorcista est qui juramento cogit malignos spiritus, qui homines cruciant, per nomen Salvatoris, ut homines relinquant.

Acolithus dicitur, qui candelam vel cereum fert ad Dei servitia, cum Evangelium legitur, vel cum sacra synaxis consecratur coram altari; non ita tamen ad arcendas caliginosas tenebras, sed ad indicandum eo lumine beatitudinem in honorem Christi, qui est lumen nostrum.

Subdiaconus est, qui vasa porrigit Diacono, & cum humilitate sub Diacono servit, ad sanctum altare cum vasis sacræ Eucharistiæ.

Diaconus est Minister, qui Presbytero servit, & oblationes super altare ponit, & Evangelium etiam legit in servitiis Dei, infantes baptizare debet, & sacram Eucharistiam populo tradere; in albis vestibus Salvatori ministret, & spiritualem vitam in castitate colat, & omnia agat prouti ordinem suum decet.

Sacerdos qui absque Diacono versatur, nomen tantum habet, & non habet ministerium.

Presbyter est Sacerdos missalis vel senior, non quod quilibet senior sit, sed quod senex sit in sapientia; consecrat sacram Dei synaxin prouti Salvator jussit; populum fidem docere debet prædicatione, & castis servitiis Christianis exponere, & vita ipsius non sit qualis est laicorum. Nihil magis interest inter Presbyterum & Episcopum, nisi quod Episcopus constitutus sit ad ordinandos Presbyteros, & ad confirmandos infantes, & ad consecrandas Ecclesias, & ad observanda Dei jura; quoniam nimium esset, si quilibet Presbyter idem hoc faceret; habent enim unum ordinem, licet alter sit dignior.

Nullus ordo constitutus est in ritibus Ecclesiarum, præter hos septem, uti modo diximus. Monachorum & Abbatum ordines sunt alius generis, & non annumerantur horum numero, nec etiam Monialium ordo his accensetur. Ordines hi sancti sunt, & ad cœlum perducunt animas illorum

Presbyterorum qui eos sancte colunt.

Jam decet Presbyteros & omnes Dei Ministros, ut Ecclesias suas sancto obsequio venerentur, & in iis septem horarios cantus psallant, qui constituti sunt prouti synodus eos præscripsit; cantus antelucanus & cantus matutinus, cantus tertianus & cantus meridianus, cantus nonalis & cantus vespertinus, & cantus nocturnus, septimus.

Debent etiam diligenter orare pro Rege, & pro Episcopo suo, & pro eo qui ipsi benefacit, & pro omni populo Christiano.

Habeant etiam arma ad spirituale opus antequam sint ordinati; hæc sunt sancti illi libri, Psalterium, & liber Epistolarum, liber Evangeliorum, & Missale, liber Canticorum, & Manuale, Numerale & Pastorale, Pœnitentiale & Lectionarium. His libris Sacerdos opus habere debet, & iis carere non potest, si ordinem suum recte observare velit, & populum qui ad ipsum pertinet jus doceat, & caute observet, ut bene sit scriptum.

Habere etiam debet vestimenta missalia, ut devote Deo ipsi servire possit, prouti decet, ut vestimentum ipsius non sit sordidum, nec saltem dilaceratum, & pallia altaris bene sint contexta. Calix etiam ex una pura putredini non obnoxia materia sit; ita etiam patina, & corporale nitidum, prouti ad servitia Christi pertinet. Nihil impune proferri potest, nisi quod sit in æternum venerabile apud Deum, is qui ei bene in prudentia & castitate servire vult.

Sacerdos diebus Solis & diebus festis populo sensum Evangelii Anglice dicere debet, & per Orationem Dominicam ac Symbolum Apostolicum quam sæpissime potest, homines illos incitet ut credant & Christianismum colant. Moneat *eos* Doctor per id quod Propheta dicebat, *Canes muti non possunt latrare*. Latrare debemus & prædicare laicis, ne forte ex defectu doctrinæ eos perdamus. Christus in Evangelio suo dicebat de insipientibus Doctoribus, *Cæcus si cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt*. Cæcus est Doctor, qui literas nescit, & decipit laicos ignorantia sua. Cavete ab hoc, prouti opus habueritis.

Sancti Patres etiam constituerunt, ut homines tradant decimas suas Ecclesiæ Dei, & Sacerdos veniat ac distribuat eas in tres partes, una ad reparationem Ecclesiæ, & secunda egenis, tertia autem Dei ministris, qui curam Ecclesiæ illius gerunt.

Illi etiam statuerunt, ut Missa non celebretur in domo aliqua non consecrata, nisi propter magnam necessitatem, vel si homo sit infirmus.

Et si non baptizatus infans subito apportetur ad Sacerdotem, baptizet eum statim in festinatione, ne moriatur paganus.

Et nullus Presbyter sacrum ministerium peragat pro pecuniis vel aliqua alia re, nec postulet quid pro Baptismo vel pro aliquo alio servitio, nec similis sit iis, quos Christus ipse expulit flagro ex Templo, quoniam in eo mercaturam nequiter exercebant. Dei minister ergo non faciat Dei ministerium pro pecuniis, sed faciat ut per id æternam gloriam mereatur.

Nullus Presbyter per stultitiam immoderate bibat, nec aliquos provocet ad nimium potum, quoniam paratus esse debet, si infans baptizandus, vel alicui sacra Eucharistia danda est, ut intellectum suum habeat, & licet hoc non accidat, non sit tamen ebrius, quoniam Dominus noster ministris suis ebrietatem interdixit.

Presbyter non sit mercator, nec avarus negotiator; non deserat Theologiam suam, nec deditus sit mundanis colloquiis, nec gestet arma, nec lites moveat; non bibat in œnopoliis, prouti seculares faciunt, non præstet juramentum; sed in simplicitate semper verum dicat, uti Dei ministri docuerunt.

Discrete etiam peccantibus pœnitentiam imponere debet, cuilibet pro ratione meriti, uti assequi potest; debet etiam S. Synaxin dare infirmis & ægrotis, quamdiu ægrotus sacram Eucharistiam deglutire possit; & hoc non faciat si semimortuus sit, quoniam Christus jussit, ut edatur S. Eucharistia.

Sacerdos consecratum oleum habeat aliud pro infantibus, & aliud pro infirmis, & ungat infirmos semper in lecto. Nonnulli ægroti prætendunt non concedere ut unguantur in sua infirmitate. Jam vobis dicemus quid Apostolus Dei, Jacobus, hac de re doceat; dicebat fidelibus hoc modo: *Tristatur aliquis vestrum, oret æquo animo & psallat; infirmatur quis in vobis, accersere faciat ad Ecclesiam eorum Presbyteros, & cantent super ipsum, ac orent pro eo, & oleo illum ungant in Domini nomine; & oratio fidelis salvabit infirmum, & Dominus ipsum alleviabit, & si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini invicem peccata vestra, & pro vobis invicem orate, ut salvemini*. Ita loquebatur Jacobus Apostolus de unctione ægrotorum hominum. Ast infirmus confiteri debet interno gemitu Sacerdoti, si delictum aliquod nondum compensatum habeat, antequam ipsum ungat, uti Apostolus hic antea docuit; nec ullus aliquis ungendus est, nisi hoc exoret, & confessionem suam faciat. Si antea peccator fuerit, & negligens, faciat confessionem illam & pœnitentiam & eleemosynam ante obitum suum, & non erit condemnatus ad infernum, sed pervenit ad Dei misericordiam.

Quatuor synodi erant pro vera fide adversus hæreticos, qui stulte loquebantur de sacra Trinitate, & Salvatoris humanitate; prima fuit Nicææ, prouti antea memoravimus; & secunda fuit deinde Constantinopoli

posi e centum quinquaginta Episcopis, sanctis Dei viris; tertia fuit Ephesi, ubi ducenti Episcopi erant, & quarta fuit Chalcedonii, ubi multæ centuriæ Episcoporum erant, & hi omnes unanimes fuerunt inter se ad Constitutionem, quæ stabilita fuit Nicææ, et reparaverunt quicquid de ea violatum fuit. Hæ quatuor Synodi observandæ sunt, prouti quatuor Christi libri in Ecclesia Christi. Multæ Synodi deinde congregabantur; sed quatuor illæ sunt præcipuæ; quoniam extinxerunt hæreticas illas doctrinas, quas hæretici invenerunt hæretice adversus Deum, et ii etiam constituerunt ecclesiasticum ministerium.

Quomodo audetis modo despicere omnium illorum Constitutionem, cum Monachi observent unius hominis Sancti Benedicti statuta, et secundum regulam ipsius vivant; et si aliquid violaverint, deinde juxta Abbatis sui regulam emendant cum omni humilitate. Vos etiam habetis regulas; si eas legere volueritis, per eas videretis, quid vobis statutum sit. Sed diligitis mundana colloquia, et vultis esse Præfecti, et deseritis Ecclesiam vestram ac Constitutiones simul.

Volumus, uti dicunt Constitutiones, ut eo citius vos expediamus, Non exulteris super homines mortuos, nec corpus quæratis, nisi quis vos accuset, ut hoc ipso vos excusetis: tum prohibete cantus ethnicos laicis et illorum sonoras cachinnationes, nec vos ipsi edatis aut bibatis ibi ubi corpus jacet, ne forte assimilemini ethnicismo, quem ibi committunt. Ne superbiatis cum annulorum splendore, et vestimentum vestrum non sit nimis superbe factum nec nimis vile, sed portet quilibet prouti ordinem ejus decet, ut Presbyter habeat id ad quod ordinatus est, nec portet Monachi aut laici vestitum; multo minus vir portet mulierum stolam. Christus dicebat de Ministris suis qui ei libenter serviunt, quod semper in beatitudine cum ipso futuri sint, ubi ipse erit in vita vera, cui sit gloria et adoratio semper in secula. Amen.

Rogo vos, ut ita vos geratis prouti liber vester vobis ostendit, et quid agere debeatis his præsentibus diebus. Sacra Eucharistia non est consecranda in die Veneris sancti, quoniam Christus hoc die pro nobis passus est; attamen id faciendum est, quod hoc die decet, ut legantur duæ lectiones cum duabus Homiliis et duabus Collectis, et de Christi passione, et postea orent ac supplicent ad crucem, quam Dei crucem omnes osculo salutent. Abeat deinde Sacerdos ad altare Dei cum Eucharistico pane, quem consecravit die Jovis, et cum non consecrato vino aqua mixto, et coopertus corporali dicat tunc statim: *Oremus præceptis salutaribus moniti, & divina*, et *Orationem Dominicam* ad finem: et dein dicat secrete, *Libera nos quæso, Domine, ab omnibus malis*; et cum alta voce *per omnia secula seculorum*. Postea aliquam partem Eucharistiæ imponat calici, uti consuetudo est, attamen in silentio ad Eucharistiam deinde abeat, et alias videat *hoc* qui velit. Die Jovis cantamus nostros cantus horarios simul, et omnes preces secrete, et Miserere mei Deus et Collectas. Die Veneris omnes cantus horarios separatim secrete cantamus, excepto uno cantu antelucano, quem simul cantamus. Ita etiam die Saturni usque ad cantum nonalem psallatur; nullum oleum Baptisterio infundatur, nisi infans in eo baptizandus sit. Vigilia Paschatis non cantetur ad oblationem Missarum, nec *Agnus Dei*, nec *Communia*; sed inter eos qui S. Eucharistiam percipiunt, incipiat Cantor, *Alleluja, Alleluja, Alleluja*, cum hoc Psalmo, *Laudate Dominum omnes gentes*, postea antiphonam hanc, *Vespere autem Magnificat*. Dicat deinde Sacerdos, *Dominus vobiscum. Oremus*; et tum Collectam *post Communionem*, ac finiat Missam et cantum vespertinum ita cum una Collecta *post Communionem*. Nonnulli Presbyteri conservant Eucharistiam pro ægrotis die Paschatis anni præterlapsi consecratam, ast illi admodum malefaciunt, quod sacram Eucharistiam sinant mucescere, et nolunt intelligere quantam pœnitentiam Pœnitentiale adnotet illis, si Eucharistia fiat mucida vel putrida, vel si perdatur, vel si mures ex negligentia eam edant. Sacra Eucharistia maxima cum cura conservanda est, nec detinenda, sed consecranda vel renovanda est pro ægrotis semper circa septem dies vel quatuordecim, ut saltem non mucescat; quoniam æque sancta est Eucharistia quæ hodie quam quæ die Paschatis consecratur. Eucharistia est corpus Christi non corporaliter sed spiritualiter: non corpus in quo passus est, sed corpus de quo loquebatur, cum panem et vinum benediceret ad Eucharistiam, nocte illa ante passionem suam, et dicebat de benedicto pane, *Hoc est corpus meum*; et deinde de consecrato vino, *Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Intelligite ergo, quod si Dominus mutare potuisset panem illum ante passionem suam in corpus suum, et vinum in sanguinem suum spiritualiter, quilibet quotidie per manus Sacerdotis panem et vinum benedicat ad spirituale suum corpus et sanguinem. Sed Sacerdos pure et caute Dei servitium peragat cum manibus puris et cum sancto corde, et observet ut panes Eucharistici non sint nimis vetusti, nec mali aspectu, et semper aquam misceat cum vino, quoniam vinum denotat remissionem nostram per sanguinem Christi, et aqua denotat populum, pro quo passus est. Multum honorem meretur, qui Deo cum diligentia et timore servit; et scriptum deinde est, quod maledictus sit qui Dei ministerium negligenter facit. Per hoc cognoscere possumus, quod homo qui visu caret, non

non audeat Missam celebrare, quoniam non videt quid offert Deo, an purum an immundum. Nemo cum alio aliquo vase, excepto calice ad id consecrato, missam celebrare debet; injungimus vobis Presbyteri, ut præcipiatis omni populo, cujus curam geritis, & cujus vos Confessarii estis, ut celebrentur quatuor primi Paschatis dies sine ullo opere servili, quoniam hoc tempore tota terra liberabatur a Diaboli captivitate; dies Dominicus etiam festus habeatur a meridie diei Saturni ad auroram diei Lunæ, & omnis festi solemnitas quæ in nostri Antecessoris pristinis diebus, & a majoribus nostris constituta & injuncta erat in festivitatem, & tot diebus jejunium servetur, quot ad jejunandum constituti erant, & servitium institutum est; jejunet etiam quilibet duodecim menses quolibet die Veneris, excipe a Paschate ad Pentecosten, & deinde a Natali Domini ad octavam post Epiphaniam Domini, nisi sit festum omnis populi, vel servitium impuri sit faciendum, alias nemo hujus diei jejunium violare debet, & nos Episcopi consultavimus, cum congregati essemus, quod omnis nario jejunet ante festa S. Mariæ, & ante festa SS. Apostolorum, & quod omnibus diebus Mercurii cantetur in quolibet monasterio Missa contra Paganos, & quilibet Presbyter idem hoc in Ecclesia sua faciat. Jam audivistis unanimiter, quid vobis faciendum est, & quid omittendum; an hæc faciatis non est in nostra potestate, & puri esse volumus in Dei judicio. Deus concedat vobis, ut ita hoc exequamini, quomodo nobis necesse est.

ÆLFRICI EPISTOLÆ.

PROLOGUS VENERABILIS ÆLFRICI ABBATIS.

ÆLfricus (1) Abbas Vulstano venerabili Archiepiscopo salutem in Christo. Ecce paruimus vestræ Almitatis jussionibus transferentes Anglice duas Epistolas quas Latino eloquio descriptas ante annum vobis destinavimus; non tamen semper ordinem sequentes, nec verbum ex verbo, sed sensum ex sensu proferentes, quibus speramus nos quibusdam prodesse ad correctionem, quamvis sciamus aliis minime placuisse. Sed non est nobis consultum semper silere, & non aperire subjectis eloquia divina, quasi præco tacet, quis judicem venturum nuntiet. Vale feliciter in Christo.

De Ordinatis.

NOs Episcopos decet, ut doctrinas Ecclesiasticas, quas Canon noster nobis adnotat, & quas etiam Christi liber nos docet, vobis Presbyteris Anglice aperiri curemus, quoniam omnes Latina non intelligitis, & nos tamen non audemus silentio præterire, quin vobis Domini nostri præcepta declaremus, ne forte, si taceamus, noxii fiamus; sed pœnam a nobis removere volumus, si quid in posterum feceritis.

II. Scio tamen pro certo, quod bene multi vestrum male ferent hanc nostram admonitionem, quoniam multi injustitiam amant.

III. Confido tamen, quod nonnulli compungentur a Deo, ut sanctas doctrinas obsequi eis placeat, ac seipsos emendare velint ad propriam suam necessitatem.

IV. Boni diligenter Dei præceptis obedire volunt, sed mali contrariantur eorum voluntati; attamen fieri debet, ut nonnulli saltem eos injustitiæ suæ pudefaciant, & per hoc saltem ut a malo cessent.

V. Vos Sacerdotes ordinem vestrum religiose servare debetis, & bonis servitiis semper ornare, & puro animo Christo servire ad sanctum ejus altare, prouti vestro ordini convenit, quoniam vere constituti estis Duces & Doctores populi Dei, ut Deo illos acquiratis.

VI. Tria *namque* tempora numerantur in hoc mundo; unum tempus erat ante Dei Le-

(1) *Ælfricus* auctor Epistolarum procul dubio idem est, qui Canones conscripsit: Episcopum ipsum fuisse, verba initialia *us Biscopum gedafenath, nos Episcopos decet*, declarant. Abbatem sese nominat, quod dignitatem hanc cum Episcopatu tenuerit. Ælfrici Abbatis S. Augustini meminit *Thorne* in Chronicis ad A. C. 942. sed an hic noster fuerit, valde dubito. *Wulstanus* Archiepiscopus Eboracensis an primus vel secundus ejus nominis fuerit, non constat.. *Primus* Wulstanus anno 930. i. e. sexto Æthelstani Regis anno Archiepiscopus constitutus, ab Eddredo in carcerem conjectus, exinde post annum solutus, & biennio post mortuus est, nempe anno 955. ut habet Sim. Dunelm. in historia sua, & Tho. Stubbs in Act. Pontif. Eborac. Wulstanus *secundus* ejus nominis Wygornensem Episcopatum cum Eboracense Archiepiscopatu, concedente Rege *Cnuto* occupavit, qui 20. annos sedem illam tenuit, & anno 1023. mortuus, ac apud Ely sepultus est. Vid. *Stubbs loc. cit.* Quisnam horum duorum fuerit Ælfrici Wulstanus, non liquido patet; posteriorem chronologia & ætas Ælfrici sibi postulat.

Legem Patriarcharum tempore, qui quondam fuerunt; secundum sub Dei Lege tempore Moysis ;& Prophetarum; tertium sub propria Christi gratia temporibus Christianorum post Christi adventum.

VII. Primo, pristinis temporibus post Adamum contigit, quod homines in carnalibus voluptatibus et in immensis peccatis permanerent, ac nonnulli in ethnicismo incaute viverent, et Diaboli cultu seipsos perderent, Creatorem suum autem contemnerent, qui eos creavit homines, et ut per Diaboli instinctum agerent tamdiu, antequam Adam seductus erat.

VIII. Quod cum Deus Omnipotens tempore Moysis summi Ducis in disciplinam humano generi constituit quinque libros, in iis est Dei Lex, & Moyses eos conscripsit, ac humano generi prohibuit, ut nullum ethnicismum colant, sed semper venerentur verum Deum, qui solus Omnipotens Creator est; Lex illa etiam prohibuit omnibus hominibus peccata committere, et juste punit quoque eos qui injuste peccant. Proxima maxima veritas est, quod Christus ipse Filius Dei Omnipotentis, qui omnia creavit, venerit in hunc mundum in vera humanitate, ideo ut redimeret peccatores ex servitio Diaboli, et perditos in viam vitæ reduceret, ac Christianismum in sanctitate institueret, ipso exemplo suo confirmaret et doceret sanctitatem, quam in ministris suis qui ei semper in sanctitate servire debent, diligit, hoc est, in Monachis et Monialibus, et saltem in Presbyteris. Et idem Dei Filius eligebat sibi in matrem puram virginem, sanctam Mariam, et ipse est author omnis sanctitatis, ac in hoc mundo plus quam ullus alius in plena sanctitate permansit. Johannes etiam Baptista, qui ipsum baptizavit, permanebat semper in ordine discipulorum in multa abstinentia & in castitate; Johannes etiam Evangelista Domini nostri affinis permanebat in ordine discipulorum et in castitate ad vitæ suæ finem.

IX. Duodecim etiam Apostoli, qui Salvatorem sequebantur, cum hic in mundo inter homines viveret, ac centum septuaginta duo qui cum ipso in doctrina ejus permanebant, qui discipuli in libris nominantur; omnes hi relinquebant possessiones suas mundanas et uxores, et permanebant in castitate, Christum sequentes, prouti Petrus faciebat, qui ad Christum ipsum ita dixit: *Ecce reliquimus omnia mundana nostra, & te secuti sumus*, et semper ita vult.

X. Scire debetis, si sapientiam diligitis, quid sit inter has duas dispensationes, Veteris Testamenti ante Christi adventum, et novæ dispensationis sub gratia Christi; quoniam ante Legem Moysis homines multifariam vivebant, et sub Moysis testamento homines etiam vivebant alio modo; alio modo jam nos agere debemus juxta doctrinam Domini nostri.

XI. In pristinis diebus homines vivebant, ante Christi adventum, maxime juxta proprias suas voluptates; sed ipse dicebat, ut compuncto animo severius vivamus, & contendamus cum flagitiis ac vitia contemnamus, ut deinde regnum cælorum obtineamus, & loquebatur etiam de martyribus, quos novit futuros post passionem suam, qui pro amore ac fide ejus postea passi sunt.

XII. *Ne timeatis*, dicit, *eos qui occidunt corpus vestrum, quoniam animam occidere nequeunt; sed timete illum qui animam & corpus etiam in infernum detrudere potest.* Propter hanc admonitionem & propter multa alia verba martyrium perpessa sunt multa millia per totum terrarum orbem, tam viri quam mulieres, pro Christi fide, & hi cum constantia æque ac cum patientia promeriti sunt regnum cælorum. Dicit deinde Dominus noster de sanctis suis Confessoribus in sacris libris: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*

XIII. In lumbis sita esse dicitur, uti ex libris instruimur, impura luxuria, & nos firmiter constringere ac cogere debemus ad castitatem, & teneamus in manibus nostras lucernas, quæ sunt sancta opera, semper in eleemosynis, & in exemplum omnium bonorum hominum.

XIV. Johannes Evangelista in spirituali sua visione videbat Dominum nostrum postquam in cælum ascenderat, cum albo vestimento, & fuit ex serico deorsum usque ad talos, & cum aureo cingulo pectus ejus coopertum erat.

XV. Jubet nos lumbos nostros præcingere, ita ut contemnamus impuram luxuriam, & ipse præcinctus erat aureo cingulo ad sanctum suum pectus, quoniam nos etiam oportet animi nostri castitatem semper servare in cordibus nostris.

XVI. Nos saltem qui Christo servimus in ministerio ejus.

XVII. Postea Daniel Propheta scribebat in vaticinio suo, quod Deum viderit in spirituali sua visione, & dicit: *Ipse erat linteo habitu indutus, & lumbi ipsius erant præcincti.* Johannes vidit, prouti antea diximus, Salvatorem nostrum præcinctum ad sanctum suum pectus, & Daniel vidit lumbos præcinctos.

XVIII. Jam nobis vere per hoc manifestatum est, tam in Veteri quam etiam in Novo Testamento, quod Deus in sancto suo ministerio habere velit sanctos ministros et sanctas servas, qui cum castitate corporis et animi sacramEucharistiam ei offerant, prouti ipse docuit ante passionem suam.

XIX. Hac de re admonebantur primarii Confessores et sanctæ virgines, quæ in castitate semper vitam suam transigebant.

XX.

XX. Accidebat, post Domini nostri passionem, et post ascensionem ejus, quod Spiritus Sanctus descenderit de cœlo in terram, uti ignis ardens cum magna flamma, super Apostolos Christi, sicut Christus illis antea promisit, et eos omnes implevit absque periculo, ita ut nossent omnium nationum linguas, et omnes doctrinas quas discimus in libris scriberent et statuerent juxta Dei propriam instructionem; faciebant etiam multa miracula per Christum, et eadem miracula, quæ ipse prius faciebat. Et tunc prædicabat in diebus illis Petrus in civitate Hierosolyma populo Judaico, et ibi accidit, ut ad Baptisma converterentur tria millia hominum in uno die; et deinde ad aliam prædicationem adhuc plures convertebantur, et tam multi erant numero, ut possessiones suas omnes venderent, et valorem earum adferrent ad pedes Apostolorum, et nullus eorum deinde haberet aliquid peculiare, sed omnia faciebant communia omnibus juxta necessitatem illorum; et Jacobus Apostolus justus custodiebat ea omnia triginta annos.

XXI. Hic per sanctorum horum numerum, Monachorum vita instituebatur, qui juxta regulas viverent sub Abbate suo, et omnia ipsis communia fierent, prouti faciebat Abbas; ac deinde proficiscebantur Apostoli per totum terrarum orbem miracula facientes, et prædicantes veram fidem, et credentes baptizabant, et Ecclesias instituebant, et Episcopos constituebant, et Presbyteros consecrabant, ac multos Dei ministros in septem ordines ordinabant, prouti nos docet Canon; et fides Dei crescebat postea, et evanescebat ethnicismus.

XXII. Quid post hæc accidit? Oriebatur periculosa immensa persecutio super Christianos longe lateque, et martyrio afficiebantur variis pœnis, et omnes fere occidebantur qui in Christum credebant: sed Deus semper fecit miracula inter eos per illos, ita ut Pagani eo libentius ideo in Christum crederent; sæpe mille homines simul credebant, cum unus martyr occideretur, propter multa signa quæ sanctus faciebat, ac Christianismus abinde nunquam potuit aboleri; Deus etiam post hæc dedit pacem et remissionem in mundo, et fides crevit longe lateque.

XXIII. Tunc Cæsar Constantinus incepit regnare in urbe Roma, et imperium exercere super totum terrarum orbem; et ipse fuit primus Cæsar qui in Christum credebat, filius sanctæ Helenæ beatæ Reginæ; et jussit congregari synodum Episcoporum, ut audiret sanctam doctrinam et veram fidem de vero Deo in quem credebat. Tunc conveniebant in urbe Nicæa trecenti et octodecim Episcopi undique congregati, et Cæsar illis obviam venit et cum omni veneratione eos salutavit, ac iis omnibus dedit victus sufficientiam, et doctrinam eorum audivit cum animo fideli; multique eorum erant, qui publica miracula operari poterant per Deum, et illi diu habitabant invicem.

XXIV. Fuit etiam ibi aliquis impius Presbyter, Arrianus dictus, ex urbe Alexandria, et fuit obstupefactus in animo suo, et in maxima hæresi, quæ de homine oriri potest; diminuere voluit vivum Dominum, et dixit: quod in vera divinitate Patri suo æqualis non esset, sed minor esset in virtute.

XXV. Tunc excommunicabant Episcopi virum illum plenum hæreseos; sed noluit abstinere ab hæresi sua, antequam omnino periret.

XXVI. Secunda synodus erat deinde 150. Episcoporum longe lateque congregatorum, Theodosii nobilis Cæsaris tempore; et ibi condemnabant hæreticum Episcopum, qui Macedonius vocabatur, ipsumque excommunicabant, quoniam inficiabatur, et in hæresi sua dicebat, quod Spiritus Sanctus non esset in aliqua Deitate cum Patre cœlesti et Salvatore Christo; ipsi etiam monstraverunt manifeste, quod ille verus Deus sit in una Divinitate cum Omnipotente Patre, et unigenito ejus Filio semper permanens.

XXVII. Tertia synodus erat ducentorum Episcoporum sub Theodosio juniore, et illi condemnabant ibi Nestorium hæreticum, qui audacter dicebat, quod in Christo essent duæ personæ, et hæresin ipsius omnino ibi extinguebant, quoniam Dominus noster vere est in una persona semper consistens.

XXVIII. Quarta synodus erat sexcentorum Episcoporum et triginta Presbyterorum longe lateque congregatorum Martiniani summi Imperatoris tempore. Synodus condemnavit diabolicum Abbatem, qui in hæresi sua dixit, quod Domini nostri corpus et Divinitas ipsius ejusdem essent naturæ; tunc excommunicabatur a magna illa Synodo, quoniam Christus, uti sæpe audivistis, est verus homo et verus Deus semper permanens.

XXIX. Deinde erant frequenter aliæ synodi sapientum Episcoporum late per orbem, sed hæ erant primariæ, quæ cum plena doctrina fidem constituerunt, et hæreticos excommunicaverunt, qui per hæresin suam errorem in rectum convertere volebant, et genus humanum a Domino suo seducere.

XXX. Quatuor hæ synodi constituerunt etiam omnia servitia quæ in Dei ministerio facimus ad Missam, ad cantus antelucanos et ad cantus horarios, et interdixerunt omne matrimonium semper Ministris altaris et saltem Presbyteris.

XXXI. Septem cantus horarios statuerunt nobis cantandos quotidie in laudem Domino nostro, prouti Propheta David in Prophe-

phetia sua dicebat: *Septies*, *Domine mi*, dicebat, *laudem tuam dixi in uno die pro justitia judiciorum tuorum*. Primus cantus horarius est, cantus antelucanus cum cantu posteriore, qui ad eum pertinet; cantus matutinus, cantus tertianus, cantus meridianus, cantus nonalis, cantus vespertinus, cantus nocturnus. Hos septem cantus horarios cum magna attentione cantare debetis in laudem Domino nostro quotidie in Ecclesia semper temporibus constitutis, & ita etiam statutis temporibus missas celebrare; & multum sit quod missa una per diem celebretur, attamen sæpius hoc facere non licet, quoniam Dominus noster semel passus est, & nos omnes redemit; jam missa quam celebramus in memoriam nobis revocat magnam ejus passionem, multumque ea prodesse potest omnibus hominibus tam viventibus quam morientibus, prouti e sacris libris discimus; & ideo etiam missa diligenter celebranda est cum multa puritate, uti Sancti fecerunt, quos Confessores vocamus, quorum aliqui semper absque uxoribus permanebant, aliqui relinquebant rem hanc illicitam, & in castitate Christo serviebant, sicuti Canon nobis indicat & publice injungit. Hoc est, ut nullus Episcopus aut Presbyter in Monasterio vel in domo sua habitare sinat aliquam uxorem, præter matrem suam, vel sororem suam, amitam vel materteram, vel cognatam ex qua nulla infamia oriri possit; si autem aliter fecerit, Canon dicit, quod ordinem suum perdat.

XXXII. Hoc vobis Presbyteris grave videtur, quoniam maleficia vestra per consuetudinem committitis, ita ut vobis ipsis nullum peccatum esse videatur cum mulieribus, ita ut laici faciunt, vivere, & dicitis quod Petrus Apostolus uxorem & liberos habuit, & nos etiam quod res ita se habuerit dicimus, & nonnulli alii qui Dominum nostrum sequebantur uxores & liberos habebant ante conversionem suam, sed abstinebant ab iis simulac abirent ad Christi doctrinam, & possessiones suas & uxores ac omnia mundana desererent.

XXXII. Dilecti, non possumus vos nunc violenter cogere ad castitatem, attamen vos admonemus, ut castitatem servetis prouti Christi Ministri debent in bonis operibus ad beneplacitum Dei, uti Sancti faciebant, quos hic prius recitamus, qui totam suam vitam in castitate consumebant.

XXXIII. Dilecti, septem ordines constituti sunt in libris ad Dei servitia in Ecclesiis Dei; unus est Ostiarius, secundus est Lector, tertius Exorcista, quartus Acolitus, quintus Subdiaconus, sextus Diaconus, septimus Presbyter sive Episcopus. Ostiarius est custos Ecclesiæ, qui Ecclesiæ claves servat. Lector est qui in Ecclesia legit. Exorcista est qui orat & legit super ægrotos & infirmos. Acolitus est qui lumina portat ad servitia Dei. Subdiaconus est, qui calicem & patinam portat ad missam, & servit Diacono. Diaconus dictus est Minister, qui servit Presbytero vel Episcopo ad missam, & Evangelium legit; debet etiam panem dare & infantes baptizare, ubi necesse est.

XXXIV. Dilecti: intelligite quod ambo Episcopus & Presbyter sint in uno ordine, hoc est in septimo ordine Ecclesiastico, uti sacer liber nobis indicat, & ambo missam celebrant, & hominibus prædicant, & ambo æqualiter castitatem servare debent, & aliis hominibus recte prædicare & bene exponere; nec ullus alius ordo annumeratur sacro ministerio præter septem ordines quos prius recitavimus.

XXXV. Episcopus tamen ad majorem benedictionem constitutus est, quam Presbyter, hoc est, ad consecrandam Ecclesiam, & ad ordinandos Presbyteros, ad confirmandum, & ad benedicendum oleum, quoniam nimium esset, si omnes Presbyteri hoc facere deberent.

XXXVI. Presbyteros decet tamen propter senioratum, Episcopis suis humiliter subjectos esse, & juxta ipsius instructionem & sapientiam vivere, & ille iis inspiciat, & illorum mores curet, uti nomen ipsius sonat. Nomen ejus dicitur Episcopus, Inspector Anglice, quod inspiciat semper sibi subditis, & eos corrigat ad vera servitia semper, quam diligentissime possit.

XXXVII. Primus Episcopus, quem Deus ipse constituit in veteri Lege, vocabatur Aaron, frater Moysis magni Ducis, ast ille nunquam Missam celebravit, quoniam nulla Missa constituta fuit, antequam Christus ipse in Novo Testamento Eucharistiam consecraret, & jussit nos postea similiter facere in memoriam ipsius.

XXXVIII. Jam missa instituta est per Dominum nostrum Christum, & Sanctus Petrus Apostolus Canonem illum, quem *Igitur* vocamus, constituit. Aaron & veteres Episcopi, qui quondam fuerunt, sacrificabant Deo more antiquo tauros & hædos, & cujusvis generis animalia, prouti nemo his diebus facere debet, quoniam sacrificia omnia prædicebant Domini nostri occisionem, qui pro nobis occidebatur, & cruci affigebatur pro nostra remissione, & ipse hoc modo Vetus Testamentum finivit. Et in illis diebus Aaron et posteri ejus deinde juxta Legem Moysis castam virginem in uxorem sibi sumere debebant, quoniam ex nulla alia familia ad ordinem illum Episcopi pervenire poterant præter de familia Aaronis; et illi non debebant viduam aliquam, nec mulierem repudiatam cum Dei venia in uxorem ducere, sed castam virginem; & sanctitatem tamen colere debent, quoniam offerebant sacrificium oblationis juxta consuetudinem. Ex necessitate tunc uxores habere debuerunt in illis diebus, ne deficeret saltem Archiepiscopi familia, quæ ex Aarone provenit, quoniam nulla familia

ad

ad ordinem illum pervenire debebat, quam familia sola quæ de Aarone provenit, & ita semper in Veteri Testamento res se habuit.

XXXIX. Nunc vetus Lex finita est post Christi adventum, & non eliguntur nunc sub hac Christiana Lege de familia sola Episcopali alii Episcopi, sed de quacunque familia qui modo sanctus, & quoad mores ad Dei ministerium educatus est, tam de Monachorum quam Presbyterorum ordine. Martinus erat Monachus, & deinde factus est Archiepiscopus; Gregorius fuit Monachus, & factus est Archiepiscopus; Cuthbertus fuit Monachus & Archiepiscopus, & multi alii de ordine monachali facti sunt Episcopi, uti in libris legimus; & de ordine sacerdotali etiam in castitate viventes facti sunt magni Episcopi, & Presbyteri in multa conversatione sanctissimi viri, quos vocamus Confessores. Sed vos Presbyteri nonnulli esse vultis, quod nos existimamus & severiter increpamus de mala forma consecratorum virorum, juxta id quod Dominus noster in sancto suo Evangelio dicit: *Dicit, multi dicent mihi in magno illo die Judicii, Domine, Domine chare, in vita nostra ad honorem tuum multa etiam in tuo magno nomine fecimus, & nos etiam prophetavimus in honorem tuum.* *Tunc* dicit illis Dominus, *Non novi vos, nec vos curo; sed discedite cito a me vos injustitiæ operatores, & permanete semper abhinc ubi æternus est fletus, & etiam stridor dentium.*

XL. Christus noverat omnia, sed non denegat aliquod bonum nisi impuris altaris ministris, qui non placuerunt ipsi antea hic in vita sua per sanctitatem, quam colere deberent, neque illi aliquod obtinebunt quod ipsis placeat, nec tam impuri possunt ingredi pulchram cœlorum aulam, sed erunt exclusi ad æternos cruciatus infernalis pœnæ; neque tamen malus Presbyter propter malitiam suam, qui sceleratus & nefandus est in factis, Dei ministerium adimplere potest, neque baptisma, neque missam, sed omnia quæ male egit in suum damnum cedunt. Nunc audivistis de ordinatis hominibus tam in Veteri Lege quam in Novo Testamento, quomodo constitutum fuit; admonete vosmetipsos inde, quomodocunque vultis.

XLI. Dilecti, Canones nos docent quomodo vitam nostram instituere debeamus. Canones dicuntur rectæ regulæ, quæ nos corrigunt & jubent, ut qui viduam sumit ex ordine laicorum in uxorem, vel mulierem repudiatam, ut nunquam deinde fit Diaconus vel Presbyter; & ordinatus qui impurum adulterium committit, dicunt, quod perdet ordinem suum.

XLII. Nos non audemus silere, ne vobis indicemus sanctas constitutiones, quas observare debetis. Nos sumus innocentes, quando vobis divitibus hoc dixerimus; utrum vos ipsi animas vestras custodire, & vos emendare vultis. Non habeatis de jure ullo tempore commercium aliquod cum uxore, sed laici uxorem ducere debent, et legitimum suum matrimonium juste servare, & laicus post uxoris suæ obitum secunda vice uxorem ducere potest ex necessitate, et juvenis vidua potest nubere post mariti sui obitum, attamen benedictio nuptialis ei dari non debet, nisi sit virgo, sed pœnitentiam agere debet pro sua incontinentia.

XLIII. Dilecti: vos Presbyteri libris et vestimentis instructi esse debetis, prouti ordinem vestrum decet. Presbyter saltem habere debet Missale, librum Canticorum, et Lectionarium, Psalterium et Manuale, Pœnitentiale et Numerale, et in iis bene instructus esse; habere etiam debet indumenta missalia, ad servitia Christi, et debetis cantare ad ortum Solis et missæ initium post novem interstitia cum novem lectionibus.

XLIV. Et scitote, quod quilibet calix factus sit ex liquefacta materia una, auro sive argento, vitro vel plumbo; non sit fictilis, neque saltem ligneus; missa non celebretur cum aliquo alio vase, nisi cum calice, qui Christo sanctificatus est, & altare sit purum, ac semper bene ornatum, nec stercore pollutum, nunquam etiam absque vino missa celebretur.

XLV. Admoneo ac rogo vos, ut sitis meliores & prudentiores in vestris spiritualibus virtutibus ad servitium Christi, prouti vos jure decet esse, quam homines mundi sunt in virtutibus suis mundanis; diu discere debet, qui docere vult, & si discere nolit, ut Doctor fiat veræ sapientiæ, erit deinde Doctor multæ hæreseos, uti Christus ipse in aliquo Evangelio suo dicit: *Cæcus si cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadent.* Cæcus est Dux qui populum Dei docere debet, si doctrinam nesciat, nec discere velit, sed seducit auditores suos & seipsum simul.

XLVI. Presbyter hominibus recte prædicare debet veram fidem, & illis conciones recitare, & ægrotos visitare, ac infantes baptizare, quomodo quam commodissime ad baptisma persuaderi possunt: & si ægrotus laicus cupit, ut oleo inungatur, tunc faciat confessionem suam, & ante unctionem condonet omnem iram; & si deinde convalescat, & post unctionem sanus fiat, nisi ipse contrarium proposuerit sibi, uxore & carne utatur, si velit.

XLVII. In unctione medicina & peccatorum remissio est, & non est ordinatio, uti nonnulli putant; & si quis deinde ægrotet, ungatur si necesse est, & si mors ei superveniat, adstet quis ei, ut corpus prudenter & animam diligenter Deo committat.

XLVIII. Attamen nonnulli Presbyteri male

le agunt, nimium placentes hominibus morituris, & invitati colliguntur ad corpus, uti avidi arietes cum hospitium viderint. Ast decet eos juste assistere viris, qui ad monasterium eorum pertinent, & nemo abire debet in alterius sequela ad corpus aliquod, nisi invitatus sit. Scitote etiam, quod nullus Presbyter jure avarus mercator esse debeat, neque direptor mundanus in comitatibus, nec omnino frequenter bibere in œnopoliis nimis, neque libenter ebrietati indulgeat, nec nimis superbus, nec nimis jactans, nec in cingulis suis nimis arrogans, nec auro decoratus *sit*, sed bonis moribus seipsum honoret.

XLIX. Non sit litigiosus, nec murmurans, nec seditiosus, sed contentiosos pacificare debet, si unquam possit, nec arma legitime portare debet, nec ad pugnam abire, si sit Dei miles, quoniam Canon nobis dicit, si occidatur in certamine populi, vel pro aliqua lite, quam ipse concitavit, ut nullibi pro eo missa celebretur, nec pro eo publice oretur, attamen sepeliatur in honesto sepulchro, & omnia Dei judicio relinquantur.

L. Nunc aliqui Sacerdotes dicunt, quod ex necessitate arma portare debeant, dicentes, quod Petrus armatus fuerit, cum Dominum suum defendere vellet, hoc fuit, cum auferret delinquentis aurem, qui in societate fuit, ubi Christus vinciebatur; ast dicimus profecto, quod verus Dei Filius, & qui eum sequebantur, nunquam cum armis aut cum aliqua re militari incesserint, licet inter eos cum Judæi ipsum vincirent, duo gladii adessent, uti dictum est: *Domine chare*, *dicebant illi qui eum sequebantur*, *hic sunt duo gladii*, & si illi ibi ante fuissent, non dixissent ita. Et si Petrus debuisset hunc immundum hominem occidere, Christus non jussisset eum ab hoc opere abstinere, sed dicit ei: *Impone gladium in vaginam cito*, *& desine a pugna*, *statimque sanavit illum*, *quem Petrus vulnerabat*. Posset si vellet statim sufficientem exercitum militarem habere, ast omnia quæ perpetiebatur, propter nostram utilitatem perpetiebatur; & idem Petrus, qui pugnabat, deinde cruci affigebatur propter veram Domini nostri fidem, & ipse e contrario nihil veritus est nec verbo nec opere, sed perpetiebatur patienter pro amore Domini sui, & pro vera fide omnia quæ ipsi infligebantur, in quorum præmium habuit cœleste gaudium.

LI. Ex hoc Dei Ministri cognoscere possunt, quod non debeant in bellum nec in militiam mundanam aliquam proficisci, & cum spiritualibus armis pugnare cum Diabolo.

LII. Neque eum decet vel uxor vel bellum mundanum, si Deum recte obsequi velit, ac Dei Leges servare, prouti ordini ejus recte convenit. *Sit nomen Domini benedictum*, *&c. Amen*.

Sequitur Secunda Epistola, quando dividis Chrisma.

AH vos Presbyteri, Fratres mei! Jam vobis dicimus id quod antea non dicebamus, quoniam hodie oleum nostrum dividemus tribus modis sanctificatum, prouti nobis monstrat liber; id est, oleum sanctum, & oleum chrismatis, & oleum infirmorum: & habeatis tres ampullas quotannis ad tria illa olea, quia non debemus ea miscere in una lecytho; quodlibet enim illorum consecratum est separatim ad diversa servitia. Sacro oleo infantes ethnicos signare debetis in pectore, & inter humeros, in medio, signo crucis, antequam aqua eos baptizetis ad baptisterium, & cum ex aqua deducitur, signum crucis imprimere debetis capiti cum sancto Chrismate. Ad sacrum baptisterium, antequam eum baptizetis, Chrisma in signo crucis Christi signetis, nec aqua baptismali quis aspergi debet, postquam Chrisma ei sit inunctum. Cum oleo ægrotorum hominum infirmos ungetis, prouti Jacob Apostolus in epistola sua adnotabat, *Ut allevet eos Dominus*, *& si in peccatis sint*, *dimittentur eis*. Ægrotis sacra Eucharistia administranda est, quamdiu eam deglutire potest, nec alicui semimortuo ea danda est, quoniam illam manducare debet, uti Dominus noster dicebat, *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum*, *in me manet & ego in eo*. Nonnulli ægroti adeo stulti sunt, ut timeant quod statim propter S. Eucharistiam moriantur; ast dicimus pro certo, quod non ideo moriatur, licet per aliquot dies susceperit S. Eucharistiam, sed peccata ejus deleta sunt per Dominicum illum panem, & ipse etiam securus est a Diaboli seductione. Ægrotum admodum pœniteat priscorum suorum peccatorum, & emendationem promittat, & confiteatur ea usque ad extremum halitum, & remittat omnibus qui ipsum prius offenderunt, & remissionem ab eo expetunt. S. Eucharistiam dare debetis infanti simulac baptizatus est, ac portetur ad Missam quæ consecrata fuit per septem dies quamdiu ipse infirmus fuit. Missa non est celebranda in domo laici, non est bibendum, nec hæreticorum more ludendum, nec manducandum in Ecclesia, nec inutilia verba ibi dicenda sunt; sed orandum est, quoniam domus orationis ipsius est, & quia Salvator etiam expulit e sancto templo omnes, qui in hæresibus suis fabulabantur, & dixit ita, *Domus mea vocata est domus orationis*.

L I-

LIBER LEGUM ECCLESIASTICARUM,

Qui vulgo vocatur,

CAPITULA INCERTÆ EDITIONIS. (1)

OBsecro vos & humiliter doceo, viri chariſſimi, ut hoc modo longo tempore defleatis peccata veſtra, quoniam in futura vita noſtræ lacrymæ pro nihilo æſtimantur. Hic audiant Dominum, cum eos rogat ac illis concedit remiſſionem peccatorum. Hic admodum mitis nobiſcum eſt, ſed ibi eſt valde ſeverus. Hic miſericordia ejus ſuper nos eſt, ſed ibi eſt æternitas. Hic eſt temporalis jucunditas, ſed ibi eſt diuturna anguſtia. Hic ſunt hujus mundi deliciæ, ſed ibi ſunt æternæ pœnæ. Hic eſt riſus, ſed ibi eſt æternus luctus. Ibi erunt veſtimenta noſtra mollia in æterno igne expanſa. Hic eſt animi noſtri elatio, ſed ibi ejus tenebræ ſunt. Aſſequamini ea, viri chariſſimi, quæ vobis futura ſunt, & ſemper ſoliciti ſitis de ſalute animæ veſtræ; plorate in hoc mundo, ne poſtea plorare debeatis luctum infinitum. Conſiderate hic, ut ibi non ſitis humiliati, & ut non ſitis miſſi in extremas tenebras & in inextinguibilem ignem. Ah, viri chariſſimi, quis eſt adeo duro corde, ut deflere nequeat futuram pœnam, & eam timere? Quid quæſo nobis eſt melius in hoc mundo, quam cum ſemper peccatorum noſtrorum pœnitentiam agimus, & ea eleemoſynis redimimus, ut per eleemoſynas æternam pœnam evitare poſſimus, quoniam hic mundus tranſit, & omnia quæ in illo ſunt, & tunc cum anima noſtra ſola Deo Omnipotenti vere ſatagere debeamus. Non poteſt ibi pater auxiliari filium, nec filius patrem, ſed quilibet ſecundum facta ſua judicabitur. Ah homo, quid agis, ut muto animali non ſis ſimilis; cogita & reminiſcere quantam diviſionem Deus inter nos fecerit; indidit intellectum animæ, quem bruta non habent. Ah homo, vigila, & ora, & obſecra, quamdiu potes; recordare quod Dominus pro te ex alto cœlo in humili conditione deſcendit, ut te ad vitam ſupernam duceret. Tunc aurum noſtrum ac argentum non poteſt nos juvare a cruenta illa pœna, & inextinguibilibus flammis, & vermibus non morientibus, qui acuunt ſanguineos ſuos dentes, ideo ut abſque ulla miſericordia corpora noſtra vulnerent & ſcindant, cum tuba canitur, & magna voce exclamatur, & primum dicitur ad vere jejunantes: Surgite vos electi Chriſti, ecce jam venit vobis Cœleſtis Rex, & immortalem ſponſum tum videbitis, quem antea adeo dilexiſtis, antequam in terram redacti eſſetis. Surgite & videte magnum illum & terribilem Regem; venite jam & accipite eam gratiam, quam oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis aſcendit, quam Deus vobis hodie largitur. E contrario, quam inæqualem ſententiam eloquetur ad peccatores: Surgite vos impii & peccatores, ecce hodie vos relicti eritis in infima inferni fovea, & ibi erit veſtra felicitas & gloria & gaudium veſtrum in miſeria. Ah quam miſeri & infelices erunt illi, qui Dei præcepta adeo negligunt, ut hanc terribilem ſententiam audire debeant: & ideo nunquam ſimus ſecuri, ſed ſemper noſtrum mortis diem anter corporis noſtri oculos ponamus; quoniam gloria hujus mundi brevis eſt & deficiens & fugiens, & generatio hujus ſeculi pauper eſt. Ubi ſunt Reges qui olim erant, & potentes hujus mundi? Ubi eſt illorum aurum, & veſtium eorum ornatus? Ah pro quam brevi vita ad longam mortem ſunt deducti, pro quanta brevi gloria ad tam longam mœſtitiam; pro tam brevi lumine ad tantas tenebras; pro tam parvo lucro ad tam duras & tam triſtes pœnas; pro tam brevi riſu ad tam longas & acerbas lacrymas. Ibi ſunt tenebræ & inextinguibilis ignis, ibi ſunt duræ et acerbæ manſiones, ibi ſunt immenſæ pœnæ, et indicibiles caſtigationes; in miſeris illis qui nunc Dei præcepta contemnunt, erunt cruciatus, et illis nunquam requies aliqua dabitur, niſi illis ipſis diebus cum Dominus Salvator Chriſtus a mortuis reſurgeret. Audiamus nunc de aliquo ſancto viro, qui ad ſpiritualem viſionem ducebatur; vidit animam cujuſdam hominis, quæ cogebatur ex corpore ſuo exire, ſed miſera anima non audebat exire, quoniam videbat execrabiles ſpiritus ante ſe ſtantes. Hæc cum Diabolus audiret, dicebat: Quid eſt quod facis? Quare non vis exinde exire? Quando venit Michael Archangelus cum cohorte Angelorum, & te quantocyus auferet. Tum alter aliquis Diabolus ei reſpondebat ac dicebat: Non

(1) Quamvis neminem habeamus, cui nominatim tribuatur hoc Capitulare; ab Epiſcopo tamen aliquo congeſtum eſſe, & Clero atque plebi ſuæ inditum cognoſcimus, quod Sacerdotes in exordio alloquutus, *Scitote*, inquit, *veſtrum gradum eſſe noſtro gradui ſecundum*; Sacerdotalem nempe Epiſcopali proximum. Continent Capitula hæc Monita & Regulas ab eccleſiaſticis perſonis obſervandas.

Non timeatis, novi opus ejus, et ego semper die ac nocte fui cum misera anima ipsius, quæ hæc contemplabatur, & misere invocabat, ac dicebat: Væ mihi misero, quare unquam creata esse debui; vel quare unquam hoc impurum & pessimum corpus ingredi debui. Illa corpus suum respiciebat ac dicebat: Væ tibi, miserum corpus, quod aliorum hominum laborem sumpsisti, & quod semper super terram opes thesauravisti, & quod te ornavisti pretiosis vestimentis, & cum esses rubrum, ego eram nigra; tu eras hilare, & ego fui mœsta; tu gaudebas & ego plorabam; ah te miserum, nunc factum es impurissimum cadaver, & saccus vermium; jam multum temporis quiesces in terra, & ego cum miseria & gemitu ad infernum deducar, corpus autem admodum perpetietur & varie plectetur. Diabolus e contra clamabat & dicebat: Pungite cum dolore oculos ejus, quoniam eodem hoc modo oculis suis injustum omne commisit. Pungite cum dolore os ipsius, quoniam eodem modo omne quod ipsi placuit, comedit vel bibit, vel locutus est omne quod voluit. Pungite cum dolore cor ipsius, quoniam in eo non habitavit religio, misericordia, nec amor Dei. Hæc nominabat misera illa anima cum multo dolore & gemitu, & illi superimponebant illi valde nigras suas pennas, & dum cum iis provehebantur, misera anima multos vidit splendores; interrogabat Diabolos quid splendor ille esset. Illi respondebant ei ac dicebant; Nonne recordaris quod sit cœlestis regni gaudium, ex quo exiisti, cum in corpus tuum intrares: nunc abis per pulcherrimas & splendidas mansiones, sed ibi non debes habitare; nunc cum audiveris Angelorum cohortes, & tu videris omnium sanctorum splendorem, & tamen non est permissum tibi, ibi habitare. Misera anima e contra cum multo dolore & luctu flebat ac dicebat: Væ mihi quod unquam tam misera lumen mundi videre debuerim. Diaboli eam deducebant, & plorantem ac gementem tradebant aliquibus ignitis draconibus, qui inflammabant igneum & acerrimum gummi, & hoc incendebatur ac deinde evomebat in summe ardentem flammam. Vos igitur rogo, viri charissimi, ut hoc exempli loco proponamus, cum nempe talem pœnam agnoscamus & credamus; ast neutiquam Dei misericordiæ diffidere unquam debemus; sed nos decet cum multa humilitate ad æternum gaudium aspirare, ubi non est timor mortis, nec temptatio Diaboli: sed ibi est juventus absque senio, & lumen absque caligine, & gaudium absque tristitia; ibi est quies absque labore, ibi videntur rubri flores germinantes, ubi nihil senescit, ubi nunquam luctus, nec gemitus, nec lamentationes nec ploratus audiuntur; ubi nunquam pœna videtur nec sentitur, nec locus unquam acerbitatis ac afflictionis invenitur; ibi nunquam tonitru nec fulmina videntur, sed ibi assiduus organorum sonus est, quæ ab Angelis & Archangelis in conspectu supremi Regis sonantur. Agedum, viri charissimi, assequamini hoc quantopere nobis cogitandum est de futuro timore, et ideo recordari debemus, quod hæc vita in qua nunc vivimus est brevis, et est laboriosa, et caduca, et deficiens, et misera, et dolosa omnibus iis qui eam diligunt. In labore vivimus, et in dolore morimur, et tunc post vitæ hujus finem miseri et peccatores, qui nunc peccatorum suorum pœnitentiam agere et eleemosynas dare nolunt, ad inferni pœnas ducentur, et ibi pro malefactis suis immoderatam afflictionem patientur, ibi misera anima suspendetur super summe ardentem flammam, et ibi opprimetur, et vincietur, et deorsum dejicietur in locum maxime nigrum; talem pœnam plenariam perpetientur, et omnium maxime qui nunc misericordiam nullam exercent erga delinquentes. Sed agedum revertamur in meliorem statum, et consequemur æternum regnum cum Christo et cum omnibus Sanctis ejus in omne seculum seculi absque fine. Amen.

Ego vos obsecro, fratres dilectissimi, ut vigilanti labore curetis emolumentum bonorum operum, et compensationem malefactorum vobis subjecti populi; quomodo eum semper quam diligenter docere possitis viam quæ adauget salutem, sive doctrinis sive etiam exemplis justæ vestræ vitæ, ut tam vos pro eorum progressu, quam nos pro vestra promptitudine, possimus Deo dignos fructus ferre, iis, qui nobis concrediti sunt utiles. Rogo vos etiam sedulo, fratres, ut vos hæc pauca capitula, quæ pro vestro communi usu ex sacris libris collegi, sæpissime legatis, et ea in memoria vestra retineatis, et vitam vestram quotidie sacrorum librorum lectione, et bonorum operum cultibus ornetis ac emendetis, et cum vobis subdito populo, Deo auxilio ad cœlestem regnum aspiretis.

I. Absque dubio scire debetis et semper meminisse, quod nos quibus commissa est cura populi Dei, et gubernatio animarum illorum, pro omnibus iis qui ex nostra negligentia pereunt, rationem reddituri simus in die Judicii, et pro iis quos nostris exemplis et doctrinis Deo thesaurizaverimus, accepturi simus præmium ejus, vitam æternam. Nobis dictum est per Dominum nostrum, *Vos estis sal terræ*; si igitur populus Christianus est Dei cibus, et nos sumus sal, tunc Deo auxiliante per nos populus ad Dei voluntatem contineri debet. Scire etiam debetis, quod vestri ordines sint posteriores nostris ordinibus, et nobis proximi. Sicuti Episcopi sunt in loco Apostolorum in sancta sua Ecclesia; ita Presbyteri sunt in Christi Ministrorum loco: Episcopi

Aaronis, et Presbyteri ordinem habent filiorum ejus; quoniam vos decet semper esse memores tam magni honoris ordinis vestri, et consecrationis etiam ac unctionis ejus, quam in manibus vestris accepistis per Episcopi manus, cum ordinem susciperetis, ut nunquam tam sacram benignitatem perdatis, nec manus vestras tam sacro unguento unctas, peccando polluatis, sed conservantes vestram cordis & corporis puritatem, omni populo exemplum sistatis bene vivendi, et iis quibus præestis, ostendatis viam veram ad Regnum cœleste.

II. Vos decet admodum sedulo sacros libros legere, et frequenter orare, quoniam qui justæ esset vitæ per lectionem sacrorum librorum ad Deum incitatur et disponitur, et per orationem ornatur, juxta id quod David dicit: *In corde meo abscondo eloquia tua, ne peccem contra te.* Hæc nempe sunt arma, quibus Diabolus superatur, hæc est crebra assidua lectio sacrorum librorum, et continuæ preces. Hæc sunt illa instrumenta, quibus cœleste regnum obtineri potest. His armis quodlibet vitium comprimitur, et his alimentis omnes virtutes nutriuntur et promoventur.

III. Illis temporibus cum a lectione sacrorum librorum et oratione cessatis, debetis aliquod utile opus mundanum auspicari, quoniam ignavia inimicus est animæ, et quia Diabolus ultro sæpe eum ad vitium aliquod perducit, quem invenerit otiosum ab aliquo bono opere. Per consuetam igitur sacrorum librorum lectionem, potestis tam discere quomodo ipsi ad Regnum cœleste pervenire, quam etiam quomodo alios docere debetis. Per preces autem potestis, tam vobis ipsis quam aliis hominibus, quibus vero amore conjuncti estis, sæpe multo auxilio esse, tam viventibus quam morientibus. Per hoc manificium potestis corpora vestra regere, ut sint eo tardiora ad vitia, et etiam operari possitis per opus illud, ut bonis vestris pauperes auxiliari queatis, qui ipsi nihil habent, et vires non habent, ut operari queant.

IV. Quandocunque ad Episcopi synodum convenitis, habeatis vobiscum quilibet vestimentum missale, et quilibet librum, et quilibet vasa Eucharistiæ, et singula quibuscum vobis concreditum officium administrare possitis; et duos Presbyteros vel tres aut tot laicos ad servitium adducatis, ut sanctum sacramentum reverenter vobiscum celebrare possint, ut in vobis cerni possit quam diligenter et quam magnifice vos Deo in vestris ministeriis serviatis.

V. Injungimus etiam ut panes Eucharistici, quos in sancto Sacramento Deo offertis, vel vos ipsi coquatis, vel servi vestri coram vobis, ut sciatis munde & nitide factos esse: et ut tam panes Eucharistici, quam vinum et aqua quæ ad eorum oblationem pertinent in celebratione Missæ, omni cum puritate et industria et timore Dei tractentur et curentur, ut nihil immundum in iis sit, nec impurum; quoniam nulla celebratio Missæ fieri potest absque his tribus rebus, hoc est panibus Eucharisticis, et vino et aqua, prouti sacra Scriptura dicit: Sit Dei timor vobiscum, et omne quod facitis, facite cum multa diligentia. Vinum significat Domini nostri passionem, quam pro nobis sustulit; aqua populum, pro quo Christus sanguinem suum effudit.

VI. Injungimus etiam ut iis temporibus, quibus Presbyter Missam celebrat, nulla mulier appropinquet altare, sed stet in suo loco, et Presbyter ibi ab illa oblationem accipiat, quam Deo offerre velit. Mulieres recordari debent infirmitatis suæ, et sexus sui imbecillitatis, et ideo cavere debent, ne aliquid illarum sacrarum rerum immundent, quæ ad Ecclesiæ ministerium pertinent, ut etiam laici viri pertimescant, ne forte talem promereant pœnam, qualem Uzza promeruit, cum arcam Dei portare vellet, prouti eum non decebat, quoniam cito ibi a Domino percutiebatur.

VII. Non debet Presbyter unquam solus absque aliis viris Missam celebrare, ut sciat, quando salutet, & quis ei respondeat. Debet salutare circumstantes suos, & illi ei respondere debent. Recordari debet tunc Dominici sermonis quem in Evangelio suo dicebat: *Dicebat, ubicunque duo vel tres congregati sunt in meo nomine, ibi sum in medio eorum.*

VIII. Sæpe etiam vidimus in Ecclesiis tam frumentum quam fœnum, & quodcunque mundanum quid contineri; at nolumus, ut ibi aliquid contineatur, nisi quod ad ecclesiasticum ornatum pertinet; hoc est, sanctus liber, & vasa Eucharistica, & vestimentum missale, & Ecclesiastici habitus in singulis negotiis, tam in vestimentis quam in vasis, ne forte alias ad nos dicatur, prouti ad Judæos: *Domus mea dicta est domus orationis, nunc fecistis illam latronum cryptam.*

IX. Antiquus erat mos in his regionibus, ut mortui homines in Ecclesiis sæpe sepeliantur, & loca, quæ ad Dei ministerium sanctificata & consecrata erant ad offerendum ipsi, fiant cœmeteria. Jam nolumus abhinc ut aliquis in Ecclesia sepeliatur, nisi sit vir aliquis Sacerdotalis ordinis, aut etiam tam justus laicus, ut sciatur quod vivus ex merito vitæ suæ talem locum promeruit corpus suum ibi reponendi. Nolumus etiam, ut corpora quæ prius in Ecclesia sepulta erant, ejiciantur, sed ut tumuli, ubi appareant, vel ibi, vel alte illic in terra sepeliantur, vel juxta viam, & æqualiter cum Ecclesiæ pavimento, & cum reverentia fiat, ut nullus tumulus ibi videatur. Si autem in aliquo loco tot tumuli sint, ut hoc difficile sit facere, tunc sinant loca

illa cœmeteria esse, & auferatur altare inde, & in purum locum ponatur, & ibi Ecclesiæ sint, ubi Deo reverenter & pure offerri possit.

X. Non est justum, ut ob aliam aliquam rem ad Ecclesiam abeamus, nisi ad orandum & pro Dei amore; quoniam prohibemus tam tumultus quam lusus & vaniloquia, aut quæcunque inutilia in sacris locis fieri. Proculdubio ubicunque Dei nomen crebro invocatur, & sacrum sacramentum in Missæ celebratione offertur, nullum est dubium quin Dei Angelorum præsentia valde prope sit; & ideo valde periculosum in sacris illis locis vel illud facere aut dicere quod locis illis non convenit, cum Dominus noster illos homines ejecerit ex templo suo, qui tam emebant quam vendebant quicquid Deo offerebant. Quanto magis putandum est, quod illos in ira ex templo suo sit abjecturus, qui mendaciis & vaniloquiis & immodicis risibus, & hujusmodi nugis loca ad Dei ministerium consecrata fœdant & polluunt.

XI. Neque etiam justum est, ut Missa celebretur in aliquo loco nisi in Ecclesiis, neque in domibus, neque in aliquo loco, nisi in locis illis, quæ Deus ad id elegit, prouti scriptum est: Non offeras hostiam tuam in quolibet loco quem videris, sed in illo loco quem Deus ideo elegit, ut nomen suum ibi ponat; excipe si in exercitu sit, tunc tentorium servetur ad hoc unicum & consecrata altaria, in quibus ministerium celebrationis Missarum expleatur.

XII. Non est justum ut mulier aliqua cum Presbytero in domo habitet, licet Canones matri & sorori concedant, & illis personis quas alicujus infamiæ accusare non audemus; attamen interdicimus singulis mulieribus, quoniam si de cognatione earum sint, habent alios servientes quos timere possumus, ut Presbyterum ad peccatum illiciant.

XIII. Cuicunque Presbytero etiam quam maxime necessarium est, ut seipsum ab ebrietate defendat, & etiam populo qui ei subjectus est, illud doceat. Presbyteri non debent in tabernis comedere vel bibere, neque debent peregrini territorium vel domum vel spectaculum aliquod quærere, neque cum mulieribus, vel cum aliquibus impuris personis aliquam societatem habere; sed si aliquis spectabilis paterfamilias eum ad domum suam invitet, si velit cum uxore sua & liberis spirituali gaudio lætari, et ab eo excipere refectionem spiritualis doctrinæ, hac ipsi ex charitate porrigere corporalem refectionem; tunc decet, ut eos in humilitate visitetis, ac illos spiritualibus vestris doctrinis reficiatis, qui vos mundanis suis bonis refecerunt.

XIV. Non suadeat aliquis Presbyter aliquem alterius Ecclesiasticæ Parochiæ ad suam Ecclesiam, neque *aliquem* alterius Parochiæ doceat, ut suam Ecclesiam quærat, et ipsi decimas suas det, et eos corrigat, qui aliis illas dare deberent. Sed quilibet gaudeat propterea quod quis ad Ecclesiam ejus veniat, et Deo ejus rei causa gratias agat, quoniam scriptum est, quod nemo alteri id facere debeat, quod nolit ut quis ei faciat. Et dictum est etiam in S. Evangelio, *Quæcunque vultis, ut vobis alii faciant, facite hoc illis ipsi.* Quisquis autem hæc constituta et nostram doctrinam spreverit, sciat alterutrum horum vel quod ordinem perdere debeat, vel quam gravissime compenset juxta jus Legis.

XV. Omnino etiam jubemus, ut nullus Presbyter alterius Presbyteri Presbyter fiat, nec eum persuadeat, licet ipsum quærat, ne aliquem illi subducat, quoniam quam firmissime in Canonibus prohibitum est.

XVI. Si quis Presbyter inventus sit, quod vel Sacerdotalis vel laici ordinis homini aliquod munus impendat vel impenderit, pro eo quod velit alterius Presbyteri Ecclesiam surripere, sciat pro hac rapina et pro hac severa avaritia, quod utrum horum vel Ecclesiam suam perdere, vel in carcere per longiorem et ærumnosiorem pœnitentiam emendare debeat juxta præscriptum Legis et pro Episcopi jussu ac auctoritate.

XVII. Si quis aliquem ægrotum infantem ad Presbyterum apportet, cujuscunque Presbyteri Parochiæ sit, tunc statim eum baptizet, et pro nullo impedimento illum baptizare negligat, quocunque modo sit; si pro aliqua re hoc negligat, et absque baptismate moriatur, tunc sciat, quod in die judicii pro anima illa rationem reddat Deo.

XVIII. Nullus Sacerdos vel laicus unquam audeat præsumere vel calicem vel patinam, vel aliquod vasorum quæ ad divinum cultum sanctificata sunt, ad aliquem mundanum usum convertere; nempe si ex consecrato calice aliquid aliud præter Christi sanguinem bibat, qui in Sacramento Missæ consecratus est; vel patinam ad ulla alia servitia adhibeat præter altaris, cogitet quod ipsi accidat uti Balthazari, cum Domini consecrata vasa in suum servitium adhiberet, perdebat simul tam vitam quam regnum suum.

XIX. Si quis Presbyter velit nepotem suum vel consanguineum suum quendam ad scholam mittere in Ecclesiis quæ nobis ad gubernandum concreditæ sunt, concedimus ei hoc libentissime.

XX. Presbyteri semper debent in domibus suis Ludimagistrorum scholas habere, & si quis devotus parvulos suos eis ad docendum concredere velit, illos quam libentissime suscipere et benigne docere debent. Cogitare debetis, quod scriptum sit, quod *qui docti sunt, fulgebunt sicut splendor cœli*, et quod *qui multos ad justitiam eru-*

diverunt & docuerunt, splendebunt sicut stellæ in æternum. Attamen non debent pro instructione aliquid expectare a consanguineis eorum, nisi quod propria voluntate facere voluerint.

XXI. Cum nempe tota Sacra Scriptura exemplis ac doctrinis bonorum operum repleta sit; et cum in campis Sacræ Scripturæ facillime arma inveniri possint, quibus vitia comprimi et bona opera promoveri queant; tamen nobis placuit in hac Scriptura cujusdam sancti Patris sententiam addere, ad promovendum et docendum bona opera. In hac sententia paucis verbis positum est, quid facere et quomodo nos gerere debeamus. Primo omnino ibi jussum est, ut quisque diligat Dominum Deum suum toto suo corde, et cum tota sua anima, et cum omnibus suis viribus, et proximum suum sicut seipsum. Postea etiam jussum est, ne quis occidat, ne quis injustum adulterium committat, ne furetur, ne alterius rem injuste cupiat, ne in falso testimonio inveniatur. Jussum etiam est, ut quemlibet honoret, et nemini faciat quod nolit, ut quis ipsi faciat, et abneget corporis sui desideria, et sequatur Christi præcepta, ac mundet corpus suum, et mundi ornamenta non desideret; et jejunium amet, inopes pascatur, et nudos vestiat, infirmos visitet, mortuos sepeliat, omnibus afflictis auxilio sit, et dolentes consoletur, et eos ipsos quantum potest, semper postea tam verbis quam factis mundanis moneat ac conservet, et nihil eis adeo imprimat quam amorem Christi; et in ira sua nihil faciat, cujus eum postea pœnitere possit, neque saltem per aliquod tempus iram retineat, ac in corde suo nullum dolum foveat, et nulli homini pacis osculum det, nisi in corde cum eo plenam pacem habeat; et cum nullo homine iram teneat post solis occasum, sed omnibus quibus iratus fuit ante solis occasum in animo suo remittat, et verum Dei ac proximi amorem nunquam negligat, et nunquam juret, ne forte pejeret, et ex corde ac ore suo semper veritatem producat, et nemini malum malo compenset. Nemini injuriam faciat, sed si quis ei aliquam fecerit, patienter illam ferat, ac ex Dei amore inimicum suum diligat, & si quis ei maledicit, ipse postea non maledicat, sed ei potius benedicat; & si quis eum coram aliquo judicio exequetur & persequatur, perferat hoc libenter. Non sit superbus, non sit ebrietati deditus, non sit somnolentus, non sit nimium edax, non sit piger, non sit murmurans, non sit detrectator, sed omnem spem suam in Deo collocet, & si quid boni fecit, attribuat Deo, non sibi ipsi, & quod ipse malum facit, vel antea fecit, sciat hoc venire de seipso. Recordetur semper diei judicii, & timeat inferni pœnam, & omni cum spirituali desiderio desideret æternam vitam, & meminerit quotidie novissimi diei vitæ suæ, & quovis tempore annitatur bonum facere, & cogitet absque dubio, quod semper sit coram oculis Dei; & si malæ cogitationes quædam in animo ipsius oriantur, tunc confiteatur ea statim spirituali suo medico, hæc est confessio ejus; & semper cogitet passionis Domini nostri, quomodo ille ex humilitate sua & pro nostra necessitate egebat qui creavit omnes creaturas, humiliatus, in cruce est affixus, & quomodo ipsi deinde tam pedes quam manus clavis perforatæ sunt, & quomodo latus ejus hasta transfixum est; tunc his cogitationibus dispellere potest malas cogitationes, & ex animo suo elongare. Os suum a perversis malis eloquiis continere debet; non sit ipsi gratum multa injuste loqui, neque loquatur vana verba, quæ inutilis risus sequitur, neque diligere debet multos & immodicos cachinnantes risus, sed sanctorum librorum lectionem libenter audiat, ac crebro preces suas dicat, & sic anteactum malum lacrymis & gemitibus quotidie in oratione Deo debet confiteri, & remissionem ab eo petere, & Deum sedulo orare, ut ipsum in posterum præservet tam contra anteacti mali repetitionem, quam contra quodcunque malum; corporis sui desideriis non obsequatur, nec propriam voluntatem sequatur, sed in omnibus rebus Magistri sui præcepta audiat, licet sint prouti Deus vult ut non sint, quod Doctor qui eum bonum docet, ipse aliud quid faciat, recordari debet sermonis, quem Dominus noster in Evangelio suo dicebat, quod id quod vos facere jubent, faciatis, & quod ipsi faciunt, non faciatis, cum ipsi vos bonum docent & contrarium faciunt. Non vult ipse ut sanctus dicatur antequam talis sit, sed mereatur prius esse, ut a Domino possit sanctus nominari. Dei præcepta quotidie factis impleat, castitatem diligat, nullum hominem oderit, invidiam aut rancorem non foveat, disputationes non diligat, elationem fugiat, seniores veneretur, et juniores amet Christi amore, et pro inimicis suis oret. Cum iis quibuscum discordiam habuit, ante solis occasum redeat ad pacem, de misericordia Dei nunquam desperet. Jam hæ sunt doctrinæ et instrumenta spiritualis artis, quæ si a nobis die et nocte indesinenter exercitata sint, et ad vitæ nostræ finem adimpleta, tunc erit nobis ejusmodi a Deo compensatio, quam promisit iis, qui præcepta ipsius observabunt ac præstabunt, cum nullus unquam oculus vidit, nec ulla auris audivit, neque in ullius hominis cor ascendit, quæ præparavit Deus illis, qui ipsum amant.

XXII. Omnes fideles commonendi sunt generaliter a minimo ad maximum, ut quilibet discat *Pater Noster* et *Credo*; et ipsi dicendum est ac considerandum, quod in his duabus sententiis fundamentum totius Chri-

Christianæ fidei est; et nisi quis has duas sententias dicere et ita credere possit, prouti inibi dictum est, et illas sæpe recitare, non potest esse Christianus. Olim constitutum erat, ut nullus eorum qui nesciebat *Credo* et *Pater Noster*, neque ab Episcopo confirmari, neque ad baptisma aliquem suscipere, neque dignus haberi debeat baptisma baptizare, nec episcopare, nisi ætatem habeat, ut ante nominatas sententias discere nequeat.

XXIII. Christianis laicis etiam dicendum est, ut quisque bis saltem oret die, nisi sæpius queat, hoc est, mane et vesperi, nisi quis *Pater Noster* et *Credo* possit, cantet et dicat: *Domine tu qui me formavisti & creavisti, miserere mei, Deus miserere mei, peccatoris*; et Deo gratias agat pro quotidiano victu, et quod ipsum ad imaginem suam creaverit, et quod eum a pecoribus segregaverit, et his ita factis, et Creatore suo solo adorato, invocet Dei sanctos, et oret ut pro eo apud Deum intercedant, primo ad Sanctam Mariam, et ad omnes Dei Sanctos. Illi qui Ecclesiam adire possunt, hoc faciant in Ecclesia; illi qui Ecclesiam adire non possunt, faciant id ubicunque sunt, sive vesperi sive mane, quoniam Psalmista dicebat: *In omni loco est dominatio Dei*; et deinde loquebatur ad Deum, *In omni loco tu es; & licet in cœlum ascendero, ibi tu es.* Similiter dicebat, *Nullum locum invenire possum, in quo dominatio tua non sit.*

XXIV. Dies Solis admodum sancte est celebrandus, quoniam jussi sumus ut nullus homo præsumat in hoc sancto die aliquod mundanum opus inchoare, nisi cum quis cibum suum præparat; excipe si accidat ut proficisci debeat, tunc debet sive equitare, sive navigare, sive eam viam aggredi quæ ad iter illius conducit, ea conditione, ut Missam suam audiat, et preces suas non negligat. Die Solis Deus creabat prius lucem, et eo die mittebat populo Israelitico in deserto cœlestem panem, et illo die resurgebat a mortuis, postquam antea sponte pro humani generis salute mortem esset passus, et in illo die mittebat Spiritum Sanctum super servos suos; ideo quam maxime justum est, ut quilibet Christianus illum diem maxime honorifice celebret. Oportet etiam, ut omnis Christianus, qui hoc perficere potest, die Saturni ad Ecclesiam veniat, et luminaria secum adferat, ac ibi vesperas audiat, et noctu laudes nocturnas, et mane cum oblationibus suis veniat ad Missarum solemnitatem; et cum illuc veniunt, non audiatur ibi aliqua contentio, nec aliquod jurgium, nec aliquod scandalum, sed sereno modo in hoc sacro ministerio tam pro seipso quam pro omni Dei populo intercedat, tam precibus quam eleemosynis suis, et post hoc sacrum officium domum redeat, ac cum amicis et proximis ac cum exteris spiritualiter cibo se reficiat, et eos a nimio esu & ebrietate dehortetur.

XXV. Cuilibet Presbytero etiam maxime necessarium est, ut Parochianos suos diligenter instruat ac doceat, ut hospitales sint, & nullis itinerantibus hominibus domum suam denegent; benefaciant eis omnia Dei gratia quod tunc velint vel possint, quoniam absque dubio quod Dei causa advenis factum est, Deo ipsi factum est, prouti ipse in die judicii dicet illis, qui ad dextram ejus manum collocati sunt: *Ego advena fui, & vos me suscepistis.* Cum igitur Dei gratias habent qui advenas susceperunt, non desiderent aliquod mundanum præmium; per hospitalitatem quam multi homines Deo placuerunt, maxime quia digni erant quod Dei Angeli eos quærerent. Nemo præmium mundi cupiat ab advenis, quoniam illius loco ei promissum est æternum gaudium in Regno Dei.

XXVI. Maxime etiam necessarium est, ut diligenter perjuria inhibeatis, & Parochianis vestris dicatis, quam indecorum peccatum hoc sit, & quantopere prohibitum tam in Lege quam in Libris Prophetarum, & in propriis Christi libris. Item credidimus, quod aliqui homines nimis parvum delictum, quale non est hoc, faciant; sed est aliquod maximorum delictorum, & eodem modo compensandum est, ac homicidium, vel adulterium, vel aliud quoddam capitalium flagitiorum compensari debet. Scire etiam debetis & vestris Parochianis dicere, quod quilibet eorum qui capitale crimen aliquod commiserit, & ad pœnitentiam se convertere nolit, ut ei prohibeatur quælibet communio cum Christianis hominibus, tam in Ecclesiis quam extra, tam cibus quam potus & cohabitatio in domibus, nisi ad pœnitentiam se convertere velint.

XXVII. Presbyteris etiam valde necessarium est, ut Parochianis suis dicant, ut nemo eorum libenter proferat falsum testimonium, quoniam quam gravissimum delictum est, & Dominus noster severissime in monte Sinai illud delictum prohibebat, & ita inquiebat: Non sitis unquam in aliquo falso testimonio, quoniam falsus testis nunquam erit impunitus; quilibet homo qui delictum hoc committit vel commisit, eadem pœnitentia id purgare debet, quam prius de perjuriis & etiam aliis capitalibus criminibus diximus, vel ab omni Christianismo sit separatus; quid potest esse magis stultum, quam cum quis ex cupiditate auri & argenti, vel pretiosorum vestimentorum, vel alius mundanæ rei, in tale grave delictum cadat, ut vel septem annis in summe arcta ærumna in pœnitentia vivere, vel ab omni Christianismo segregari debeat? Dominus noster dicebat, quod homini nihil profit, licet totum mun-

dum lucretur, si animam suam perdere vellet.

XXVIII. Præcipimus etiam Presbyteris, qui nobis subjecti sunt, ut diligentissime populum doceant, eos qui in libris instructi sunt, ut sæpe ac diligenter Parochianos suos ex libris doceant: qui autem tum in libris non sunt instructi, tunc præcipiant junioribus suis, ut a malo abstineant, & bonum faciant, pacem quærant & sequantur, & dicant eis, quod oculi Dei sint super justos, & aures ejus audiant justorum petitionem, & facies Domini sit super male agentes, ideo ut eos perdat & deleat de terra. Nemo vestrum animum eorum doctrina hac onerare potest: quilibet vestrum linguam habet, si benedicere velit, potest ea semper aliquos statim corrigere. Ita quisque Sacerdos qui aliquem in errore viderit, omnes vires impendere debet, ut ipsum in rectum ducat tam increpando, quam obsecrando et orando, ac neminem eorum relinquat antequam illos ad aliqua bona opera perduxerit. Volo etiam ut temporibus conventionis, Deo juvante, ad Synodos conveniamus, ut unusquisque mihi dicere sciat quos fructus, Deo juvante, in Provincia sua collegerit, et quomodo Parochianos suos ad rectum deduxerit, qui antea in errore vivebant; et utrum quis meo auxilio indigeat; tunc statim ei paratus sit in vero amore Dei et hominum, quam firmissime ego postea præstare possum.

XXIX. Debetis etiam monere Parochianos vestros, ut preces suas præcipue eo modo faciant, quo vos eos orare docuistis. Primum *Credo* cantare debent, tunc erit hoc simillimum vestro fundamento veræ fidei illorum; et postquam *Credo* cantaverit, dicat ter, Deus qui me creavisti, miserere mei; et ter, Deus miserere mei peccatoris; et deinde cantet Orationem Dominicam; ac postea si locum et tempus habeat, oret prius Sanctam Mariam, et Sanctos Apostolos, et Sanctos Martyres, et omnes Dei Sanctos, et pro eo apud Deum intercedant, et tunc frontem suam cum sanctæ crucis signo armet; hoc est, signet se, et tunc cum elevatis manibus et oculis in corde suo Deo gratias agat pro eo, quod ipsi remiserit tam levia quam gravia; si autem tempus non habeat, ut hæc omnia facere possit, faciat tamen sicut supra diximus; hoc est, dicat ter, Deus, qui me creavisti, miserere mei; et ter, Deus miserere mei peccatoris; et postea interiori corde cantet Orationem Dominicam, et se signet.

XXX. Quolibet die Deo semel vel bis, vel sæpius, si possumus, in oratione nostra, peccata nostra confiteri debemus, dicente Propheta: *Domine delictum meum tibi notum feci, & injustitiam meam non abscondidi tibi: dicebam, ego confitebor Domino injustitiam meam adversus meipsum, & tu Domine remisisti mihi impietatem peccati mei.* Tunc post confessionem cum gemitu et cordis compunctione debemus ad Deum orare, et tum quinquagesimum Psalmum cantare, vel XXIV. vel XXV. vel eorum aliquem qui ad rem pertinet, et sic orationem implere. Confessio quam Sacerdotibus facimus peccatorum nostrorum, hoc bonum nobis facit, quod ab ea consequamur salubria consilia, et medicamenta eorum delictorum quæ in nobis ipsis propter propria nostra opera inesse dicimus, et observationibus præceptorum illorum quæ nobis injungit, peccata nostra abolere. Tum Confessio quam Deo soli confitemur, hoc bonum nobis facit, quanto sæpius ejus meminimus, tanto libentius Deus peccata remittit: Domino dicente per Prophetam, *Peccatorum tuorum non recordor.* Ast e contrario quanto sæpius peccatorum obliviscimur, eo libentius Deus illorum recordatur. Nobis necesse est, ut cogitemus, quid David Propheta dicebat, et etiam faciamus hoc quam maxime possumus: dicebat, *Injustitiam meam cognoscebam, & peccatum meum semper est coram me.*

XXXI. Quodlibet peccatum Confessario confiteri debemus, omne quod unquam commisimus, vel verbo, vel opere, vel cogitatione. Octo sunt principalia vitia, ast admodum pauci sunt, qui non aliquibus vel omnibus corrupti. Unum est gastrimargia, alterum fornicatio, tertium tristitia mundi, quartum avaritia pecuniæ, quintum vana gloria, sextum invidia, septimum ira, octavum superbia. Cum quis ad Confessarium suum venit eo consilio, ut necessitatem suam ipsi indicare velit, & peccata sua confiteri, tunc Confessarius eum diligenter interrogare debet de eo quod ipsi confitetur, quomodo res facta sit, an sponte, an invite, & an subito, an considerato modo, & tunc juxta rationem cujuslibet maleficii compensatio Confessario fiat. Valde dissimilis res est cum homine qui seipsum defendendo alium occidit, quam qui alium quæsivit & occidit; ita se res habet tam cum concubitu quam cum quibusvis maleficiis. Confessarius interrogare debet unumquodque quod ad necessitatem ejus conducit, & ipsum docere, ut nihil ei dissimulet nec in verbo nec in facto, ejus quod unquam cogitavit se Deo volente hoc fecisse, & Confessarius pro quibuslibet rebus compensationem ei imponere debet.

XXXII. Esurientibus cibum dare debemus, sitientibus potum, nudi operiendi sunt, & infirmos ac qui in carcere sunt, visitare debemus, & advenas excipere, uti Dominus noster ipse dicebat: *Esurivi & vos mihi dedistis cibum, sitivi, & vos mihi dedistis potum, fui nudus & vos me vestivistis, fui infirmus & in carcere, & vos me visitavistis.* Tunc quilibet in seipso illud spiritualiter habebit, quod in aliis cor-

corporaliter adimplebit; ast licet hoc omnino impleverit, non potest eum ad vitam æternam promovere, si in luxuria & superbia, & in invidia, & in aliis diversis vitiis, quæ enarrare nimis longum esset, vitam suam transigat. Sed simulac homo meminerit, quod Christum in se non habeat, qui dixit, *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit*, et verum amorem qui est animæ nutrimentum, absque dubio ille est esuriens; ast si per bona opera deserat pristina sua vitia, Christo se adjungit, & seipsum veri amoris dulcedine implet, tunc seipsum esurientem in animo suo pastus est. Qui autem seipsum vidit separatum a fluvio doctrinæ Sacræ Scripturæ, & Spiritus Sancti, ille satis erit sitiens; ast qui seipsum cum scaturigine verbi divini irrigat, & animum suum cum dulcedine spiritualis potus implet, dat potum sitienti suo animo: si autem viderit seipsum justitia & aliis bonis operibus indutum, quam sufficienter nudus est; si autem cum justitia & aliis bonis operibus seipsum operit, quid aliud agit quam quod seipsum nudum vestiat? Qui autem jacet in lecto vitiorum, & morbo injustitiæ suæ laborat, ac vinctus est funibus peccatorum suorum, & circumseptus parietibus flagitii sui, & in tenebris est injustitiæ suæ, tunc satis ægrotus est, & carcer valde tenebrosus. Ast si surgat de lecto vitiorum suorum, & per Confessionem egrediatur, & per lamentationem veræ compensationis absolvatur a peccatis suis, & deinde studiose egrediatur ad lucem bonorum operum, absque dubio seipsum infirmum & in carcere visitat. Qui autem seipsum viderit in via præsentis vitæ laborare, & cum procellis vitiorum, quasi cum magnis aeris procellis inquietari, & viderit se receptaculum bonorum operum non habere, tunc sciat, quod sit in itinere, & hospitio bene indigeat. Ast si seipsum invitet ad domum sanctarum virtutum, & se ibi in illarum tutamine conservet, tunc recipit advenam illum in seipsum. Omnia quæ homo in seipso spiritualiter facit, Christus in se, cujus membrum homo est, pascit & potat, & vestit, & visitat, & suscipit.

XXXIII. Dei amici etiam admonendi sunt, ut liberos suos doceant, obedientes esse parentibus suis, quoniam Dominus dixit: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram*. Parentes etiam erga liberos suos benevoli esse debent, dicente Apostolo: *Parentes non provocetis filios vestros ad iram*: nulla tamen peccata impunita linquere debetis. Salomon dicit: *Qui parcit virgæ, odit filium suum*. Nullum peccatum in hoc præsenti mundo absque vindicta negligatur, nisi antea pœnitentia compensatum sit, quia cuilibet multo melius est, hic filium suum corripere, pro malefactis suis, quam ad iram Dei ipsum reservare.

XXXIV. Presbyteri etiam populo dicere debent, quod sit vera charitas, cum quis Deum diligit magis quam seipsum, & proximum suum uti seipsum, & nulli homini id faciat, quod non vult, ut ei fiat, & multa alia quæ nunc longum recensere sunt. Ast putant nonnulli, quod in cibo & potu sit vera charitas; hoc non est ita: de hoc enim dicit Apostolus, *Regnum Dei non est neque cibus nec potus*; sed licet ibi cibus & potus pro vera charitate detur, hoc est valde bonum opus, & inter alia sancta opera numeratur.

XXXV. Admonendi etiam sunt qui de mercaturis vivunt, ut ita mundana præmia desiderent, ut saltem vitam æternam non perdant. Procul dubio qui admodum cogitat de mundanis præmiis, de animæ suæ salute valde aberrat, & de eo aliquis sapiens dicit; conscientiam perdit in via sua, qui præsentem vitam sumit pro via; ast necesse est ei audire Apostoli doctrinam. Apostolus dicit: non circumveniat vestrum aliquis alterum in mercatura, quoniam qua quis alios injuria affecerit, vel in aliis rebus, Deus ulciscetur. Navigantibus æqualiter injunctum est, et agricolis, ut omnium eorum quæ in illorum fundo creverint, Deo decimam partem dent, et ex novem partibus etiam eleemosynas suas faciant. Ita etiam cuilibet injunctum est, ut ab artificio illo, quo corporis sui necessitatem promovet, animæ suæ salutem curet; illa est melior corpore.

XXXVI. Septimana ante initium Quadragesimæ proxima, quilibet ad Confessarium suum abeat, et facta sua confiteatur, et confessionem suam ita ei confiteatur, prout ob facta sua sibi faciendum esse intelligit: et omnibus Parochianis suis præcipere debet Dei præceptum, ut si eorum aliquis cum quodam aliquam discordiam habeat, cum eo componat; si quis autem reverti nolit, tunc ei confiteri non debet; sed Episcopo indicat, ut ipsum in rectum deducat, si Dei esse velit, tunc omnis discordia et disputationes sedandæ sunt; et si aliquis ibi sit, qui aliquod certamen cum alio habeat, tunc remittere ei debent, ut eo liberius dicere possint in Oratione Dominica: *Domine, remitte nobis debita nostra, prouti remittimus iis qui nos offendunt*; et sic purificatis animis ingrediantur tempus sancti jejunii, et per pœnitentiam seipsos purificent versus sanctum Pascha, quoniam pœnitentia similis est secundo Baptismo: sicut in Baptismo prius commissa peccata remittuntur, ita per pœnitentiam etiam purificantur peccata, quæ post Baptismum commissa sunt. Septem modis, dicit nobis Sacra Scriptura, peccata remittuntur, primo in Baptismate, quod nobis datum

datum eſt propter remiſſionem peccatorum, et ſecundo modo per martyrium. De eo ait Pſalmiſta, *Beatus eſt vir, cui Dominus peccatum non imputavit*; juxta ejuſdem David ſententiam peccata remittuntur per Baptiſmum, et teguntur per pœnitentiam, et per martyrium non imputantur. Et tertio per eleemoſynam remittuntur. De hoc Daniel ait ad Nabuchodonoſorem Regem, *Redime peccata tua eleemoſynis in miſericordia pauperum*; et hoc, ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Et Dominus in Evangelio ſuo dixit, *Date eleemoſynas veſtras, tunc per hoc eritis mundi*. Quarto, ſi remittis iis qui erga te peccaverunt, prouti in Evangelio dictum eſt: *Remittite & remittetur vobis, date & dabitur vobis*; et deinde, *Si dimiſeritis illis qui erga vos peccaverunt, tunc remittet vobis cœleſtis veſter Pater peccata veſtra*. Quinto, cum quis per doctrinam et per prædicationem præceptorum Dei aliquem ab errore ſuo in rectum reducit, prouti Apoſtolus dicit: *Si quis peccatorem ab errore ſuo ad rectum reverti fecerit, animam ipſius liberat a morte, & multitudinem peccatorum ejus cooperit*. Sexto per veram Dei et hominum charitatem, prouti dictum eſt: *Vera charitas Dei & hominum cooperit multa peccata per Salvatorem Chriſtum Dominum noſtrum*. Septimo per pœnitentiam, uti David dixit: *Converſus ſum in ærumna mea, tunc mihi fractum eſt tergum*. Similiter dicebat, *Simulac a ſuperbia mea & vitiis meis ceſſavi, & pœnitentiam eorum egi coram Deo, remiſſionem eorum habeo*.

XXXVII. Jejunium Quadrageſimale maxima cum cura obſervandum eſt, ita ut nullus dies ſit, præter dies Dominicos ſolos, quo quis aliquo cibo utatur ante tempus decimarum vel duodecimum; niſi quis adeo infirmus ſit, ut jejunare nequeat, & juvenes, qui ætatem non habent ut jejunium obſervare poſſint; illi enim dies ſunt dies decimarum anni, & nos eos cum omni religione & ſanctitate celebrare debemus. Mos eſt ſæpe, alius jejunium ex charitate amici, eleemoſynis redimere; ſed hoc nullo modo violandum eſt. Alio tempore homo jejunans præmium abſtinentiæ & peccatorum ſuorum remiſſionem apud Deum promereri poteſt, ſi jejunium hoc tamen cum eleemoſynis adornaverit; aſt hoc tempore cum quis jejunare poſſit & nolit, abſque dubio æternam pœnam ſibi ipſi acquirit, quoniam Dominus ipſe dies illos per Moyſen et per Eliam et per ſeipſum ſancto jejunio ſanctificavit.

XXXVIII. Quotidie unicuique homini neceſſe eſt eleemoſynas ſuas indigentibus hominibus tradere, attamen cum jejunamus plures eleemoſynas dare debemus quam aliis diebus, quoniam cibum et potum, quibus uti deberemus quando non jejunamus, inter pauperes diſtribuere debemus, quoniam cum jejunamus et prandium ad cœnam ſervamus, non eſt hoc jejunare, et tempus prandii differtur, et cœna dupliciter augetur.

XXXIX. Multorum hominum conſuetudo eſt cum jejunare volunt, quod ſimulac ſignum nonæ diei horæ audiverint, cibum capiant, ſed hoc non eſt permiſſum, ut id ſit legitimum jejunium; ſed hoc eſt juſtum, ut poſt cantum nonalem Miſſa audiatur, et poſt Miſſam cantus veſpertinus illius temporis, et poſt cantum veſpertinum quilibet eleemoſynam ſuam tradat, prouti ipſi placuerit, et deinde cibum capiat; ſi quis autem per officium aliquod coactus ſit, ut nec ad Miſſam nec ad cantum veſpertinum venire poſſit, attamen ita remaneat jejunus uſque dum ſciat, quod Miſſa et cantus veſpertinus peracta ſint, et tunc adimpletis propriis ſuis precibus et eleemoſynis, bonis ſuis utatur et prandium capiat.

XL. Hoc tempore abſtinentia eſſe debet omnium deliciarum, et ſobrie ac caſte nobis vivendum eſt; ſummum jejunium eſt cum quis a caſeo, et ovis, et piſcibus, et vino abſtinere poteſt: illi autem qui ex infirmitate vel ex aliis aliquibus cauſis abſtinere ab his nequit, neceſſe eſt, ut moderate iis utatur, et illis temporibus, quibus permiſſum eſt, hoc eſt, poſt cantum veſpertinum, nec vinum neque alium potum ſumat ad ebrietatem aliquam, ſed ad cordis refectionem; vini ebrietas et voluptates peccati ſunt prohibita, lac et caſeus non ſunt: non dixit Apoſtolus, nemo edat caſeum nec ovum, ſed dicit, *Ne inebriamini vino neque alia cereviſia, in qua eſt luxuria*.

XLI. Quolibet die Solis hoc ſancto tempore Sacra Synaxis ſumenda eſt, exceptis illis qui excommunicati ſunt, uti etiam die Jovis ante Paſcha, et die Veneris et vigilia Paſchatis, et in die Paſchatis; et omnes dies ſeptimanæ paſchalis æquali religione celebrandi ſunt.

XLII. Sanctis jejunii diebus nullæ diſputationes aut lites movendæ ſunt, ſed ſemper in Dei amore, et in neceſſariis operibus firmiſſime permanere debemus, quoniam Dominus noſter arguit eos qui diebus jejunii fidejuſſores ſuos monere, et contentiones ac lites excitare velint, per Prophetam ita dicens: *In diebus jejunii inveniuntur voluntates veſtræ, in illis diebus quæſiviſtis omnes veſtros debitores, & ad lites ac contentiones jejunatis, & valde impie percutitis fratres veſtros*. Omnes Chriſtiani in Deo ſunt fratres.

XLIII. Conjugibus etiam admodum neceſſarium eſt, ut ſe ſanctis his diebus caſte gerant, abſque ulla concubitus inquinatione, ut per vitam religioſam, purificata corda et corpora ſancta per opera bona ad ſanctos Paſchatis dies obtinere queant; quoniam

niam nihil prodeſt jejunium, quod cum conjugali opere inquinatum eſt, neque illud commendatur, niſi orationibus et vigiliis et eleemoſynis ſit ornatum.

XLIV. Populo etiam dicendum eſt, quod illis temporibus, quibus Sanctum Sacramentum ſumunt corporis et ſanguinis Chriſti, hoc eſt Sacram Communionem, ut hoc magno cum timore et reverentia faciant, et antea tam jejuniis quam eleemoſynis ſeipſos purificent, et abſtineant a conjugali opere, et a quibuſcunque vitiis, ac ſe tam precibus quam eleemoſynis et quibuſcunque bonis operibus præparent, quomodo tunc multa cum reverentia eam accipiant. Valde enim periculoſum eſt, quod quis impurus et negligens illam ſumat, & etiam quod quis nimis diu ab ea abſtineat; et nemo ſaltem accipiat abſque Confeſſarii ſui venia, quam habere debet antequam confiteatur omne quod Deo volente peregit, quod cogitare poteſt, et juxta ſtatuta ejus emendare; multi Monachi tamen ſunt, et viduæ tam ſanctæ religioſæ vitæ, ut quotidie quandocunque voluerint, hoc facere poſſint.

XLV. Deinde injungimus Presbyteris etiam, qui tam diebus Solis quam aliis feſtis Miſſam magnam celebrare volunt, ut hoc privatim faciant, ut nullam populi partem a Miſſa ſua publica abſtrahant; nam peſſima eſt conſuetudo, quam multi homines tam diebus Solis quam aliis feſtis committunt, hæc eſt, quod ſtatim primo mane Miſſam celebrare velint, et ſtatim poſt Miſſam a primo mane per totum diem in ebrietate et deliciis ventri ſuo ſerviant, non Deo. Præcipimus igitur, ut nemo cibum aliquem guſtet, antequam ſervitium Miſſæ publicæ impletum ſit, ſed omnes tam fœmina quam vir congregentur ad Miſſam magnam, et ad ſanctam ac ſpiritualem Eccleſiam, et ibi Miſſam magnam et prædicationem verbi divini audiant, et ſicuti antea diximus, præterquam in domibus precum nullibi cantent, niſi ſecrete hoc faciant, ita ut neminem a Miſſa magna abſtrahant, et hoc fiat medio tempore matutino, ut deinde poſſint ipſi Miſſæ magnæ intereſſe. Cujuſcunque ordinis hominibus injungimus, ut quilibet Miſſam magnam audire quærat, exceptis conſecratis virginibus ſolis, quibus non eſt mos aut conſuetudo, quod ex Monaſteriis ſuis egrediantur, debent intra Monaſterii ſui clauſtra remanere, et ibi Miſſam audire.

LEGES EDOVARDI REGIS. (1)

Leges boni Regis Edovardi, quas Gulielmus Baſtardus poſtea confirmavit.

I. POſt acquiſitionem Angliæ, *præfatus* Rex *Angliæ* Gulielmus, quarto Anno Regni ſui, conſilio (2) Baronum ſuorum fecit ſummoniri per univerſos Angliæ conſulatus, Anglos nobiles, ſapientes, & ſua lege eruditos, ut eorum leges, & jura, & conſuetudines ab ipſis audiret. Electi igitur de ſingulis totius Patriæ comitatibus viri duodecim, jurejurando coram Rege primum confirmaverunt, ut quoad poſſent recto tramite *incedentes*, nec ad dextram nec ad ſiniſtram divertentes, legum ſuarum & conſuetudinum ſancita patefacerent, nihil prætermittentes, nil addentes, nil prævaricando mutantes. A legibus igitur ſanctæ matris Eccleſiæ ſumentes exordium, quoniam per eam Rex & regnum ſolidum ſubſiſtendi habet fundamentum, leges, libertates, & paces ipſius concionati ſunt, dicentes:

II. *De clericis & poſſeſſionibus eorum.*

Omnis Clericus, & etiam ſcholares, & omnes eorum res & poſſeſſiones ubicunque fuerint, pacem Dei & ſanctæ Eccleſiæ habeant.

III. *De temporibus, & diebus pacis Regis.*

Ab adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ pax Dei & *ſanctæ* Eccleſiæ (3) per omne regnum. Similiter a ſeptuageſima, uſque ad octavas Paſchæ, Item ab aſcenſione

(1) *Edwardus* Confeſſor juxta Faſtos *Savilianos* Regnum auſpicatus eſt An. 1042. & reliquit Anno 1066. Pro tempore *Haroldus* & deinde *Wilhelmus* ſenior illud occupaverunt. *Hovedenus* in vita *Edwardi* anno 1043. 3 Non. Aprilis, ait eum ab Archipræſulibus *Edſio Dorobernenſi*, & *Alfrico Eboracenſi*, aliiſque ferme totius Angliæ Præſulibus in Regem *Wintoniæ* unctum eſſe, & Anno 1066. poſtquam Annis XXIII. Menſibus VI. & XXVII. Diebus, poteſtate regia Anglis Saxonibus præfuiſſet, Indictione IV. vigilia Epiphaniæ Domini, feria quinta mortem obiiſſe *Lundoniæ*.

(2) Per Barones Rex *Guilielmus* intelligit Nobiles illos Regni, quibus *Angliam* totam diſpertiebatur de ſe tenendam, qui pagos, urbes, caſtra vel eximiam ruris portionem cum Juriſdictione a Rege acceperant. De quibus vide plura apud *Spelman.* in voce *Baro*.

(3) Per Pacem Dei & ſanctæ Eccleſiæ Legiſlator devotionem Deo debitam in Eccleſia præſtandam intelligit, quod ſtatis his (quæ Lege XIII. nominat) temporibus publicus vel major Religionis cultus abſque contentionibus aut inimicitiis, in quolibet Regni ejus ſubdito conſpici debeat. Quando autem in ſequentibus Pacem Chriſtianis ad Eccleſias vel Synodos euntibus, vel excommunicatis abſolvendi

ne Domini usque ad octavas Pentecostes. Item omnibus diebus quatuor temporum. Item omnibus Sabbatis ab hora nona, & *tota die sequenti* usque ad diem Lunæ. Item vigiliis sanctæ Mariæ, sancti Michaelis, sancti Joannis Baptistæ, Apostolorum omnium, & Sanctorum quorum solennitates a sacerdotibus Dominicis annunciantur diebus, & omnium Sanctorum in Kl. Novemb. semper ab hora nona vigiliarum, & subsequente solennitate. Item in parochiis in quibus dedicationis dies observatur. Item in parochiis Ecclesiarum ubi propria festivitas Sancti celebratur. Et si quis devote ad celebrationem Sancti adveniat, pacem habeat eundo, & subsistendo, & redeundo. Item omnibus Christianis ad Ecclesiam causa orationis euntibus, pax in eundo, & redeundo sit eis. Similiter ad dedicationes, ad synodos, ad capitula venientibus, sive summoniti sint, sive per se quid agendum habuerint, sit summa pax. Etiam si excommunicatus aliquis absolvendi causa ad Episcopum confugerit, absolutus, eundo, & redeundo, pacem Dei & sanctæ Ecclesiæ habeat. Quod si aliquis ei forisfecerit (1), Episcopus inde justitiam faciat. Veruntamen si quis arrogans pro Episcopi justitia emendare noluerit, Episcopus Regi notum faciat: Rex autem constringat malefactorem ut emendet cui forisfecit, scilicet, primum Episcopo, deinde sibi, & sic erunt duo gladii, & gladius gladium juvabit.

IV. *De justitia Ecclesiæ.*

Ubicunque Regis justitia, vel cujuscunque sit, placita tenuerit, si missus Episcopi veniens illuc causam aperuerit sanctæ Ecclesiæ, ipsa primitus terminetur. Justum est enim ut ubique Deus præ cæteris honoretur.

V. *De universis de Ecclesia tenentibus.*

Quicunque de Ecclesia aliquid tenuerit, vel in (2) fundo Ecclesiæ mansionem habuerit, extra curiam Ecclesiasticam coactus non placitabit (3) quamvis forisfecerit, nisi (quod absit) in curia Ecclesiastica de recto defecerit. (4)

VI. *De reis ad Ecclesiam fugientibus.*

Quicunque reus vel noxius ad Ecclesiam causa præsidii confugerit, ex quo atrium Ecclesiæ tenuerit, a nemine insequente nullatenus apprehendatur, nisi per Pontificem aut ministrum ejus. Quod si fugiendo domum sacerdotis vel curiam ejus intraverit, eandem securitatem & pacem habeat quam & apud Ecclesiam, dum tamen domus sacerdotis & curia ejus in fundo Ecclesiæ consistant. Hic si latro vel raptor est, quod male cepit (si ad manum est) reddat, & si illud penitus extirpaverit, & de suo proprio unde reddat habuerit, in integrum ei cui damnum intulit restituat. Quod si more solito latro taliter egerit, et forte fortuito ad Ecclesiam et sacerdotum domos frequenter evaserit, ablatione restituta, provinciam (5) forisjuret, nec redeat: et si forte reditum fecerit, nullus eum hospitari præsumat, nisi a Rege data licentia.

VII. *De fractione pacis Ecclesiæ.*

Si quis vero sanctæ pacem Ecclesiæ violenter infregerit (6), Episcoporum est justitia. Quod si nocens sententiam eorum diffugiendo, vel arroganter contemnendo despexerit, clamor de eo deferatur ad Regem post xl. dies, et Regis justitia mittat eum per vadimonium et plegios (si habere poterit) usque dum Deo primitus, et Ecclesiæ postea satisfaciat. Quod si infra xxxi. dies, sive per amicos et notos, sive per justitiam Regis inveniri non poterit, utlagabit (7) eum Rex verbo oris sui. Si vero postea repertus fuerit, et retineri possit, vivus Regi reddatur, vel caput ejus, si se defenderit. Lupinum enim gerit caput, quod Anglice *Wulfesheofod* dicitur. Et hæc est lex communis et generalis de omnibus utlagatis.

VIII. *De decimis Ecclesiæ reddendis, de ovibus & porcellis.*

De omni (8) annona decima garba (9) Deo debita est, et ideo reddenda. Et si quis gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum: qui unam tantum vel duas habuerit, de singulis pullis singulos denarios; similiter qui vaccas plures habuerit, decimum vitulum: qui unam vel duas, de vitulis singulis obolos singulos. Et qui caseum fecerit, det Deo decimum: si vero non fecerit, lac decimo die. Similiter agnum decimum, *vellus* decimum, caseum decimum, butyrum decimum, porcellum decimum.

De

di causa ad Episcopum confugientibus, condi causa ad Episcopum confugientibus, concedit, sensus est, quod his temporibus præcipue nullæ illis moveantur lites, ne devotio eorum interrumpatur, & cultus Deo præstandus omittatur. Vide leg. Canuti cap. 17. & Hen. I. c. 62.

(1) *Forisfecerit*; i. e. damnum intulerit, unde *forisfactura*, mulcta, pœna pecuniaria.

(2) *Fundo*, alias feudo, ut vult *Lambardus*; legit eodem modo & lege seq.

(3) *Placitabit*, i. e. litigabit; unde lege nona seq. *placitum* pro *lis*.

(4) *De recto defecerit*; h. e. justitia ei non fiat aut denegata sit.

(5) *Forisjuret*; i. e. juret se minime rediturum.

(6) *Violenter infregerit*. Lambardus legit *violaverit*.

(7) *Utlagabit*; i. e. omni Legis patrocinio excludet.

(8) *Omni*. Lambardus legit *omnium*.

(9) *Garba*, fructuum seu spicarum fasciculus; de quo consule Spelman. in voce.

De Apibus.

De apibus vero similiter decima commodi. Quin et de bosco, de prato, et aquis, et molendinis, parcis, vivariis, piscariis, virgultis, et hortis, et negotiationibus, et omnibus rebus quas dederit Dominus, decima pars ei reddenda est, qui novem partes simul cum decima largitur. Qui eam detinuerit, per justitiam Episcopi et Regis (si necesse fuerit) ad redditionem arguatur. Hæc enim prædicavit beatus Augustinus, et concessa sunt a Rege, Baronibus, et populo. Sed postea instinctu diaboli multi eam detinuerunt et sacerdotes locupletes negligentes non curabant inire laborem ad perquirendas eas, eo quod sufficienter habebant suæ necessaria vitæ. Multis enim in locis modo sunt tres vel quatuor Ecclesiæ, ubi tunc temporis una tantum erat, et sic cœperunt minui.

IX. *De his qui ad judicium ferri vel aquæ judicati sunt per justitiam Regis.*

Die illo quo judicium fieri debet, veniat illuc minister Episcopi cum clericis suis, et similiter justitia Regis cum legalibus hominibus provinciæ illius, qui videant et audiant ut æque omnia fiant, et quos Dominus per misericordiam suam, non per merita salvare voluerit, quieti sint, et libere recedant; et quos iniquitas culpæ non Dominus damnaverit, justitia Regis de ipsis justitiam faciat. Barones vero qui suam habent curiam de suis hominibus, videant ut sic de eis agant, quatenus erga Deum reatum non incurrant, et Regem non offendant. Et si placitum de hominibus aliorum Baronum oritur in curiis suis, adsit ad placitum Regis justitia, quoniam absque ea placitum finiri (1) non licet. Si quis Baronum justitiam non habet, in hundredo ubi placitum habitum fuerit, ad propinquiorem Ecclesiam ubi judicium Regis erit, determinandum est, salvo jure Baronum illorum.

X. *De Romescot.*

Omnis qui habuerit xxx. denariatus vivæ pecuniæ (2) in domo sua, de suo proprio (Anglorum lege) dabit denarium Sancti Petri; & lege Danorum dimidiam marcam. Iste vero denarius debet summoniri in solennitate Apostolorum Petri et Pauli, et colligi ad festivitatem quæ dicitur *ad vincula*, ita ut ultra illum diem non detineatur. Si quispiam detinuerit, ad Justitiam Regis clamor deferatur, quoniam denarius hic Regis Elemosyna est; justitia vero faciat denarium reddere, et forisfacturam Episcopi et Regis. Quod si quis plures domos habuerit, de illa ubi residens fuerit in festo Apostolorum Petri et Pauli denarium reddat.

XI. *De Danegeldo.*

Danegeldi redditio propter piratas primitus statuta est. Patriam enim infestantes, vastationi ejus pro posse suo insistebant. Ad eorum quidem insolentiam reprimendam statutum est, Danegeldum annuatim reddi, scilicet 12. denarios ex unaquaque hida (3) totius patriæ, ad conducendos eos qui piratarum irruptioni resistendo obviarent. De hoc quoque Danegeldo libera et quiera erat omnis Ecclesia et etiam omnis terra quæ in proprio dominio ecclesiæ erat ubicunque jacebat, nihil prorsus in tali redditione persolvens, quia magis in ecclesiæ confidebant orationibus, quam in armorum defensionibus. Et hanc libertatem tenuit Anglorum ecclesia usque ad tempus Willielmi Regis junioris, qui de Baronibus totius Angliæ auxilium petiit ad Normanniam retinendam de fratre suo Roberto Normannorum comite, Jerusalem proficiscente. Concessum est ei, non lege statutum neque firmatum, sed habuit necessitatis causa ex unaquaque hida IV. solidos, ecclesia non excepta, quorum dum fieret collectio, proclamabat sancta Ecclesia libertatem suam reposcens, sed nihil profecit.

XII. *De pace Regis.*

Pax Regis multiplex est, alia enim data manu sua, quam Angli vocant, *Cyninges hande sealde grith*. Alia die qua primum coronatus est, quæ dies tenet octo. In natali Domini dies octo. Alia per (4) breve suum data est. Alia quam habent quatuor chemini (5), Watlingstrete, Fosse, Hikenildstrete, et Ermingstrete, quorum duo in longitudinem regni, alii duo in latitudinem distenduntur. Alia, quam habent aquæ nominatorum fluviorum, quorum navigio de diversis locis victualia deferuntur civitatibus vel burgis. Illa autem manus suæ pax, et dierum coronationis, et brevis, sub judicio unius est forisfacturæ: similiter quatuor cheminorum, et majorum aquarum de assaltu (6). De opere (7) vero si fiat, opus di-

---

(1) *Finiri*. Lambardus legit *fieri*.

(2) *Vivæ pecuniæ*. Saxonica vox *feoh* hic potius pro *animali* juxta morem hodiernorum Germanorum vertenda fuisset.

(3) *Ex unaquaque hida*: i. e. centum jugeribus sive acris.

(4) *Per breve suum*; i. e. Litteras regias.

(5) *Chemini*. Vox Gallica pro *viis publicis*.

(6) *De assaltu*. Legislator pacem ubique ita servari vult, ut si quis in quatuor viis publicis itinerantem, vel super magna flumina navigantem damno affecerit, pœna ejus sit eadem cum eo, qui assaltum commisit; i. e. qui impetum in aliquem fecit violentum.

(7) *De opere*. Sensus hujus loci est, quod si quis in publicis quatuor viis, vel super flumina ædificaverit, opus ejus diruatur, & si quod damnum intulit viis vel fluminibus, ut ipse dimidium sumptuum reddat, qui ad emendationem eorum pertinent.

diſtruatur, et medietas emendationis dabitur. Quicunque ſcienter infregerit eam XVIII. hundreda in Danelaga, & corpus ejus in miſericordia Regis. Lege Anglorum, Were ſuum, i. e. pretium ſuæ redemptionis, & Manbote de occiſis erga dominos quorum homines fuerint interfecti. Manbote in Denelaga, de villano & ſokeman XII. oras, de liberis autem hominibus, III. marcas. Manbote (1) vero Anglorum lege, Regi & Archiepiſcopo tres marcas de hominibus eorum propriis: ſed Epiſcopo ejuſdem comitatus, & conſuli, & dapifero Regis, viginti ſolidos: Baronibus autem aliis decem ſolidos. Parentibus occiſi fiat emendatio, vel (2) guerra eorum portetur, unde Anglice Proverbium habetur, *Bige ſpere of ſide otbtbe bær*: id eſt, eme lanceam a latere, aut fer. Pax autem quatuor cheminorum, & prædictarum aquarum ſub majori judicio continetur, quam ſuperius diximus de aſſaltu. Si vero molendina, piſcaria, vel alia quælibet opera, ejus impedimentum facientia præparentur, opera ipſa protinus deſtruantur, & chemini & aquæ ut fuerant primitus, reparentur, & foriſfactura Regis non obliviſcatur. Chemini vero minores de civitate ad civitatem ducentes, & de burgis ad burgos, per quos mercata vehuntur, et cætera negotia fiunt, ſub lege comitatus ſunt. Si quippiam operis ad eorum perturbationem erigitur, ſolotenus deponatur, et chemini mox (3) reparentur, et ſecundum legem comitatus ejuſdem erga comitem et vicecomitem emendetur. *Verum quod modo vocatur Comitatus, olim apud Britones temporibus Romanorum in regno iſto Britanniæ vocabatur Conſulatus. Et qui modo vocantur Vicecomites, tunc temporis Viceconſules vocabantur, ille vero dicebatur Viceconſul, qui Conſule abſente ipſius vices ſupplebat in jure & in foro.* Similiter de aquis fiat minoribus, naves tamen portantibus, cum iis rebus quæ neceſſariæ ſunt burgis et civitatibus, ſaltem ligna et ejuſmodi, cum lege minorum cheminorum eſt & emendatio earum.

XIII. *Diviſiones Scirarum, & Hundredorum.*

Diviſiones (4) Scyrarum Regis proprie cum judicio quatuor cheminorum regalium ſunt. Diviſiones Hundredorum et Wapentachiorum comitibus, et vicecomitibus, cum judicio comitatus pertinent.

XIV. *De Theſauris.*

Theſauri de terra domini Regis ſunt, niſi in Eccleſia vel in cœmeterio inveniantur: et licet ibi inveniantur, aurum Regis eſt, et medietas argenti, et medietas Eccleſiæ ubi inventum fuerit, quæcunque ipſa fuerit, vel dives, vel pauper.

XV. *Lex Murdrorum.*

Si quiſpiam murdratus alicubi reperiebatur, querebatur apud villam ubi inveniebatur interfector illius. Qui ſi inveniri poterat, tradebatur juſtitiæ Regis infra ipſos VIII. dies interfectionis. Si vero inveniri non poterat, menſis et unius diei reſpectum habebant ad eum perquirendum. Quod ſi intra terminum non inveniebatur, colligebantur in villa illa XLVI. marcæ. Quod ſi ad tantæ ſolutionem pecuniæ non ſufficiebat, per Hundredum colligebatur, quod in villa non poterat. Veruntamen quoniam omnino villa confundebatur, providerunt Barones quod per Hundredum colligerentur, et ſigillo alicujus Baronis comitatus ſigillarentur, et ad Theſaurarium Regis deportarentur, quas ſigillatus ipſe ſervaret per annum et diem unum: quod ſi infra hunc terminum poſſit Murdrator (5) haberi, traderetur juſtitiæ Regis, et ipſi marcas Theſaurario Regis commendatas rehaberent. Sin infra tempus annuum non poſſet teneri, parentes murdrati ſex marcas haberent, Rex quadraginta: ſi parentes deeſſent, dominus ejus reciperet: ſi dominum non haberet, felagus (6) ejus, id eſt, fide cum eo ligatus: ſi vero nihil iſtorum haberet, tunc Rex regni (ſub cujus protectione et pace degunt univerſi) reſumeret illas ſex marcas cum ſuis quadraginta.

XVI. *De inventione Murdri.* (7)

Murdra quidem inventa fuerunt et conſtituta in diebus Chnuti Dani Regis, qui poſt acquiſitam Angliam et pacificatam rogatu Baronum Anglorum remiſit in Daciam exercitum ſuum. Ipſi vero Barones extiterunt fidejuſſores erga Regem, quatenus quotquot in terra ſecum retineret, firmam pacem per omnia haberent. *Veruntamen ſi quis Anglorum aliquem eorum interfecerit*, ſi ſe ſuper hoc defendere non poſſet judicio Dei, ſcilicet aqua, vel ferro, fieret de eo juſtitia. Si autem aufugeret, ſolveretur ut ſupra dictum eſt. Iſte vero Chnutus præfatus Rex, et Sueinus Rex Danorum pater ejus,

---

(1) *Manbote*. Compenſatio domino perſolvenda pro homine occiſo.
(2) *Guerra*. Vox Gallico-Latina *inimicitiam* hic denotat.
(3) Pro *mox* Lambardus legit *more ſolito*.
(4) *Scyrarum*; i. e. Satrapiarum, Provinciarum.
(5) *Murdrator*; i. e. Interfector.
(6) *Felagus*. Vox hæc Somnero Saxonica individuum vitæ comitem denotat, quam a *fe* fides & *lag* ligatus deducit: potius Normannicam dixerim, quia *fe* pro *fide*, & *liger* pro *ligare* in ea lingua reperitur. Saxones (quantum quidem ſciam) non habent vocem *fe*, licet *lag* pro Lege ſumant.
(7) Vid. Bracton lib. 3. de Corona, c. 15. n. 2. 3. fol. 234. b.

ejus, et Lachman Rex Sueorum, et Olanus Rex Norwegiæ, et Haroldus Harefote Rex Danorum filius Chnuti prædicti et Elwinæ (1), et Hardocanutus Rex Danorum frater suus filius Chnuti prædicti et Emmæ sororis Roberti Normannorum Ducis, et matris ultimi Edwardi, multa jura, et dignitates, et terras, et insulas a corona regni hujus alienaverunt, et dilapidaverunt, et Dacis suis, et Norwegiensibus illas dederunt, qui regnum infestantes destruxerunt. Idcirco donationes, et alienationes eorum in irritum revocari debent, et in nihilum reduci, et omnino extirpari. Ita fecit bonus Rex Edwardus, facta eorum in quantum potuit revocavit, sed non potuit omnia revocare. Non habuit vim quod potuit regnum in pristinum statum reducere et reformare: servavit Sacramentum, fecit enim quod potuit. Temporibus vero Regum Danorum sepultum fuit jus in regno, leges et consuetudines simul sopitæ, temporibus illorum prava voluntas, vis, et violentia magis regnabant quam judicium in terra.

XVII. *De Regis officio, & de jure & appendiciis coronæ regni Brytanniæ.*

Rex autem, quia vicarius summi Regis est, ad hoc est constitutus, ut regnum terrenum, et populum Domini, et super omnia sanctam veneretur Ecclesiam ejus, et regat, et ab injuriosis defendat, & maleficos ab ea evellat, *& destruat, & penitus disperdat* (2). Quod nisi fecerit, nec nomen Regis in eo constabit, verum testante Papa Joanne nomen Regis perdit: cui Pipinus et Carolus filius ejus nec (3) dum Reges sed Principes sub rege Francorum stulto scripserunt, quærentes si ita permanere deberent Francorum Reges solo regio nomine contenti, a quo responsum est, Illos decet vocari Reges qui vigilanter defendunt et regunt Ecclesiam Dei, et populum ejus, imitati Regem psalmographum dicentem, Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, etc. Debet vero de jure Rex omnes terras et honores, omnes dignitates et jura et libertates coronæ regni hujus in integrum cum omni integritate et sine diminutione observare, et defendere; dispersa, et dilapidata, et amissa regni jura in pristinum statum et debitum viribus omnibus revocare. Universa (4) vero terra et tota et insulæ omnes usque Norwegiam et usque Daciam pertinent ad coronam regni ejus, et sunt de appendiciis et dignitatibus Regis, et una est monarchia, et unum est regnum, et vocabatur quondam regnum Brytanniæ, modo autem vocatur Regnum Anglorum. Tales enim metas & fines ut prædictæ sunt, constituit & imposuit coronæ regni dominus Eleutherius Papa sententia sua anno sexagesimo septimo post passionem Christi, qui primo destinavit coronam benedictam Brytanniæ, & Christianitatem Deo inspirante Lucio Regi Brytonum. Debet etiam Rex omnia rite facere in regno, & per judicium procerum regni. Debet enim jus & justitia magis regnare in regno quam voluntas prava. Lex est semper quod jus facit, voluntas autem, violentia, & vis non est jus. Debet vero Rex Deum timere, super omnia & diligere, & mandata ejus per totum regnum suum servare. Debet etiam sanctam Ecclesiam regni sui cum omni integritate & libertate juxta constitutiones patrum & prædecessorum servare, fovere, manutenere, regere, & contra inimicos defendere, ita ut Deus præ cæteris honoretur, & præ oculis semper habeatur. Debet etiam bonas leges, & consuetudines approbatas erigere, pravas autem delere, & omnes a regno deponere. Debet judicium rectum in regno facere, & justitiam per consilium procerum regni sui tenere. Ista vero debet omnia Rex in propria persona, inspectis & tactis sacrosanctis Evangeliis, & super sacras & sanctas reliquias coram regno & sacerdotio & clero jurare, antequam ab Archiepiscopis & Episcopis regni coronetur. Tres enim Rex habere servos debet, scilicet luxuriam, avaritiam, & cupiditatem: quos si habuerit servos, bene & illustre regnabit. Regno omnia debet præmeditare, & hoc regis est. Quia male cuncta ministrant impetus, juxta Evangelium, omne regnum in se divisum desolabitur.

Epistola Domini Elutherii Lucio Regi Britanniæ.

A*nno 169.* (5) *a passione Christi, dominus Elutherius Papa Lucio Regi Brytanniæ scripsit, ad petitionem Regis & procerum Regni Brytanniæ. Petistis a nobis Leges Romanas & Cæsaris vobis transmitti, quibus in regno Brytanniæ uti voluistis. Leges Romanas & Cæsaris semper reprobare possumus, legem Dei nequaquam. Suscepistis enim nuper miseratione divina in regno Brytanniæ legem & fidem Christi, habetis penes vos in regno utramque paginam, ex illis Dei gratia per consilium regni vestri sume legem: & per illam Dei patientia vestrum Reges Brytanniæ Regnum. Vicarius vero Dei estis in regno juxta prophetam regem, Domini est terra & plenitudo ejus orbis terrarum, & universi qui inhabitant in eo; & rursum juxta prophetam regem, Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus tuus* oleo

(1) *Elwinæ*. Lege Æifgive, dicit Lambardus.
(2) Vid. Car. M. Addit. Capit. 2. cap. 22.
(3) Pro *nec dum* lege *nondum*.
(4) Vide *Usser*. Primordia Eccles. p. 23. *Godwin*. de convers. Britan. ad Christ. c. 3. p. 27. Spelm. Concil. p. 36.
(5) 169. alias (dicit Lambardus) 156.

oleo lætitiæ, præ consortibus tuis: & rursum juxta prophetam regem, Deus judicium tuum, &c. Non enim judicium neque justitiam Cæsaris, filii enim Regis gentes Christianæ & populi regni sunt, qui sub vestra protectione, & pace, & regno degant & consistant juxta Evangelium, Quemadmodum gallina congregat pullos sub alis, &c. Gentes vero regni Brytanniæ & populi vestri sunt, & quos divisos debetis in unum ad concordiam, & pacem, & ad fidem, & ad legem Christi, & sanctam Ecclesiam congregare, revocare, fovere, manutenere, protegere, regere, & ab injuriosis, & malitiosis, & ab inimicis semper defendere. Væ regno cujus Rex puer est, & cujus principes mane comedunt. Non voco Regem propter parvam, & nimiam ætatem, sed propter stultitiam & iniquitatem, & insanitatem juxta prophetam Regem, Viri sanguinum & dolosi non dimidicabunt dies suos, &c. per comestionem intelligimus gulam, per gulam luxuriam, per luxuriam omnia turpia & mala, juxta Salamonem regem. In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Rex dicitur a regendo, non a regno: Rex eris dum bene regis, quod nisi feceris, nomen Regis non in te constabit, & nomen Regis perdes, quod absit. Det vobis omnipotens Deus regnum Brytanniæ sic regere, ut possitis cum eo regnare in æternum cujus vicarius estis in regno prædicto, qui cum Patre, & Filio, &c.

XVIII. *Misericordia Regis & perdonatio.*

Jam si quispiam (1) forisfactus poposcerit Regis misericordiam pro forisfacto suo timidus mortis vel membrorum perdendorum, potest Rex ei lege suæ dignitatis condonare si velit etiam mortem promeritam. Ipse tamen malefactor rectum faciat in quantumcunque poterit quibus forisfecit, & tradat fidejussores de pace & legalitate tenenda: si vero fidejussores defecerint, exulabitur a patria.

XIX. *De captivis.*

Habet etiam Rex alterius modi potestatem misericordiæ super captivos. Ubicunque enim venerit in civitatem, vel burgum, vel castellum, vel villam, vel etiam in via, si captivus fuerit, potest eum solo verbo solvere a captione. Solutus tamen satisfaciat cui forisfecit. Murdrator vero, vel (2) traditor, vel hujusmodi criminosus quamvis Rex eis condonaverit vitam & membra, secundum legem nullatenus in patria remanebunt: sed statim jurabunt se ituros ad mare, infra terminum a justitia eis constitutum, & mox transfretaturos quam cito habuerint navem & ventum. Quod si perjuri postea in terra remanserint, quisquis eos invenire poterit, faciat de eis sine judicio justitiam. Et si quis eos gratis detinuerit, pro una nocte sola majori lege Anglorum vel Danorum emendabit, pro secunda duplici, pro tertia nocte socius ejus & compar malefactorum judicabitur. Si quidem tales habuerint uxores suas in patria subsistentes, & dixerit aliquis parentum murdrati eas nequitiæ fuisse participes, expurgent se (3) judicio Dei, quas si clementia Dei, et innocentia sua salvaverit, remaneant legales cum dotibus suis et maritagiis. Pueri vero qui ante malefactum fuerint nati vel generati, non erunt exleges pro malefacto post generationes eorum (4) peracto, nec perdant hæreditatem.

XX. *De friborgis.*

Præterea est quædam summa et maxima securitas per quam omnes statu firmissimo sustinentur, videlicet, ut unusquisque stabiliat se sub fidejussionis securitate, quam Angli vocant *freoborges* (5), soli tamen Eboracenses dicunt eandem *tien manna tala*, quod sonat Latine, decem hominum numerum. Hæc securitas hoc modo fiebat, scilicet, quod de omnibus villis totius regni sub decennali fidejussione debebant esse universi: ita quod si unus ex decem forisfecerit, novem ad rectum eum haberent: quod si aufugeret, daretur lege terminus ei xxxi. dierum: quæsitus interim et inventus, ad justitiam regis adduceretur. Et de suo illico restauraret damnum quod fecerat. Et si ad hoc forisfaceret, de corpore suo justitia fieret. Sed si infra prædictum terminum inveniri non posset, quia in omni friborgo unus erat capitalis quem vocabunt *friborges heofod* (6), ipse capitalis sumeret duos de melioribus sui friborgi, et de tribus friborgis sibi propinquioribus acciperet de unoquoque capitalem et duos de melioribus uniuscujusque friborgi si posset habere, et ita se duodecimo existente purgaret, se et friborgum suum (si facere posset) de forisfacto et fuga supradicti malefactoris. Quod si facere non posset, ipse cum friborgo suo damnum restauraret de proprio malefactoris quamdiu duraret, quo deficiente de suo et friborgi sui perficeret, et erga justitiam emendaret, secundum quod legaliter eis judicatum fuisset. Tandem vero sacramentum quod non potuerunt adimplere per tres friborgos sibi viciniores per seipsos jurarent, sese nullate-

(1) *Forisfactus*; i. e. rei capitalis reus.
(2) *Traditor*; i. e. *Proditor*.
(3) *Expurgent se judicio Dei*; i. e. Ordalio.
(4) *Peracto*; alias legit Lambardus *perpetrato*. Vide Pandect. de bonis Damnatorum. Leg. 1. & Cod. de Pœnis Lege 4. Bracton lib. 3. de Corona, cap. 13. n. 20.
(5) *Freoborges*; i. e. Fidejussionem.
(6) *Freoborges heofod*; i. e. Fidejussor primarius.

latenus fore culpabiles, & ſi quando poſſent eum recuperare, adducerent ad juſtitiam, aut juſtitiæ dicerent ubi eſſet.

XXI. *De Baronibus qui ſuas habent curias & conſuetudines.*

Archiepiſcopi, Epiſcopi, Comites, Barones, *& omnes qui habuerint ſacham & ſocam, thol, theam, & infangthefe*, etiam milites ſuos, & proprios ſervientes, ſcilicet dapiferos, pincernas, camerarios, *piſtores* & cocos ſub ſuo friborgo habeant. Et item iſti ſuos armigeros, vel alios ſibi ſervientes ſub ſuo friborgo. Quod ſi cui foriſfacerent, & clamor vicinorum de eis aſſurgeret, ipſi tenerent eos rectitudini in curia ſua: illi dico qui haberent ſacham & ſocam, thol, & theam, & infangthefe.

XXII. *De Sacha.*

Sacha eſt, quod ſi quilibet aliquem nominatim de aliquo calumniatus fuerit, & ille negaverit, foriſfactura probationis vel negationis (ſi evenerit) ſua erit.

XXIII. *De Soca.*

Soca eſt, quod ſi aliquis quærit aliquid in terra ſua, etiam furtum, ſua eſt juſtitia ſi inventum fuerit, an non.

XXIV. *De Thol.*

Thol (quod nos dicimus tholonium) eſt ſcilicet quod habeat libertatem vendendi & emendi in terra ſua.

XXV. *De Theam.*

Theam, quod ſi quiſpiam aliquid interciet (1) ſuper aliquem, & interciatus non poterit warrantum ſuum habere, erit foriſfactura ſua, & juſtitia ſimiliter de calumniatore, ſi defecerit.

XXVI. *De Infangthefe.*

Juſtitia cognoſcentis latronis ſua eſt, de homine ſuo ſi captus fuerit ſuper terram ſuam. Illi vero qui non habent has conſuetudines coram juſtitia regia rectum faciant in Hundredis, vel in Wapentachiis, vel in Scyris.

XXVII. *De Hoſpitibus* (2).

Si quis hoſpitaverit privatum, vel alienum, qui Anglice *cuth and uncuth* (3) dicuntur, poterit eum noctibus habere duabus tanquam hoſpitem. Qui ſi foriſfecerit, non incurrat dominus damnum pro hoſpite, veruntamen ſi cui damnum illatum fuerit, & ad juſtitiam de eo clamorem fecerit, quod ipſius conſilio malum factum fuerit, cum duobus legalibus vicinis ſuis purgabit ſe ſacramento de conſilio, & de facto: quos niſi habuerit, damnum emendet, & foriſfacturam. Quem ſi tertia nocte hoſpitatus fuerit, & is alicui foriſfecerit, habeat eum ad rectum tanquam de propria familia, quod Anglice dicitur, *twa night geſt, thrid night agen hine* (4). Quem niſi poterit ad rectum habere, habebit terminum prædictum menſis & unius diei. Et ſi poterit inveniri malefactor, reſtauret damnum quod fecerat & emendationem ſi poterit, & de corpore ſi adjudicatum fuerit ei. Si vero malefactor non poterit damnum reſtaurare quod fecerat, hoſpes ſuus reſtaurabit, & foriſfacturam. Et ſi juſtitia habet eum ſuſpectum, purgabit ſe judicio Hundredi vel Scyræ.

XXVIII. *De animalibus, & alia re inventa.*

Si quis adduxerit animal in villam, vel apportaverit pecuniam, & dixerit ſe inveniſſe, priuſquam in domum introducat ſuam vel etiam alterius, ante Eccleſiam ducat, & coram ſacerdote eccleſiæ, et præpoſito villæ, et melioribus hominibus totum oſtendat inventum quicquid ſit: Præfectus villæ mox mittat ad quatuor villas propinquiores pro ſacerdotibus et præpoſitis villarum, qui adducant ſecum tres vel quatuor de melioribus hominibus de unaquaque villa, quibus congregatis oſtendatur totum inventum. Poſtea vero teſtimonio ipſorum præpoſitus (de cujus dominio inventor eſt) cuſtodiat inventum uſque in diem craſtinum. Die autem craſtino cum aliquantis vicinorum ſuorum qui viderunt inventum, ad Hundredi eat præfectum, in quo Hundredo ſua villa eſt, et ipſi oſtendat totum. Et ſi homo alicujus domini ſit in cujus terra inventum eſt hoc, et dominus in cujus terra inventum eſt non habet conſuetudines ſuas, ſcilicet ſake et ſoke, omnia tradat præfecto Hundredi (ſi habere voluerit) cum bonis teſtibus. Sed ſi dominus habuerit conſuetudines ſuas, in curia Domini rectum teneatur.

(1) *Interciet*; i. e. penes alium deprehendat.

(2) *De Hoſpitibus*. Hlotharius & Eadricus Cantiorum Reges Lege XII. ſtatuunt, ſi quis advenam in hoſpitio exceperit tribus noctibus in propria ſua domo, mercatorem aut alium qui extra limites advenerit, & eum ibi ſuo cibo alat, & is tum alicui malefecerit, ille tum alterum judicio ſiſtat, aut rectum perdat. *Edwardus* ſupra Lege XII. ſancivit; Ne ſuſcipias hominem alterius viri abſque licentia ejus quem prius ſequebatur, antequam innocens ſit apud quemlibet. Si quis hoc facit, compenſet pro contumacia erga me. *Guilielmus* Rex Lege XLVI. jubet, ut nemo alium recipiat ultra tres noctes, niſi is eum illi commendaverit, cui prius ſervivit. *Ina* Lege XXX. qui colonum fugitivum hoſpitio exceperit, & eum nutriverit, proprii capitis æſtimatione ipſum excuſare ſtatuit. In *Judiciis Civitatis Lundoniæ* ſub Æthelſtano ſub init. ſancitum eſt, ut qui furem clam ſuſceperit, facinoris & culpæ conſcius ſit, & idem ei quod furi fiat. Vide quæ ſupra ad LL. Æthelredi de hoſpitio Naufragantium diximus.

(3) *Cuth, and uncuth*; i. e. *notus & ignotus*.

(4) I. e. Duabus noctibus hoſpes, tertia nocte familiaris habendus eſt.

XXIX. *De Judæis* (1).

Sciendum quoque quod omnes Judæi ubicunque in regno sunt, sub tutela & defensione Regis ligea (2) debent esse, nec quilibet eorum alicui diviti se potest subdere sine Regis licentia. Judæi enim & omnia sua Regis sunt. Quod si quispiam detinuerit eos, vel pecuniam eorum, perquirat Rex si vult tanquam suum proprium.

XXX. *De Pace Regis*.

Hi qui pacem Regis habent, vel manu, vel brevi, ei fideles exsistant. Ideoque summa necessitas eis est, ut eam inviolabiliter custodiant erga omnes, nec ob securitatem pacis adeptam detineant rectitudines, vel servitia dominorum suorum, sed nec vicinorum, quia non est dignus habere pacem, qui non diligit observare eam. Qui si nimis confidens in pace quam habet, per superbiam alicui forisfecerit, damnum restauret, & iterum tantundem, quod Angli vocant *Astribiltbet* (3).

XXXI. *De emendatione Pacis*.

Pax data manu Regis & octo dierum quibus primum coronatus est, & pax prædictorum festorum, & pax per breve Regis unum habent modum emendationis, & hoc judicio quod majus habetur in Scyra ubi pax fracta fuerit; verbi gratia, in Danelega per XVIII. hundreda, qui numerus complet septies viginti libras, & quatuor: quoniam forisfacturam hundredi Dani, Norwegienses VIII. lib. habebant. Multiplicatis igitur octo per octodecem, faciunt centum & quadraginta quatuor. Et hoc non sine causa. De istis enim octo libris Rex habebat centum solidos, & consul comitatus quinquaginta qui tertium habebat denarium de forisfacturis: Decanus autem Episcopi, in cujus decanatu pax fracta fuerat, reliquos decem præter pacem Regis, scilicet de pace data manu Regis, & de primo coronatu, & de supradictis festis, Natalis, Paschæ, Pentecostes.

XXXII. *De centurionibus & capitalibus friborgis*.

Cum autem contingeret quod quidam stulti & improbi gratis & nimis consuete erga vicinos suos forisfacerent, cœperunt sapientes ad invicem super hoc habere consilium, & statuerunt justitiarios super quosque decem friborgos, quos decanos possumus appellare, Angelice vero *tienbeofod* (4) dicti sunt, i. caput de decem. Isti inter villas & vicinos causas tractabant, & secundum forisfacturas emendationes capiebant, & concordationes faciebant, videlicet, de pascuis, pratis, messibus, & de litigationibus inter vicinos, & innumerabilibus hujusmodi decertationibus quæ humanam fragilitatem infestant, & eam incessanter oppugnant. Cum autem causæ majores erumpebant, referebantur ad superiores eorum justitiarios, quos supradicti sapientes super eos constituerant, scilicet super decem decanos, quos possumus dicere centuriones, vel centenarios, eo quod super centum friborgos judicabunt.

XXXIII. *De Hundredis & Wapentachiis*.

Ewerwickshire (5), Nicolshyre, Notinghamshyre, Leycestershire, Northamptonshire, usque ad Watlingstrete, & octo milliaria ultra Watlingstrete sub lege Anglorum sunt. Et quod Angli vocant hundredum, supradicti comitatus vocant Wapentachium: & non sine causa: cum quis enim accipiebat præfecturam Wapentachii, die statuto in loco ubi consueverant congregari, omnes majores natu contra eum conveniebant, et descendente eo de equo suo omnes assurgebant ei. Ipse vero erecta lancea sua ab omnibus secundum morem fœdus accipiebat. Omnes enim quotquot venissent cum lanceis suis ipsius hastam tangebant, et ita se confirmabant per contactum armorum, pace palam concessa. Anglice enim arma vocantur *wæpnu*, et *taccare* confirmare; quasi armorum confirmatio vel ut magis expresse secundum linguam Anglicam dicamus Wapentac, armorum tactus est; *wæpnu* enim arma sonat, *tac* tactus est. Quamobrem potest cognosci quod hac de causa totus ille con-

---

(1) *De Judæis*. Judæos gentem Christianis semper exosam *Wisigothi* lib. 12. LL. Tit. 2. favore vel protectione aliqua tueri aut vindicare vetuerunt; Testimonium eorum contra Christianum accipere noluerunt, Circumcisionem, Pascha, ac alias Solemnitates celebrare iis prohibuerunt, & libros quos christiana fides damnat, iis eripuerunt. Imp. *Fridericus* in Constitut. Siculis lib. 1. Tit. 26. magis in Judæos benignus, illos & Saracenos, quosque Christianæ Sectæ diversitas reddit infestos, omnique alio auxilio destitutos, protectionis suæ potentia pati non potest defraudari. Et Tit. 16. ejusd. libri ait: Judæis & Saracenis etiam & pro eis aliis officialibus nostris scilicet in prædictis casibus imponendi defensas, concedimus facultatem, quos non propterea quia Judæi vel Saraceni sunt, arctari volumus innocentes. *Dani* hodie nulli Judæo permittunt in Regnum sese conferre, aut ibidem degere, absque speciali Regis commeatu, idque sub mulcta mille Imperialium a singulis, absque eodem deprehensis, solvenda. Et qui Judæum prodit, regioque præfecturæ præsidi monstrat, præmium L. imperiales singulis vicibus reportet lib. 3. *Jur. Dan.* c. ult.

(2) *Ligea*. Idem hic quod *Legalis*, unde *Ligantia* est vinculum arctius inter Subditos & Regem utrosque invicem connectens, hunc ad protectionem & justum regimen, illos ad tributa & debitam subjectionem. V. *Spelm. in voce*.

(3) *Astribiltbet*, Compensationem Patrisfamilias denotat ab *astre* domus, *bold* dominus, & *theowet* mulcta.

(4) *Tienbeofod*; i. e. Decemvir.

(5) Ewerwickshire, alias Warwickshire.

conventus dicitur Wapentac, eo quod per tactum armorum suorum ad invicem confœderati sunt.

XXXIV. *De tribingis & ledis.*

Erant etiam et aliæ potestates super Wapentachia, quas vocabant *thribingas* quod erat tertia pars Provinciæ. Qui vero super eas dominabantur, vocabantur *thribingerefas;* ad hos deferebantur causæ quæ non poterant definiri in Wapentachiis. Sicque quod Angli vocabant Hundredum, isti Wapentachium: et quod Anglice vocabant 3. vel 4. Hundreda, isti vocabant *thribinga*. In quibusdam vero Provinciis Anglice vocabantur *leth*, quod isti dicunt trihinge: quod autem in *thribinge* definiri non poterat, ferebatur in Scyram.

XXXV. *De Greve.*

Greve quoque nomen est potestatis, Latinorum lingua nihil expressius sonat quam præfectura, quoniam hoc vocabulum adeo multipliciter distenditur quod de Scyra, de Wapentachiis (quemadmodum etiam est *leth*) de hundredis, de burgis, etiam de villis Greve vocetur. In quo idem sonare videtur, et significare quod Dominus. Videtur etiam quibusdam Greve vocabulum, esse nomen compositum ex Anglico *grith*, et væ Latino. *Grith* enim pax est, væ miseria, ipso Domino attestante, qui dicit, væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaim. Greve igitur ideo dicitur, quod jure debebat *grith*, id est, pacem ex illis facere qui patriæ inferunt væ, i. e. miseriam vel malum. Teutonici etiam et Frisones, et Flandrenses, consules suos Mergreve, quasi majores Dominos, vel bonos pacificos vocare solent. Et sicut modo vocantur Greve qui super alios præfecturas habent, ita apud Anglos antiquitus vocabantur *Ealdormen*, quasi seniores, non propter senectutem cum quidem adolescentes essent, sed propter sapientiam. Et similiter olim apud Britones temporibus Romanorum in regno isto Britanniæ vocabantur Senatores, qui postea temporibus Saxonum, ut prædictum est, vocabantur Aldermanni, non propter ætatem, sed propter sapientiam & dignitatem, cùm quidem adolescentes essent, jurisperiti tamen, & super hoc experti. Et ut verum fatear, habent etiam Aldermanni in civitatibus regni hujus in Ballivis suis, & in Burgis clausis, & muro vallatis, & in castellis eandem dignitatem, & potestatem, & modum, qualem habent præpositi hundredorum & Wapentachiorum in Ballivis suis sub vicecomite Regis per universum regnum. Debent enim & leges, & libertates, & jura, & pacem Regis, & justas consuetudines regni & antiquas a bonis prædecessoribus approbatas inviolabiliter, & sine dolo, et sine dilatione, modis omnibus pro posse suo servare, Cum aliquid vero inopinatum, vel dubium, vel malum, contra regnum, vel contra coronam Domini Regis, forte in Ballivis suis subito emerserit, debent statim pulsatis campanis quod Anglice vocant *motbel*, convocare omnes, et universos, quod Anglice dicunt *folcmote*, i. e. vocatio et congregatio populorum, et gentium omnium, quia ibi omnes convenire debent (1), et universi qui sub protectione et pace Domini Regis degunt, et consistunt in regno prædicto, et ibi providere debent indemnitatibus coronæ regni hujus per commune consilium, et ibi providendum est ad insolentiam malefactorum reprimendam ad utilitatem regni. Statutum est enim quod ibi debent populi omnes, et gentes universæ singulis annis, semel in anno scilicet convenire, scilicet in capite Kal. Maji, et se fide et sacramento non fracto (2) ibi in unam et simul confœderare, et consolidare sicut conjurati fratres ad defendendum regnum contra alienigenas, et contra inimicos, una cum Domino suo Rege, et terras, et honores illius omni fidelitate cum eo servare, et quod illi ut Domino suo Regi intra et extra regnum universum Britanniæ fideles esse volunt, Ita debent facere omnes principes, et comites, et simul jurare coram episcopis regni in *folcmote*, et similiter omnes proceres regni, et milites, et liberi homines universi totius regni Britanniæ facere debent in pleno *folcmote* fidelitatem Domino Regi, ut prædictum est, coram Episcopis regni. Hanc legem invenit Arthurus, qui quondam fuit inclytissimus Rex Brytonum, et ita consolidavit, et confœderavit regnum Britanniæ universum semper in unum. Hujus legis authoritate expulit Arthurus prædictus Saracenos, et inimicos a regno. Lex enim ista diu sopita fuit, et sepulta, donec Edgarus Rex Anglorum qui fuit avus Edwardi Regis propinqui vestri illam excitavit, et erexit in lucem, et illam per totum regnum firmiter observari præcepit. Debent etiam universi liberi homines totius regni juxta facultates suas, et possessiones, et juxta catalla sua, et secundum feodum suum, et secundum tenementa sua, arma habere, et illa semper prompta conservare ad tuitionem regni, et servitium Dominorum suorum, juxta præceptum Domini Regis explendum et peragendum. Non debent illa invadiare (3), nec extra regnum vendere, sed hæredibus suis in extremis legare ad servitium tenementorum suorum Dominis suis explendum cum opus adfuerit. Quod si qui eorum hæredes vel parentes non habuerint, Dominus suus

(1) Vid. LL. Alvredi cap. 22. & Æthelstani in Præfat.

(2) *Non fracto*; i. e. non violato.

(3) *Invadiare*; i. e. pignori ponere.

suus illa recipiet. Et si Dominum non haberent, felagus suus (i. e. fide cum eo ligatus) si haberet, illa reciperet. Si vero nihil istorum haberet, tunc regni sub cujus protectione & pace degunt universi, Rex illa resumet. Universi vero prædicti singulis annis in crastino Purificationis beatæ Mariæ debent omni excusatione remota arma sua per universum regnum ostendere, scilicet in civitatibus regni, & in burgis, et in castellis, et hundredis, et Wapentachiis regni, secundum eis quod statutum est, et adjudicatum, et juxta quod debent, et idcirco hoc fieri debet uno eodem die per universum regnum, ut prædictum est, ne aliqui possint arma sua familiaribus suis et notis accommodare, nec ipsi illa mutuo accipere, ac justitiam Domini Regis defraudare, et Dominum Regem et regnum offendere. Si qui eorum infirmi fuerint, vel aliis de causis in regno occupati, vel urgentissimis negotiis extra regnum vel in regno detenti, inveniant alios pro semetipsis qui sufficienter hoc faciant: quod nisi fecerint, Vicecomites, et Aldermanni, et Præpositi hundredorum et Wapentachiorum, et cæteri Ballivi Domini Regis illud Domino Regi graviter emendare debent. Hujus legis autoritate Æthelredus Rex subito uno eodemque die per universum regnum Danos occidit. Barones vero qui suas consuetudines habent, et qui suam habent curiam, de suis hominibus videant, ut sic de eis agant, et omnia rite faciant, quatenus erga Dominum Regem reatum non incurrant, nec coronam regni prædicti offendant.

De Heretochiis, &c.

Erant et aliæ potestates et dignitates per Provincias, et patrias universas, et per singulos comitatus totius regni prædicti constitutæ, qui Heretoches apud Anglos vocabantur, scilicet Barones, Nobiles, et insignes sapientes, et fideles, et animosi, Latine vero dicebantur ductores exercitus; apud Gallos, capitales Constabularii, vel Mareschalli exercitus (1). Illi vero ordinabant acies densissimas in præliis, et alas constituebant prout decuit, et prout melius eis visum fuit, ad honorem coronæ, et ad utilitatem regni. Isti vero viri eligebantur per commune consilium pro communi utilitate regni, per provincias et patrias universas, et per singulos comitatus in pleno *folcmote*, sicut et Vicecomites provinciarum et comitatuum eligi debent: ita quod in quolibet comitatu semper fuit unus Heretoch per electionem electus, ad conducendum exercitum comitatus sui juxta præceptum Domini Regis, ad honorem et utilitatem coronæ regni prædicti semper cum opus adfuerit in regno. Item qui fugiet a Domino, vel socio suo pro timiditate belli, vel mortis, in conductione Heretochii sui in expeditione navali, vel terrestri, perdat omne quod suum est, et suam ipsius vitam, et manus mittat Dominus ad terram quam ei antea dederat. Et si terram hæreditariam habeat, ipsa in manus Regis transeat. Et qui in bello ante Dominum suum ceciderit, sit hoc in terra, sit alibi, sint ei relevationes condonatæ, et habeant hæredes ejus pecuniam et terram ejus sine aliqua diminutione et recte dividant inter se. Et qui terram acquietatam habet comitatus testimonio, habeat sine querela in die, et post diem ad dandum ei quem plus amabit. Et omnis sit venatione sua dignus in nemore, in campo, in dominio suo, et abstineat omnis homo a venariis Regis, ubicunque pacem eis habere voluerit, super plenam Witam, i. e. forisfacturam. Et omnis homo pacem habeat eundo ad (2) gemotum, vel rediens de gemoto, nisi probatus fur fuerit: & qui leges (3) apostabit, si fuerit Anglicus, vel Dacus, vel Waliscus, vel Albanicus, vel Insulicola, Weræ suæ reus sit apud Regem, et si secundo id faciat, reddat bis Weram suam; et si quid addat tertio, reus sit omnium quæ habebit. Item aliud folkmote (4) esse debet in quolibet comitatu per provincias et patrias totius regni prædicti universas, scilicet in capite Kal. Octob. ad providendum ibi quis erit vicecomes, et qui erunt eorum heretochii, et ad audiendum ibi justa eorum præcepta consilio et assensu procerum, et judicio folkesmote: & ut Wardæ (5) juste et rite observentur, et ut caute deinceps incendiis sibi illic provideant, cum ad propria redibunt. Ita vero bis folkemote singulis annis semper celebrari debet per annum per universos comitatus, et provincias, et patrias universas totius regni prædicti, pro pace, et stabilitate, et confirmatione regni, ut prædictum est, super plenam (6) Witam. Debet autem Scyremote bis, hundreda et wapentachia duodecies in anno congregari, et septem diebus antea summoniri, nisi publicum commodum vel dominica Regis necessitas terminum præveniat. Debet etiam in London, quæ caput est regni et legum, semper curia Domini Regis singulis septimanis die Lunæ Hustingis sedere, et teneri (7).

Fun-

(1) Vid. supr. cap. 32. vid. Mat. Parif. edit. 1570. 64. 13. An. 1244. p. 865. 9. An. 1248. p. 744. 32. p. 987. 39. Anno 1249. p. 765. 53. 1617. 23. An. 1255. 904. 62. 1207. 13. Articuli super chartas 28. Ed. I. cap. 8. vide & Canuti LL. Polit. c. 12. & LL. Hen. I. cap. 10. & cap. 13.

(2) *Ad gemotum*; i. e. ad Comitia.

(3) *Leges apostabit*; h. e. Leges violabit.

(4) Vid. LL. Edgari cap. 5. & Canuti c. 17.

(5) *Wardæ*; h. e. Vigiliæ, Custodiæ.

(6) *Witam*; i. e. mulctam.

(7) Vid. LL. Will. I. c. 63.

Fundata enim erat olim & ædificata ad instar, & ad modum, & in memoriam veteris magnæ Trojæ, & usque in hodiernum diem leges, & jura, & dignitates, libertates, regiasque consuetudines antiquæ magnæ Trojæ in se continet. In ea itaque supersunt ardua compota, & ambigua placita coronæ, & curiæ Domini Regis totius regni prædicti, quæ hucusque & consuetudines suas una semper inviolabilitate conservat, ubicunque ipse Rex fuerit, sive in expeditione, sive alibi; propter fatigationem gentium & populorum regni juxta veteres consuetudines bonorum patrum, & prædecessorum, & omnium principum, & procerum, & sapientum seniorum totius regni prædicti.

De illis qui possunt & debent de jure cohabitare, & remanere in regno Brytanniæ.

Brytones (1) vero Armorici cum venerint, in regno isto suscipi debent, & in regno protegi, sicut probi cives. De corpore regni hujus exierunt quondam, de sanguine Brytonum regni hujus. Guti vero similiter cum veniunt suscipi debent, & protegi in regno isto sicut conjurati fratres, sicut propinqui & proprii cives regni hujus. Exierunt enim quondam de nobili sanguine Anglorum, scilicet de Engra civitate, & Anglici de sanguine illorum, & semper efficiuntur populus unus, & gens una. Ita constituit optimus Ina Rex Anglorum, qui electus fuit in Regem per Angelum, & qui primo obtinuit monarchiam totius regni hujus post adventum Anglorum in Brytanniam. Primus enim fuit Rex coronatus Anglorum & Brytonum simul manentium in Britannia post adventum Saxonum Germaniæ, scilicet, post acceptam fidem a beato Gregorio per S. Augustinum. Cepit enim prædictus Ina in uxorem suam Gualam nomine, propter quam vocata est Wallia illa terra quæ quondam vocabatur Cambria. Bigamus enim fuit. Cepit autem cum ultima uxore sua Cambriam, & Cornubiam, & Coronam benedictam Britanniæ, quæ fuerat ultimo Cadwaladro Regi Brytanniæ. Et universi Angli qui tunc temporis extiterunt, uxores suas ceperunt de Brytonum genere, & Brytones uxores suas de illustri sanguine & genere Anglorum, hoc est, de genere Saxonum. Hoc enim factum fuit per commune consilium & assensum omnium Episcoporum, & principum, procerum, comitum, & omnium sapientum seniorum & populorum totius regni, & per præceptum Regis Inæ prædicti. Multi vero Angli ceperunt uxores suas de sanguine & genere Anglorum Germaniæ, & quidam Angli ceperunt uxores suas de sanguine & genere Scotorum, proceres vero Scotorum, & Scoti fere omnes ceperunt uxores suas de optimo genere & sanguine Anglorum Germaniæ, & ita fuerunt tunc temporis per universum regnum Brytanniæ duo in carne una. Et taliter constituit rectum conjugium, (& delevit fornicationem, & immunditiam a regno) & recta judicia pro stabilitate regni, et confirmatione populorum benigna sedulitate. Et tali modo effecti fuerunt gens una, et populus unus per universum regnum Brytanniæ miseratione divina. Deinde universi vocaverunt regnum Anglorum, quod antea vocatum fuit regnum Brytanniæ. Universi prædicti semper postea pro communi utilitate coronæ regni in simul et in unum viriliter contra Danos et Norwegienses semper steterunt, et atrocissime unanimi voluntate contra inimicos pugnaverunt, et bella atrocissima in regno gesserunt. Erat enim prædictus Rex Ina optimus, largus, sapiens, prudens, moderatus, strenuus, justus, animosus, et bellicosus pro loco et tempore, et in divinis legibus, et in secularibus institutis, scriptis, et bonorum operum exhibitionibus irradiavit gloriosus, rexitque regnum, confœderavit, et consolidavit, et in unum pacificavit sapientia et prudentia magna, et ubi locus adfuit, vi et manu armata.

N. B. Qui vetus exemplar manu transcripsit, fatetur se hoc in loco descriptionem Brytanniæ (quod nihil non vulgare in se haberet) consulto prætermisisse.

De jure & appendiciis coronæ regni Brytanniæ.

Arthurus qui fuit quondam inclytissimus Rex Brytonum, vir magnus fuit et animosus, et miles illustris, parum fuit ei regnum istud, non fuit animus ejus contentus regno Brytanniæ, subjugavit igitur sibi strenue Scanciam totam, quæ modo Norweia vocatur, et omnes insulas ultra Scanciam, scilicet, Islandiam, et Grænlandiam, quæ sunt de appendiciis Norweiæ, & Snechordam, et Hyberniam, et Gutlandiam, et Daciam, Semelandiam, Winlandiam, Curlandiam, Roe, Femelandiam, Wirelandiam, Flandriam, Cherrelam, Lappam, et omnes alias terras, et insulas orientalis oceani usque Russiam (in Lappa scilicet posuit orientalem metam regni Brytanniæ) et multas alias insulas ultra Scanciam, usquedum sub septentrione, quæ sunt de appendiciis Scanciæ, quæ modo Norweia vocatur. Fuerunt gentes feræ, et indomitæ, et non habuerunt dilectionem Dei, nec proximi, quia ab aquilone pandetur omne malum. Fuerunt autem ibi Christiani occulte (2).

Arthurus autem Christianus optimus fuit, et fecit eos baptizari, et unum Deum per to-

(1) Malmsbur. fol. 3. a. 32.

(2) Desiderantur nonnulla in exemplari, dicit Lambardus.

totam Norweiam venerari, et unam fidem Christi semper inviolatam custodire, et suscipere. Ceperunt universi proceres Norweiæ uxores suas de nobile gente Brytonum tempore illo, unde Norwegienses dicunt se exiisse de gente, et sanguine regni hujus. Impetravit enim temporibus illis Arthurus Rex a Domino Papa, et a curia Romana, quod confirmata sit Norweia in perpetuum coronæ Brytanniæ, in augmentum regni hujus, vocavitque illam dictus Arthurus, cameram Brytanniæ. Hac vero de causa dicunt Norwegienses se debere in regno isto cohabitare, et dicunt se esse de corpore regni hujus, scilicet de corona Brytanniæ. Maluerunt enim manere in regno isto, quam in terra eorum propria. Terra enim eorum arida est, et montuosa, et sterilis, et non sunt ibi segetes nisi per loca: ista vero opulenta est, et fertilis, et crescunt hic segetes, et cætera universa. Qua ex causa sæpius per vices gesta sunt bella atrocissima inter Anglos et Norwegienses, et interfecti sunt innumerabiles. Occupaverunt vero Norwegienses terras multas, et insulas regni hujus, quas adhuc detinent occupatas, nec potuerunt unquam postea penitus evelli. Tandem modo confœderati sunt nobis fide et sacramento, et per uxores suas quas postea ceperunt de sanguine nostro, et per affinitates, et per conjugia. Ita demum constituit, et eis concessit bonus Rex Edwardus propinquus noster (qui fuit optimus filius pacis) per commune consilium totius Regni. Qua de causa possint, et debent prædicti de cætero nobiscum cohabitare, et remanere in regno sicut conjurati fratres nostri.

Lex Noricorum, & Danorum in Brytannia.

Erat etiam lex Noricorum, et Danorum, Norfolk, Suffolk, et Grantabridgeshyre, *Deira & insularum, scilicet, Carthenensium, Mannensium, Murctensium, & Orchadum, & Inchegalensium, & Ordacensium, & de Gurth* quæ habebant in emendatione forisfacturæ ubi supradicti comitatus habuerunt XVIII. hundreda, ista decem et dimidium, et hoc affinitate Saxonum, quia tunc temporis major emendatio forisfacturæ Saxonum fuit XLIV. lib. In omnibus aliis causis et forisfacturis eandem legem habebant cum supradictis Norwegiensibus. Quam cum Rex Wilhelmus audisset cum aliis sui regni legibus, maxime appretiatus est eam, et præcepit ut observaretur per totum regnum. Proferebat enim quod antecessores ejus, et omnium Baronum fere Normannorum, Norwegienses extitissent, et quod de Norweia olim venissent. Et hac autoritate leges eorum *cum profundiores & honestiores omnibus aliis essent*, præ cæteris regni sui legibus asserebat se debere sequi, et observare. Quippe cum aliarum legibus Nationum, Brytonum scilicet, Anglorum, Pictorum et Scotorum præponderassent. Quo audito mox universi compatriotæ regni qui leges edixerant, tristes effecti, unanimiter deprecati sunt, quatenus permitteret sibi leges proprias, et consuetudines antiquas habere, in quibus vixerunt patres eorum, et ipsi in eis nati et nutriti sunt, quia durum valde foret sibi suscipere leges ignotas, et judicare de eis quas nesciebant. Rege vero ad flectendum ingrato existente, tandem eum prosecuti sunt deprecantes, quatenus per animam Regis Edwardi, qui sibi post diem suum concesserat coronam et regnum, et cujus erant leges, nec aliorum extraneorum exaudiendo concederet eis sub legibus perseverare paternis. Unde consilio habito, precatu Baronum tandem acquievit. *Thomas vero Archiepiscopus Cantuariensis, & Mauritius Episcopus scripserunt propriis manibus omnia ista prædicta per præceptum prædicti Regis Wilhelmi.* Ex illo igitur die multa autoritate veneratæ, et per universum regnum corroboratæ, et observatæ sunt præ cæteris patriæ legibus leges Edwardi Regis sancti, quæ prius inventæ et constitutæ fuerunt tempore Regis Edgari avi sui. Verum post mortem ipsius dimissæ sunt annis circiter LXVIII. Edwardus enim filius, ejus hæres, scilicet, de uxore legitima natus, regnavit annis quatuor, hebdomat. XVI. minus. Quo occiso innocente suæ dolo novercæ, propter innocentem ejus vitam castam et eleemosynis plenam, interfectionem ejus immeritam pro martyrio reputaverunt, eum et sanctum habuerunt. Post ipsum Ældredus *unrade* (1) frater ejus regnum suscepit, et regnavit in multis adversitatibus et periculis XXXVIII. annos. Post ipsum Ældredum Edmundus *yrenside* (2) filius ejus regnavit fere novem mensibus, in quibus viriliter contra Regem Chnutum quinquies dimicavit. Ultimo vero bello peracto, concordes ad invicem effecti sunt, regnumque per medium diviserunt: et medietas Angliæ Chnuto, medietas altera cessit Edmundo, eo tenore, ut si quis eorum alterum superviveret, regnum superstes totum possideret, nec interim alteruter coronaretur. Firmata igitur taliter (universis Angliæ primatibus assensum præbentibus), inter se conventione, primo post mense Edmundus ex hac luce (proh dolor) subtrahitur. Chnutus deinde suscepit totum Angliæ principatum, regnavitque fere XVIII. annos. Quo defuncto, Haraldus Harefote filius Chnuti et Elvinæ falso pene ab omnibus putatus, successit, et quinque annos regnavit. Post quem

(1) *Unrade*; i. e. inops consilii.

(2) *Yrenside*; i. e. ferreum latus.

quem Hardicnutus filius Chnuti, et Emmæ fororis Roberti (1) Normannorum Ducis, et matris Regis ultimi Edwardi I. ſancti, regnavit duobus annis, hebdomatibus XII. minus; atque ſic completi ſunt LXVIII. anni, in quibus leges prædictæ fuerunt penitus prætermiſſæ. Sed poſtquam Rex Edwardus venit ad regnum, conſilio Baronum Angliæ legem LXVIII. annis ſopitam excitavit, excitatam reparavit, reparatam decoravit, decoratam confirmavit, confirmata vero vocata eſt lex Regis Edwardi, non quod ipſe primus adinveniſſet eam, ſed cum prætermiſſa fuiſſet, et oblivioni penitus dedita a diebus avi ſui Regis Edgari, qui XVII. annos regnavit, et qui primus ejus inventor fuiſſe dicitur, uſque ad ſua tempora, videlicet ut prædictum eſt LXVIII. annos poſt dies ipſius Edgari, ipſe Edwardus quia juſta erat et honeſta, a profunda abyſſo extraxit eam, et renovavit, et ut ſuam obſervandam contradidit. Iſte præfatus Edmundus *yrenſide* habuit quendam filium Edwardum nomine, qui mox patre mortuo (timore Chnuti Regis) aufugit ad regnum Rugorum, quod nos melius vocamus Ruſſiam. Quem Rex terræ Maleſclotus nomine, ut cognovit quis eſſet, honeſte retinuit. Qui de nobili progenie ibidem duxit uxorem, de qua natus eſt ei Edgarus Ethelinge, & Margareta quæ fuit poſtea Regina Scotiæ & Chriſtina (2) ſoror ejus. Fuit autem Margareta prædicta generoſa valde, & optima, ſcilicet ex parte patris ex nobili genere & ſanguine Regum Anglorum, & Britonum, ex parte vero matris ex genere & ſanguine Regum Rugorum, ſanctiſſimis anteceſſoribus ſuis in bonis, & laudabilibus actibus conſimilis, præclara effulſit. Erat enim de jure poſt deceſſum Edgari Athelinge fratris ſui, verus hæres ultimi Regis Edwardi de corona totius regni prædicti, ſed inſtinctu, petitione, & voluntate boni Regis Edwardi propinqui noſtri, aliter mutatum eſt, qui coronam nobis totius regni prædicti dedit, & regnum prædictum nobis jurare fecit, qui peroptime æquitatem, & ſcientiam, juſtitiam, probitatemque noſtram novit. Princeps vero Albaniæ duxit eam in uxorem caſu fortuito. Picti enim a Picto duce vocantur, Scotti vero Albaniæ, a Scotto duce. Eſt enim Albania pars Monarchiæ regni hujus, quod olim vocabatur regnum Brytanniæ. Cui Chriſtinæ Edwardus dedit terram, quam habuit poſtea Radulphus de (3) Limiſeia. Fuit enim prædicta Chriſtiana ſoror Edgari Ethelinge, propter quem miſit Rex Edwardus avunculus ejus, & fecit eum venire ad ſe, qui poſtquam venit non multum vixit, & uxor illius in brevi temporis curriculo defuncta eſt. Rex vero Edwardus Edgarum filium eorum ſecum retinuit, & pro filio nutrivit. Et quia cogitavit ipſum hæredem facere, nominavit Ethelinge, quod nos Domicellum; i. e. damiſell: ſed nos indiſcrete de pluribus dicimus, quia Baronum filios vocamus Domicellos; Angli vero nullos niſi natos Regum. Quod ſi expreſſius volumus dicere in quadam regione Saxoniæ, Ling, *imago* dicitur, Athel Anglice *nobilis* eſt, quæ conjuncta ſonant, nobilis imago. Unde etiam occidentales Saxonici, ſcilicet Exceſtrenſes, habent in Proverbio ſummi deſpectus, hinderling; i. e. omni honeſtate dejecta, vel recedens imago. Rex autem Edwardus ut cognovit gentis ſuæ nequitiam, & præcipue ſuperbiam filiorum Godwini, ſcilicet Haraldi, qui poſtea regnum invaſit, Toſti, Gurti Leofwini, & aliorum fratrum ſuorum, comperit non poſſe fore ſtabile vel ratum quod propoſuerat de Edgaro Ethelinge, adoptavit Wilhelmum ducem Normannorum in regnum, Wilhelmum dico Nothum, i. e. Baſtardum, filium Roberti (4) avunculi ſui, videlicet fratris matris ſuæ, virum ſtrenuum, bellicoſum, & fortem, qui poſtea annuente Deo debellando ſupradictum Haraldum Godwini filium, regnum Anglorum victorioſe adeptus eſt.

XXXVI. *De Latronibus*.

De Latronibus interfectis pro latrocinio. Si quis poſt juſtitiam factam fecerit clamorem ad juſtitiarium quod injuſte interfectus ſit, & injuſte jacet inter latrones, & dixerit quod velit hoc diſrationari, det vadimonium ſuum, & inveniat plegios. Tunc detur ei menſis & unius diei terminus, ut tunc habeat parentes interfecti ex utraque parte generis, ſcilicet ex parte patris XII. & ex parte matris ſex. Quod ſi iſti decem & octo velint diſrationari cum illo qui primitus clamorem fecerat & vadimonium dederat, det unuſquiſque eorum ſuum vadium cum gladio, & poſtea inveniat plegios tales qui poſſunt reddere foriſfacturam, i. e. Were ſuum, niſi poſſint diſrationari quod dicunt. Tunc demum interfector ſuum det vadimonium, & inveniat plegios quod juſte interfectus eſt, & merito jacet inter latrones ſecundum legem ſicut latro. Et primum oſtendat quo latrocinio, & qua ratione interfectus eſt. Quod ſi recognoverit quod vivus captus ſit, nominet juſtitiarium, & judicem, & de vicinis teſtes legales. Qui ſi warrantizaverint (5) quod recte facta ſit juſtitia de ipſo ſecundum latrocinium, quietus erit interfector illius. Ipſi vero qui cla-

(1) *Roberti*, alias Ricardi.
(2) *Chriſtina*, alias Chriſtiana.
(3) *Limiſeja*, alias Luneſi.
(4) *Roberti*, alias Ricardi.
(5) *Warrantizaverint*; i. e. probare in ſe ſuſceperint.

clamorem fecerant, emendent sua vadimonia super judices, & testes. Et si disrationatum fuerit quod injuste sit interfectus, interfector dabit vadimonium justitiæ Episcopi, & fidejussores invenient rectum persequendi. Deinde justitia Episcopi faciat invenire processionem cum sacerdote induto alba, & manipulo, & stola, & clericis in suppelliciis cum aqua benedicta, & cruce, præcedentibus candelabris, & thuribulo, cum igne, & incenso, & amici extrahant mortuum deferentes in feretrum, & portantes eum ad Ecclesiam. Ibi Missa pro defuncto celebrata, et cætero peracto officio, interrent eum ut decet Christianum. Ab ipso vero die in sexdecim diebus reddat interfector Episcopo tres forisfacturas, unam quia legalem pro latrone interfecerit, alteram quia fratrem suum pro latrone interravit, quod Angli dicunt *his emne Cristen* (1); tertiam, eo quod vadimonium dedit ad disrationandum se, et non potuit.

XXXVII. *De Usurariis.*

Usurarios quoque defendit Rex Edwardus, ne remaneret aliquis in toto regno suo: et si quis inde convictus esset, quod fœnus exigeret, omni substantia propria careret, & postea pro exlege haberetur. Hoc autem asserebat ipse Rex se audisse in curia Regis Francorum dum ibidem moraretur, quod usura radix omnium vitiorum esset.

XXXVIII. *De emptionibus sine fidejussoribus, quod Anglice dicitur fastermannes.*

Prohibitum erat etiam in eadem lege, ne quis emeret vivum animal, vel pannum usatum sine plegiis, & bonis testibus. Si esset opus aureum vel argenteum unde emptor dubitare possit, non emeret absque aurifabris, vel monetariis. Qui si vidissent quod esset de ecclesia, vel de thesauro, non emisset sine plegio. Si venditor careret plegiis, retineretur cum censu donec venisset dominus ejus, vel alter qui posset bene eum warrantizare. Si quis hominum aliter emeret, quod stulte emisset, cito perdet & forisfacturam. Postea inquisisset justitia per (2) *lagamannos*, & per meliores homines de Burgo, vel de villa, vel de hundredo, ubi mansisset emptor, & de quali vita fuisset, & si unquam audissent eum calumniari de exlegalitate: quod si testarentur eum de bona vita, & legalitate, purgaret se judicio comitatus quod venditorem nesciret reum de hac venditione, nec de aliqua alia exlegalitate: & si sciret venditorem suum, qui esset, vel ubi fuisset, diceret: Justitia vero quæreret eum ad faciendam de eo justitiam, qui si inveniri non possit, utlagaretur.

XXXIX. *De Emptoribus, & Machecariis.*

Cum autem dictum est, quod nullus hominum emeret absque plegiis animal vivum, clamaverunt machecarii (3) de civitatibus & burgis, quos Angli vocant *Fleshmongers*, quod unaquaque die oportebat eos animalia viva emere, occidere, & vendere; nam in occisione animalium erat vita eorum. Vociferabantur etiam cives, & Burgenses (4), & populus pro consuetudinibus suis, eo quod circa festum Sancti Martini consueverant animalia in foro mercari sine plegio ad occisiones contra Natale Domini faciendas. Murmur etiam multus super hoc edicto erat in turba. Quare ut æstimo, si quæreretur ibi (ut fit in quibusdam congregationibus) placet? redderetur, non placet: ibi etiam si adesses, audires fundere secreta divisos aure susurros, & clamores, & vociferationes, & murmurationes tumultuantium populorum. Et laudatum est Regi quatenus consuetudines justas, & sapienter deductas non auferret eis, tamen in foro regio empto mercato suo cum testibus & cognitione vendentium.

(1) *His emne Cristen*; h. e. fratrem suum in Christo.
(2) *Lagamannos*; i. e. legitimos viros.
(3) *Machecarii*; i. e. laniones.
(4) *Burgenses*; h. e. oppidani.

AD

AD LEGES IN ANGLIA CONDITAS

APPENDIX.

LEGES GUILIELMI REGIS. (1)

Decreta Guilielmi Bastardi, & Emendationes quas posuit in Anglia, *quæ olim vocabatur* Britannia.

HIc intimatur quid Gulielmus Rex Anglorum cum Principibus suis constituit post conquisitionem Angliæ. Inprimis quidem super omnia unum Deum vellet per totum regnum suum venerari, unamque fidem Christi semper inviolatam custodiri, Pacem & Securitatem, Concordiam, Judicium, & Justitiam inter Anglos & Normannos, similiter intra Francigenas & Britones, Walliæ & Cornubiæ, & Pictos, & Scotas Albaniæ, similiter Francos, & Insulicolas omnium Insularum, & Provinciarum quæ pertinent ad coronam, & dignitatem, & ad defensionem, & ad observationem, & ad honorem Regis, inter omnes sibi subjectos per universam Monarchiam Regni Britanniæ firmiter et inviolabiliter modis omnibus observari. Ita quod nullus alii forisfaciat (2) in nullo super forisfacturam nostram plenam (3). Statuimus etiam, ut omnes liberi homines fide et sacramento affirment, quod intra et extra universum regnum, quod olim vocabatur regnum Britanniæ, Wilhelmo Regi Domino suo fideles esse volunt, terras et honores suos omni fidelitate ubique servare, cum eo et contra inimicos, et alienigenas defendere. Volumus autem et firmiter præcipimus, ut omnes homines quos nobiscum adduximus, aut post nos venerunt, sint sub protectione, et in pace nostra, per universum regnum prædictum. Et si quis de illis occisus fuerit, dominus ejus habeat intra quinque dies homicidam ejus, si potuerit: sin autem, incipiat persolvere nobis XLVI. marcas argenti, quamdiu substantia (4) domini illius perduraverit; ubi vero substantia domini defecerit, totus hundredus (5) in quo occisio facta est communiter solvat quod remanet. Et omnis Francigena qui tempore Edwardi propinqui nostri fuit in Anglia, particeps consuetudinum Anglorum; quod dicunt *ane blot* & *an Scote* (6), persolvatur secundum legem Anglorum. Volumus et hoc firmiter præcipimus et concedimus, ut omnes liberi homines totius Monarchiæ regni nostri prædicti, habeant et teneant terras suas et possessiones suas bene, et in pace, liberas ab omni exactione injusta, et ab omni tallagio, ita quod nihil ab eis exigatur vel capiatur, nisi servitium suum liberum, quod de jure nobis facere debent, et facere tenentur, et prout statutum est eis, et illis de nobis datum et concessum jure hæreditario in perpetuum per commune consilium totius regni nostri prædicti. Statuimus etiam et similiter præcipimus, ut omnes Civitates, et Burgi, et Castella, et Hundreda, Wapentachia totius regni nostri prædicti singulis noctibus vigilentur, et custodiantur in gyrum, pro maleficis et inimicis, prout Vicecomites, et Aldermanni, et Præpositi, et Ballivi, et Ministri nostri melius per commune consilium ad utilitatem regni providebunt: et quod habeant per universum regnum mensuras fidelissimas, et signatas, et pondera fidelissima et signata, sicut boni Prædecessores statuerunt. Statuimus et firmiter præcipimus, ut omnes Comites, et Barones, et Milites, et servientes, et universi liberi homines totius regni nostri prædicti habeant & teneant se semper bene in armis, & in equis, ut decet & oportet, & quod sint semper prompti & parati ad servitium suum integrum nobis explendum, & peragendum cum semper opus adfuerit, secundum quod nobis debent de feodis & tenementis suis de jure facere, & sicut illis statuimus per commune

---

(1) Ne forte existimes, Lector humanissime, ex cerebro meo depromptas esse, quas Guilielmo Regi jam nunc adscripturus sum Leges, fidemque abroges, aut facti mei consilium ignores, ego te paucis admonere volui: Primum me hoc in loco mea non dedisse, verum aliena transcripsisse Librarii, non Auctoris munere functum: deinde cum duo inter se diversa harum legum circumferantur exemplaria, alterum perantiquum, alterum non ita sane vetus, quod tamen plura complectatur, me diligenti facta comparatione utraque conjunxisse. Ne autem errori alicui ansam præberem, iisdem literis utrumque Codicem expressi, diversitatem ejus alibi explicaturus. Eodem modo me Leges *Edovardi* proxime præcedentes ex duobus MSS. descripsi.

(2) *Forisfaciat*; h. e. damnum inferat.

(3) *Super forisfacturam plenam*; h. e. sub pœna mulctæ plenariæ.

(4) *Substantia*; h. e. bona, facultates.

(5) *Hundredus*. Societas hominum ad eadem jura exequenda conjuncta; dicitur alias *Centuria*.

(6) *Ane blot & an Scote*, unum tributum & unum vectigal: vulgo *Scot and Lot*, quod statim *tallagium* vocatur.

mune consilium totius regni nostri prædicti, & illis dedimus & concessimus in feodis jure hæreditario. Hoc præceptum non sit violatum ullo modo super forisfacturam plenam. Statuimus etiam & firmiter præcipimus, ut omnes liberi homines totius regni prædicti sint fratres conjurati ad Monarchiam nostram, & ad regnum nostrum pro viribus suis & facultatibus contra inimicos pro posse suo defendendum, & viriliter servandum, & pacem, & dignitatem nostram, & coronæ nostræ integram observandam, & ad judicium rectum, & justitiam constanter modis omnibus pro posse suo sine dolo & sine dilatione faciendam. Hoc decretum factum est in civitate Londra (1).

Interdicimus etiam ut nulla viva (2) pecunia vendantur, aut emantur nisi intra civitates, & hoc ante tres fideles testes, nec aliqua res (3) vendita sine fidejussore & warranto. Quod si quis aliter fecerit, solvat, & persolvat, & postea forisfacturam.

Item nullum mercatum vel forum sit, nec fieri permittatur, nisi in civitatibus regni nostri, & in burgis clausis, & muro vallatis, & castellis, & locis tutissimis, ubi consuetudines regni nostri, & jus nostrum commune et dignitates coronæ nostræ, quæ constitutæ sunt a bonis Prædecessoribus nostris deperire non possint, nec defraudari, nec violari, sed omnia rite, et per judicium et justitiam fieri debent. Et ideo castella, et burgi, et civitates sunt et fundatæ et ædificatæ, scilicet, ad tuitionem gentium, et populorum regni, et ad defensionem regni, et idcirco observari debent cum omni libertate, et integritate, et ratione.

Decretum est etiam ibi, ut si Francigena appellaverit Anglum de perjurio, aut murdro, furto, aut homicidio, aut *Ran*, quod dicitur *aperta rapina*, quæ negari non poterit, Anglus se defendat per quod melius voluerit, aut judicio (4) ferri, aut duello (5). Si autem Anglus infirmus fuerit, inveniat alium qui pro eo faciat. Si quis eorum victus fuerit, emendet Regi XL. solidos. Si autem Anglus Francigenam appellaverit, et probare voluerit judicio aut duello, volo tamen Francigenam purgare se sacramento non fracto.

Hoc quoque præcipio, ut omnes habeant et teneant legem Regis Edwardi in omnibus rebus, adauctis his quæ constituimus ad utilitatem Anglorum.

Omnis homo qui voluerit se teneri pro libero, sit in plegio (6), ut plegius eum habeat ad justitiam si quid offenderit, et si quisquam evaserit talium, videant plegii ut solvant quod calumniatum est, et purgent se, quia in evaso nullam fraudem noverint. Requiratur hundredus, et (7) comitatus sicut antecessores statuerunt, et qui juste venire

(1) *Londra*. Lambardus addidit, *al. Claudia*, i. *Glocestria*.

(2) *Viva pecunia*. *Cwic feob* Saxonicum non tantum res, bonum, substantiam significat, sed etiam animal, pecus: hodie apud Germanos *vieh*, quod eodem modo fere ac Saxonum *feob* pronunciatur, tantum pro pecore, nunquam pro pecunia sumitur.

(3) Pro *vendita* Lambardus legi vult *necessaria*.

(4) *Judicio ferri*, intellige, candentis; vult namque Legislator, ut Anglus se defendat per Ordalium, de quo supra.

(5) *Aut duello*. Apud veteres *Suecones* & *Gothos* duplex fuit Monomachia (*eenwig* illis dicta); alia *Conventionalis*, ubi partes litigantes inter se de armis, loco, tempore, modo pugnæ conveniebant absque requisitione vel scitu Judicis aut Magistratus superioris; alia judicialis (de qua Rex *Guilielmus* hic loquitur) quam deficientibus aliis vel plenis probationibus partes eo pacto inierunt, ut victor ipsa victoria legitime suam intentionem probasse judicaretur, fine liti facto. Fuit tamen duellum non tantum ad facti, sed & Juris quæstiones decidendas adhibitum; ideo non quemvis cum quovis, aut quandocunque vel quomodocunque, prout hodie sæpe casu fit, congredi sinebant; sed Judex determinabat locum, tempus, arma. Licitum etiam erat partibus patrinos & campiones eligere, ut si litigantes valde impares essent, vel viribus, vel ætate, vel dignitate, Campio rem expediret. Judices vero emittebant Præcones, qui partes ad constitutum locum & tempus in arenam citarent. Hæc autem consuetudo post Christi fidem receptam sublata est: *Haraldus* Suenonis Estricii successor in Dania *funditus singularium congressionum usum* evertisse dicitur *Saxoni Grammatico*; & apparet id paulo post in Suecia & Norwegia factum. Hodiernæ Leges *Danorum* Duellatorum utrumque tam provocantem quam provocatum si ad constitutum se sistat, ab officiis removent, & bonis quæ ipsorum sunt omnibus, mobilibus atque immobilibus, imo morte pro circumstantiis causæ cognitæ mulctant. Propugnatores his adoptatos, qui in loco conflictionis præsto adsunt, nisi decertaturos pugna prohibeant, pœna mulctant consimili. V. lib. VI. *Jur. Dan.* c. VIII. *Bajuvarii* in Lege sua *Tit.* 2. c. 12. Duello pugnantes non sine jussu Ducis separari jubent. Si quis in curte Ducis, vel ubicunque pugnaverint campiones, manus ad levandum miserit, antequam ille jusserit, cui commendatum est prævidere, si liber est, XL. sol. componat in publico. Si servus, manum suam dextram ibi perdat, aut dominus ejus redimat eam XX. solidis. Imperator Fridericus autem, ut apparet lib. 2. *Constit. Sicul. Tit.* 32. plane prohibet duellum: Prædictum igitur probationis modum, per pugnam videlicet, quo jure Francorum viventes hactenus utebantur, tam circa principales personas, eam sibi invicem offerendo, quam circa personas testium invicem productorum, tam in civilibus, quam in criminalibus causis, de cætero volumus esse sublatum. Et *Tit.* 32. Monomachiam, ait, quæ vulgariter duellum dicitur, paucis quibusdam casibus exceptis, inter Barones Regni nostræ ditioni subjectos, in perpetuum volumus locum non habere.

(6) *Plegio*; i. e. fidejussione, & *plegius* fidejussor.

(7) *Comitatus*, i. e. conventus ex omni Satrapia.

re debent et noluerint, summoneantur semel, et si secundo non venerint, accipiatur bos unus; et si tertio, alius bos; et si quarto, reddatur de rebus hujus hominis quod calumniatum est, quod dicitur (1) *ceapgyld*, et insuper Regi forisfactura.

Et prohibeo, ut nullus vendat hominem extra patriam. Si quis enim velit servum suum liberum facere, tradat eum Vicecomiti per manum dextram in pleno comitatu, et quietum illum clamare debet a jugo servitutis suæ per manumissionem, et ostendat ei liberas portas, et vias, et tradat illi libera arma, scilicet, lanceam, et gladium; deinde liber homo efficitur. Interdico etiam ne quis occidatur, vel suspendatur pro aliqua culpa, sed eruantur oculi, et abscindantur testiculi, vel pedes, vel manus, ita quod truncus vivus remaneat in signum proditionis, et nequitiæ suæ: secundum enim quantitatem delicti debet pœna maleficis infligi (2). Et ista præcepta et statuta non sint violata super forisfacturam nostram plenam.

Hæ sunt Leges & Consuetudines quas (3) Willielmus Rex concessit universo Populo Angliæ *post subactam Terram. Eædem sunt quas Edvvardus Rex, cognatus ejus, observavit ante eum.*

Ces sont les Leis & les Custumes que li Reis William grantut a tut le Peuple de *Engleterre*, apres le Conquest de la Terre, Ice les meismes que le Reis Edvvard sun Cosin tint devant lui.

I. *De* Asylorum *jure & immunitate Ecclesiastica* (4).

SCilicet; Pax Sanctæ Ecclesiæ, cujuscunque Forisfacturæ quis reus sit hoc tempore; & venire potest ad Sanctam Ecclesiam; Pacem habeat vitæ & membri. Et quis injecerit manum in eum qui matrem Ecclesiam quæsierit, sive sit Abbatia, sive Ecclesia Religionis (5), reddat eum quem abstulerit, & centum solidos nomine Forisfacturæ: et Matri Ecclesiæ Parochiali xx. solidos: et Capellæ x. solidos. Et qui fregerit pacem Regis in *Merchenelega* centum solidis emendet, similiter de compensatione homicidii (6), & de insidiis præcogitatis.

CO est a saveir; Pais a Saint Eglise; de quel forfait que home out fait en cel tens; e il pout venir a Sainte Eglise; out pais de vie & de membre. E se alquons meist main en celui qui la mere Eglise requireit, se ceo fust u Abbeie, u Eglise de Religion, rendist ce que il javereit pris, e cent solz, de forfait, e de Mer Eglise de Paroisse xx. *solz, e de Chappele* x. *solz, e que enfraiant la pais le Rei en* Merchenelae *cent solz les amendes, altresi de* (6) Heinfare *e de aweit purpensed.*

II. *De Hominum Regis privilegiis.*

Hæc placita pertinent ad Coronam Regis. Et si aliquis aut aliqua vexaverit, (molestaverit aut.) malefecerit hominibus illius Ballivæ (7) & de hoc sit attinctus per Justitiam Regis, Forisfactura sit dupla illius quam alius quispiam forisfecerit.

Icee plaiz asierent a la Coroune le Rei; & se alquens u quens uruost messeist as homes de la baillie, e de co suist atint de la justice du Roi, forfait fust a duble de ce comme altre fust forfait.

(1) *Ceapgyld*, alias *orfgyld*; i. e. pretium rei furto ablatæ.

(2) Pœnam hanc Conquestoris primus, quod sciam, filius ejus primogenitus Robertus Dux Normanniæ expertus est, quem frater ejus Henricus regno & oculis privavit. Effossionem oculorum & abscissionem nasi, aurium, & aliorum membrorum primus in Angliam (quantum quidem ex Legibus constat) ex Septentrione introduxisse dicitur Cnutus, quo de consule Leges ejus supra congestas. Pœnam hanc adulterii apud gentes quasdam fuisse sub initio LL. Æthelbirhti diximus.

(3) Guilielmus idioma Gallicum seu Normannicum utpote vernaculum nascentique Imperio velut magis fidele in Anglia propagari, & populare fieri impense desideravit; unde (ut scribit Rob. Holkothius ad libr. sapient. c.2.) *cum Willielmus Dux Normannorum Regnum Angliæ conquisivisset, deliberavit quomodo linguam Saxonicam posset destruere, & Angliam & Normanniam in idiomate concordare, & ideo ordinavit, quod nullus in Curia Regis placitaret, nisi in Gallico, & iterum, quod puer quilibet ponendus ad Literas, addisceret Gallicum, & per Gallicum Latinum, quæ duo usque hodie observantur.* Continent Leges hæ Guilielmi, Statuta Regum *Inæ*, *Æthelredi* & in primis *Cnuti*, ex quibus Edwardus eas deprompsit, ac Guilielmus in idioma Gallicum seu Normannicum translata confirmavit. Paucas earum exhibet *Spelmannus* To.1. Concil. p. 624. & seq. ex Ingulpho Abbate Croylandiæ. Nos autem Seldenum & Whelocum secuti, omnes exprimere conabimur.

(4) De Asylis ad Ecclesiam jam supra ad Leges *Inæ* cap. 5. diximus. V. *Cnuti* LL. Part. 3. cap. 2. 3.

(5) *Ecclesia Religionis*; h. e. Monasterium vel Ecclesia ordini alicui religioso devota.

(6) *Heinfare* fugam servi significat, a *hein* servus, & *fare* abire. *Spelmannus* autem in Glossario suo in voce, ex Domesd. probavit, significare inter alia idem quod *manbote*, h. e. *compensationem homicidii*, quod maxime huc spectat.

(7) *Ballivæ*; h. e. Jurisdictionis, provinciæ; & sensus hujus Legis est, quod si quis damnum aliquod intulerit hominibus Regi servientibus & per Judices ejus accusatus fuerit, tunc ejus mulcta sit duplo major quam illius qui alteri damnum intulit.

III. *De Pacis publicæ violatoribus.*

Et qui in *Danelega* violaverit pacem Regis, CXLIV. libris emendet: & Forisfacturæ Regis quæ pertinent ad Vicecomitem XL. solidi in *Merchenelega*, & L. solidi in *West-Sexenelega*. Et de libero homine qui habet *Sac* & *Soc* & *Tol* & *Tem* & *Infangentheof* & implacitatus (1) fuerit, & ad Forisfacturam positus in Comitatu, pertinet Forisfactura ad opus Vicecomitis XL. Oræ in *Danelega*, & de alio homine qui ejusmodi Libertatem non habet Oræ XXXII. De his XXXII. oris habebit Vicecomes ad usum Regis oras decem, et is qui eum implacitaverit habebit in remedium versus eum oras XII. et Dominus in cujus finibus manserit X. oras. Hæc est in *Danelega*.

E que en Danelae *fruisse la pais le Roi* VII. *vins livres e* IIII. *les amendes; e les forfaiz le Roi qui afierent al Vescunte* XL. *solz* en Merchenelae, *e* L. *solz en* West-Sexenelae. *E al frans home qui aveit* Sac *e* Soc *e* Tol *e* Tem *e* Infangenetheof, *se il est emplaide e seit mis en forfeit en le Counte, afiert il forfait a oes le Vescunte* XL. *ores en* Denelae, *e de altre home qui cest franchise non ad* XXXII. *ores. De ces* XXXII. *ores, arat li Vescunte a oes le Roi* X. *ores, e cil qui li plait aurat de remied vers lui* XII. *ores, e le Seigneur, en ki fin il maindra,* X. *ores; co est en* Denelae.

IV. *De Latrocinii reo, & fidejussore qui morum ejus periculum in se susceperat* (2).

Hæc est Consuetudo in *Merchenelega*; si quis appellatus fuerit de latrocinio, seu de furto, et plegiatus fuerit venire ad Justitiam, et fugerit interim, Plegius ejus habebit IV. menses et unum diem ad eum quærendum, et si possit eum invenire, juret se duodecima manu, quod tempore quo eum plegiavit, latro non fuerat, neque per eum esset quod fugerit, nec eum prehendere possit. Tunc reddat Catallum, et XX. solidos pro capite, et IV. denarios ei qui ceperit ipsum, et unum obolum pro inquisitione, et XL. solidos Regi. In *West-Sexenelega* C. solidos ad clamorem pro Capite, et IV. libras Regi. Et in *Danelega*, Forisfactura est VIII. libræ; XX. solidi pro Capite, et VII. libræ Regi. Et si is potest intra annum et IV. dies invenire latronem, et eum perducere ad Justitiam, redhibebunt ei viginti solidos quos acceperint, et fiat Justitia de latrone.

Cost est la custume en Merchenelae, *se alquens est apeled de larcin, u de roberie, e seit plevi de venir a justice, e il seit fuie dedenx, son plege si avera de* IV. *meis e* I. *jour de quer le, e si il le pot truver, si jurad se dudzime main que a l'ure que il le plevi, Laron nel sot, ne per lui ne sent est fui, ne aveir nel pot, dunc vendrad le chattel e* XX. *solz pur la test, e* IIII. *den. al ceper, e une maille pur la besche, e* XL. *solz al Rei. En* West-Sexenelae *cent solz al chamur pur la test, e* IV. *livres al Rei. E en* Denelae, *le forfait* VIII. *livres; les* XX. *solz pur la test, e les* VII. *livres al Rei. E sil pot dedenz un an &* IV. *jurs trover le larun e amener a la justice, si li rendra les vint solz, kis aurad ont, e seit faite la justice de Larun.*

V. *De Latronis prehensione* (3).

Is qui prehenderit latronem absque secta & absque clamore, quem dimiserit ei cui damnum fecerit, & venerit post ea, *Justitiam postulaturus*, rationi conveniens est, ut det X. solidos de (4) *Hengwite*, & finem faciat Justitiæ ad primam Curiam, & si confirmetur in Curia, absque licentia Justitiæ, sit forisfactura de XC. solidis.

Cil ky prendra Larun sanz suite e sanz cri, que cil en leist a qui il aurad le damage fait, & vienge pois apres, si est raisun, que il dunge X. *solz de* Hengwite, *e fin face la justice a la primere devise e sil passe la devise sans le conge a la justice, si est forfait de* XL. *solz.*

VI. *De Animalium Redemptione.*

Is qui Averium (5) replegiaverit, aut Equos, aut Boves, aut Vaccas, aut Porcos, aut Oves, (quod *Forsengen* Anglice dicitur) is qui postulat, dabit Præposi-

Cil ky aveir escut, u Chivals, ut Buefs, u Vaches, u Porcs, u Berbz, que est Forsengen *Engleis apeled, cil qil clamed durrad al grost al provost, aveir pur lescusto,*

(1) *Implacitatus*; h. e. accusatus, in judicium vocatus. V. Legem Edov. Confess. §. 22. 23. 26. & 31.

(2) Lex hæc jam supra in Legibus Edgari, par. 2. cap. 6. & Edwardi Confessoris c. 21. & 15. extat.

(3) *Ina* Rex c. 72. LL. sensum hujus Legis nobis exhibet.

(4) *Hengwite*; h. e. mulcta pro latrone præter Juris exigentiam elapso.

(5) *Averium* proprie animal jugale denotat, sumitur tamen interdum pro quocunque animali.

to, in toto, pro Averio replegiato VIII. denarios, nec tamen habeat plus, qui centum habet pro obolo, non dabit plusquam VIII. denarios, & pro Porco IV. denarios, & pro Ove denarium unum, & pro alio unoquoque quod vivit IV. denarios, nihilominus neque habebit, nec dabit plusquam VIII. denarios, & dabit vadios, & inveniet plegios, se, si aliquis venerit ad probationem intra annum & diem ut Averium petat, ad rectum habiturum in Curia, eum de quo is Averium replegiaverit,

sum VIII. *den. jatant ni ait meis quil ont cent al maille, ne durrad que* VIII. *den. e pur un Porc* IV. *den. e pur un Berbz* I. *den. e ifstres que vit pur chascun* IV. *den. ne jatant ni aurad ne durrad que oit. d. e durra wage, e truverad plege, que si altre veinged a pref dedenz lan e un jour pur laveir demander, quil i ait a droit en la Curt, celui de que il aveir escus.*

VII. *De rebus forte inventis* (1).

Similiter de Averio vaganti & alia re inventa. Ostendatur tribus partibus Vicineti, ut testimonium habeat de inventione, si aliquis veniat ad probationem ad rem postulandam, det vadios & inveniat plegios se, si alius quispiam postulaverit Averium intra annum & diem, ad rectum exhibiturum in Curia, id, quod invenerit.

Altresi de aver endirez e de altre troveure; seit mustred de treis pars del veisined, que il eit testemonie de la troveure, si alquens vienge a pref pur clamer la chose duist wage e trove pleges que se altre clamud laveir dedenz lan e un jour qui il ait a droit en la curt, celui qui laverat troved.

VIII. *De Homicidio & Capitis æstimatione, seu* Wera.

Si quis alium occiderit, & sit reus confitens, & emendare negaverit, det de suo *Manbote* Domino pro libero homine x. solidos & pro servo xx. solidos. Wera *Thani* est xx. libræ in *Merchenelega*, & in *West-Sexenelega*. Et Wera Villani c. (2) solidi in *Merchenelega*, atque etiam in *West-Sexenelega* (3).

Si home occit altre, e il seit counsaunt, e il denie faire les amendes, durrad de sa Manbote *al Seignor pur le franc home* x. *solz, e pur le serf* xx. *solz; la were del* Thein xx. *li. en* Merchenelae *e en* West-Sexenelae, *e la wer del Vilain* c. *solz en* Merchenelae, *e eusement en* West-Sexenelae.

IX. *Quibus Capitis æstimatio seu* Wera *solvenda.*

Quod ad Weram attinet, primo reddat is qui est de nobili sanguine Viduæ & Orphanis x. solidos, & quod superest Orphani & Cognati inter se dividant.

De la were, primerement rendrat l'um de halt Sainc a la Vidue a as Orphanins x. *solz, e le surplus Orphanins e les Parens departent entr'els.*

X. *Animalium aliquot valor, in Capitis æstimatione censenda.*

In Wera reddere poterit quis Equum non castratum pro xx. solidis, & Taurum pro x. solidis & Jumentum pro v. solidis.

En la were purra il rendra Chival qui ad la cuille pur xx. *solz, e tor pur* x. *solz, e afer pur* v. *solz.*

XI. *De percussore.*

Si quis alium percusserit, et negaverit ultra emendare, primo illi reddat caput suum (*id est, capitis pretium, vulgo Wergildum*) et illi percussor juret super Sancta quod aliter non potuerit facere, nec ex malitia quacunque ille fuerit in terram dejectus, id quod (*causa*) doloris est.

Si home fait plaie a altre, e il denie otrei fair les amendes, primerement li rende sun le chefe, e li plaiez jurraz sur sentez, qui pur mes nel pot fair ne pur haur si chjer nel fist desarbore cho est de la dulor.

XII. *De vulnere indito* (4).

Si plaga alicui eveniat visui aperto, ca-

Si la plaie lui vient a vis en descuvert

pite

(1) In libro qui *le grand Constumier de Normendie* dicitur, c. 19. Lex hæc paulo prolixius exhibetur; quod nempe *Vayva & Catalla*, quæ nullius proprietari attributa sine possessionis reclamatione sunt inventa, usque ad diem & annum sint servanda; & deinde de iis, domino legitimo modo restitutio facienda est. V. *libri ejusd.* cap. XVII. Conf. Leges Edovard. Confes. c. 21. *Bracton.* fol. 150. & *Spelman.* Glossar. in voce *Cenninga*.

(2) *Henricus* Rex Lege LXXVI. cc. solidos Weram Villani esse dicit.

(3) *In Judiciis Civit. Lundon.* sub Æthelstano Wera Thaini sexies major esse dicitur, quam Coloni, sc. 1200. solid. & Coloni 200. Idem hoc in LL. Æthelstani repetitur. *Henricus* I. Lege LXXVI. Coloni æstimationem cc. solid. & Thani duodecies centum sol. qui faciant lib. v.

(4) De Vulneribus, & compensatione membrorum mutilatorum vel præcisorum supra inter Leges Æthelbirhti agitur.

pite toto viso IV. denarios *det percussor*, et de omni osse, quod quis traxerit ex plaga, osse toto viso IV. denarios, postea compositio ei fiat, secundum honores quos ei (*os vel caput*) fecerint; hoc cum fecerit, si cor suum ei benevolum monstraverit, et consilium suum ei donaverit, accipiat ab illo quod ei obtulerit.

al polz tote veie IV. den. & de tanz os cum hom trarad de la plaie al os tote veie IV. den. pois acordement si li metrad avant honours qui si illiont fait, so quil ad fait a lui, se son queur li purportast, e son conseil li donast, prendreit de lui ce quil offre a lui.

XIII. *Membrorum præcisorum æstimatio.*

Si acciderit ut quis pugnum cujuspiam abscriderit aut pedem, reddat ei medietatem Weræ, secundum id quod *factum* est. Sed pro pollice reddat medietatem manus. Pro digito qui pollici proximus XV. solidos, de solido Anglicano, hoc est, quatuor denarios. Pro digito longo XVI. solidos. Pro altero qui portat annulum XVII. solidos. Pro digito minimo V. solidos. Si unguem quis præciderit, pro quolibet V. solidos de solido Anglicano, et pro ungue digiti minimi IV. denarios.

Si co avent qui alquen colpe le poin a altre, u le pied, si li rendra demi were, su luc ceo q'il est. Mez del pochier rendrad la meite de la mein, del dei apres le polcier XV. solz de solt Engleis, co est quer deners; de lunc dei XVI. solz, del altre qui ported l'anel XVII. solz, del petit dei V. solz, del ungle si il colpe de cascun V. solz de solt Engleis; al ungle de petit dei IV. den.

XIV. *De adulterio.*

Qui desponsatam alterius vitiaverit, forisfaciat Weram suam Domino suo.

Ki altrei espouse purgist, si forfait la were vers sun Seignor.

XV. *De Judice corrupto* (1).

Etiam qui falsum tulerit Judicium, Weram suam perdat, nisi super sacrosancta (*Evangelia*) probare poterit, se melius judicare nescivisse.

Altresi qui faus jugement fait, pert sa were, si il ne pot prover sor Saintz qui melz ne pot juger.

XVI. *De purgatione illius qui Furti reus est.*

Si quis alterum appellet de latrocinio et is sit liber homo, et habeat exinde verum testimonium de legalitate, purget se per plenum Sacramentum, et alter qui infamis ante fuerat per Sacramentum nominatum (2) videlicet XIV. homines legales; attamen si is habere eos poterit purget se duodecima manu, et si habere non possit, se defendat per judicium, et Appellator jurabit (præter eum jurent VII. homines nominati) quod propter malitiam non fecerit nec propter aliam causam, quam quia jus suum persequeretur.

Si home apeled altre de Larcin, & il sot francz home, & il ait ondca verre testemonie de lealte, sen escoudirad per plein serment, & altre qui blasmed ait ested per serment nomed, co est a savoir, quacorte homes leals, per non si il aver les pot, si sen escoudirad sei dudzime main, & si aveir nes pot, si se defende per ivis, e li apeleur jurra sur lui jur set homes nomes, qui pur haur nel fist, ne pur altre chose, si pur son dreit non purchacer.

XVII. *De eo qui Templum aut Domum fregerit* (3).

Et si quis appellatus fuerit de fractione Monasterii aut Cubiculi, neque fuerit infamis a retro, se purget per XLII. legales homines nominatos duodecima manu, et si alias infamia notatus fuerit, purget se per triplum, videlicet per XLVIII. homines legales nominatos trigesima sexta manu, et si illos habere nequierit eat ad judicium per triplum si audeat ad triplex plenum Sacramentum, et si is a retro latrocinium emendavit, eat ad aquam (*i. e. judicium aquæ*).

E si alcons est apelez de muster fruisser, u de chambre, e il ne ested blamed enarer, sen escoudit per XLII. leals homes nomez sei dudzime main, e sil eit altre fiee ested blamed, sen escoudied a treis dubles, ceo a savoir per XLVIII. homes leals nomes sei trentesiste mein, e sil aveir nes pot, aut a la ivise a treis dubles, si coil doust a treis du plein serment, e sil ad enarer Larcin amended, alt al ewe. Li Arcevesque averad de forsfaiture XL. solz en Mer- Ar-

(1) De Judice corrupto supra ad Leges Edgari nonnulla diximus. Conf. Cnuti LL. part. 2. §. 1. & hic infra cap. XX. LL. *Gulielmi*.

(2) De Sacramento nominato vide Legem *Henrici* I. cap. LXVI. Conf. quæ supra de Sacramentalibus diximus.

(3) Supra jam de Effractoribus Templorum ac domuum tractavimus.

Archiepiscopus habebit de forisfactura XL. solidos in *Merchenelega*, et Episcopi XX. solidos, et Comes XX. solidos, et Baro X. solidos, et Villanus XL. denarios.

chenelae, *e lui Evesques* XX. *folz, e lui Quinz* XX. *folz, e le Baron* X. *folz, e li Vilain* XL. *den.*

XVIII. *De Denariis S. Petri, seu Vectigali Romano* (1).

Liber homo qui habuerit averia campestria XXX. denariis æstimanda, dabit denarium S. Petri. Pro IV. denariis quos donaverit Dominus, quieti erunt Bordarii ejus et ejus Scabini et ejus Servientes. *Burgensis* qui de propriis Catallis habet id quod dimidia marca æstimandum est, dare debet denarium S. Petri. Qui in *Danelega* est liber homo, et habet averia campestria quæ dimidia marca in argento æstimantur, debet dare denarium S. Petri. Et per denarium quem donaverit Dominus, erunt quieti ii qui resident in suo Dominio.

Franc home qui ad aver champester trente deners vailaunt, deit doner le dener Seint Pere. Le Seignur pur IV. *den. que il dourrad si erent quietes ses Bordiers e ses Bovers & ses Serjanz. Li Burgeis qui ad en soun propre chatel demi marc vailant, deit doner le dener Seint Pere. Qui en* Danelae *franc home est e il averad demi marc en argent vailant de aveir champestre, si devrad doner le dener Seint Pere. E per le dener qui li Seignur durrat si erent quietes ceals, qui meinent en son demainer.*

XIX. *De muliere vi compressa & pudicitia luctamine tentata* (2).

Qui fœminam vi compresserit, forisfacit membra sua. Qui prostraverit fœminam ad terram et ei vim inferat, mulcta ejus Domino est X. solidi. Si vero eam compresserit, forisfacit membra.

Ki purgist femme per forze forfait ad les membres, ki abate femme a terre, pur faire lui force, la multe al Seignur X. *folz; sil la purgiste, forfait est de membres.*

XX. *De iis qui vectigal Romanum seu D. Petri non pendunt.*

Qui retinet denarium S. Petri, denarium reddat per Justitiam S. Ecclesiæ et XXX. denarios forisfacturæ. Et si de ea re est implacitatus per Justitiam Regis, forisfaciat Episcopo XXX. denarios, et Regi XL. solidos.

Ki retient le dener Seint Pere, le dener rendra par la justice de Seint Eglise e XXX. *den. forfait; e si il en est plaide de la justice le Rei, le forfait al Evesque* XXX. *den. e al Rei* XL. *folz.*

XXI. *De Oculo effosso* (3).

Si quis alteri oculum effoderit infortunio quocunque, emendet LXX. solidis solidorum Anglicanorum. Et si visus ei restituatur, dimidium duntaxat reddatur.

Si alquns criene l'oil al altre per aventure quel que seit, si amendrad LXX. *folz dei folz Engleir, e si la purvele i est remis, si ne rendra lui que la meite.*

XXII. *De Relevio seu* ἐισδεικτικῷ *Comitis* (4).

De Relevio Comitis, quod ad Regem pertinet, VIII. Equi ephippiati et frænis ornati, IV. Loricæ, et IV. Galeæ, et IV. Scuta, et IV. Hastæ, et IV. Enses, alii cæteri IV. Veredi et Palfredi cum frænis et capistris.

De releif al Cunte, que al Rei afiert VIII. *chivalz selez, e enfrenez, les* IV. *Halbers, e* IV. *Hammes, e* IV. *Escuz, e* IV. *Launces, e* IV. *Espes, les altres* IV. *Chaceurs e Palfreis a frenis e a chevestres.*

XXIII. *De Relevio Baronis.*

De Relevio Baronis IV. Equi cum sellis et frænis ornati, et Loricæ II., et II. Galeæ

De releif a Barun IV. *Chivalz enseles e enfrenes, e* II. *Halbers, e* II. *Hammes,*

(1) De denario Petri jam superius nonnulla diximus. Conf. LL. Edov. Confess. c. 10.

(2) Supra de stupro ad Leges *Inæ* tractavimus.

(3) Æthelbirhtus Lege XLIV. excussionem oculi 50. solidis compensari vult, damnum autem oculo factum XII. Lege 86. Si servi oculus aut pes excutiatur, omni valore compensari jubet. *Ælfredus* ex XXI. cap. *Exodi*, Si quis alterius oculum effoderit, proprio compensare debet: Si quis servi sui vel ancillæ suæ oculum excusserit, & ille post factum hoc luscus sit, manumittat ipsum statim.

(4) Hoc & sequent. 2. Capita illust. *Coke* Tom. 2. Institut. p. 8. reperit, ac addit *Relevium Coloni* (quod cap. seq. 29. exhibetur in LL. Guil. his verbis: *Le Relief ad villain le meliour avoir que il averad 2. Chivals, 2. Boefs, 2. Vaches, durrad a son seignior, & puis sont touts les villains in frankpledge.* Cnutus Rex lib. 2. cap. 69. Comitis armamenta esse vult: *Octo equos, quatuor ephippiatos & quatuor absque ephippiis, & quatuor galeas, & quatuor loricas, & octo hastas ac totidem scuta, & quatuor enses, & ducentas mancusas auri.* Vide plura de *Thani regii* armamentis capit. eod. Egregie de hoc commentatus est Clar. Cambdenus in Britann. p. 121. 182. Edit. Lond. 1607. quem omnino consulas.

et Scuta II., et II. Hastæ, et II. Enses; et alii cæteri II. unus Veredus et unus Palfredus cum fræno et capistro.

e II. Escus, e II. Launces, e II. Espes, e les altres II. un Chaceur, e un Palefrei a frenis e a chevestres.

XXIV. *De Vavasoris Relevio.*

De Relevio Vavasoris ad legitimum suum Dominum. Quietus esse debet per Equum patris sui talem qualem habuerit tempore mortis suæ, et per loricam suam, et per galeam suam, et per scutum suum, et per hastam suam, et per ensem suum, et si adeo fuerit inermis ut nec equum habuerit nec arma, per centum solidos.

De releif a Vavasour a son lige Signeur, deite estres quite per le Chival son peipe tel quil aveit a jour de sa mort, e per sun Halbert, e per son Hamme, e per son Escud, e per sa Launce, e per Sespe, sil fust des apeille, quil ne ont ne Chival ne les armes per C. *solz.*

XXV. *De re interciata, aut de rebus ereptis penes alium deprehensis* (1).

De averio quod *quis* in manibus habet, qui velit postulare furto sublatum, et ille vult dare vadios et invenire plegios ad prosequendum appellum suum, tunc incumbit illi qui *rem* habuerit in manibus, nominare warrantum suum, si eum habuerit, et si non habuerit eum, nominabit suum vadem primarium (2), et testes suos, et habebit eos ad diem, & ad terminum, si eos habeat aut eos habere poterit, et intertiator tradet in vadium se sexta manu, et alter mittatur in manum sui warranti aut sui vadis primarii, et habeat ille testes quod tradet mercatui Regis, et quod ille non posuerat suum warrantum in plegio vivo nec mortuo id jurent octo testium suorum per plenum Sacramentum; *ast* perdat catallum suum, si is testimonium perhibeat quod vadem primarium accusaverit, et si non poterit habere warrantum nec testem, perdet et pro debito perdat Weram suam Domino suo. Hoc obtinet in *Merchenelega*, et in *Danelega*, et in *West-Sexenelega*. Non vocabit quis Dominum suum ad Warrantum de hoc quod positum est in vadio, et in *Danelega* confirmet in faciem dictum ibi, quod is sit disrationatus, et si potest probare quod hoc sit de sua nutritione (3), per tres partes sui victus illi fuerit disrationatum. Nam post quam Lex sacramentalis sibi est adjudicata, inde non potest postea quæstio moveri per judicium Angliæ.

De entremeins aveir kil voldrad clamer emblet, e il volge doner wage trouver plege a persuir son appel, dunt li scuverad a celui quil auverad entremeins nomer son guarant, sul lad, e si il nel ad dunt nomerad son Heuvel borh, *e ses testemonies e ait les a jur e a term, sil les ad, u sil les pot aver, e li enterceur liveriad en guage sei siste main, e li altre le mettrad en la main son warrant va son* Heuvel borh, *& il ait testimonies que il lacharad al marchied du Rei, e quil ne set son warrant en le plege vif ne mort, ço jurad od ses testimonies per plein serment; si perdra son Chatel si il testimonient qui il* Heuvel borh *empusd, e sil ne pot aveir guarant ne testimonie si perdrad, & pur soldrad pert sa werre vers son Seignur, co est en* Merchenelae *e en* Danelae *e en* West-Sexenelae. *Ne vocherad une son Seignor warrant iceo qui seit mis en guage, e on* Danelae *mettred en vele dissi la, qui il seit derained e sil pot prover qui ceo soit de sa nurture per treis partz son vigued se il averad derained. Kar puis que serment li est jugied ne len pot pas puis lever per le jugement de Engleterre.*

XXVI. *De centuriæ mulcta, ubi reus homicidii judicio non sistitur* (4).

De Murdro Francigenæ occisi, et homines hundredi non prehendunt et ducunt ad Justitiam infra VIII. dies ut ostendat ob quam causam fecerit, reddant murdri nomine XLVII. Marcas.

De murdre freceis occist, e les homes del hundred nel prengent e amenent a la justice de denz les oit jours per mustrer pur qui il la fait, sin rendrunt le murdre XLVII. *Marc.*

XXVII.

(1) De *re interciata*; id est, in manum tertiam posita. Vid. cap. 74. LL. Inæ, & LL. *Edwardi Confess.* c. 25.

(2) *Heuvel borh*; forte *heafod borh*, hodie *Headborrow* vas primarius.

(3) Vide quæ Æthelstanus Rex supra Lege IX. & Henricus infra cap. 31. 49. habeat, quorum hæc ad melius intelligenda verba Regis Guilielmi multum faciunt.

(4) *Edwardus Confessor* LL. §. 15. de homicida statuit, ut si inveniri poterat, tradatur Justitiæ Regis infra ipsos VIII. dies interfectionis: si vero inveniri non poterat, mensis & unius diei respectum habebant ad eum perquirendum. Quod si intra terminum non inveniebatur, colligebantur in villa illa XLVI. marcæ. Quod si ad tantæ solutionem pecuniæ non sufficiebat, per Hundredum colligebatur, quod in villa non poterat. Henricus I. intra VII. dies homicidam judicio regio sisti, aut XLVI. marcas solvi vult. V. LL. ejus c. 91.

XXVII. *De clientis actione versus Dominum* (1).

Si quis vult disrationare conventionem de terra sua versus Dominum suum per pares suos eadem tenura quos vocavit in testimonium, debet illud disrationare. Nam per extraneos non potest disrationare.

Si home volt derainer covenant de terre vers son Seignor per ses pers de la tenure meimes que il apelerad a testimoines lescuverad derainer. Kar per estranges nel purra pas derainer.

XXVIII. *De Placito* (2).

Qui placitat in Curia, cujuscunque Curia sit, excepto ubi persona Regis est, & quis eum sistat super eo quod dixerit, rem quam nolit confiteri, si non potest disrationare per II. intelligentes homines qui interfuerunt placito & videntes, quod non dixerit, recuperet juxta verbum suum.

Home qui plaide en Curt, a qui Curt qui co seit fors la ou le cors le Rei est, e home li mettid sur quil ait dit chose qui il ne voille coinistre, se il ne pot derainer per II. *entendable home del pleidant & veant qui il nel aurad dit recovered a sa parola.*

XXIX. *De Servorum Relevio* (3).

De Relevio Villani. Melius animal quod habuerit id (sive Equus sit, sive Bos, sive Vacca) donabit Domino suo pro Relevio, & postea sint omnes Villani in franco plegio.

De relief a Vilain. Le melliur aveir quil avera u Chival, u Buf, u Vache, donrad a son Seignor de releif & puis si serait touz les Villains en franc plege.

XXX. *De viis publicis* (4).

De tribus viis, videlicet *Wetlingstreet*, & *Ermingstreet* & *Fosse*. Qui in aliqua harum viarum hominem itinerantem sive occiderit sive insilierit, is pacem Regis violat.

De III. *chemins co est a saveir* Wetlingstreet & Ermingstreet & Fos. *Ki en alcun de ces chemins occit home qui seit errant per le pais u asalt, si enfreit la pais le Roi.*

XXXI. *De Latrone, cum latrocinio seu ἐπαυτοφόρῳ, prehenso.*

Si latrocinium sit inventum in cujuscunque terra sit & latro simul, Dominus terræ & uxor ejus habebunt medietatem bonorum Latronis, & vendicatores eorum Catalla si illa invenerint, & alteram medietatem, si repertum sit intra *Sache* & *Soche*, perdat uxor, & Dominus habebit.

Si larecin est troved, en qui terre qui ceo seit & le Laron ovesque, le Seignor de la terre, & la femme averunt la meited del aveir a Laron, e les chalenurs lor chatel se ille trovent e latre meited sil est trove dedanz Sache & Soche, *sil perdra la femme & la Seignor laverad.*

XXXII. *De Seneschallo.*

A Seneschallo de unaquaque Hidarum Hundredi, homo intra festum *S. Michaelis*, & *S. Martini*, & Ballivus habebit xxx. hidas quietas pro labore suo, & si averia superent limites, aut aqua iis denegetur, & non possit quis ostendere nec clamorem nec vim quæ eis facta fuerit, reddat averia.

De Stewarde de chescon des hides del hundred un home dedenz la feste Seint Michiell & *le Seint* Martin, & Wardireve *si aurad* xxx. *hides quites per son travaile, & si aveir tres passent per ilot u il denient waiter, e il ne pussent mustrer ne crine force, qui lour fust faite, si rendisent laveir.*

XXXIII. *De colonis & glebæ Ascriptitiis* (5).

Eos qui colunt terram non debet quis mo-

Cil qui custinent la terre ne deit l' um lesta-

(1) Henricus LL. cap. 48. versus finem, de actione adversus Dominum agit, & testes ejusdem Dominii vel ex accusantis vel ex parte Domini adhiberi vult: vide locum & notas.

(2) *Glanvilla de LL. & consuet. Angl. lib.* x. *cap.* XII. Legem hanc ita exprimit: Quicunque aliquid dixerit in Curia, vel in Placito quod iterum negaverit, vel unde sequela vel warrantum probationem sufficientem non habuerit, vel ad hujus contrarium dicendum, vel ad quod negandum per sufficientem probationem districtus fuerit, in misericordia Domini Regis remanet. Conf. & c. IX. lib. VIII.

(3) Vide quæ supra ad Legem XXII. diximus.

(4) *Edwardus Confessor* LL. c. 12. de viis publicis ait, quod quicunque aliquem ibi itinerantem damno aliquo affecerit, is scienter pacem Regis infregerit, & corpus ejus in misericordia Regis sit.

(5) Bractonus lib. I. c. XI. de *glebæ adscriptitiis* dicit, quod liberi sint, licet faciant opera servilia, cum non faciant ea ratione personarum, sed ratione tenementorum, & quod a gleba amoveri non possint, quamdiu solvere possunt debitas pensiones ad quoscunque pervenerit dominicum Domini Regis, nec compelli poterint ad tale tenementum tenendum nisi voluerint. Conf. & lib. IV. c. XXIII.

lestare, præterquam de eorum debito censu. Nec licet a Domino feodi amovere Cultores de terra sua quamdiu rectum servitium suum facere possint. Nativi qui discedunt a terra sua non debent cartam falsæ nativitatis quærere, ut non faciant suum rectum servitium quod spectat ad terram suam. Nativum, qui discedit a terra unde est Nativus & venit ad alteram, nullus retineat, nec eum, nec catalla ejus, sed redire cogatur ut faciat servitium suum tale quod ad eum spectat: si Domini non faciunt alterius colonum venire ad terram suam, Justitia id faciat.

travailer, se de leur dietre cense. Non ne leist a seignurage departir les cultiuurs de lur terre per tant cum il pussent le dreit servise faire. Les naifs ki departet de sa terre, ne devient cartre faut naivirie quere, qui il ne facent lur dreit service, que apend a lor terre. Li naifs ki departet de sa terre dunt il est nez, e vent a autri terre, nuls nel retenget ne li, ne se chatels, enz le facet venir arere a faire son servise tel cum a li apend, si les seignurages ne facent altri gainnys venir a lor terre, la justise le facet.

XXXIV. *Ne quis Domino suo debitas præstationes subtrahat.*

Nemo Domino suo subtrahat rectum servitium suum, propter ullam remissionem quam ei antea fecerit.

Nullui ne toille a son Senior sun dreit servise, pur nul relais, que il li ait fait en arere.

XXXV. *De Fœmina gravida quæ capitali supplicio damnatur.*

Si morti damnata sit aut membrorum mutilationi fœmina imprægnata, de ea non fiat justitia priusquam parturierit.

Si femme est jugee a mort, u a desacum des membres, ki seit enceintee, ne faced lum justice des quele seit delivere.

XXXVI. *De Intestatorum bonis.*

Si quis intestatus obierit, liberi ejus hæreditatem æqualiter dividant.

Si home mort sans devise, si departent les enfans l'erite entre sei per u wel.

XXXVII. *De adultera a patre deprehensa.*

Si pater deprehenderit filiam in adulterio in domo sua, seu in domo generi sui, bene licebit ei, occidere adulterum.

Si le Pere trovet sa file en adulterie en sa maisonn, u en la maisonn son gendre ben li leist occire ladultere.

XXXVIII. *De jactu velut ad Legem Rhodiam.*

Si quis ex necessitate alterum occiderit, aut propter gubernationem faciliorem, ego jecero res tuas de navi ob metum mortis, de hoc non potes me implacitare. Nam licet alteri damnum inferre ob mortis metum quando periculum evadere non potest, & si de hoc me accuses quod ob metum mortis nihil feci de hoc contemptu & ea quæ in navi restant dividantur in communi secundum Catalla, & si quis jecerit Catalla extra navim, absque necessitate ea restituat.

Si home en puissuned altre seit occis, u per manablement eissilled, Jo jettai voz choses de la nef pur pour de mort, & d'eo ne me poez enplaider, kar leist a faire damage a altre pur pour de mort quant parele ne pot eschaper, e si de co me mescez, qui pur pour de mort nel feisse de co mespriorai, e les choses qui sunt remise en le nef, feient departis en comune sulun les chatels, e si alcun jetted les chatels hors de la nef, senz busun, sil rendet.

XXXIX. *De judicio in socium absentem.*

Duo sunt participes ejusdem Pacis, & unus eorum implacitatus absque altero, si negligentia sua perdit, non inde debet damnum cedere alteri, qui absens fuit. Nam quod judicatum est inter eos non debet præjudicare iis qui absentes fuerunt.

Dous sunt perceners d'un grithe, e est lun enplaide sans laltre & per sa folie si pert, ne dit per co laltre estre perdant, qui present sud, kar chose juge entre eus, ne fors juge pas les altres, qui ne sunt a present.

XL. *De Relevio eorum qui clientes censum pendunt* (1).

Eorum qui fundum suum tenent ad censum,

Cil qui tenent lur terre a cense, soit

(1) *Glanvilla* lib. IX. c. IV. Dicitur autem rationabile relevium alicujus juxta consuetudinem regni, de feodo unius militis centum solidos, de socagio vero quantum valet census illius socagii per unum annum. De Baroniis vero nihil certum statutum est, quia juxta voluntatem & misericordiam Domini Regis solent Baroniæ capitales de releviis suis Domino Regi satisfacere. Conf. Bracton. lib. 2, cap. 36.

sum, sit rectum Relevium tantum quantum census annuus est.

lur droit releif a tant cum a cense est d' un an.

XLI. *De Judiciis.*

Caute prospiciant ii quibus cura incumbit judicia facere, ut judicent uti petunt quando dicunt *dimitte nobis debita nostra*, & prohibemus ut homo Christianum extra terram non vendat, nec præsertim in paganismum. Caveat homo quod quis animam ejus non perdat quam Deus vita sua redemit. Qui injuriam elevaverit, aut falsum judicium hinc proferet aut odii aut avaritiæ gratia, sit in forisfactura Regis de XL. solidis; si non potest allegare quod plus recti facere noluerit, perdat libertatem suam, nisi juxta beneplacitum Regis illam ab eo redimere queat. Et si sit in *Danelega*, sit Forisfactura de *Labslite*, si allegare non potest quod melius facere non voluerit & quod rectam legem & rectum judicium recusaverit, sit forisfactura erga illum ad quem jus hoc pertinuerit; hoc est, si sit erga Regem, VI. libræ, si sit erga Comitem XL. solidi, si sit in Hundredo XXX. solidi, & erga omnes eos qui Curiam habent in Anglia, hoc est, juxta solidos Anglicanos. In *Danelega* qui rectum judicium recusaverit, sit is in misericordia de suo *Labslite*, nec bene faciat querelam Regi de hoc quod quis ei defecerit in Hundredo aut in Comitatu.

Ententivement se purpensent cil qui les jugementz unt a faire, que si jugent cum desirent quant il dient dimitte nobis debita nostra, *& nous defendonz qui lum Christien fors de la terre ne vende nen surchetut en paisumne. Wart lum qui lum lamne ne perde qui Deu rechatat de sa vie. Ki tort essevera, u faus jugement fra purcurruz, ne per hange u per aveir, seit en forfaiture le Rei d'* XL. *solz, sil ne pot aleier qui plus dreit fair nel sont, si perde sa Franchise, si al Rei nel pot rachater a son plaisir, e sil est en* Danelae *seit forfait de Larlite, sil alaier ne se pot qui il melz faire ne solt, e qui dreite lei e dreite jugement refuserad, seit forfait envers celi ki dreit, co est a aveir, si co est envers li Rei* VI. *Livres, si co est envers Cunte* XL. *solz, si co est en hundred* XXX. *solz, e envers touz i cons ki Curt unt en* Engleterre, *co est al solz* Engleis. *E en* Danelae *qui dreit jugement refuserad, seit en la mercie de sa Labslite, e ne face bon plainte a Rei dici qui lun li seit de faili el hundred u el Conte.*

XLII. *De pignore quod Namium vocant capiendo.*

Non capiat quis Namium aliquod in Comitatu, nec extra usque dum ter rectum petierit in Hundredo, aut in Comitatu, & si ad tertiam vicem rectum non potest habere, eat ad Comitatum & Comitatus præfigat ei diem quartum & si ipse defecerit de quibus ipse postulat, tunc licentiam accipiat, ut possit Namium capere pro suo homine & testimonio (1).

Ne prenge hum nammil en Conte, ne de fors d'ici quil eit tresfois demand dreit el Hundred u el Conte, e sil a la terce fiee ne pot dreit aver, alt a Conte, e le Conte len a sete le quart jurn, e se cili defait de ki il se claime, dunt prenge conge qui il pusse nam preudre pur le son lum e pref.

XLIII. *Ne quis rem aliquam emat sine testibus* (2).

Nemo emat quantum IV. denariis æstimatur, neque de re mortua neque de viva absque testimonio IV. hominum aut de Burgo, aut de Villa. Et si quis rem vendicat, & is non habeat testimonium; si nullum habeat Warrantum respondeat alteri Catallum suum, & forisfacturam habeat qui habere debet, & si testimonium habeat ut jam diximus advocet tribus vicibus & vice quarta disrationet, aut rem reddat.

Ne nul achat le vailiant de IV. *den. de mort, vif, sans testimonie ad* IV. *hommes u de Burg, u de Vile; e le lum le chalange e il nen ait testimonie, si nad nul Warrant rende lun al hum son chatel, e le forfait ait, ki aver le deit; e si testimonie ad, si cum nous eviz desunes voest les treis foiz, e a la quart foiz le dereinet, u il le rende.*

XLIV. *De appropriatione rei.*

Nobis rationi consonum non videtur, ut

Nus ne semble pais raison que lum face quis

---

(1) *Cnutus* supra Lege XVIII. idem fere his verbis enunciat. Nemo alicujus hominis nomen intra vel extra Provinciam assumat, antequam ter a Centuria jus ejus sit postulatum; si tertia vice nullum jus habeat, tunc pergat quarta vice ad Conventum provincialem, & Provincia ei statuat quartum diem; si tunc fallat, veniam utrinque hinc & illinc sumat, ut proprium suum perquirat.

(2) Satis prolixe superius de emptione in præsentia testium egimus. Hanc & sequentem Legem Rex Guilielmus ex Lege XXII. Cnuti Regis hausit.

quis propriationem faciat supra testimonium quod cognoverit id quod interest, & quod nihil quis proprium faciat ante terminum VI. mensium postquam averium furto sit ablatum.

pruvance sur testimonie ki conussent co que entre est e qui nul nel prust devant le terme de VI. *meis, apres ico qui laveir su emble.*

XLV. *De vadimonio deserto* (1).

Et qui retatus est, & testibus convictus de rebellione, & implacitatus tribus vicibus vitavit, & ad quartam vicem ostendat summonitor tria ejus crimina, nihilominus mandetur homini ut plegium inveniat & veniat ad jus, & si nolit, si non viderit hominem vivum aut mortuum, capiat quantum habet & reddat petenti catallum suum & Dominus habeat medietatem residui, & Hundredum medietatem. Et si nullus Parens aut amicus istam Justitiam deforciaverint, forisfaciant erga Regem VI. libras. Et quærat latro quicquid poterit invenire, non habeat warrantum de vita sua, nec per prohibitum placitum poterit aliquid recuperare.

E cil qui est redte, e testimoniet de deleaute, e le plait tres foiz eschuit e al quart mustrent li sumenour de se treis desautes, uncore le mande lum que il plege truse, e viengе a dreit, e sil ne volt, si ne vist lum vif u mort, si prenge lum quanque il ad e si rende lum al chalangeur sun chatel, e li Sire ait la meite del remenant, e le Hundred la meite. Et si nul parent nami ceste justice desorcent, seient forfeit envers li Rei de VI. *lib. e quergent le larun nen en ki poeste, il seit trove neit warrant de sa vie, ne per defensed plait nait mes recourer.*

XLVI. *De Hospitibus* (2).

Nemo alium recipiet ultra III. noctes nisi is eum illi commendaverit, qui ejus fuerit amicus.

Nuls ne receit hom ultre III. *nuis, si cil ne li command od qui il fust amy.*

XLVII. *De famulis* (3).

Nemo hominem suum a se discedere patiatur antequam retatus fuerit.

Ne nuls ne lait sun hum de li partir, pus qui il est rete.

XLVIII. *De eo qui furibus obviam dederit, & abire permiserit.*

Et qui Latroni occurrerit, & sine clamore eum permiserit abire, emendet juxta valorem Latronis, aut se purget plena lege, quod illum Latronem esse nesoivit. Et qui clamorem audierit & supersederit, supersessione Regis emendet, aut seipsum purget.

E ki larun encontre, e sanz cri a acient li leit aler, si lamend a la vailaunce de larun, u se nespurge per plener lui, qui il larun nel sout; e ki le cri orat e sursera, la sursise li Rei amend, u sen espurget.

XLIX. *De hero ut familiæ sistendæ fidejussor sit* (4).

Quilibet etiam Dominus habeat servientem suum aut plegium suum, quem, si non retatus fuerit, habeat ad rectum in Hundredo.

E chascun Seniour eit son Serjant, u sun plege que si nele rete, que ait a dreit el Hundred.

L. *De incredibili accusato in Hundredo* (5).

Si quis intra Hundredum incusatus fuerit, IV. homines eum retineant, se duodecima manu purget, & si aufugerit penden-

Si est alquon qui blamet seit de dinz le Hundred IV. *humes le retent, sei* XII. *main s' espurget, e si il sen fuist dedenz* te

---

(1) Ad melius intelligendam Legem hanc, consule Cnuti Legem XXIII. cujus hæc versio Normannica a Guilielmo Rege constituebatur.

(2) Cnutus cap. 25. LL. Edovardus Confessor Lege XXVII. & Henricus I. cap. VIII. LL. eadem de hospitibus tractant. Vide quæ supra ad Edovardi Conf. Legem commentati sumus. Conf. Spelman. in Glossar. voce *Homebyne* & *Bracton.* lib. III. cap. X.

(3) Hæc Cnuti Regis Lex XXV. præterquam in hoc loco, apud Bractonum lib. III. cap. X, repetitur. Item & Comites ac Barones suos armigeros & alios sibi servientes, quod si cui forisfecerint, ipsi Domini sui habeant eos ad rectum, & si non habuerint, solvant pro eis forisfacturam. Et paulo post: Non debet quis a se repellere servientem suum antequam purgatus sit de omni calumnia, unde prius fuit calumniatus.

(4) Hæc Cnuti Regis Lex XXVIII. majorem partem, in Lege *Guilielmi* XLVII. continetur. V. *Bracton,* l. c.

(5) Confer quæ supra de fidejussoribus diximus. V. *Æthelred.* LL. c. I. Cnut. part. 2. cap. 2, & Henr. I. c. XLI.

te accusatione, Dominus reddat Weram suam, & si Dominus incusetur quod per eum abire permittitur, se purget sexta manu, & si non posset, emendet versus Regem, & sit utlagatus.

la chalenge, li sire rende sun were, e si lun chalenge le Seignour qui per le sen seit ale si s'escundie sei VI. *main, e sil ne pot envers li Rei lament, e cil soit utlage.*

Carta (1) *Regis Willielmi Conquisitoris de quibusdam statutis.*

WIllielmus Rex Anglorum, Dux Normannorum, omnibus hominibus suis Francis et Anglis, Salutem.

LI. *De Religione & Pace publica.*

Statuimus inprimis super omnia, unum Deum per totum regnum nostrum venerari, unam fidem Christi semper inviolatam custodiri, pacem, & securitatem, & concordiam, judicium, & justitiam inter Anglos & Normannos, Francos & Britones Walliæ & Cornubiæ, Pictos & Scotos Albaniæ, similiter inter Francos & Insulanos, Provincias & Patrias quæ pertinent ad coronam & dignitatem, defensionem & observationem, & honorem regni nostri, & inter omnes nobis subjectos per universam Monarchiam regni Britanniæ firmiter & inviolabiliter observari. Ita quod nullus alii forisfaciat in ullo super forisfacturam nostram plenam.

LII. *De fide & obsequio erga Regem.*

Statuimus etiam ut omnes liberi homines fœdere & sacramento affirment quod intra & extra universum regnum Angliæ (quod olim vocabatur regnum Britanniæ) Willielmo Regi Domino suo fideles esse volunt, terras & honores illius omni fidelitate ubique servare cum eo, & contra inimicos & alienigenas defendere.

LIII. *De* Normanni, *seu* Francigenæ *cæde.*

Volumus autem & firmiter præcipimus ut omnes homines, quos nobiscum adduximus aut post nos venerint, sint sub protectione & in pace nostra per universum regnum prædictum, & si quis de illis occisus fuerit, Dominus ejus habeat intra v. dies homicidam ejus si poterit, sin autem, incipiat persolvere nobis XLVI. Marcas argenti quamdiu substantia Domini illius perduraverit. Ubi vero substantia Domini defecerit, totus Hundredus, in quo occisio facta est, communiter solvat quod remanet (2).

LIV. *De jure* Normannorum, *qui ante adventum* Guilielmi, *cives fuerant* Anglicani.

Et omnis Francigena qui tempore Edwardi propinqui nostri fuit in Anglia particeps consuetudinum Anglorum, quod ipsi dicunt *an hlote & an scote*, persolvat secundum legem Anglorum.

LV. *De Clientelari seu Feudorum jure & ingenuorum immunitate.*

Volumus etiam, ac firmiter præcipimus & concedimus, ut omnes liberi homines totius Monarchiæ regni nostri prædicti, habeant & teneant terras suas, & possessiones suas bene, & in pace, libere ab omni exactione injusta, & ab omni tallagio, ita quod nihil ab eis exigatur vel capiatur, nisi servitium suum liberum, quod de jure nobis facere debent, et facere tenentur; et prout statutum est eis, et illis a nobis datum & concessum jure hæreditario in perpetuum per commune consilium totius regni nostri prædicti.

LVI. *De nocturnis custodiis.*

Statuimus etiam et firmiter præcipimus, ut omnes Civitates, et Burgi, et Castella, et Hundreda, Wapentachia totius regni nostri prædicti singulis noctibus vigilentur, et custodiantur in girum, pro maleficis et inimicis, prout Vicecomites et Aldermanni, et Præpositi, et cæteri Ballivi, et Ministri nostri melius per commune consilium ad utilitatem regni providebunt.

LVII.

(1) Nota, Lector, (sunt verba Rogeri Twysdeni in codice, penes D. Tho. Seabright) quod in Codice rubeo Scacharii (ad cujus fidem hæ & sequentes Leges Henrici primi emendantur) Leges Willielmi primi reperiuntur fol. CLXII. b. sed in capita non distribuuntur, illud enim a clarissimo Seldeno factum, Leges autem Henrici primi habentur ibi fol. XVI. a. Illæ autem non solum in capita sunt distributæ, sed habent singulis capitibus Lemmata præfixa, antiqua manu minio exarata, sed non Capitulorum numeros, qui tamen a nupero quodam & aliquantum negligente in extremitate marginis sunt adjecti; ibi fol. XXIII. a. col. II. post caput 66. cui Titolus *De occisione ministri altaris* sequitur *De homine infamato* & annotatur esse caput LXVIII. cum deberet esse caput LXVII. & sic progreditur ad cap. 79. fol. XXV. b. & ibi conjunguntur uno capite duo lemmata scil. *De liberatione servi & de liberatione filioli.* Quando autem (immutato sensu) verba hic alio ordine sunt posita, quam habentur in MS. Scac. hoc in notis suo loco observatur.

(2) Vide supra LL. Edovardi cap. 15. & 16. & LL. Guilielmi primi cap. 26. v. Brompton. Chronic. p. 982. seq.

LVII. *De Mensuris & Ponderibus.*

Et quod habeant per universum regnum mensuras fidelissimas, et signatas, et pondera fidelissima et signata, sicut boni Prædecessores statuerunt.

LVIII. *De Clientum, seu* Vassalorum *præstationibus.*

Statuimus etiam et firmiter præcipimus, ut omnes Comites, et Barones, et Milites, et servientes, et universi liberi homines totius regni nostri prædicti habeant et teneant se semper bene in armis, et in equis, ut decet et oportet, et quod sint semper prompti et bene parati ad servitium suum integrum nobis explendum, et peragendum, cum semper opus adfuerit, secundum quod nobis debent de feodis et tenementis suis de jure facere, et sicut illis statuimus per commune consilium totius regni nostri prædicti, et illis dedimus et concessimus in feodo jure hæreditario. Hoc præceptum non sit violatum ullo modo super forisfacturam nostram plenam.

LIX. *Ut jura regia illæsa servare pro viribus conentur subditi.*

Statuimus etiam et firmiter præcipimus ut omnes liberi homines totius regni nostri prædicti sint fratres conjurati ad Monarchiam nostram et ad regnum nostrum pro viribus suis et facultatibus contra inimicos pro posse suo defendendum, et viriliter servandum, et pacem, et dignitatem Coronæ nostræ integram observandam, et ad judicium rectum, et justitiam constanter omnibus modis pro posse suo sine dolo et sine dilatione faciendam. Hoc decretum sancitum est in civitate London.

LX. *Ne venditio & emptio fiat nisi coram testibus & in civitatibus.*

Interdicimus etiam ut nulla viva pecunia vendatur, aut ematur nisi intra civitates, et hoc ante tres fideles testes, nec aliquam rem vetitam sine fidejussore et warranto. Quod si aliter fecerit, solvat, et persolvat, et postea forisfacturam.

LXI. *De emporiis, & jure urbium pagorumque notæ melioris.*

Item nullum mercatum vel forum sit, nec fieri permittatur, nisi in civitatibus regni nostri, et in burgis, et muro vallatis, et in castellis, et in locis tutissimis, ubi consuetudines regni nostri, et jus nostrum commune et dignitates coronæ nostræ, quæ constitutæ sunt a bonis Prædecessoribus nostris, deperiri non possint, nec defraudari, nec violari, sed omnia rite et in aperto, et per judicium et justitiam fieri debent. Et ideo castella, et burgi, et civitates sitæ sunt et fundatæ et ædificatæ, scilicet, ad tuitionem gentium, et populorum regni, et ad defensionem regni, et idcirco observari debent cum omni libertate, et integritate, et ratione.

LXII. *De purgatione forensi in judiciis publicis.*

Decretum est etiam ibi, ut si [1] Francigena appellaverit Anglum de perjurio, aut murdro, furto, aut homicidio, *Ran*, quod dicunt *apertam rapinam*, quæ negari non potest, Anglus se defendat per quod melius voluerit, aut judicio ferri, aut duello. Si autem Anglus infirmus fuerit, inveniat alium qui pro eo faciat. Si quis eorum victus fuerit, emendet Regi XL. solidos. Si autem Anglus Francigenam appellaverit et probare voluerit judicio aut duello, volo tunc Francigenam purgare se sacramento [2] non fracto.

LXIII. *Firmantur Leges* Edwardi *Regis.* (1)

Hoc quoque præcipimus ut omnes habeant et teneant leges Edwardi Regis in omnibus rebus, adauctis his quas constituimus ad utilitatem Anglorum.

LXIV. *De justitiæ publicæ fidejussoribus.*

Omnis homo qui voluerit se teneri pro libero, sit in plegio, ut plegius eum habeat ad justitiam si quid offenderit, et quisquam evaserit, talium videant plegii ut solvant quod calumniatum est, et purgent se, quia in evaso nullam fraudem noverint. Requiratur hundredus, et comitatus (sicut antecessores statuerunt) et qui juste venire debent et noluerint, summoneantur semel, et si secundo non venerint, accipiatur unus bos; et si tertio, alius bos; et si quarto, reddatur de rebus hujus hominis quod calumniatum est, quod dicitur *ceapgyld*, et insuper Regis forisfactura.

LXV. *De Servis & eorum manumissione.*

Et prohibemus ut nullus vendat hominem extra patriam: si qui vero velit servum suum liberum facere, tradat eum Vicecomiti per manum dextram in pleno comitatu, quietum illum clamare debet a jugo servitutis suæ per manumissionem, & ostendat ei liberas vias, & portas, & tradat illi libera arma, scilicet, lanceam, & gladium; deinde liber homo efficitur.

LXVI.

[1] Si Fr. [2] Non ferro *apud Hovedenum*.

(1) Westsexa quæ Caput Regni est & Legum, ad quam recurrendum est in omni diffidentia Contingentium Leg. Henrici I. cap. LXXXVII. & cap. LXX. Leges igitur Anglicanas non evertit Willielmus I. nec Henricus filius ejus Leges Edovardi. Rog. Twysd.

LXVI. *De Servis.*

Item si Servi permanserint sine calumnia per annum & diem in Civitatibus nostris vel in Burgis in Muro vallatis vel in Castris nostris, a die illa liberi efficiuntur & liberi a jugo servitutis suæ sint in perpetuum.

LXVII. *De Suppliciorum modo.*

Interdicimus etiam ne quis occidatur, vel suspendatur pro aliqua culpa, sed enerventur [1] oculi, & abscindantur pedes, vel testiculi, vel manus, ita quod truncus remaneat vivus in signum proditionis, & nequitiæ suæ: secundum enim quantitatem delicti debet pœna maleficis infligi. Ista præcepta non sint violata super forisfacturam nostram plenam. Testibus, &c.

Willelmi Regis Statuta. (1).

WIlhelmus Dei gratia Rex Anglorum Omnibus ad quos scriptum hoc perveniat per totam Angliam salutem, & amicitiam. Mando & præcipio omnibus per totam Angliæ nationem custodiri.

LXVIII. *De examine forensi.*

Hoc est, si Anglicus homo compellet aliquem Francigenam ad bellum de Furto vel Homicidio vel aliqua re, pro qua bellum fieri debeat vel judicium inter duos homines, habeat plenam licentiam hoc faciendi. Et si Anglicus bellum nolit, Francigena compellans Anglum purget se in jurejurando contra eum testes secundum Legem Normanniæ.

LXIX. *De eodem.*

Item si Francigena compellat Anglicum per bellum de eisdem rebus, Anglicus plena licentia defendat se per bellum vel per ferrum si magis ei placeat. Et si ille sit invalidus & nolit bellum vel non possit, quærat sibi legalem defensorem.

LXX. *De eodem.*

Et si Francigena victus fuerit persolvat Regi III. libras. Et si Anglicus nolit se defendere per bellum vel per testimonium, adlegiet se per ferrum.

LXXI. *De Examine forensi.*

De omnibus utlagariæ rebus Rex instituit ut Anglicus se purget per ferrum. Et si Anglicus appellet Francigenam de re utlagaria & hoc super eum inveritare velit, defendat se Francigena per bellum, & si Anglicus non audeat eum compellare ad bellum, defendat se Francigena pleno juramento, non in verborum observantiis.

Carta Willielmi.

W. gratia Dei Rex Angliæ Comitibus, Vicecomitibus et omnibus Francigenis et Anglis, qui in Episcopatu Remegii Episcopi terras habent, Salutem. Sciatis vos omnes et cæteri mei fideles, qui in Anglia manent, quod Episcopales Leges, quæ non bene nec secundum sanctorum Canonum Præcepta usque ad mea tempora in regno Anglorum fuerunt, communi concilio et consilio Archiepiscoporum meorum, et cæterorum Episcoporum et Abbatum, et omnium Principum Regni mei emendandas judicavi. Propterea mando et regia auctoritate præcipio, ut nullus Episcopus vel Archidiaconus de Legibus Episcopalibus amplius in Hundret placita teneant, nec causam quæ ad regimen animarum pertinet, ad judicium secularium hominum adducant. Sed quicunque secundum Episcopales Leges de quacumque causa vel culpa interpellatus fuerit, ad locum quem ad hoc Episcopus elegerit vel nominaverit, veniat, ibique de causa sua respondeat, et non secundum Hundret, sed secundum Canones et Episcopales Leges, rectum Deo et Episcopo suo faciat. Si vero aliquis per superbiam elatus ad justitiam Episcopalem venire noluerit, vocetur semel, secundo et tertio; quod si nec sic ad emendationem venerit, excommunicetur, et si opus fuerit ad hoc vindicandum Fortitudo et Justitia Regis sive Vicecomitis adhibeatur. Ille autem qui vocatus ad Justitiam Episcopi venire noluerit, pro unaquaque vocatione Legem Episcopalem emendabit. Hoc etiam defendo et mea auctoritate interdico, ne ullus Vicecomes aut Præpositus aut Minister Regis nec aliquis laicus homo alium hominem sine justitia Episcopi ad judicium adducat. Judicium vero in nullo loco portetur, nisi in Episcopali sede, aut in illo loco quem ad hoc Episcopus constituerit.

De Honestate & Castitate dictorum Canonicorum.

In qua videlicet matre Ecclesia canonici Deo servientes caste et catholice vivant, nullaque inter eos Præbenda ematur, vel vendatur, depulsa omni hæresi symoniaca. Si

[1] Eruantur.

(1) In Codice rubeo fol. CXLIII. a. hæc reperitur Inscriptio: Carta ejusdem Regis Willelmi de appellatis pro aliquo maleficio Franco vel Anglico.

quis autem, quod absit, aliter voluerit vivere, et canonicis Præceptis obedire noluerit, fraterno amore prima et secunda vice usque ad tertiam a Decano et fratribus cæteris corrigatur. Si autem adhuc rebellis permanserit, ad notitiam Episcopi perveniat. Qui Episcopus una cum Decano et fratribus cæteris adjunctis etiam orationum meditationibus fratrem infirmum sanare et corrigere studeat. Si vero ipse taliter castigari noluerit, et proprio reatui pertinaciter indulgere voluerit, omnibus rebus Ecclesiæ vacuus ut accessit foras mittatur, et alter morum et scientiæ merito dignus, absque omni munere, ut dictum est, locum ejus terram occupantis obtineat. His omnibus incommutabiliter ita dispositis vero et regali auctoritate prohibeo, ut quislibet cujusque ordinis sacratissimis locis supradictis violentiam aliquam faciat, vel de rebus eorundem aliquid minuat. Quod si Episcopus vel aliquis alius in futuro suadente Diabolo hoc vetitum facere temptaverit, deprimat et compescat ejus nequitiam Rex, qui tunc temporis in hac patria regnaverit, ut Regnum et Gloriam obtinere valeat in secula seculorum. Amen.

LEGES HENRICI REGIS.

De Libertate Ecclesiæ, & totius Angliæ observanda, Leges Henrici primi Filii Conquestoris.

PROOEMIUM.

HÆc *sunt denique beata pacis ac libertatis exoptatæ gaudia, quibus toti regno suo* gloriosus Cæsar *Henricus in divinis legibus & secularibus institutis scriptis & bonorum operum exhibitionibus irradiat, moderatus, justus, fortis, prudens, quem Deus felicibus auspiciis & salutari quavis corporis & animæ prosperitate cum conjuge sua inclyta* Matilde *secunda, & eorum liberis longis seculorum seculis, & æterna pace gentis nostræ faciat imperare.*

CAP. I. *Epistola ejusdem omnibus fidelibus suis* (1).

HEnricus (2) Dei gratia Rex Anglorum (3), Omnibus Baronibus & fidelibus suis, Francis & Anglis, Salutem (4). Sciatis me Dei misericordia & communi consilio (& (5) assensu) Baronum Regni Angliæ ejusdem Regni Regem coronatum esse, & quia Regnum oppressum erat injustis

---

(1) Charta hæc Henrici primi in pluribus extat exemplaribus, quorum omnium est antiquissimum, quod in textu (ut vocatur) Roffensi invenitur, ubi illa sic orditur: Anno Incarnationis Dominicæ MCI. *Henricus, filius Willielmi, Dei gratia Rex Anglorum omnibus fidelibus, salutem*; & ita definit: Teste &c. *apud Lundoniam quando coronatus fui*; quod tamen factum narrant Historici Anno MC. quinto die mensis Augusti. Vide Florent. Wigorn. & Roger. Hoveden.

(2) Nota, Lector, quod in Codice rubro Scaccharii, duo reperiuntur hujus Chartæ exemplaria, quorum alterum his legibus præfixum est, (quod tibi hic fideliter exhibemus) alterum alio ejusdem libri loco relatum cum hac Inscriptione, *Henricus Rex Anglorum Samsoni Episcopo, & Ursoni de Abecot, & omnibus Baronibus & fidelibus suis tam Francigenis quam Angligenis de Wirecestrescira salutem*. Sciatis, &c. Discrepantes posterioris lectiones Textui nostro subjecimus: quicquid autem hujuscemodi signis ( ) inclusum reperies, id omne noveris in illo exemplari deesse. Hæc etiam Charta habetur apud Matthæum Paris, Annis MC. & MCCXIII.

(3) Omisit nonnunquam Titulo suo voces hasce *Dei gratia*, & simpliciter tantum scripsit *Rex Anglorum* aut *Rex Angliæ*, ut & idipsum ab Henrico secundo factum observat Ed. Cocius Instit. par. 1. fol. 7. Veruntamen neque in Sigillo, neque Chartis Henrici secundi illud mihi adhuc videre licuit. Ampliorem, recte, ni fallor, primus omnium reddidit titulum, additis hisce voculis *Dux Normanniæ & Aquitaniæ*. Cæterum notatio illa, *Dei gratia*, non erat Regibus tantum peculiaris, sed communis etiam tum Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, Abbatibus & aliis, qua de re videatur Erudit. *Spelman. Glossar.* verbis *Dei gratia*, Clar. Seld. Tit. Honor. par. 1. cap. 7. §. 2. Roverii illustrat. Histor. Monaster. S. Joh. Reomaensis, pag. LXVIII. num. CLXVIII.

(4) Primi post subactam Angliam Reges nostri, sive quod ex Gallia oriundi essent, sive quod amplarum illic possessionum existerent domini, quamvis magnam vitæ suæ partem in Anglia transigerent, Francis tamen magis studuerunt placere, forsan ne si aliter fecissent, proniores eos ad res novandas reddidissent; unde & hoc manabat, quod seipsos non solum Gallorum Patronos profitebantur, sed & in omnibus eos Anglis præferebant, uti videre est in Sigillo & in Legibus Willielmi primi cap. 70. & harum, filii ejus, Legum, cap. 92. de quo vide Eadmer. Histor. Novor. pag. 94. & Ingulfi Histor. Croyland. fol. 512. 6. Et recte non observavi unquam, Ducem aliquem aut inferioris potentiæ virum adeptum fuisse ullibi principatum majorem, quin simultates inde inter nationes fuerint subortæ, quæ non nisi lapsu temporis, ac ipsorum Principum prudentia rursus fuerunt extinctæ. Qua autem ratione huic malo a Ferdinando exquisiti judicii Principe (*Re di eccellentissimo consiglio*, Guic-

stis exactionibus, Ego respectu Dei & amore quem erga vos (omnes) habeo, sanctam Dei Ecclesiam, inprimis, liberam facio, ita quod nec vendam, nec ad firmam ponam, nec mortuo Archiepiscopo sive [1] Episcopo, vel [2] Abbate aliquid accipiam de Dominio Ecclesiæ, vel hominibus ejus, donec successor in eam ingrediatur; & omnes malas consuetudines quibus Regnum Angliæ [3] opprimebatur inde aufero, quas malas consuetudines ex parte suppono [4]. Si quis Baronum meorum, Comitum, sive aliorum qui de me tenent, mortuus fuerit, hæres suus non redimet terram suam sicut faciebat tempore fratris mei, sed legitima & justa relevatione relevabit eam. Similiter & homines Baronum meorum legitima & justa [5] relevatione relevabunt terras suas de Dominis suis. Et si quis [6] Baronum vel hominum meorum filiam suam [7] nubitum tradere voluerit, sive sororem [8], sive neptem, sive cognatam, mecum inde loquatur. Sed neque ego aliquid de suo pro hac licentia accipiam, neque ei defendam, quin eam det, excepto si eam jungere vellet inimico meo. Et si mortuo Barone, vel alio homine meo filia hæres remanserit, illam dabo consilio Baronum meorum cum terra sua, & si mortuo marito uxor (ejus) remanserit, & sine liberis fuerit, dotem [9] & (1) maritationem suam habebit, & eam non dabo marito, nisi secundum velle suum. Si vero uxor cum liberis remanserit, dotem quidem & maritationem suam habebit, dum (uxor) corpus suum legitime [10] servabit, & eam non dabo nisi secundum velle suum, et terræ et liberorum custos erit sive uxor, sive alius propinquorum (2) qui justus esse debebit, et præcipio ut Barones mei similiter se contineant erga filios vel filias vel uxores hominum suorum. Monetagium commune quod capiebatur per Civitates & per Comitatus quod non fuit tempore Edwardi Regis hoc ne a modo fiat omnino defendo (3). Si quis captus fuerit sive Monetarius sive alius cum falsa moneta (4), justitia recta inde fiat. Omnia placita, & omnia debita quæ fratri meo debebantur condono, exceptis rectis firmis meis & exceptis illis quæ pacta erant pro aliorum hæreditatibus vel pro eis rebus quæ justius aliis contingebant. Et si quis aliquid pro hæreditate sua [11] pepigerat, illud condono, & omnes relevationes quæ pro rectis hæreditatibus [12] pactæ erant: & si quis Baronum vel hominum meorum infirmabitur (5) sicut ipse dabit vel dare disponet pecuniam suam, ita datam esse concedo; quod si ipse præventus vel armis vel infirmitate pecuniam suam non dederit nec dare disposuerit, uxor sua sive liberi aut parentes, aut legitimi homines ejus eam pro anima ejus dividant sicut eis melius [13] visum fuerit. Si quis Baronum vel hominum meorum (6) forisfecerit non dabit vadium in misericordia (totius) pecuniæ suæ sicut faciebat tempore patris mei et [14] fratris mei; sed secundum modum forisfacti ita emendabit (7) sicut emendasset retro a tempore patris mei (et fratris mei) in tempore aliorum Antecessorum meorum. Quod si perfidiæ vel sceleris convictus fuerit, sicut justum fuerit sic emendet.

1 Ms. Scacchar. *Seu.* 2 Ms. *Sive.* 3 Ms. *injuste* addit. 4 *Hic pono* pro *suppono.* 5 Ms. *certa* pro *justa.* 6 Ms. ita legit; *Baronum meorum vel aliorum hominum.* 7 *Nuptum* pro *nubitum.* 8 *Suam* addit Ms. 9 *Suam* addit Ms. 10 *Servaverit* Ms. 11 Ms. Scaccar. *aliquid pepigit.* 12 *Hereditationibus.* 13 *Melius eis visum.* Ms. Scacc. 14 *Vel* pro *&.*

Guicciard l. 12.) & Isabella potentioris territorii Regina obviam itum sit, præposito Isabellæ uxori in instrumentis omnibus Regis nomine, ut maritalis ei honor conservaretur, atque interim ut Castellæ dignitas non minueretur, hujus Regni insignia Arragoniæ præfigendo, narrat, si bene memini, Marian. Histor. edit. Madrit. Hisp. Anno 1612. Plura hac de re observata vide apud Clement. Reyner. Apostolat. Benedictin. in Anglia, in append. par. II. pag. LXII. ubi iste loquendi modus occurrit, & Rob. Holkat. a Clar. Seldeno citat. Notis ad Fortescut. de Laud. Legg. Angliæ cap. 48.

(5) Inter lineas insertum est, & deest in secundo exemplari, uti apud Matth. Paris. tam anno 1100. quam 1213.

(1) Alias *maritagium*. Sic supra *Relevatio* pro quo jam *Relevium*. Vide Clar. Seld. Jan. Anglorum pag. LXXX. §. XXI.

(2) Textus Rof. *propinquarius* legit.

(3) *Defendo*; i. e. prohibeo ad modum Gallici idiomatis. Order. Vital. Histor. Eccles. l. VI. p. 629. *Quapropter huc ad vos ex Regis imperio missus interdico, ne ullum in vestro Collegio audeatis suscipere. Nos autem audita Regis defensione timentes, &c.* id est, audito Regis interdicto. Sic Leg. Edo. Confess. c. XXXVII. pag. CXXXI. *Usurarios defendit Rex*, id est, prohibet; hæc autem prohibitio facta videtur ad imitationem legum Willielmi I.

(4) De Legislatoris nostri in monetæ adulteratores gravi animadversione videantur Seld. Jan. Angl. l. II. pag. LXXXIII. §. XXXI. & Eadmer. l. IV. p. XCIV.

(5) Hic iterum fas sit Lectorem remittere ad Comment. Clar. Seld. Jan. Angl. l. 2. p. 80. §. 24. sequitur linea tertia & quarta seq. *sicut eis melius visum fuerit*. Quomodo autem & quatenus posterior ætas ab hoc recesserit instituto, vide (præter ab eodem authore ubi supra tradita, & Tit. Honor. edit. 2. par. 2. cap. 1. §. 21. pag. 714.) Tractatum Cl. Somneri de Gavelkind. c. 3.

(6) *Baronum vel hominum meorum* desunt in Textu Roffensi per Ernulphum illius ævi Episcopum descripto; quærendum tamen an non male.

(7) Magna charta cap. 14. *amercietur secundum modum & magnitudinem delicti*. Quænam autem sit differentia inter *amerciamentum & redemptionem* illam, de qua agit statutum de Marlebridge Anno 52. Henr. III. cap. 1. 3. 4. Jurisperitis discutiendum relinquo. Vide Glanvill. l. 9. c. 11. Spelm. Glossar. verbo *Contenementum*; Cowelli Interpret. verbo *Countenance*: & Dom. Edw. Coçi Instit. parr. 1. Sect. CXCIV.

II. *De confirmatione legum Edwardi Regis.*

Murdra etiam retro ab illo die quo in Regem coronatus fui omnia condono, et ea quæ a modo facta fuerint juste emendentur [1] secundum Lagam Regis *Edwardi* (1). Forestas [2] communi consensu Baronum meorum in manu mea retinui sicut pater meus eas habuit. Militibus qui per loricas terras suas deserviunt (2), terras dominicarum carucarum (suarum) quietas ab omnibus gildis et ab omni opere (proprio) dono meo concedo, (ut sicut benignitas mea propensior est in eis ita mihi fideles sint) ut sicut tam magno gravamine allevati sunt, ita equis et armis se bene instruant, ut apti et parati sint ad servitium meum (3), et ad defensionem Regni mei. [3] Lagam Regis Edwardi vobis reddo cum illis emendationibus quibus eam pater meus emendavit consilio Baronum suorum (4). Si quis aliquid de meo vel de rebus alicujus post obitum *Willielmi* Regis fratris mei cepit, totum cito [4] reddat absque emendatione, et si qui inde aliquid retinuerit, ille super quem inventum fuerit, graviter mihi emendabit. (5) Testibus Archiepiscopis, Episcopis, Baronibus, Comitibus, Vicecomitibus et Optimatibus totius regni Angliæ apud Westm' quando coronatus fui.

Henricus (6) *Dei gratia Rex Angliæ, Archiepiscopo Cantuariæ, & Episcopis, & Abbatibus, & Comitibus, & Baronibus, & Justitiariis, & Vicecomitibus, & omnibus fidelibus suis Francis & Anglicis totius Angliæ, Salutem. Sciatis me concessisse civibus meis* London *tenend'* Middlesex *ad firmam pro ccc. libr' ad compotum ipsius & hæredibus suis de me & hæredibus meis, ita quod ipsi Cives ponent Vicecom' qualem voluerint de seipsis &* [5] *Justitiar' qualem voluerint de seipsis ad custodiend' placita coronæ meæ & eadem placitanda, & nullus alius erit Justiciarius super ipsos homines* London *& Cives non placitabunt extra muros Civitatis pro nullo placito & sint quieti de* eschot *& de* Danegildo, *& de murdre, & nullus eorum faciat bellum. Et si quis Civium de placitis Coronæ implacitatus fuerit per sacramentum quod judicatum fuerit in Civitate se disrationet homo* London *& infra muros Civitatis nullus hospitetur, neque de mea familia, neque de alia vi* [6] *alicui hospitium liberetur. Et omnes homines* London *sint quieti & liberi, & omnes res eorum per totam Angliam, & per portus maris de* theolonio *&* passagio *&* lestagio (7), *omnibus aliis consuetudinibus, & Ecclesiæ & Barones, & Cives teneant & habeant bene & in pace* socnas *suas cum omnibus consuetudinibus, ita quod hospites qui in soccis suis hospitantur, neque* (8) *dent consuetudines suas, nisi illi cujus socca fuerit vel Ministro suo quem ibi sibi posuerit. Et homo Londoniarum non judicetur in misericordia pecuniæ, nisi*

1 *Emendetur* Ms. Scac. 2 *Forestes.* 3 M. Scacc. ita legit: *Pacem firmam in toto regno meo pono, & teneri modo precipio----pater meus eam emendavit cum consilio.* 4 *Reddatur* Ms. Scac. 5 *Et Justiciar'---seipsis* deest in Ms. Lond. 6 Ms. Lond. *nisi* pro *vi.*

(1) **Leges**, ni fallor, Edwardi Confessoris 15. & 16. *de Murdro & inventione ejusdem* inscriptas intelligit Legislator, quas vide. *Murdrum* autem hic intelligitur, opinor, uti etiam pag. 214. l. 22. pœna homicidio imposita, non ipsum homicidium. Cæterum quid sit Murdrum, dialogus de Scaccario l. 1. c. 10. explicat his verbis: Murdrum proprie dicitur, mors alicujus occulta, cujus interfector ignoratur; murdrum enim idem est quod absconditum vel occultum. Vide infra c. 92.

(2) Pro *deserviunt*, *defendunt* Text. Roffens. & Matth. Paris. ac forte magis congrue. Loricæ siquidem servitii genus est hujusmodi militum, quo Dominis suis in militiam proficiscentibus deserviunt, cujus quidem servitii præstatione terras suas erga eosdem Dominos defendunt, & sibimet salvas & securas reddunt. Nihil tamen hic statuo, præsertim cum *per plena arma feudum suum deservire* forma sit loquendi in veteri Normanniæ Custumario usurpata cap. 85. qua servitium intelligo sive conditionem, sub qua ejuscemodi vasallus terram suam possidet Domino scil. deserviendi Lorica.

(3) Simile ut videtur obtinuit in Normannia, dum coronæ Regis Angliæ annexa: in ejus enim loci Custumario Latino c. 5. (quod in Gallico desideratur) haud procul a fine sic legimus. *Ex prædictis patet, quod non immerito Anglorum temporibus solet in Normannia usitari, quod omnes Feudum loricæ possidentes, equum & arma habere tenebantur, & cum ad ætatem 30. annorum devenissent, tenebantur in militibus promoveri, ut prompti & apparati ad Mandatum Principis & Hominum suorum invenirentur.*

(4) In Concilio forte Wintoniæ celebrato Anno Domini 1070. Regni vero ipsius quarto, de quo vide Clar. Seld. Titul. Honor. edit. 2. par. 2. cap. 5. §. 20. in princ. Et Florileg. in eodem anno. Item Order. Vital. Histor. Eccles. l. 4. p. 516. ubi Concilium istud celebratum refert Windesoris.

(5) Posterior Charta Scaccarii sic concluditur: *Teste Mauritio Lond. Episcopo & Willielmo electo Winton' Episcopo, & Gerardo Hereford' Episcopo, & Henrico Comite, & Simone Comite, & Waltero Gifardo, & Roberto de Muntford, & Rogero Bigodo, & Eudone Dapifero, & Roberto filio Hamonis, & Roberto Malet, apud Westmonasterium quando coronatus fui. Valete.*

(6) In tertio Ms. hujus Chartæ exemplari, quod videtur fuisse Archiepiscopi, aut Monachorum Cantuar. hoc adjectum inveni fol. 2. a. b. Deest in Mss. Scaccar. usque ad cap. 3. sed habetur in Ms. in Archivis Londin' apud *Guildhall.*

(7) Pro *lestagio* legendum puto *lastagio*, uti Ms. Lond. legit. Vide Spelm. Glossar. verbo *Baro* & Glossar. sub finem operis in voc. nec aliter in alio, quod vidi, Legum harum exemplari.

(8) *Non dent* mallem legere.

nisi in sa (1) *Were* [1], *scilicet ad* c. *solid. Dico de placito quod ad pecuniam pertineat, & amplius non sit* miskenninga *in* hustenge, *neque in* falkesmote, *neque in aliis placitis infra Civitatem &* Husting *sedeat semel in ebdomada, videlicet, die Lunæ, & terras suas, &* Wardemotum, *& debita Civibus meis, habere faciam infra civitatem & extra. Et de terris de quibus ad me clamaverint rectum eis teneho lege Civitatis. Et si quis* thelonium *vel consuetudinem a Civibus* London *ceperit, Cives* London *capiant de Burgo vel de Villa ubi thelonium vel consuetudo capta fuit, quantum homo* London *pro* thelonio (2) *desiit, & proinde de dampno ceperit. Et omnes debitores qui Civibus debita debent eis reddant vel in* London *se disrationent quod non debent. Quod si reddere noluerint, neque ad disrationandum venire, tunc Cives quibus debita sua debent capiant in Civitatum* (3) *namia sua, vel de Comitatu in quo manet qui debitum debet. Et Cives habeant fugationes suas ad fugandum sicut melius & plenius habuerunt antecessores eorum scilicet* siltre (4) *&* Midlesex *&* Sureie. *Teste Episcopo Winton' Rob. fil' Richer. & Hug' Bigot. & Alver' de Toneis* [2], *& Willielmo Albini, & Huberto Regis Camerar' & Willielmo de Montfichet, & Hagulfo de Tani* [3], *& Job' Delet, & Rob. fil. Siwa. Dat' apud Westm'.*

III. *De causarum protractione & distinctione vel descriptione* [4].

Omnes causæ vera consilii [5] ratione discutiendæ sunt a judicibus et sine personarum acceptatione, cum æqualitate discernendæ, vel si facultas admiserit potius pace honestandæ: et licet sanum ubique consilium in suæ Majestatis luce viguerit, pro modo tamen concertantium informari lepida moralitate non nocuit, et consilium forsitan dici poterit quicquid honestum et utile propositum quoque modo promoverit.

IV. *De generibus causarum.* (5)

Genera causarum tria sunt, 1. Deliberativum, de faciendo et non faciendo: 2. Demonstrativum, de laude et vituperio: 3. Judiciale, de pœna vel merito [6]. Ut rationales et legales partes quatuor, Exordium provocans: Narratio explicans: Argumentum asserens: Conclusio compellens, Species quinque; honestum, commendatorium vel persuasorium, admirabile, alienatum, humile neglectum, anceps, dubium vel promiscuum, obscurum, difficile vel tardum in lege scripta, in moribus vel communi usu pro lege suscepto. Omne autem jus aut naturale cognatorum est, aut morale extraneorum, aut legale Civium. Sed sive Lex agenda præcipiat, levia permittat, hortetur maxima, vitanda prohibeat, debet esse manifesta, justa, honesta, possibilis. In omni conditione, professione & ordine, in omni genere & statu causarum, in omni controversia simplici vel composita, in omni jure naturali vel consuetudinis, in omni contingenti vel remoto loco tempori proprio [7] conveniens nullo privato commodo præcipue deserviens veritatis & justitiæ. Non miserum pecuniæ quærens augmentum (6) purum vero sit, & perspicua brevitate decorum perorantis eloquium (7) inventione, dispositione, elocutione, memoria, pronunciatione, persuasione naturali, ingenio, doctrina scientiæ, & assiduo usu peritum. In omni dicendi (8) genere, qui magna salutari gravitate peroret, parva [8] subtili lenitate deducat, media temperata moderatione delectet, nec [9] longioribus yperbatis sensum

1 *A sa were* Ms. Lond. pro *in sa were*.
2 Ms. Lond. *Toneis* pro impresso *Coneis*.
3 Ms. Lond. *Tani* pro impresso *Cani*.
4 *Vel descriptione* deest in Ms. Lond.
5 Ms. Lond. *consimili ratione discernenda*.
6 Ms. Lond. addit: *Status causarum duo sunt*.
7 *Persona* Ms. Lond. pro *proprio*.
8 Ms. Lond. *peroret*, *prava*.
9 Ms. Lond. *non* pro *nec*.

(1) *In sa were* idiomate Gallico pro *in sua wera*. Concordat LL. Edgari Regis cap. 2.

(2) Pro *desit* legendum forte *debuit*, vel ut in Ms. Lond. *dedit*.

(3) *Intra Civitatem* lego, juxta Chartam Henrici Regis III. dat. 16. Martii, anno Regni sui 11. eisdem Civibus factam. Vid. Dom. Ed. Coci. Institut. par. 4. pag. 252. *Et si aliquis* (inquit Rex) *in aliqua terrarum nostrarum citra mare vel ultra thelonium, vel aliquam aliam consuetudinem ab hominibus London ceperit, postquam ipse a recto defecerit, vic. London Namium inde apud London capiant.* Consimilem ostendunt chartam Cives Cantuariæ ab Henrico II. iis factam, & a filio ipsius Henrico III. confirmatam totidem fere verbis conceptam. Namium autem quid sit, docebitur in Glossario ad finem operis. Hæc interim *withernamium* sapiunt, quod exteris Repressalia, de qua voce pluribus Clar. Vossius de vitiis Sermon. Vide etiam Smithi nostri Tractat. de Republ. Anglic. a Buddeno Latine redditum lib. 3. c. 10.

(4) Pro *filtre* lege *ciltre*, regiunculæ nomen non procul a S. Albano, de qua videsis D. Watsii Glossar. Matth. Paris. additum in voce.

(5) Titulum in impressis Codicibus (*de carcerali liberatione*) cum sit a Capituli contentis omnino alienus, rejiciendum censeo; dubito autem, an pro eo legi possit *de generali causarum ratione*; hic enim agitur de causarum generibus, & in cap. sequenti *de causarum proprietatibus*. His ita conjectura scriptis, aliud tandem vidi harum Legum exemplar, (Ms. Lond.) in quo Titulus huic Capiti præfixus sic se habet: *De generibus causarum*. Sensus autem Capituli difficilius intelligitur ob vitiosam in nonnullis locis distinctionem.

(6) *Augmentum* pro *Argumentum* in impressis. Ms. Lond. legit *augmentum*.

(7) Impressi Cod. *Elogium*.

(8) Impressi male legunt *discendi*. Caput autem hoc congestum videtur ex diversis locis Isidori Hispal. Orig. Eccles. l. 2. vide c. 4. 5. 7. 8. 10. 19. 20. 21. Item Quintil. Instit. Orator. l. 1. c. 4. & l. 4. c. 1.

ſum confundat, nec verbis inanibus ambages interſerat, qui directa locutione fatigatur congrua *ſchematum* [1] junctura reficiat. Et ſi quid in dicendis aptum eſt, & validum finis ſentiat, & principium reliquum [2] diſſimulari vel præteriri nequeat, breviter ſit & tranſcurſim medietatibus interjectum.

V. *De cauſarum proprietatibus* (1).

In cauſis omnibus eccleſiaſticis & ſecularibus legaliter & ordine pertractandis, alii ſunt accuſatores, alii defenſores, alii teſtes, alii judices. In omni diſcuſſione probitatis idonei nullaque ſunt [3] exactione permixti, demum cauſarum qualitas ſincera perſcrutatione penſanda & accuſantium intentio, teſtium modus & judicum (2) electio. Ne peregrina (3) ſint judicia vel a non ſuo judice vel loco vel tempore celebrata, nec in re dubia, vel abſente accuſato, dicta ſit ſententia. Notandum quod per omnia ſi accuſatus inducias competentes et reſpondendi vel defendendi licentiam legitimam habuit ne diſſeiſiatus, vel implegiatus, vel illegiatus, vel ſurreptione aliqua circumventus, aut fraude judicetur. Si in teſtibus et judicibus et perſonis [4] ſatisfactum ſit ei. Si Judicibus conſentiat, advocet, aut contradicat (4). Non ita penitus eſt in eccleſiaſticis negotiis ſicut in ſecularibus (5). In ſecularibus poſtquam aliquis vocatus venerit, et in foro placitari cœperit, non licet ante peractam cauſam etſi in juſtitiam convenerint, in eccleſiaſticis vero dicta cauſa [5] recedere. Judicem [6] ſuſpectum habuit vel ſe ſentiat pergravari: Judices ſane non debent eſſe, niſi quos impetitus elegerit (6). Nec prius audiatur vel judicetur quam ipſi eligantur, et qui electis conſentire diſtulerit, nullus ei communicet, donec obtemperet. Quod ſi in judicio inter pares (7) oriatur diſſenſio, de quibus certamen emerſerit, vincat ſententia plurimorum. Sancitum (8) eſt in cauſa fidei vel eccleſiaſtici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis, et nihil fiat abſque accuſatore. Nam Deus et Dominus noſter Jeſus Chriſtus Judam furem eſſe ſciebat. Sed quia non eſt accuſatus, ideo non eſt abrectus (9), et quicquid inter Apoſtolos egit pro dignitate officii ratum manſit. Sicut autem nec Clerici Laicos, ita nec Laici Clericos in ſuis accuſationibus vel infamationibus debent recipere. Accuſatores Clericorum, et teſtes legitimi ſint, et præſentes abſque ulla infamia, vel ſuſpicione, vel manifeſta macula ſint (10), quia recte Sacerdotes accuſare non poſſunt, qui Sacerdotes eſſe non poſſunt, nec ſui ſunt ordinis (11), nec oportet quemquam judicari vel dampnari priuſquam legitimos accuſatores habeat præſentes, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Placuit etiam quotiens Clericis ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur et unum [7] ex hiis de quo prius egerint probare non valuerint, ad cætera non admittantur. Et non (12) dampnetur Præſul niſi in

1 *Cematum* Ms. Scaccar. 2 Ms. Lond. *ſi* addit. 3 Pro *ſunt* Ms. Lond. *ſimul*.
4 Ms. Lond. *Prapoſitis* pro *Perſonis*. 5 *Etſi----dicta cauſa* deeſt in Ms. Lond.
6 *Sed neceſſe fuit ſi Judicem*. Ms. Lond. Ms. Scac. *licet ſi neceſſe fuerit. Si Judicem*. 7 *Eis* Ms. Lond. pro *hiis*.

---

(1) Totum hoc fere caput deſumptum eſt ex diverſis patrum ſententiis, Canonibus eccleſiaſticis inſertis, uti videre eſt apud Burchardum, Ivonem & Gratianum, & poſt Henrici primi obitum (ni fallor) hiſce Legibus adjectum.

(2) Vide Burchard. lib. 16. c. 13. ex Epiſt. Zepherini Papæ Sicilienſibus, vide cap. 14.

(3) Hæc ſumuntur ex Epiſtolis Zepherini & Adriani Pontificum Romanor. Vide Burchard. lib. 16. cap. 13. 14. 31. 29.

(4) Infra cap. 31. ſic legimus: *Si quis Judices ſuſpectos habeat, advocet aut contradicat*. An præſens locus ſit ex illo corrigendus, aliis, quibus animus, inquirendum relinquo, De judicii vero contradictione vide Scotor. Leges. Tit. quoniam attachiamenta cap. 13. & 35. Statuta etiam Willielmi Regis ibid. cap. 10. Vide Spelm. Concil. p. 273. c. 140. 141. Burchard. Decret. lib. 1. cap. 222.

(5) Locus hic ſpinoſus deſumitur ex Decretis Felicis Papæ, uti refert Burchardus lib. 1. cap. 222. ubi ſic legimus: *Non in eccleſiaſticis agendum eſt negotiis, ſicut in ſæcularibus, Priuſquam Legibus vocatus venerit, ut quum in foro decertare cœperit, non licet ante peractam cauſam recedere; in Eccleſiaſticis vero cauſa dicta recedere licet, ſi neceſſe fuerit, aut ſi ſe prægravari viderit*. Vide Spelm. Concil. pag. 273. cap. 140. Neſcio tamen, an & hic locus non ſit corruptus, quem tamen ex ipſius Papæ Epiſtolis reſtituere fruſtra conatus ſum.

(6) Locus totidem verbis poſtea repetitus cap. ſc. 33. verſus finem, uterque deſumptus ex Epiſtolis Fabiani Papæ ad Hilarium Epiſcopum cap. 16. Vide Burchard. l. 1. c. 147. & Concil. Spelm. pag. 273. cap. 141. *Judicibus* hic Aſſeſſores intelligo, vel ut infra cap. 29. appellantur Senatores (exterorum Rachimburgiis & Sagibaronibus non diſſimiles) non autem Juratores, duodecimviratum ſc. qui in reatu diſquirendo, de facto (ut dicitur) apud nos judicant & cognoſcunt, quod Equiti illi doctiſſimo (hunc locum in Gloſſario ſuo citanti in verbo *Judex*) quam recte non video, placitum.

(7) *Inter partes* impreſſ. legit; rectius *inter pares*. Vide cap. 31. & Latin. Norman. Cuſtumar. c. 9.

(8) Vide Ambroſ. Epiſt. 32.

(9) Pro *abreptus*. MS. Seld. & Scaccar. & Lond. legunt *abjectus*; attamen Burchard. lib. 16. c. 70. ubi locum hunc deſumptum notat ex cap. 3. Decret. Eleutherii Papæ Epiſcopis Galliæ, *ejectus* exhibet.

(10) Hæc conſtitutio deſumitur ex Decretis Calixti & Damaſi Paparum. Vide Burchard. lib. 1. cap. 171. & 172. & Concil. Spelm. pag. 273. c. 142. 143.

(11) Deſumptum hoc videtur ex Capitular. Kar. & Ludovic. Imp. l. 17. cap. 130. & id quod ſequitur *placuit etiam*, ex eiſd. Capitular. eod. lib. c. 77.

(12) Vide pag. ſequ. Eadmer. p. 113. 47. 115. 31.

in LXXII. testibus, neque Præsul summus a quoquam judicetur. Presbyter Cardinalis nisi in XLIV. testibus non dampnabitur, Diaconus Cardinalis nisi in XXVI., Subdiaconus et infra nisi in VII. Nec major in minorum impetitione disipereat (1), et ibi semper causa agatur ubi crimen admittitur; pulsatus ante suum Judicem si voluerit causam suam [1] (2) dicat et non ante suum Judicem pulsatus, si voluerit, taceat. Et ut pulsatis quotiens petierint induciæ dentur. Et omnis qui crimen objicit scribat se probaturum (3), et si ante conversus prosequi noluerit, convitium [2] est (4), non crimen habendum. Quod si decertare contendat si non probaverit quod objecit, pœnam quam intulit ipse patiatur (5). Apostolus inquit adversus Presbyterum inscriptionem non recipiendam absque duobus vel tribus idoneis testibus; quanto magis de Episcopis, si hæc de Presbyteris vel cæteris fidelibus sunt observanda? Si quis aliquem Clericorum in accusatione fornicationis appetit secundum Apostoli Pauli præceptum, duo vel tria testimonia requirantur ab eo. Quod si non potuerit datis testimoniis approbare quod dixit, excommunicationem accusati, accusator accipiat; et nemini de se confesso super alienum crimen credatur, Confessio vero per metum vel per fraudem exorta [3] non valet. Caveat Sacerdos, ne de hiis qui ei confitentur peccata sua alicui recitet, quod ei confessus est, non propinquis, non extraneis, quod si fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pœniteat, et si quando Episcopus dicit aliquem [4] sibi fuisse confessum proprium crimen et ille neget, non putet Episcopus ad injuriam suam pertinere, quod sibi soli non creditur, & si scrupulo conscientiæ suæ dicat se ei nolle communicare. Plerumque boni tacent & sufferunt mala quæ noverunt, quia documentis deseruntur, & Judicibus probare non possunt, quamvis enim vera sint non tamen Judici sunt credenda, nisi certis indiciis [5] probentur. Nos vero a Communione nequaquam prohibere possumus, quamvis hæc prohibitio non sit mortalis, sed medicinalis, nisi vel sponte confessum, vel judicio convictum. Hic enim talis est nominabilis (6), ut ait Apostolus, qui confitetur, vel ordine judiciario convincitur. Quod si per judicium auferri non potest toleretur potius, ne quis perverse malos vitando ab Ecclesia discedens præcedat illos ad gehennam: communio malorum non maculat aliquem perceptione Sacramentorum, sed confessio factorum. Quisquis in Ecclesia bene vixerit, nil ei præjudicant aliena peccata. De habitu & vestitu nihil legimus imperatum divinitus, quæ ad pompam sunt, prohibentur. Et si regeris potes in [6] superbo cultu habere [7] cor humile (ut Hester). Peccatores non solum Deus iratus, sed etiam miseratus evertit (7).

Evertuntur autem duobus modis: aut [8] sicut *Sodomitæ*, ut pro peccatis si iis ipsi homines puniantur: aut sicut *Ninivitæ*, ut ipsa hominum peccata puniantur & destruantur. Omnes æque diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non poteris, hiis potius consulendum est,

1 *Suam* deest in Ms. Lond. 2 *Convictum* Mss. Seld. & Scacc. habent, 3 *Extorta* Ms. Seld. Scacc. & Lond. legunt. 4 *Aliquem dicat* Ms. Lond. 5 *Judiciis* Ms. Scac. 6 *Congeris poteris* Ms. Lond. 7 *Habere* deest in Ms. Lond. 8 *Modis* addit Ms. Lond.

31. Vide Gratian. caus. 2. q. 5. cap. 2. & 3. Ante Concilium Lateranense sub Alexandro tertio Episcopi longe præferebantur Cardinalibus. Vide ejusd. Concil. cap. 4. & habetur in Decretalium libro Tit. de Censibus, c. cum Apostolus. Certe post Constitutionem Nicolai secundi anno 1059. ut habetur Distinct. 22. & Cœlestini II. Electionem a Cardinalibus solummodo factam, ut deinceps stabilitum ab Alexandro III. decretum Anno 1179. ut is esset Romanæ Pontifex Ecclesiæ, qui a duabus partibus Cardinalium electus foret, dignitas hæc mirifice crevit, adeo ut ab eo tempore etiam Regibus comparanda censeatur. Et licet de moderando eorum numero tum in Conciliis Constantiensi Seff. 40. & Basileensi Seff. 23. actum sit, & a Germanis & Gallis in ultimo Tridentino expetitum, nihil tamen profectum fuit, donec Anno 1586. 3. Non. Decembr. Sixtus Quintus Bulla quadam declaravit, ut essent tantum cujuscunque ordinis LXX. Cardinales; vid. VI. Episcopi, L. Presbyteri, & XIV. Diaconi. De Cardinalibus autem justum habemus tractatum apud Doct. Equ. Spelm. in voce, & Duaren. de sacris Eccles. Ministr. ac Benefic. lib. 1. c. 13.

(1) Idem inculcatur infra cap. 32. aliis verbis, cui respondet illud apud Gratianum cap. 2. q. 5. *Majorum quisquam minorum accusationibus non impetatur*. Vide caus. 3. 96. Can. 1. ex Epist. 3. Fabiani Papæ Decret. Julii 1. Tom. 1. Concil. cap. 16. fol. 185. b. p. 195. 33.

(2) Idem habetur infra cap. 57. p. 195. lin. 33. & 41. Item cap. 62. p. 199, 32. Pariter Jus & civile & pontificium. Vide Burchard. lib. 16. c. 9. ex Concilio Arausican. cap. 4. caus. 2. quæst. 8. cap. 4. Matth. Stephan. de offic. Jud. l. 1. c. 8. n. 50. Skenæum de verb. signific. verbo *infangthefe*. Atque apud Nostrates quoque illud receptum innuit Bractonus l. 3. Tract. 2. cap. 35. It. l. 5. Tract. 5. cap. 2. num. 3.

(3) Forte, *sciat se probaturum*. Vide Burchard. lib. 16. c. 3. nisi Inscriptio sit intelligenda, qua quis crimen quod objecerit non probans Legi sine pœna talionis jure civili fit obnoxius.

(4) Ita *MS. Lond.* etiam legit; impress. olim, *persequi noluerit*; *conjunctum est*. Vide Stat. 37. Edw. III. c. 18. Stat. 38. Edw. III. c. 9. infra cap. 34.

(5) Lex plane Talionis, cui assentitur non solum jus civile l. penult. c. de accusat. item. l. 2. §. fin. Pandect. de adult. inscriptionum pagina l. 3. C. qui accus. poss. Sed & jus pontificium. Burchard. l. 16. c. 3. Cum autem apud vos idem in ordinum Comitiis sancitum esset Anno 37. Edw. III. c. 18. deinceps illud tanquam aliquanto severius fuit rursus mitigatum, Anno 38. Edw. 3. c. 9.

(6) Nonne rectius *abominabilis*.

(7) Vide August. Epist. 29.

eſt, qui pro locorum, & temporum, & quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius junguntur tibi. Uterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat, non ita caveatur arrogantia ut veritas relinquatur. Qui ſacerdotem ante familiarem commonitionem apud ſuos Judices aliquando, vel apud ſeculares unquam accuſaverit, anathema ſit (1). Si Epiſcopus a fide deviaverit, & a ſubditis ſecrete commonitus incorrigibilis apparuerit, tunc ad ſummos Pontifices (2) vel Sedem Apoſtolicam accuſetur, pro aliis actibus ſuis magis tolerandus eſt, quam corrigendus. Si quis Epiſcopus ſuper certis criminibus accuſetur (3), ab omnibus qui ſunt in provincia Epiſcopis, audiatur, nec damnetur, vel judicetur priuſquam legitimos accuſatores præſentes habeat, & conprovinciales, non alienigenas, & a ſe electos Judices non refutet niſi ſit appellatum. Quod etiam liceat deſtinatis in ſupplicium. Appellantem autem & vitiatam cauſam appellationis remedio ſublevantem, non debet afflictio, vel detentionis injuriari cuſtodia (4). Quidam ad repellenda imperitorum machinamenta (5) & ſuas rationes præparandas, & teſtes confirmandos, & conſilia [1] quærenda annum & ſex menſes concedi mandaverunt: quidam annum, in quo plurimi concordant, minus vero quam ſex menſes non repperi. Quod ſi Epiſcopi vel Clerici, vi vel timore ejecti, vel ſuis rebus expoliati fuerint, prius eis omnia ſua legaliter reddantur, et tantum temporis ſpatium habeant quanto diſſaiſati fuiſſe videbantur [2] antequam ad judicium canonice vocentur. *Gregorius* (6) in decretis. Preſbyter vel Diaconus, vel quilibet clericus a populo accuſatus ſi certi non fuerint teſtes illati criminis qui approbent veritatem, juſjurandum ſit in medio, et illum proferant teſtem de innocentiæ ſuæ puritate, cui nuda et aperta ſunt omnia. Hoc etiam beatus *Sixtus* Papa ſe feciſſe commemorat a quodam *Baſſo* culpatus, licet cum magna examinatione ſatis poſſet evadere ſuſpicionem et æmulationem fugiens, non eis qui noluerunt aut ſponte hoc elegerunt faciendi formam dans *Jeronymus* ſuper *Jeremiam* libro primo. Juramentum debet habere comites, veritatem, juſtitiam et judicium. Si iſta defuerint, non juramentum ſed perjurium erit. Nam ſi quis per coactionem abjurare cogatur quod per multos annos quiete tenuerit, non jurante ſed in cogente perjurium erit. Reum non facit niſi mens rea. Nemo ſe circumveniat aut ſeducat. Qui per lapidem falſum jurat, perjurus eſt (7), quacunque arte verborum juret aliquis, Deus ita accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Sed ſine dubitatione malum minus eſt per Deum falſum jurare veraciter, quam per Deum verum jurare fallaciter. Quanto enim id per quod juratur magis eſt ſanctum, tanto magis eſt pœnale perjurium [3], Qui exigit jurationem multum intereſt

1 Ms. Lond. legit *conſimilia*. 2 *Eſſe videbuntur*, Ms. Lond. 3 Ms. Lond. *judicium* legit pro *perjurium*.

(1) Vide pag. præced. & cap. 66. & 73.

(2) Adde Capitular. Kar. & Lud. Impp. l. 7. cap. 68. 113. & 234. Videtur autem hoc Caput ad exemplum Canonis noni Concilii Chalcedonenſis confectum. Vide Eadmer. Hiſtor. l. 5. pag. 107. 33. ubi Anſelmum Archiepiſcopum Anglorum ſummum Pontificem vocat, quo nomine, ut videtur, eo ævo, Provinciarum Primates, Patriarchæ, Metropolitani ſunt generatim comprehenſi. Porro ſatis hinc, me judice, conſtat, Leges haſce fuiſſe demum recognitas poſt annum 1172. ante enim id tempus de Appellationibus ad Sedem Romanam prohibitis ſatis edocemur a diverſis. Eadmer. Hiſt. p. 39. l. 35. Matth. Pariſ. anno 1164. uti & de frequentibus Paparum eo nomine inſtitutis querelis. Id. Eadmer. p. 113. 2. 3. p. 115. 31. Nec unquam eas Legibus permiſſas deprehendimus ante abſolutionem Henrici II. anno 1172. quando inter cætera condebatur: *appellationes nec a Rege impediendas, nec impediri permittendas, quin libere fierent in Eccleſiaſticis cauſis ad Romanum Pontificem*. Rog. Hoved. fol. 303. 7. quam tamen conceſſionem Henrici II. poſteri, deinde Reges multis modis enervarunt, & tandem penitus abrogarunt.

(3) Ipſiſſima verba ſunt Capitular. Kar. & Lud. Imp. lib. 7. c. 79. Videatur etiam ejuſdem libri c. 230.

(4) Legendum forte: *Appellans autem, & vitiatam cauſam appellationis remedio ſublevans, non debet afflictionis vel detentionis injuriari cuſtodia*; niſi malit quis pluraliter, *appellantes autem*, &c.

(5) Impreſſ. olim legit *replenda*. Vide Burchard. l. 1. c. 180. ex Epiſtolis Felicis Papæ 2. Fratribus Ægypti, c. 15.

(6) Hinc apparet Leges haſce recognitas atque uti jam erant, poſt Henrici primi mortem (quæ incidit in Annum 1135.) in archiva relatas. Siquidem Decreta non ante annum 1151. a *Gratiano* monacho *Benedictino* in Monaſterio *S. Felicis Bononienſis* compilata fuere. *Baron.* T. 12. *n.* 6. Mat. Weſt. Vide Epiſt. D. Edwardi Coci ad Relationum ſuarum partem nonam. Quod autem ex Gregorio & Sixto tertio hic citatur, habetur in Decretis cauſ. 2. q. 5. cap. Presbyter & Mandaſtis; i. e. c. 5. & 10. Idem ſupra obſervari poteſt cap. de Danegeldo, ubi Willielmi ſecundi ſit mentio. Quod a Ranulpho Glanvil. An. 1180. forte adjectum, cujus ſapientia conditæ ſunt Leges ſubſcriptæ, quas Anglicanas vocamus. Hoveden. fol. 342. b. 34. Vide tamen Lanfranci Epiſt. 23. §. Poſtpoſitis p. 313. col. 1. in Decretis ſic legitur.

(7) Verius, ni fallor, legitur: *qui per lapidem falſum jurat, perjurus eſt. Quacunque arte verborum juret aliquis*. Melius tamen ut intelligas lector, quid ſit per lapidem jurare & pejerare, admonendus es, Romanos (ut Feſtus docet) olim juraſſe lapidem tenentes & projicientes in his verbis: *ſi ſciens fallo, me Dieſpiter, ſalva urbe arceque bonis ejiciat, ut hunc ego lapidem*. De hoc autem juramento vide præter Livium & Macrobium, Eraſmum in Chilia. 2. cent. 6. ada. 33. *Jovem lapidem jurare*. Videantur etiam Cujac. Obſervat. lib. 1. cap. 21. Dempſter de Juram. lib. 1. c. 8. & Turneb. Adverſar. l. 30. c. 24.

tereſt ſi ſcit illum falſum juraturum, vel neſcit ſi neſcit, et dicit, jura mihi, jura mihi ut fides ſtet, non audeo dicere hoc eſſe peccatum, tamen humana temptatio eſt; ſi novit feciſſe et cogit jurare, homicida eſt (1). Si ab alio provocatus fueris, ab illius malo eſt quod juras, non a tuo. Si quis jurat falſum te ſciente, ſi te non audierit utrum ſit prodendus [1], ſi proditus et periculum mortis incurrat, difficillima quæſtio eſt cui plus noceat, illi cui juratur an ſacerdoti. Mihi videtur quod ille cui magis prodeſt vel obeſt veritatem jurari. Jurare neceſſitate cogente non eſt peccatum. Non eſt ſervandum ſacramentum cum malum incaute promittitur [2]. Juramentum filii et filiæ neſciente patre et vota Monachi neſciente Abbate et juramenta pueri irrita ſunt.

VI. *De tripartitione Regni Angliæ in diverſitate Legum Comitatuum vel Provinciarum.*

Regnum Angliæ trifariam dividitur in Regno Britanniæ, in Weſtſexam, et Mircenos, et Danorum provinciam. Habet Archiepiſcopatus duos (2), Epiſcopatus xv. [3] Comitatus xxxii. Ipſi vero Comitatus in Centurias et *Sipeſſocna* (3) diſtinguuntur. Centuriæ vel Hundreda in Decanias vel Decimas et Dominorum plegios. Legis etiam Anglicæ trina eſt partitio ad ſuperiorem modum. Alia enim Weſtſaxiæ, alia Mircena, alia Denelaga eſt. Præter hoc tremendum Regiæ Majeſtatis titislamus [4] Imperium (4) quod præeſſe jugiter legimus ac ſalubriter celebramus [5] advertendum. In multis autem differunt, ſed in multis conveniunt. Ipſorum etiam jura Comitatuum per Provincias plerumque diſſentiunt ſicut (videlicet) cupiditate & maligna profeſſorum deteſtanda ſtudia graviora nocendi genera legalibus ſtatutibus [6] adjecerunt. Tanta quippe rerum perverſitas & malorum affluentia eſt ut definita Legis veritas vel ſtabilis medicinæ providentia raro poſſit inveniri. Sed ad majorem omnium confuſionem novus implacitationis modus exquiritur, nova nocendi fraus invenitur, tanquam parum noceat quicquid ante fuerit, & pluris eſſe judicetur, qui pluribus plus nocuerit. Illis tamen reverentiam & amorem ſtigia ſimulatione pollicemur quibus carere non poſſumus, quicquid noſtræ crudelitati pari congreſſione non reſpondet nobis natum non reputamus. Induimus animos tyrannorum, & hanc ob rabiem nobis induxere divitiæ, nemo quantum poteſt ſed ultra modis omnibus appetit inſanire, tot denique ſunt & tantis occupata ſolicitudinibus, tot circumductionibus involuta ſunt infortunia ſeculorum, ut vitandæ potius videantur exactiones, & incerta penitus alea placitorum.

VII. *De generalibus placitis Comitatuum quomodo vel quando fieri debeant.*

Sicut antiqua fuerat inſtitutione formatum, ſalutari Regis imperio vera nuper eſt recordatione firmatum, generalia Comitatuum placita certis locis, & *vicibus* [7], & definito tempore per ſingulas Provincias Angliæ convenire debere, nec ullis ultra fatigationibus agitari niſi propria Regis neceſſitas, vel commune Regni commodum ſæpius adjiciat. Interſint autem (5) Epiſcopi, Comites [8], Vicedomini, Vicarii, Centenarii, Aldermanni, Præfecti, Præpoſiti, Barones, Vavaſores, Tungrevii, & cæteri terrarum Domini diligenter, intendentes ne malorum impunitas, aut graviorum pravitas, vel judicum ſubverſio ſolita miſeros lacera-

tione

1 Impreſſ. legit *procedendus*. Rectius *prodendus* Ms. Lond.
2 Impreſſ. legit *pronunciatur*. Rectius *promittitur* Ms. Lond.
3 Pro 15. Ms. Lond. habet *multos*.
4 *Titulamus* Mss. Seld. Twyſd. & Lond.
5 Ms. Lond. *frequentamus* pro *celebramus*.
6 Mss. Seld. Scacc. *Statibus* legunt.
7 Ms. Lond. *judicibus* pro *vicibus*.
8 *Comites & Vic. Herthrohertreingerevet, Leidegrevii Vicarii* Ms. Lond.

(1) Concord. cap. Ille qui hominem. 22. quæſt. 5.

(2) Hinc apparet Leges baſce conditas poſt erectionem Epiſcopatus Elienſis circa Ann. 1108. & Carleolenſis circa Ann. 1133. aut 1134. Hoved. Henr. Huntind. fol. 171. a. lin. 2. fol. 220. b. 11.

(3) Niſi hic, nuſquam occurrit mihi iſtud vocabulum *Sipeſſocna*. Erratum puto pro Saxon. *Sitheſſocna* ſcriptoris forte vel incuria vel imperitia Romanum *p* pro Saxonico *th* accipientis. Vox eſt (ni fallor) compoſita, ducenda a Sax. *geſith*, contracte *ſith*, & *ſocna Sodalitium* ſcil. cœtus, fraternitas, ſocietas quorundam hominum (quod *ſith* ſignat) privilegiis, libertatibus, francheſiis (ut a Normannis dictis) præditorum, quod *ſocna* notat. Vid. Schol. ad cap. 75. Nec voce hac, hoc ſenſu ulla apud nos hodieque vulgarior vel tritior; e. g. cum dicimus, *what a ſith of Men*, &c. interrogando ſc. vel admirando, *i. e. quantus hominum cætus*. Ejuſmodi Sodalitium *gildam* vulgo vocant, alias *Friborgam*, quarum vocum utriuſque proſtat expoſitio in Doct. Spelm. Gloſſario, quod velim conſulas. Sicut autem in Decennæ ſive Decuriæ ſodalitio, reliquis præerat dignior unus, quem *teo thungmon* nuncuparunt, hodie *Tithingman*, ſic etiam iſthoc Sodalitium, ſuum habuit præfectum, quem *geſithcundmon*, quandoque *ſithcundmon*, nominarunt; i. e. Lambardo interprete, *Cuſtos Paganus*.

(4) Locus plane mendoſus diu me torſit, & fruſtra; quid enim ſentiendum ſit de voce illa *titislamus* penitus ignoro, nec aliquid lucis accendit varia illa lectio *titulamus*, niſi legamus, *præter tremendum, quod titulamus regiæ majeſtatis imperium*. Utcunque ſit, idem videtur eſſe loci ſenſus cum eo, de quo verſus finem cap. 9. ubi poſt Regni & Legis Angliæ velut hic partitionem, ſtatim additur: *Superſunt Regis placita curiæ, quæ uſus & conſuetudines ſuas una ſemper immobilitate conſervat ubique*.

(5) Vid. cap. 29. His in exhibitione loci addit Doctiſſ. Spelmannus plures alios; *Heretochios*, ſc. *Trehingrevios*, *Leidgrevios*, omnes, locum ſuum poſt Vicecomites capeſſentes. De hoc iterum poſtea. Cap. 31.

tione conficiant, agantur itaque primo debita veræ Christianitatis jura, secundo Regis placita (1); postremo causæ singulorum dignis satisfactionibus expleantur, & quoscunque *Scyresmot* discordantes inveniet (2), vel amore congreget, vel sequestret judicio. Debet autem *Scyresmot* bis, *Hundreda*, vel *Wapentachia* duodecies in anno congregari, & septem diebus ante summoniri [1] nisi publicum commodum vel [2] dominica Regis necessitas terminum præveniat (3), & si aliquid in Hundredis agendorum penuria judicum vel casu aliquo transferendum sit in duas, vel tres, vel amplius *Hundredas*, respectetur justo fine claudendum, & si quisquam violenta recti destitutione vel detentione, in hundredis vel congruis agendorum locis causam suam ita turbaverit, ut ad Comitatus audientiam pertrahatur, perdat eam; & de cætero componat sicut rectum sit. Si quis Baronum Regis vel aliorum Comitatui secundum Legem interfuerit, totam terram quam illic in Dominio suo habet acquietare poterit. Eodem modo est, *si Dapifer ejus legitime fuerit* (4), si uterque necessario desit, Præpositus, & Sacerdos, & quatuor de melioribus Villæ adsint pro omnibus qui nominatim non erunt ad placitum submoniti. Idem in *Hundredo* decrevimus observandum, de locis & vicibus & judicum observantiis de causis singulorum justis examinationibus audiendis; de Domini, & Dapiferi, vel Sacerdotis & Præpositi, & meliorum hominum præsentia.

VIII. *De Hundredis tenendis*.

Speciali tamen plenitudine si opus est bis in anno conveniant in Hundredum suum quicunque liberi tam *Hudefest* [3] quam *Folgarii* (5) ad dinoscendum scilicet inter cætera si Decaniæ plenæ sint, vel qui, quomodo, qua ratione recesserint, vel super accreverint; præsit autem singulis hominum novenis decimus, & toti simul Hundredo unus de melioribus, & vocetur *Aldremannus*, qui Dei Leges et hominum jura vigilanti studeat observantia promovere (6). Quia nil a nullo exigi vel capi debet nisi de jure et ratione per Legem terræ et justitiam et per judicium Curiæ, sine dolo, prout statutum est maxima consideratione procerum et bonorum prædecessorum totius regni, et multa aggregatione servorum Dei et bonorum patrum, et sapientum totius Monarchiæ approbatum. Communis quippe commodi provida dispensatione statutum est (7), ut a duodecimo ætatis suæ anno in *Hundredo* sit, et decima vel plegio liberali quisquis *Were* vel *Wite* vel jure liberi dignus curat æstimari, conductitii vel solidarii vel stipendiarii duorum plegio teneantur. Et omnis Dominus secum tales habeat, qui ei justiciabiles sint, tanquam eos si peccaverint ad rectum habiturus vel pro eis forsitan rationem redditurus. Dictum est de illis qui terram non habent (8), si in alio Comitatu serviant et cognationem suam visitent qui eos inter agendum firmabit, eos ad publicum rectum ducat si ibi forisfaciant vel propter eos emendet. Nemo ignotum vel vagantem (9) ultra triduum absque securitate detineat, vel alterius hominem sine commendante vel plegiante recipiat, vel suum a se dimittat sine

1 Ms. Scacc. *Submonitionem*. 2 *Vel efficientia Regis* Ms. Scacc. 3 *Hurderefest*. Ms. Lond.

(1) Quo confusum constat forum sacrum cum civili, contra sancitum illud Guilielmi primi, de quo plura Scholiis ad cap. 31.

(2) Verior recte hæc lectio quam illa doct. Spelm. in Glossar. in verbo *Chirgemot*. Vide quosque *Chirgemot discordantes inveniet*, &c. unde vocem trahit ad significandum forum Ecclesiasticum.

(3) Impress. legit. *Scyresmot et Burgimotis -- et sex diebus antea submotum ---- vel efficiente Regis Dominica*, &c. Deprompta hæc videntur e Legibus Ed. Confess. cap. 35. de Heretochiis, unde erroneæ istius loci lectionis correctio in promptu est. Vide Leges Æthelst. cap. 20.

(4) Similiter locum exhibet doct. Spelman. in Gloss. verbo, Dapifer. p. 202. Malim autem *legitime interfuerit*.

(5) Loco Hudefest habetur *Hirderefest* in Doct. Spelm. Glossar. verbo Folgurii; vitiose tamen sic scribi pro Hurdesfest alibi opinatur Eques ille Doct. verbo sc. *Hurderefest*. Neutrum autem mihi placet; scribendum reor *Heorthfest*, nec aliter in LL. Canuti Regis par. 2. cap. 19. Vocis autem & loci pleniorem intellectum quære in Glossar. ad finem operis verb. *Hudefest*.

(6) Harum Legum exemplar, quod ut videtur, secutus est Doct. Spelm. verbo *Aldermannus* pag. 31. eandem habuit additionem cujus partem exhibet ibidem. Hac autem de re vide Statutum editum Ann. 34. Edw. I. *de Tallagio non concedendo*, cap. 1. & LL. Willel. I. pag. 55.

(7) Quæ sequuntur ad ista *rationem redditurus* e Legibus Æthelredi c. 1. & Canuti par. 2. c. 19. & 28. excerpta videntur. Huc etiam spectat Lex illa Guil. I. cap. 64. nec non ejusdem Regis Leges in Ingulpho 49. & 50. vide cap. 28. LL. Cnuti apud Jornal.

(8) Hæc & sequentia usque ad *emendet*, ipsissima verba sunt Legum Æthelstani c. 8. quod cum Lemmate præfixo sic se habet in Jornalensi cap. 14. De illis qui terram non habent, & in alio Comitatu famulantur, *Item ediximus, si quis non habens terram serviat in alio Comitatu, & ad cognatos suos quandoque redeat, qui eum in ipsa visitatione firmabit, eum ad Jus publicum præsentet, si forisfaciat ibi, vel emendet pro eo*.

(9) Deprompta hæc videntur cum sequentibus ad ista, *quibus fuerit accusatus*, e LL. Canuti par. 2. cap. 25. & antecessoris ejus Æthelstani cap. 22. Recensuit Guiliel. I. in cap. 46. & 47. Legum suarum in Ingulpho. Concordat Bracton. l. 3. Tract. 2. cap. 10. num. 1. *Nec debet*, inquit, *quis repellere servientem suum antequam purgatus sit de omni calumnia, unde prius fuit calumniatus*. Plura huc spectantia vide in Doct. Speim. Glossar. verbo *Homebyne*.

ne Prælati sui licentia, et vicinorum testimonio, quietum etiam in omnibus in quibus fuerit accusatus. Sed de hiis omnibus pleniorem suggerunt ventura notitiam sicut *Edwardi* beatissimi Principis extitisse temporibus certis indiciis et fida relatione cognovimus. Et si quid professioni nostræ congruum præcedentium vel sequentium Capitula docuerint sine jure naturali, vel legali, vel morali gaudeant instituto, et hoc licet multa compositorum [1] varietate minus plene peregerim bonam saltem voluntatem ubique prætendo.

IX. *De qualitate causarum.*

Qualitas causarum multa est; emendabilium, et non emendabilium, et quæ solum pertinent ad jus regium. Omnes vero causæ simplices sunt aut conjunctæ, et in manifestatione consistunt, vel in accusatione (1). In contemplatione peccatorum aliæ per visum fiunt et auditum, aliæ per relationem, aliæ per æstimationem quæ magis ad violentam usurpationem improbis Prælatorum conjecturis inversantur. Quæ a legitimis [2] causis omnibus et maxime Ecclesiasticis submoventur, et sive unus unum accuset, aut plures, vel plures unum, vel plures sint compellantes, et compellati aliquem statim in inculpationibus responderi oportet, aliquando competenti termino, aliquando nullo, et omnes habeant congruos pertractationum modos locis, temporibus et personis assignatos, et omnis causa terminetur vel *Hundredo*, vel Comitatu, vel *Halimoto soccam* habentium, vel dominorum curiæ vel divisis parium vel certis agendorum locis adjacentibus, ne cuilibet irrogatam injuriam fomenta [3] dilata vel amota multiplicent ne causarum habitudine vel aliqua recti destitutione jura pertranseat. Transeunt autem multis modis alia intrinsecis, alia extrinsecis accidentiis secundum industriam vel justitiam concertantium [4] secundum *socam* Placitorum quam quidam habent in suo de suis, quidam de suis et extraneis sive in omnibus sive in quibusdam causis (2). Multa siquidem causarum differentia est, capite plectendarum, vel pecunia redimendarum, transeuntium, manentium, vel utrumque spectantium et quæ solum pertinent ad jus regium. Differt etiam an aliquis cum suo vel alterius homine causam agat, et si quid in actu vel in sola *tihtla* consistat, et si quid bello vel lege sacramentali plena vel frangenti vel etiam judiciali repetatur. Aliud vero est si par parem accuset, vel major minorem, vel minor majorem. Permutantur etiam causarum actiones in locorum contingentiis, in tempore ex personis. In accusationum modis personarum distinctio est in conditione, in sexu secundum professionem, et ordinem secundum observatam legalitatem, quæ in agendis omnibus pensanda sunt Judicibus. Nemo enim stultus aut improbus debet esse Judex (3), sed Optimates quique secundum modum suum qui non personam sed opera dijudicent per Legem Provinciæ. Regnum enim Angliæ tripartitum est in *Westsaxones*, et in *Mircenos* et *Dacorum* Provinciam. Legis etiam *Anglicæ* trina est partitio, et ad eandem distantiam supersunt Regis placita Curiæ quæ usus et consuetudines suas una semper immobilitate conservat ubique (4), *Soca* vero placitorum alia proprie pertinet ad fiscum regium, et singulariter alia participatione, alia pertinet Vicecomitibus, et Ministris regiis in firma sua. Alia pertinet Baronibus *Socham* & *Sacham* habentibus.

X. *De jure Regis.*

Hæc sunt jura quæ Rex Angliæ (5) solus & super omnes homines habet in terra sua

[1] *Circumpositorum* Mss. Seld. Twysd. & Ms. Lond. [2] *Legum* Ms. Lond. [3] *Formata* Ms. Lond. [4] *Causantium* Ms. Lond.

(1) Id est ex notorietate facti, (ut cum Forensibus loquar) nulla sunt tergiversatione celandæ, ut id furti manifesti quod vocant *Hondhabend*, *Bacberend*, cui respondet Saxonum *openre scylde*, de quo in LL. Inæ cap. 37. aut non ita notoriæ, ut quæ probationis indigent manifestatione, quo etiam tendit id quod sequitur infra, *si quid in actu vel in sola tihtla*, i. e. accusatione *consistat*, &c.

(2) Quod traditum hic pluries in his Legibus occurrit, & in cap. 20. 27. & 59. atque semper intelligendum est de privilegiis Maneriorum Dominis, Principis Beneficio, competentibus, Forensium nostratium lingua *Infangthefe* & *Outfangthefe* dictis, quorum prius significat potestatem judicandi furem quemcunque infra Manerium vel Dominium tuum comprehensum, posterius autem similem jurisdictionem in latronem extra Limites Manerii vel Dominii tui delinquentem, dummodo intra ejusdem fines deprehendatur. Vide Bracton. l. 3. Tract. 2. c. 35. & Spelman. Glossar. in voce *Infangthefe*.

(3) Hac de re vide plura c. 29. & LL. Æthelredi apud Habam (vide Spelm. Concil. pag. 532. ubi *Habam* corrigend. forte *Badam*, quomodo in vet. Cod. MS. olim S. August. Cant' modo penes D. Simonesium Dewes Equ. aurat. & Baronet.) c. *de officio Judicis*, ubi (inter alia) hæc ad rem nostram signantur facientia: *Et nullus Dominus stultos aut improbos Judices constituat, quia stultus per ignorantiam, improbus per cupiditatem vitat quam didicit veritatem.*

(4) His similia prædicantur de Tribunali, quod Curiam de Hustingis olim nuncuparunt, quæ (ut loquuntur Leges Edo. Confess. cap. 35.) Consuetudines suas una semper inviolabilitate conservat.

(5) Quæ sc. in hoc & seq. Capitibus (præsertim 13.) recensentur usque ad cap. 19. inclusive, concordant LL. Canuti, par. 2. cap. 12. & 14. Glanvill. lib. 1. cap. 2. Bracton. l. 3. Tract. 2. per totum vetus Custumar. Norman. cap. 10. 12. 15. 16. 17. 18. 19. Regalia hæc recte dicenda, quorum quædam enumerantur in usibus Feudorum, cap. Quæ sunt Regalia, quod vide, & Hotomanni Comment. ibid. & si plura cupias, adi Regneri Sixtini Tractatum, quem inscripsit *de Regaliis*.

ſua commoda pacis & ſecuritatis inſtitutione retenta. Infractio pacis regiæ per manum vel breve dictæ Danegildum: Placitum brevium vel præceptorum ejus contemptorum, de famulis ſuis ubicunque occiſis vel injuriatis, infidelitas & proditio; quicunque deſpectus vel maliloquium de eo; caſtellatio trium ſtannorum (1), utlagaria, furtum morte impunitum; murdrum; falſaria monetæ ſuæ; incendium; *Hamſocna*; *Foreſtal*; *Fyrderinga* (2); *Flemenſirme*; præmeditatus aſſaltus, *Roberia*, *Stretbreche* [1]; præſumptio terræ (3), vel pecuniæ Regis; theſaurus inventus; naufragium [2]; maris algarum (4); violentus concubitus (5), raptus; Foreſtæ; relevationes Baronum ſuorum; qui in domo vel familia Regis pugnabit (6); qui in hoſtico pacem fregerit; qui *Burghbotum*, vel *Brigbotum*, vel *Firdfare* ſuperſederit; qui excommunicatum vel utlagum habet & tenet; *Borghbreche*; qui in bello campali vel navali fugerit [3]; injuſtum judicium; defectus juſtitiæ; prævaricatio Legis regiæ; omnes hereſtrete omnino Regis ſunt (7), & omnia *gwalſtowa* [4], i. occidendorum loca totaliter Regis ſunt in ſoca ſua; & omnibus ordinatis & alienigenis, & pauperibus, & abjectis debet eſſe Rex pro cognato & advocato ſi penitus alium non habent (8). Hæc ſunt Dominica placita Regis nec pertinent Vicecomitibus, vel Apparitoribus, vel Miniſtris ejus ſine definitis prælocutionibus in firma ſua.

XI. *De placitis Eccleſiæ pertinentibus ad Regem.*

Sunt alia quædam placita Chriſtianitatis, in quibus Rex partem habet hoc modo. Si Rex patiatur ut qui in Eccleſia fecerit homicidium, ad emendationem veniat. Primo Epiſcopo [5] & Regi pretium Nativitatis ſuæ reddat, & ita ſe inlegiet. Deinde componat de pace Eccleſiæ quinque libr', & reconciliationem Eccleſiæ quærat ſicut ad eam pertinebit (9), & cognationis, & donationis emendationem plene reſtituat (10). Si quis rectam decimam ſuperteneat, vadat Præpoſitus Regis & Epiſcopi, & terræ Domini cum Presbytero & ingratis auferant, & Eccleſiæ cui pertinebit reddant (11) & novam partem relinquant ei qui decimam dare noluit. Reliquum in duas partes dividant, dimidium habeat Dominus, dimidium habeat Epiſcopus, ſit homo Regis vel alterius,

1 Ms. Lond. *Sterbreche*. 2 Ms. Lond. *naufragium* non habet. 3 *Defuerit* Ms. Lond.
4 *Qualſtowa* Ms. Scacc. *Gwalſtowa* Ms. Lond. 5 Ms. Lond. *Chriſto* pro *Epiſcopo*.

(1) Spelman. in Gloſſario ſuo vocem *Caſtellaciam* expoſiturus, adducit locum una cum alio non diſſimili in cap. 13. (14. Spelmanno) obſcura & corrupta indigitans, nec immerito, obſcuriora tamen ob defectum diſtinctionum & interpunctionum recte adhibitarum. Sic autem diſtinguendum & legendum puto: *Caſtellatio trium ſtannorum utlagaria furtum morte puniendum*; *puniendum* dico, Capitulum 13. ſequutus, ubi eſt; *furtum probatum et morte dignum*. Si quis tamen *impunitum* maluerit, non contendero, præſertim cum moris olim fuerit, latronem in furto manifeſto vel crimine flagranti deprehenſum, ſc. rem furtivam in manu habentem, quod *Hondhabend* (Germano-Saxonibus *Handhafte That*; i. e. factum manuale. Vide Gryphiand. de Weichbild. Saxon. cap. 57. num. 4.) aut a tergo deferentem, quod *Bacberend* nuncupabant, modo is annos (ut primo) decem, ut poſtea duodecim natus eſſet, & quod octo denariis carius æſtimaretur clepſerit (ætatem in 15. annos & valorem in 12. denarios mutavit poſtea Æthelſtanus Rex in Concil. apud Witlam byrig. Vide Judic. Civit. London. c. 12.) cauſa coram loci Domino rei cognitionem habente, alioquin coram Coronatore feſtinantius accerſito ſummarie cognita morti adjudicare, cujus illa Hallifaxiæ noſtratibus ſatis nota Lex videtur eſſe veſtigium; quinimo ſi quis furi mortem obtulerit, jurejurando fidem adſtringat, ſe tanquam criminis reum occidiſſe, atque hoc pacto omni ſolutione liberator; Lex eſt expreſſa Regis Inæ cap. 16. cui ſimilis illa in cap. 34. Vide etiam LL. Edo. Confeſſ. c. 36. & vetus Norman. Cuſtumar. c. 23.

(2) Pro *Fyrderinga* Spelmannus locum hunc exhibens in Gloſſario ſuo habet *Fynderinga*, quem ſequitur D. Edw. Cocus Inſtitut. par. 3. pag. 132. & *Theſaurum inventum* vertunt. Cum vero theſaurus inventus nominatim hic ſubſequatur, niſi conjectura mea me fallit, bona ſonat adventitia, Forenſibus noſtris *Waywium* & *Eſtrayeria*, veteribus *Cumelings* a Saxon. Cuma *Advena*, quæ Regi acquiruntur, aut ſaltem Domino Feudi hanc libertatem ſibi a Rege indultam habenti. Vide Bracton. lib. 1. cap. 12. num. 10. & Vetus Norman. Cuſtumar. c. 19. Quæri tamen poteſt, utrum *Fyrderinga* hic non ſit ſcribendum *Fyrderunga*, quod Gloſſarium *apparatum expeditionis* vertit.

(3) *Præſumptio terræ*, forte *æris*. Vide tamen LL. Burgund. Tit. 54. pro *terrarum Præſumptoribus*.

(4) Id eſt *alga maris*; de qua vide infra in Gloſſar.

(5) Vide infra cap. 13.

(6) Vide cap. 12. & c. 80. Leges Inæ c. 6. Ælfredi c. 7. Cnuti c. 56.

(7) Vias publicas regias ſcil. alias militares intelligit, regales forte vias, quibus itur de civitate in civitatem, de quibus in placito exhibito apud Pinendenam per Cl. Selden. Notis ad Eadmer. p. 197. præſertim vero quatuor, quos (a Gallico Chemin) vocant *chiminos* noſtratibus bene nótos, de quibus vide plura in Spelm. Gloſſar. verbis *Hikemildſtrete* & *Irmunjul*.

(8) Peritum hoc videtur e cap. 12. Fœder. Eadw. & Guthr. Regum, inter Leges Saxonicas, cui ſimile Capitulum illud 17. Legum Eccleſiaſt. ab Ælfr. & Guthr. latarum. Rem renovavit poſtea Canutus Rex Legum ſuarum par. 2. c. 37.

(9) Vide cap. 79. in fine, & ſenſum inde pete.

(10) Legendum forſan *& dominationis emendationem*, id eſt, *manbote*, ut Saxonibus olim dicta compenſatio ſive mulcta pecuniaria (de qua vide Gloſſar. in voce Emenda) Domino pendi ſolita ob hominem ſublatum. Vide Burchard. lib. 3. c. 132.

(11) Vide Leges Edgar. c. 3. 4. Cnuti c. 8. 9.

rius, *Romfeoh* (1) in Festo Sancti Petri ad vincula debet reddi. Qui supra tenebit, reddat Episcopo denarium illum, & xxx. denar' addat & Regi L. Sol. Qui cyrisceatum [1] tenebit ultra Festum Sancti Martini, reddat eum Episcopo & undecies persolvat & Regi L. Sol. Qui uxoratus faciet adulterium (2) habeat Rex vel Dominus superiorem, Episcopus inferiorem. Qui perjurium super sancta commiserit (3), perdat manum suam vel dimidiam *weram* suam, & hoc commune sit Domino ejus, & Episcopo. Qui falsum testimonium dicet, non admittatur deinceps in testimonium, sed reddat Regi vel terræ Domino *Healsfang*. Qui ordinatum occiderit (4), vel malignaverit, emendet ei sicut rectum sit, & Episcopo emendationem altaris, secundum ordinis dignitatem Regi vel Domino plenam infractionem pacis, vel plena lada neget. Si quis mortis reus confessionem desideret (5), nunquam negetur ei. Quod si quis faciat, emendet Regi cxx. sol. aut cum quinque juret quod hoc non fecisset. Si liber festis diebus operetur, emendet suum *healsfang*, & saltem erga Dominum sedulo componat. Si quis Dei rectitudines per vim teneat (6), solvat *lasblite* [2] cum *Dacis*, plenam *Witam* cum Anglis, aut neget cum xi. [3] Si aliquem illuc vulneret, hoc emendet & reddat plenam *Witam*, & ab Episcopo manum suam redimat vel perdat eam. Si aliquem occidat, sit *utlaga*, & prosequatur eum cum clamore omnis qui rectum vult. Si efficiat ut occidatur per hoc quod rectum contra resistat, si hoc inveritetur inultus jaceat. Qui ordinis infracturam faciet, emendet hoc secundum ordinis dignitatem, *Wera*, *Wita*, *Labslita*, & omni misericordia. Sit omnis Vidua sine marito duodecim mensibus, eligat postea quem velit, & si infra unius anni spatium capiat maritum, perdat Morgangifan' suam, & omnem pecuniam suam quam ex primo [4] marito habebat, & sit maritus ejus *weræ* suæ reus apud Regem, vel cui Rex concesserit. Si quis Dei fugitivum habeat injuste, reddat eum ad rectum & persolvat ei cujus erit, et Regi emendet secundum *Weregildum* (7). Si quis excommunicatum habeat, vel *utlagam*, et teneat; dispereat ipse et omnis venia ejus et omnis emendatio communiter emendetur Christo et Regi, ubicunque recusabitur Lex Dei juste servari, secundum dictionem Episcopi, cogi oportebit per mundanam potestatem. Necessaria siquidem justitia et districtio secularis in divinis plerunque Legibus et secularibus institutis, quia plures aliter a suis pravitatibus revocari nequeunt, plures ad Dei cultum ac legalitatis observantiam inclinari nolunt, unde pro multa malorum infestatione commoda pacis dispensatione provisum est, ut graviora placita magisque punienda soli justitiæ vel misericordiæ Principis addicantur [5], ut venia petentibus et pœna peccantibus abundantius habeatur. In causis autem emendabilibus (8) Sanctorum miseratione permissum est, ut terreni Domini audeant ex eorum licentia pecunialem emendationem capere secundum Legem patriæ.

XII. *Quæ placita commendari* [6] *debeant.*

Ex hiis placitis quædam emendantur centum solid', quædam *Wera*, quædam *Wita*, quædam non possunt emendari, quæ sunt *busbreche*, et *bernet*, et *opentbifibe*, et *eberemoth*, et *Hlafordiwice* (9), et infractio

1 *Qui cyrisceatum*---L. *sol.* deest in Ms. Lond. 2 *Labstung* Ms. Scacc. 3 xii. Mss. Seld. Twysd. & Lond. 4 Ms. Scacch. *priori* pro *primo*. 5 Ms. Lond. *adjudicantur*. 6 Ms. Seld. Twysd. & Lond. *emendari*.

(1) Tanta inter hæc & LL. Edgari cap. 3. & 4. uti & Cnuti par. 1. cap. 8. 9. 10. videtur symphonia, ut quicquid hic habetur, illinc suppeditatum esse cuivis liquere possit.

(2) Vide hac de re plura apud Spelman. in Glossar. voce *Adulterium*.

(3) Hæc & sequentia ad ista usque *terræ Domino Healsfang* e Legibus Canuti par. 2. cap. 33. & 34. hausta videntur. Huc etiam spectat Lex Edw. Senioris cap. 3. & Æthelstani c. 25. Hinc illud Bractoni l. 4. Tract. 1. c. 19. n. 2. *Repellitur autem* (inquit) *a Sacramento infamis, scil. qui alias convictus fuerit de perjurio, qui Legem amittit, & ideo dicitur, quod non est ulterius dignus Lege; quod Anglice* he ne es othes worthe that es enes gylty os oth broken. Quo tendunt etiam tradita per eum postea lib. 4. Tract. 5. cap. 5. n. 1. Advertit locum Cl. Selden. Notis ad Fortescutum c. 26. quas vide.

(4) Sic habetur cum postea cap. 66. tum in Legibus Cnuti Regis secularibus cap. 39. unde utrumque locum petitum credimus, cujus veterem apud Jornalens. Versionem videas, si placet, apud Spelm. Concil. To. 1. p. 567.

(5) Petita hæc & sequentia ad ista, *hoc non fecisset*, e Legibus Canuti par. 2. cap. 41. plane idem totidem verbis ordinantis, prout etiam id quod immediate subsequitur; sc. *si liber festis diebus operetur*, usque *sedulo componat*, e Lege ejusdem Cnuti proxime sequenti mutuatum censeo.

(6) Hausta hæc videntur cum sequentibus ad ista, *inultus jaceat*, e cap. 6. Fœderis Edw. & Guthr. Regum, & e cap. 45 Legum Cnuti par. 2. sicut quæ sequuntur ex cap. 46. Legum ejusdem Cnuti.

(7) Impress. legit *Legergildum*, rectius *weregildum*, & pariter corrige citata hinc per Doct. Spelman. in Glossar. verb. *Lairwite* & *Legergild.* & per Spelmannum sequutum Cl. Vossium de vitiis Sermonis p. 234. verbo *Legergeldum*. Sic etenim (Weregild scil.) habet Lex illa, unde locum hunc petitum credimus, cap. sc. 64. Legum Canuti par. 2. cui quidem in cæteris verbatim respondet.

(8) Vide Præfat. ad Leges Ælfredi, & hausta inde in Scholiis ad cap. 75.

(9) Impress. *lafordi yike*, rectius *Hlafordswice*, sic enim scribitur in Lege unde hæc deprompta videntur cap. 61. LL. Canuti par. 1. Hujus autem & cæterarum vocum expositionem vide in Glossar. sub finem operis. *Lafordfithe* (quod Ms. Lond. habet) idem forte quod *Letherwite*, species quædam fornicationis. Vid. Coci Institut. 2. p. 488. Vide cap. 23. Legerwite cap. 81. 27. sed hic est Domini proditio.

ctio pacis Ecclesiæ vel manus Regis per homicidium. Hæc emendantur centum solid. *Gritbbrecbe*, *Stretbrecbe*, *Forstel*, *Burgbbrecbe*, *Hamsokne*, *Flimonfirma*. Hæc emendantur Wera. Si ad emendationem veniat qui in Ecclesia fecerit homicidium, persolutio furti vel robariæ. Qui furem plegiatum amiserit; qui ei obviaverit, & gratis sine vociferatione dimiserit; qui ei consentiet in aliquo; homicidium *wera* solvatur, vel *wera lada* negetur; si uxoratus homo fornicatur; qui viduam duxerit ante unum annum; qui in hostico (1), vel familia Regis pacem fregerit; si ad emendandum venire poterit, si Præpositus pro firmæ adjutorio *witam* exigat. Qui Legem apostatabit Weræ suæ sit reus prima vice; si secundo fecerit, reddat bis *Weram* suam; qui tertio præsumat, perdat quicquid habet (2).

XIII. *Quæ placita mittunt homines in misericordia Regis.*

Hæc mittunt hominem in misericordia Regis. *Infractio pacis* quam per manum (3) suam dabit alicui. *Contemptus brevium suorum* (4), et quicquid ad propriam ejus personam vel mandatorum suorum contumeliatur injuriam de famulis suis in Civitate vel in Castello, vel ubicunque occisis infidelitas et proditio; despectus de eo castellatio sine licentia utlagaria; et qui eam faciet in jure regio sit, et si *bocland* habeat, in manum Regis veniat furtum probatum et morte dignum. Murdrum XLVI. marcis reddatur, nisi malefactor infra septem dies habeatur. Falsarii pugnum perdant, et nullo modo redimant. Qui injuste judicabit cxx. solid. (5) reus sit, et dignitatem judicandi perdat [1] nisi se redimat erga Regem. Dominica Captalia [2] Regis celata pro furto habeantur; violentia virgini vel viduæ facta; qui in domo Regis pugnabit vitæ suæ culpa sit (6). Qui in hostico pacem fregerit (7) vitam perdat vel *Weregildo* componat. Qui *burgbotam*, vel *brigbotam*, vel *firdfare* supersederit cxx. solid. forisfecerit aut nominentur ei XII. et perquirat ex eis XI. ad negandum. Qui excommunicatum habet et manutenet vel utlagam. Qui Dei recta contratenendo fecerit homicidium. Qui in bello campestri vel navali (8) pro timiditate fugiet a Domino, vel a socio suo, perdat omne quod habet, et vitam [3] suam, et manus mittat Dominus ad pecuniam suam et terram quam ei dedit, et si bocland habet in jus regium cadat.

XIV. *De Relevationibus* (9).

Sint relevationes singulorum sicut modus sit. Comitis VIII. equi, quatuor sellati & quatuor sine sella, & galeæ IV. & loricæ IV. cum VIII. lanceis, & totidem scutis, & gladii IV. & centum mancæ auri. Postea *Thayni* Regis qui ei proximus sit, quatuor equi, duo sellati, & duo non sellati, & duo gladii, & quatuor lanceæ, & totidem scuta & galea cum lorica, & L. mancæ auri, & mediocris *Thayni* equus cum apparatu suo & arma ejus, & suum *balfbang* in *Westsexa*; in *Mircenis* duæ libræ, & *Thayni* Regis relevatio (10) cum *Dacis*, qui

1 Pro *perdat* Ms. Lond. habet *amittat*. 2 Pro *captalia* Mss. Seld. Twysd. & Lond. legunt *capitalia*.
3 *Vitam suam*——*bocland habet*; desunt in Ms. Lond.

(1) Vide Leges Inæ cap. 6. Ælfred. cap. 7. c. 36. Cnuti c. 56.

(2) Simile habetur institutum in Legibus Edw. Confess. c. 35. de Heretochiis: *Et qui Leges apostatabit* (ipsissima Legis verba sunt) *si fuerit Anglicus, vel Dacus, vel Waliscus, vel Albanicus, vel Insulicola, weræ suæ reus sit apud Regem, & si secundo id faciat, reddat weram suam, & si quid addat tertio, reus sit omnium quæ habebit.* Idem iterum hic c. 34.

(3) Hanc pacis speciem *cyninges handgrith*, & *cyninges hondseald grith* Anglo-Saxones nuncuparunt, de qua vide fœdus Eadw. & Guthr. Regum cap. 1. item Leges Cnuti par. 1. c. 2. Leges Edwar. Confess. cap. 12. 13. Seldeni Tit. Honor. par. 2. cap. 5. §. 3. quibus adde chartam Guilielmi primi Abbati Rames, de qua apud Spelm. in Glossar. verbo *Honor*. Huic autem (ni fallor) respondet Germano-Saxonum *Handfried*, cujus meminit Gryphiander Tractat. de Weichbild. Saxon. cap. 66. uti etiam Latino-Barbarorum *Mundeburdium*, de quo Hotoman. de verb. feudal. in voce Mamburgus, & Vossius de vitiis Sermonis verbo *Mundium*. Hinc forte Protectionum apud nos origo, de quibus D. Cowellus in interprete verbo *Protection*.

(4) Hæc *vel mandatorum suorum* præcedentia verba, *contemptus brevium suorum* immediate forte sequerentur, quomodo consimilia verba disposita videmus, cap. 10. ubi *placitum brevium & præceptorum ejus*. Cæterorum sensus idem est cum eo, quod in eodem x. Capite legimus, *quicunque sc. despectus vel malloquium de eo*.

(5) Excerpta hæc videntur e Legibus Edgari par. 2. cap. 3. & Cnuti par. 2. c. 14.

(6) Huc tendunt Leges Inæ c. 6. Ælfred. c. 7. & Cnuti par. 2. c. 56. Vide Burchard. lib. 6. c. 11.

(7) Petita reor hæc & sequentia e Legibus Cnuti par. 2. cap. 58. & 62.

(8) Hæc & quæ sequuntur ad finem usque Capituli, deprompta credo e Legibus Cnuti Regis par. 2. c. 75. quam quidem sanctionem repetitam habes in Legibus Edo. Conf. cap. 35. de Heretochiis, verbis paululum mutatis, quæ hæc: *Qui fugiet a Domino vel socio suo pro timiditate belli vel mortis, in conductione heretochii sui in expeditione navali vel terrestri, perdat omne quod suum est, & suam ipsius vitam, & manus mittat Dominus ad terram, quam ei antea dederat. Et si terram hæreditariam habeat, ipsa in manus Regis transeat.* Eisdem fere verbis utitur Jornalensis ejusdem Regis Canuti Legem memoratam Latine exprimens.

(9) Hoc 14. Capitulum *de Relevationibus* inscriptum videtur integre petitum e Legibus Canuti par. 2. cap. 69. 70. & posteriori part. cap. 71.

(10) Spelman. in Glossario suo vocem *Heretum* expositurus hoc Canuti Regis institutum ad-

qui ſocam ſuam habeant III. libr', & ſi apud Regem promotiorem juſtitiam habeat, duo equi, unus cum ſella, alius ſine ſella, unus gladius, & duæ lanceæ, & totidem ſcuta, & L. mancæ auri, & qui minus poteſt det duas libras; & ubi *bunda* manſerit ſine calumpnia, ſint uxor & pueri in eodem ſine querela, & ſi accuſatus fuerit dum vixerit, in aliquo reſpondeant hæredes ejus ſicut ille ipſe faceret, ſi viveret, & perſolvat omnis vidua relevationem ſuam intra duodecim menſes ſine foriſfactura, ſi non poſſit antea.

XV. *De Denegildo.*

Danagildum (1) quod aliquando ringe [1] manus dabatur; i. XII. denar. de unaquaque hida per annum; ſi ad terminos non reddatur, *Wyta* emendetur.

XVI. *De pace Curiæ Regis.*

Tam longe (2) debet eſſe pax Regis a porta ſua ubi reſidens erit a quatuor partibus loci illius hoc eſt quatuor [2] miliaria, & tres quarentenæ, & novem acræ latitudine, & novem pedes, & novem palmæ, & novem grana ordei. Multus ſane reſpectus eſſe debet, ac multa diligentia, ne quis pacem Regis infringat maxime in ejus vicinia.

XVII. *De placitis Foreſtarum.*

Placitum quoque *Foreſtarum* multiplici ſatis eſt incommoditate vallatum, de *Eſſartis* (3), de cæſione, de combuſtione, de venatione, de geſtatione arcus, & jaculorum in Foreſta, de miſera Canum expeditatione (4). Si quis ad ſtabilitatem [3] non venit (5). Si quis pecuram [4] ſuam recluſam dimiſerit de ædificiis in Foreſta [5]. De ſummonitionibus ſuper ceſſis. De obviatione alicujus in Foreſta cum canibus. De corio vel carne inventa.

XVIII. *De Lada.*

Francigena compellatus juret ſe ſexto, Anglicus liber triplici lada plane vel ſimplici exigenti [6] vel judicio neget.

1 *Pinge* Ms. Scacc. *Tingeman* Ms. Lond. 2 In Mss. Scacc. *tria* aperte ſcribitur in linea, neque deletur, & tamen *quatuor* ſuperinducitur. 3 *Stabilitam* Ms. Scacc. 4 Mss. Seld. & Twyſd. *placitis* pro *pecuram*. 5 *De ædificiis in Foreſta* omittit Ms. Lond. 6 Ms. Lond. *franget* pro *exigenti*.

advertit, Latina Legum illarum verſione propria (ut videtur) adhibita. Si antiquam apud Jornalenſem Verſionem Lector deſideret, Dom. Edw. Cocum adeat Inſtit. par. 2. pag. 8. ubi ſecundum magnæ Chartæ libertatum Angliæ Capitulum illuſtraturus, vetus quoddam Ms. in Bibliotheca quondam reverendiſ. Matthæi Cantuar' Archiepiſcopi, de harum relevationum modo laudat, quod utique Guil. I. Legibus a Clar. Seldeno ex Ingulphi exemplari olim in lucem editis cap. 22. 23. 24. & 29. concordat. Relevationem autem inibi exhibitam injuſtitiæ injuſte (me judice) arguit reverendus ille olim per univerſam Angliam judiciis privatis Præſes, cum vix aut ne vix quidem diſcrepet ab illa Legislatoris noſtri in præſenti cap. contenta, multo minus ab illa in patris ejus Guiliel. I. memoratis Legibus inſtituta relevatione. Quod autem hic (in exemplari ſc. Seldeno uſurpato) *Hammes*, illic *Hawmes* legitur, poſterior lectio verior: vox autem *Galeas* ſignat, nobis vulgo *Helmets* a Sax. *Helm* ejuſdem ſenſus. Quod (ſecundo) hic *per le cheval ſon piepe*, cap. ſc. 24. illic *per le cheval ſon pier* legitur & rectius. Vide Clar. Seld. Tit. Honor. p. 625. Verba ſic Latine reddo, *per equum patris ſui*. Quod (tertio) hic cap. 29. *& puis ſe ſerait cuz les vilains en francpledge*, illic, *& pus ſont touts les Villains in frankpledge* legitur. Poſterior lectio magis placet, & ſic Latine verto, *& poſtea ſint omnes villani in franco plegio*. Viceverſa hinc in veteri illius Manuſcripti Capitulo, de villanorum relevio, 2. *Chevals*, 2. *Boefs*, 2. *Vaches*, melius leguntur in altero, *u cheval*, *u buf*, *u vache*, i. e. ſive equus ſit, ſive bos, ſive vacca; *u* idem hic valente, quod Gallis modernis *ou*. De numero autem ſunt equorum octo in cap. 22. LL. Guil. I. quatuor autem in 23. Capitulo, Relevii nomine impoſitorum, quorum dimidium, cum bello forte inſervituri ſint, ephippiis, dimidium autem aucupio forſan aut venationi, ſine apparatu bellico, frænis ſc. & capiſtris ornanda; horum autem æque ac illorum in bello uſus.

(1) Juxta ſenſum loci legendum potius *Danigenis dabatur*, niſi malis *Ringemannis dabatur*; perinde ac ſi Dani olim ſic dicti (quod non reperio) ex eadem cauſa, qua Danorum literaturam Runicam indigitant, de quo vide Wormii Tract. de litter. Runica. Potius *Wicingemannis* vel *Wiccingis*, quo quidem nomine Piratæ Danici majoribus noſtris noti. Vide Henr. Huntind. fol. 201. a. & Cambd. Britan. de Danis. Conjecturæ favent verba Legis Regis Edv. Confeſſor. cap. de Danegeldo. *Danegeldi redditio* (ita ſe Lex habet) *propter Piratas primitus ſtatuta eſt*, *&c.* Vide Worm. monum. Dan. l. 4. p. 269.

(2) *Tam longe* pro impreſſ. *nam longe*. Sic etenim habetur in Legibus Regis Æthelredi apud Venetingum cap. 20. unde hoc mutuatum cenſeo, quod apud Jornalenſem ſic Latine legitur; *Tam longe debet eſſe pax Regis a portu ſuo, ubi reſidens erit, a quatuor partibus, hoc eſt, tribus miliaribus & tribus quarentenis & tribus acris in latum & 9. ped. 9. granis ordei*. Quæ Saxonice habentur in Textu Roff. fol. 38. a.

(3) Manwoodus noſter Præfatione ad ſuum de Legibus Foreſtæ Tractatum, locum hunc (correctis corrigendis) ſic exhibet: *Placita quoque foreſtarum ſatis ſunt incommoditat. vallat. ſicut de aſſartis*.

(4) En hic Canum expeditationem ætate Henrici Regis primi invaluiſſe. Fallitur igitur Manwoodus noſter commentum hoc loco genuiſciſſionis prius uſitatæ, & vulgo a poplite *Hambling* dictæ excogitaſſe primo Henricum ſecundum & vocabulo initium dediſſe, prætendens in ſuo, de quo ſupra, Tractatu cap. 16. §. 12. quem eo fine laudat Spelm. in voce.

(5) Idem forte ſtabilitas hic quod junioribus Foreſtariis (vox enim eſt foreſtica) *ſtableia*, de qua voce D. Ed. Cocus Inſtit. par. 4. p. 306. verbo *Bucſtall.* & verbo *Triſtris*. Plura (ſi placet) videas in Clar. Cowelli Interpr. in voce *Stableſtand*.

XIX. *De Justitia Regis.*

Hæc sunt quæ ad justitiam vel (1) indulgentiam Regis & fiscum censentur cum appenditiis suis, nec sine definitis prælocutionibus pertinent Vicecomitibus vel Præpositis ejus in firma sua ubicunque a quocunque in quemcunque fiant sive terra Dominica Regis, & socna sit, sive sit alterius. Omnium terrarum quas Rex in dominio suo habet, soknam pariter habet. Quarundam vero terrarum maneria dedit, sed soknam sibi retinuit singularem & communem. Nec sequitur socna Regis data maneria, sed magis est ex personis.

XX. *De Sokna & Tholet Theam* [1].

Participantium quoque causarum partim in socna, i. in quæstione sua Rex habet; partim concedit aliis. Omnis autem socna simplex est habentibus aut conjuncta. In custodia vero trina principaliter distincta; sub Præpositis maneriorum in minus [2] adjacentibus *halimotis*; sub Præpositis Hundredorum & Burgorum; sub Vicecomitibus; Archiepiscopi, Episcopi, Comites [3], & aliæ potestates in terris propriæ potestatis [4] suæ *sacham* & *socham* habent, *thol* & *theam* & *infangentheof*. In cæteris vero per emptionem, vel cambitionem, vel quoquo modo perquisitis socham & sacham habent. In causis omnibus [5] & halimotis pertinentibus super suos et in suo, et aliquando super alterius homines, præsertim si in forisfaciendo retenti vel gravati fuerint (2), et illic competentem emendationem habeant. Singulorum [6] Baronum, Senatorum, et Clericorum, Laicorum, ubicunque terram habeant sive sokna Regis sit, vel non in capitalibus quæstionibus socna Regis est, sicut a Knuti, vel Edwardi Legibus (3) per successiones posteras hæreditaria dignitas successit, nisi vel propinquante [7] vel aliqua meritorum dignitate Regis indulgentia quemcunque respexerit, cujus amanda bonitas promovet potius non evertit libertatem.

XXI. *De generibus causarum.*

Sunt etiam ut diximus [8], quædam genera causarum a præmissa singularitate licentius expedita in quarum emendationibus Rex particulariter communicat ubicunque fiant in divinis vel secularibus super regios et ecclesiasticos, et Baronum homines, et acefalos, et pauperes, sive socham totaliter habeat vel particulariter; ex quibus sunt adulterium, homicidium in Ecclesia factum, Infractio pacis, vel ordinis, vel Christianitatis, vel legalitatis, si cogi oporteat per mundanam potestatem ut rectum fiat.

XXII. *De Grithbriche & Hamsocna* [9].

Sæpe etiam ex justitia placitantium causæ transeunt in jus aliorum (4) ex aggeratione [10] rerum, ut qui nominant et promittunt [11] *Grithbreche*, vel *Hamsocnam*, vel eorum aliquid quod socham et sacham eorum excedit ipsa nodi cupiditate Præpositi dum ad Wytam castigatius posset inflecti; deforciatione recti, *miscravatione*, præsumtis accusationibus tarditate, ut qui in præfectura vel qualibet potestate constitutus sæpe differt exigere dum licet quod sæpe cum labore frustraque prosequitur destitutus, transeunt autem in mislocutione, i. e. *Miskenninge* quæ magis inhorruit in Londonia.

XXIII. *De Forisfacturis.*

Siquis *Blodwytam*, *Fightwytam*, *Legerwitam*, et hujusmodi forisfaciat, et inde veniat sine dividiatione [12] vel calumpnia (5) placitum Domini sui est. Nemo etiam de cæsione nemoris inoperti jure cogitur respondere

1 Deest titulus in Mss. Scacc. Ms. Seld. tantum habet *de Socna*. 2 Pro *minus* Ms. Scacc. iis, & Ms. Lond. *causis* legit. 3 *Comites* deest in Ms. Lond. 4 *Potentatus* Ms. Scacc. pro *potestatis*. 5 *Communibus* Ms. Lond. pro *omnibus*. 6 *Denique* addit Ms. Lond. 7 *Propinquitate* legunt Mss. Seld. Twysd. & Lond. 8 *Ut diximus* deest in Ms. Lond. 9 *De Grindebreche* Ms. Lond. 10 *Aggregatione* Mss. Seld. Twysd. & Lond. 11 *Permittunt* Mss. Seld, Twysd. & Lond. 12 *Dijudicatione* Ms. Lond.

---

(1) Ad causas & negotia hic respicit Legislator, quæ in cap. 10. & seq. hucusque enumerantur.

(2) Simile habemus postea cap. 27. e clar. Seld. Tit. Honor. par. 2. c. 5. p. 626. de vavasoribus verba faciente integre citato. Quod autem scriptum occurrit hic *gravati*, scribendum reor *cravati*, & similiter alibi in his Legibus non semel scriptum reperitur. Verbum autem quid significet, & unde dictum sit, quære in Glossario sub finem operis. Quod ad retentionem attinet, pluries in his Legibus obviam vide Leges Burg. apud Scotos c. 80.

(3) Vide Leges Cnuti par. 2. cap. 12. 13. 14. quo (ni fallor) respicit Legislator noster in sequentibus, *nisi vel propinquitate vel aliqua meritorum dignitate Regis indulgentia quemcunque respexerit*: quo tendunt hæc in cap. 12. & 14. memoratis *butan be hwæne furthor gemædrian wille*. Huc pertinet illud Bractoni l. 3. Tract. 2. c. 8. n. 3. *Nisi sit*, inquit, aliquis in regno qui regalem habeat potestatem in omnibus, sicut sunt Comites Paléys (ita locum legit Cl. Seld. Tit. Honor. par. 2. c. 5. p. 639.) *salvo Dominio Domino Regi sicut Principi, vel si sit aliquis qui de concessione Regis talem habeat libertatem*, &c.

(4) Hac de re vide cap. 9.

(5) Doct. Spelm. in Glossar. verbo *Lairwoite* habet hæc *sine dijudicatione & calumnia*. Hæreo. Dividiatione (divisionem intelligo) magis placet, præsertim cum post causarum participantium in præcedentibus Catalogum, res, causas & crimina, in quibus cujusque propriis (manerii sc.) Dominus solummodo absque participe, seipsum immiscet, & mulctas inde reportat, Legislator hic recenseat. Nisi malis, sine divadiatione, i. e. sine vadio dato sistendi se alibi coram Judice nimirum loci, ubi deliquit, & damnum, si reus foret, resarciendi. Adstipulantur tradita in c. 41. 52. 57. 62. & placito apud Pinendenam in Clar. Seld. Notis ad Eadm. p. 199.

dere per *Withertibtlam* (1), nisi Domino suo vel captus in eo. Idem dicimus de commissis Monacho, Monachæ, Sponsæ, Pueris, Servo, Ancillæ sine legitima Prælatorum suorum licentia. De Monacho quem obedientiarium fecerint, respondeat Abbas ejus per omnia sicut rectum sit. Eorum etiam est consecutio et reductio furum sine calumpnia. Receptio quoque fugitivi secundum Legem quæsiti quicquid referat præter furtum.

XXIV. *De judiciis fiscalibus* [1].

Super Barones Socham suam habentes habet Judex fiscalis justitiæ Legis observantiam, et quicquid [2] peccabitur in eorum personam. Nemo enim forisfacturam sui ipsius habuit, sed fortasse Dominus ejus. Et qui furem ei promisit vel roberiam, vel pacis fractionem, vel deinceps similia accusatum convincat, vel inde componat, et si forisfaciant emendent sicut alii. Nullus enim socnam habet impune peccandi. Si [3] Præpositus regius in terra socam habentium forisfactum prior sciat, non tamen habeat nisi socnam illam excedat.

XXV. *De privilegiis Procerum Angliæ*.

Si exurgat placitum inter homines alicujus Baronum socnam suam habentium, tractetur placitum in Curia Domini sui de causa communi [4]. Si est inter homines duorum Dominorum socnam habentium respondeat accusatus in Curia Domini sui (2) de causa communi.

XXVI. *De Furti placito*.

Defensor aut Dominus de furto pulsatorum si semel aut amplius respectaverit erga vicinum diem vicinaliter, et absque justitiæ majoris authoritate condictam, curiam suam perdet; pulsator autem quos pulsaverit ad majorem audientiam protrahendi potestatem accipiet. Porro qui accusantur præsertim pro capitalibus si diem sic condictum subterfugiant respectatum, partem suam et si non mortuam faciunt tamen ægriorem. Planum est denique pro tali causa conductum [5] diem, nec semel quidem salva Curia Vavassoris licere respectari; nec actionem hujus sine regiæ potestatis Ministerio debere finiri; quæ magis vitanda sunt, si quis de furto seisiatus sit, si Lex inde jam judicata sit, coram Regis ministerio [6] causa fuerit (3).

XXVII. *De libertate Vavasor*.

Habeant autem Vavassores qui liberas terras tenent placita quæ ad *Wytam* vel *Veram* pertinent super suos homines et in suo, et super aliorum homines si in forisfaciendo retenti vel gravati fuerint.

XXVIII. *De æquo judicio faciendo*.

In omnibus agendis inoffensus esse debet judicum affectus, non suspectus [7]; gravius enim lacerantur pauperes (4) a pravis judicibus quam a cruentis hostibus (5); et diligentia testium et personarum omnium digna Dei auribus perscrutatione pensanda est ut idonea sit, et cui ab adversario jure contradici non possit; et ipsi coagentes frequenter interrogandi sunt an amplius aliquid dicere velint, an inde judicari, quia multa per surreptionem eveniunt. Tanto enim majus est periculum judicantis quam ejus qui judicatur, quanto ex verbis Domini judicium super alios habitum nobis scimus reservari, et licet infinita delinquentium multitudo modum miserationis incommodet, uno verbo concludimur [8], *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*.

XXIX. *Qui debent esse Judices Regis*.

Regis Judices sunt Barones Comitatus (6), qui

1. Ms. Scac. duo habet Lemmata hujus Capitis, De Judiciis fiscalibus, De Judicis fiscalis jure. 2 *Siquid* Ms. Lond. 3 Ms. Lond. *sed* pro *si* 4 *De causa communi* deest in Ms. Lond. 5 *Condictum* Mss. Seld. Twysd. & Lond. 6 *Ministro* Ms. Lond. 7 MS. Lond. *Judicium*, omittendo *affectus non suspectus*. 8 *Concluduntur* Mss. Seld. & Twysd.

(1) Per nemus inopertum intelligo nemus sepibus, aliisque sepimentis prædatorum invasionem obstare valentibus carens, ideoque ingressui publico, omniumque prædis & rapinis obnoxium. De *withertibtla* vide Glossar. in fine operis.

(2) Institutum sane Juri tam Civili quam Pontificio concordat, quæ actorem volunt sequi forum rei. Vide Matth. Steph. de offic. Jud. l. 1. c. 8. n. 10. *Procerum* hic in titulo Capitis appellatione, qui habendi, vide apud Spelm. verbo *Baro*.

(3) Quod ad præsentiam ministri Regis attinet, vide Leges Æthelredi cap. 2. Leges etiam Edo. Confess. cap. 9. & Glanvill. l. 14. c. 1. fol. 113. b.

(4) Excerptum hoc videtur e Legibus Æthelredi Regis apud Habam a Doctiss. Spelman. in Concil. Tom. 1. p. 532. in lucem editis, ubi sub titulo *de officio Judicis* verba hæc habentur ipsissima. Quo quidem in Capitulo hæc corrigenda, sc. lin. 6. pro *rectori* lege *recitari*, lin. 8. pro *excitant* lege *excæcant*, lin. 18. pro *pravos judices* lege *pravos inimicos*, lin. 29. pro *accedere* lege *attendere*.

(5) Vide cap. 33. 34. Ex dictis Isidori Burchard. Decret. lib. 16. c. 26. Vide LL. Æthelred. de officio Judicis. Concil. Spelm. Tom. 1. p. 532.

(6) Quomodo iste locus (cui consimilis antea c. 9.) sit intelligendus, vide Spelm. Glossar. verbo *Barones Comitatus*, p. 84. 85. *Bractonus* lib. 3. Tract. 2. c. 1. n. 1. qualiter procedere debeant Justitiarii in itinere suo, & quo ordine, verba faciens, de majoribus loquitur de Comitatu, *qui* (inquit) *dicuntur Busones Comitatus*: quæ verba (qui dicuntur Busones Comitatus) desiderantur (inquit Spelm.) in Codice nostro MS. Expresse ratum habet verbum *Busones* D. Edw. Cocus Instit. par. 4. p. 185. etymologia ibidem adhibita, violenta licet. Certe variam loci lectionem in libri ini-

qui liberas in eis terras habent, per quos debent causæ singulorum alterna prosecutione tractari (1); *Villani* vero, vel *Cocseti*, vel *Pardingi* [1], vel qui sunt hujusmodi viles, vel inopes personæ, non sunt inter Legum Judices numerandi, unde nec in Hundredo, vel Comitatu pecuniam suam vel Dominorum suorum forisfaciunt, si justitiam sine judicio dimittant, sed summonitis terrarum Dominis inforcietur placitum termino [2] competenti si fuerint vel non fuerint antea summoniti cum secuti jus æstimatis [3]. Qui ad Hundredum summonitus sine aliqua et vera necessitatis causa venire noluerit, capiatur de suo xxx. denar. valens prima et secunda vice, et in Hundredo namium sit (2), per plegium vero dimittatur ad diem disrationandi vel emendandi, et seisiatus placitet, et sit pro suo capitali, et non ducatur hoc namium extra Hundredum (3). Qui ad Comitatum secundum Legem summonitus venire noluerit, viginti marc' culpa sit in Westsexa, et si de nominatis placitis implacitatus non erat, termino conguo causæ suæ prosequendæ facultatem habeat. Si de nominatis placitis terminum non susceperat, nisi competens soinus [4] eum detineat, si non venerit omnium reus sit, de quibus placitum nominatum suscepit. Si opus est, licet in placitis Judicibus qui adsunt respectare placitum ex abundanti [5] donec Senatores absentes interesse possint, vel ipsi judicium inquisierint, nec jure cogendi sunt ad judicandum quod nesciant judicium inde,

XXX. *De libertate Procerum in placito Comitatuum.*

Si quis Baronum Comitatus contra Vicecomitem placitet, potest retinere suos homines a judicio tum [6] maxime, si tamen de eo teneant nisi de furto, vel de illis sit qui simul abjuravimus,

XXXI. *De capitalibus placitis.*

In summis et capitalibus placitis unus Hundredus vel Comitatus judicetur a duobus, non unus duos judicet, Si inter Judices studia diversa sint, ut alii sic, alii aliter fuisse contendant, vincat sententia meliorum, et cui justitia magis acquieverit, Interesse Comitatui (4) debent Episcopi, Comites, et cæteræ [7] potestates, quæ Dei Leges et seculi negotia justa consideratione definiant (5). Recordationem Curiæ Regis (6) nulli negare licet, alias licebit per intelligibiles homines placiti, et nemo de capitalibus placitis testimonio convincatur (7). Si quis Judices suspectos habeat, advocet aut

1 *Ferdingi* Ms. Scacc. 2 *Testimonio* pro *termino*, MS. Lond. 3 *Securius estimasset*. Ms. Seld. 4 *Essoinus* Mss. Seld. Twysd. & Lond. 5 *Competenti* Mss. Seld. Twysd. & Lond. 6 *Tum* deest in Ms. Lond. 7 *Ecclesia* Ms. Lond. pro *catera*.

---

initio interim minime advertebat, ubi plane, quod hic *Busones*, *Barones* legitur, & sic legendum censeo. Milites Comitatuum vocat hos Charta libertatum Regis Johannis apud Matth. Parisium, p. 257. Huic autem par est Institutum illud in veteri Norman. Custumario cap. 9. & 123. edit. lat. ubi locorum citatorum priore hæc: Judiciarii autem sunt discretæ personæ & auctenticæ, qui Judicium proferunt in Curia de auditis, ut Archiepiscopi & Episcopi, & Ecclesiarum Cathedralium Canonici, & aliæ personæ in Ecclesiis dignitatem obtinentes Abbates & Priores conventuales, & Rectores Ecclesiarum, quos fama discretionis ac honestatis fide dignos efficit ac commendat. Baillivi siquidem atque milites omnes & servientes spadæ principales & seneschalli Baronum, quos honestas atque discretio fecerit fide dignos. Altero autem loco sic: Recordatores autem dicuntur omnes personæ in Curia assistentes, per quos Curiæ recordatio valeat celebrari: ut Princeps Normanniæ, Archiepiscopi, & omnes personæ dignitatem seu personatum habentes in Ecclesia Cathedrali, Abbates & etiam Priores Conventuales, Comites, Barones & omnes milites, & omnes Principes-Justiciarii, Vicecomites & etiam spadæ servientes, & magnæ famæ homines, quos vitæ meritum & prudentiæ honestas fecerit fide dignos.

(1) Ecclesiastic. 38. 25. 33. supra c. 9. Burchard. lib. 16. c. 26. Judices quales debent esse. Exod. 18. 21. Deut. 1. 13.

(2) Quod sequitur (opinor) additur, ne *vetitum* (ut vocant) *namium* contraheretur, de quo vide Bracton. de corona c. 37.

(3) Unde pignus vel rem eo nomine prehensam aut captam extra Hundredum, i. e. Centuriam ut vocant, abigere inter Juris nostri municipalis corruptelas ab Horno in suo Justiciariorum speculo cap. 5. Sect. 1. enumeratas locum obtinet, num. 78.

(4) Sumptum est hoc ut videtur e Legibus Edgari cap. 5. & Canuti par. 2. c. 17. Hac autem de re plura, si placet, videas Clar. Somner. in antiq. urbis Cantuar. c. 350. & hic retro c. 7.

(5) Filium hic habes contra patrem; adversantur enim hæc Sancito illi Guiliel. 1. patris Legislatoris nostri, quo Sacrum a Civili discriminavit forum. Etenim florente Saxonum imperio, una agebantur quæ ad forum pertinent Ecclesiasticum & quæ ad seculare, donec Guilielmus Conquestor divisis Jurisdictionibus, hanc ab illa separavit. De quo vide Clar. Seldeni ad Eadmerum Notas pag. 166. & Spelman. Glossar. in voce *Hundredus*, ut plures alios mittam.

(6) Simile habes postea cap. 49. vide etiam Glanvill. lib. 8. c. 9. & Vetus Norman. Custumar. c. 121. in Gallico, in Latino autem c. 123. quibus adde hæc e relatione Judicii a Baronibus in Thomam Archiep. Cantuar. lati, e Stephanide excerpta, & per Clar. Seldenum Tit. Honor. par. 2. cap. 5. p. 706. exhibita. *Archiepiscopus autem quia sententiæ vel recordationi curiæ Regis Angliæ non licet contradicere sustinuit.* Vide etiam Leges Guiliel. primi (in Ingulpho) cap. 25. extrem. De verbis autem hic postremis (*alias licebit*) vide eund. Glanvill. l. 12. c. 7. & D. Edo. Cocum Instit. par. 1. fol. 117. b. & fol. 168. b.

(7) Sensum loci petas e cap. 48. ubi hæc: *Nec liceat Domino*, (sic lege, non *Domini*) *vel Justitiæ testibus aliquem sine contradictione vincere*. Id est, nemo condemnandus, licet testibus convincatur, nisi data prius venia se ipsum,

aut contradicat. Unusquisque per pares suos judicandus est (1), et ejusdem provinciæ, peregrina vero judicia modis omnibus submovemus (2), et quicquid adversus absentes in omni loco vel negotio, vel a non suis Judicibus agunt [1] penitus evacuetur. In quibus locis utrumque eligitur judicium medietas ab eis quorum est negotium. Et ibi testes nominati et electi sunt habendi, nisi odium vel aliquid competens in nominatione proponatur cur haberi non possunt. In Westsexa duo modi testium sunt nominati et electi, electi [2] et non nominati Judices constituti Advocati.

XXXII. *Ne aliquis judicet Dominum suum.*

Nemo solus præsumat, vel ab aliquo cogatur judicium celebrare, nec summorum quispiam minorum judicatione dispereat; nemo (3) Dominum suum judicet, vel judicium proferat super eum cujus ligius sit. Si etiam de Principis causa sit, si dominus placitet contra hominem suum, potest in consilio suo Judices habitos informare si opus sit.

XXXIII. *De placito tractando.*

Si quis in Curia sua vel in quibuslibet agendorum locis placitum tractandum habeat, convocet pares (4) & vicinos suos ut inforciato judicio gratuitam, & cui contradici non possit, justitiam exhibeat (5). Defectus quippe justitiæ & violenta recti eorum destitutio est qui causas protrahunt in jus regium vel jurisdictiones [3] Dominorum. Injusto quoque judicio contradici poterit *Wemminge* majori & sapientiori, præsertim si in redditione fuerit advocatum. Si vero sine calumpnia reperiatur, & deinceps causam illam quis reformare cupiat, non procedet in sceleribus ut opus sit Judicibus narrationes repetere Judicii, maxime si Dominus querimoniæ interfuerit, vel Dapifer, vel Minister ejus, vel congruum inde terminum tunc habuit. Si Dominus placitet contra hominem suum, respectare [4] potest, & differre dum velit, quia non frangit nisi major justitia intersit. Erga parem, vel vicinum suum, vel alterius hominem agens, viderit ne pro recti penuria sine judicio dimittat eum tertio quia Curiam suam inde perderet, & placitum emendaret. De libro *Theodosianæ* Legis injuste victus infra tres menses reparet [5] causam [6]. Quod si neglexerit sententia collata perseveret (6). Judices sane non debent esse nisi quos impetitus (7) elegerit. *Augustino* juris forensis est, qui in impetitionibus mentitus est, non ei prosit quod impetravit. *Jeronimo* æquum judicium est ubi non persona sed opera considerantur.

XXXIV. *De placito tractando in justo judicio* [7].

Si quis ira, vel odio, vel timore, vel amore, vel cupiditate, vel quoquo respectu J. (8) injustum judicet, vel utlagam constituat, centum viginti solid. culpa sit [8], *thegenscypes* (9) honore & omni judiciaria dignitate privatur, nisi se erga Regem redi-

1 Ms. Lond. *agitur*. 2 *Electi* deest in Ms. Lond. 3 *Dicionem* Ms. Lond. 4 *Representare* Ms. Lond. pro *respectare*. 5 *Quod es reperet* addit Ms. Scacch. 6 *Suam* addit Ms. Lond. 7 Ms. Lond. *De forisfacto judicio injusto*. 8 *Thegenscypes* omittit Ms. Lond. & pro eo *honore* ponit.

ipsum, si valeat, defendendi, & probationes vel testimonia in ipsum allata improbandi, juxta illud in Capitul. Kar. & Lud. Impp. l. 70. c. 130. Nemo debet judicari aut damnari priusquam accusator præsens habeatur, & spatium non modicum defendendi accipiat accusatus ad abluenda crimina. Simile habes retro cap. 5. *Nec oportet quemquam judicari*. Vid. Magna Charta c. 29.

(1) Notanda hinc antiquitas Judicii apud nos per Pares. Longe tamen altius peti potest, a Legum sc. Inæ cap. 55. & alibi. Hac autem de re vide D. *Edw. Cocum*, Institut. par. 2. pagg. 28. 48. 49. 50. & Feudistas de Paribus Curiæ, imprimis *Lindenbrog*. Glossar. in voce *Pares*.

(2) Inculcatur hic quod prius institutum c. 5. Concordat Capitul. Kar. & Ludov. Impp. l. 7. c. 230. *Peregrina* (inquiunt) *judicia generali sanctione prohibemus*, &c. Quæ sequuntur ibi e synodo Nicæna petuntur, ut in Doct. Spelm. Concil. Tom. 1. pag. 273. c. 141. videre est.

(3) Magna Charta Regis Johannis apud Matth. Paris. Anno 1215. de persona Regis, Reginæ & liberorum expressa cautio habetur,

(4) Vide cap. 28.

(5) Vide cap. 59.

(6) Habe hic integram Legem e Codice meo Theodosiano Edit. Basil. An. Dom. 1528. lib. 2. Tit. 9. de reparationibus appellationum, Imp. Valent. & Valens AA. ad Modestum P. F. P. " Reparatis intra mensem tertium „ ex priore Lege temporibus in notitiam hoc „ ipsum adversarii per denuntiationem ex more „ celebrandam jubemus sine dilatione perferri, scilicet ut interjectorum spatiorum di„ numeratione servata ad debitum partibus „ judicium revertantur. Quod si is, cui repa„ rata sunt tempora, ultra dinumerationem cre„ diderit differendum, lata adversus eum sen„ tentia roboretur, atque in executionem se„ mel judicata judicantur. Dat. &c.

(7) Vide supra cap. 5. & Spelm. p. 273. cap. 141.

(8) Pro R. in impress. lego J. quo judicium signari existimo; tunc autem legendum est, *vel quoquo respectu judicium injustum judicet*. Loci quidem (plures enim sunt) unde, ut verisimile est, hoc derivatur (videl. Leges Edgari par. 2. c. 3. & Cnuti par. 2. c. 14.) sic satis manifeste volunt: ad eosdem Lectorem remitto, qui uti hunc locum enucleant, ita etiam illorum ope (Legibus 2. 3. & 16. ejusdem Canuti superioribus additis) Leges illas Guiliel. primi (in Ingulpho) cap. 15. & 41. inde etiam petitas, adhuc obscuras, quin intelligat, ne dubitet.

(9) Mendose in impress. scribitur *d' gens cypes* pro *thegenscypes*, Saxonice *thegnescypes*, quo vocabulo (largo saltem sensu) dignitas Judiciaria significatur, unde non immerito in quibus-

dimat sicut in ejus misericordia erit. In *Denelaga labslutes* nisi super sancta jurare poterit quod melius & rectius nescivit sive in Comitatu, vel quovis placito Regis fiat de sua, vel alterius causa, vel inter compares in Curiis, vel divisis, vel locis suis, vel inter Dominum & hominem suum, ubique sit interdictum. Pensandum est etiamsi de pecunialibus, vel capite plectendis actionibus, & an scienter vel inscienter hoc acciderit. Sæpe enim culpa malum aggravat, & *weræ* vel *wytæ*, vel *labslitæ* discrimen infert. Si quis injustum judicet (1) vel affligat, *wera* componat. Qui justum judicium ordinabiliter habitum (2), & legitime redditum improbaverit, si Regis actio sit *overseunesse* judicetur, i. L. sol. in *Westsexa*. Si erga Comitem XL. sol. erga Hundredum XXX. sol. ex V. denar. (3), qui faciunt V. mancas (4) ut solid. denar. XII. [1] computetur, & deinceps in aliis æstimetur sicut eorum *overseunessa* erit (5). Vadium affirmandi vel contradicendi judicium in redditione debet dari. Si quis in placito per justitiam [2] posito (6) sui vel suorum causam injustis conterminationibus vel contrapositionibus disforciet, hanc perdat, & de cætero rectum faciat sicut Hundredo vel Judicibus videbitur idoneum, & nemo apud Regem proclamationem faciat de aliquo (7) qui ei secundum Legem rectum offerat in Hundredo suo. Qui aliquem erga justitiam (8) accusabit & præsertim in quibus convictus vitæ jacturam vel honoris detrimentum pateretur & mendacium denique pernoscatur, linguam perdat, vel *wera* sua redimat. Cum hoc autem ubique notandum sit in domino et magistro maxime detestandum erit. Qui prævaricator vel eversor conscriptæ Legis extiterit (9) *weræ* suæ culpa sit prima vice, Dacus, Anglicus, quicunque sit, secunda vice dupliciter, qui tertia vice præsumpserit quicquid habet perdat.

XXXV. *De Overseunesse Regis.*

Overseunesse Regis est in causis communibus viginti mancæ (10), quæ faciant L. solid. In Westsexa Reginæ viginti mancæ, Episcopi decem mancæ, Comitis decem Thanii, vel Baronis quinque [3] mancæ. In causis regiis *Grithbreche* C. sol. *Strethbreche* C. sol. *Forestæl* C. sol. *Hamsocne* C. sol. *Borhbreche* C. sol. et deinceps (11) sicut prædiximus emendabitur *Wyta*, *Wera*, juxta culpam potius quam personam.

XXXVI. *Qui perdant Overseunessam.*

De illis qui nominatam *Overseunessam* non

1 20 *duo denarii*. Ms. Lond. 2 In Ms. Scacch. *j*[illegible] linea scribitur, & *Justitiam* superinseritur, nec deletur *judicium*. Vide tal. supra notatum cap. 16. 3 *Th*[illegible] *vel Baronis quinque* omittit Ms. Lond.

---

busdam exemplaribus, tautologiæ evitandæ gratia omissum reor. Locus itaque forte sic legendus: *& thegenscypes, i. e. omni judiciaria dignitate privetur.*

(1) Simile sancitum habetur in Legibus Cnuti. par. 2. cap. 14.

(2) Non multum recedunt hæc a sancitis in ante memorati Canuti Lege 14. versus finem apud Jornalen. sic Latine reddita cap. 35. " Et qui rectæ Legi vel justo judicio refragabit, reus habeatur erga eum, cui pertinebit; erga Regem sit 120 solid. sit erga Comitem 60. solid. sit erga Hundredum 30. solid. sit erga singulum eorum, si sic accidat in Anglorum laga, in Danelaga Lahslihte. „ Vide Leges Guil. primi (in Ingulpho) c. 41.

(3) Vide cap. 35. 36. 39. & Glossar. infra in *Manca*.

(4) Vide cap. 93.

(5) Sensus si quæratur loci (ni fallor) idem est quod Bractono *vadium defendendi per appellatum, & vadium disrationandi per appellatorem datum*. De quo vide eum lib. 3. de corona c. 20. num. 1.

(6) Innovatur hic Lex illa Canuti Regis par. 2. cap. 24. quam his verbis exhibet Jornalensis: " Et qui in placito seipsum vel hominem suum distortis compellationibus defendere præsumpserit, habeat totum hoc forspecen, & continget de reliquo sicut Hundredo rectum videbitur. " *Conterminatio & contrapositio* hic recriminationem signant, de quibus plura infra in Glossario. Quod autem hic *conterminationibus*, in Ms. Lond. scribitur *concriminationibus*.

(7) Idem omnino instituit in Legibus suis *Edgarus* cap. 2. & *Cnutus* par. 2. c. 16. unde forte hoc desumptum. Simile etiam habetur in Legibus Guilielmi I. (in Ingulpho) c. 41. ubi hæc; *nec bene faciat querelam Regi de hoc, quod quis ei defecerit in Hundredo aut in Comitatu*. Sic versio Legis illius Latina, verbatim ad fidem earundem Legum exemplaris Normanno-Gallici ibidem e regione exhibiti. Deesse autem videtur *ne* inter *li* & *seit* in Gallico, uti inter *ei* & *defecerit* in Latino *non*, quo (uti sensus vult) rite addito exacte respondet institutum illud prioribus, unde, ut verisimile est, traductum est Legibus. De verbis satis, de re nunc aliquid. Claret hic prisci seculi ratio in justitia quærenda. *Litium enim vis præcipua* (nobilis Spelmanni verba sunt Glossar. verbo *Comitatus*; vide etiam harum Legum nobilis Editor. Præfat. pag. 1.) *tunc rure agebatur, nimirum aut in villis coram Domino villæ seu manerii aut in Hundredo, coram Domino Hundredi, aut in Comitatu coram Comite, seu Vicario ejus, quem Saxone geref & scipgerefa vocabant, Normanni Vicecomitem. Ab his ad Curiam Regis provocare non licuit, nisi deficiente justitia .... Hodie spretis Curiis omnibus rusticanis Curiam Regis inprimis advolant, imo longissima sæpe jurgia tota peragrata Anglia Londinum appetunt, rusticanis Curiis animam interea exhalantibus.*

(8) *Erga Justitiam*, id est, *Justitiarium*. Quod autem hic statuitur nihil aliud est, quam quod antiquiores in Legibus scil. Edgari Regis cap. 4. quam quidem Legem recensuit Cnutus Rex in Legum suarum par. 2. c. 15. Vide supra c. 5.

(9) Simile habes in Legibus Cnuti par. 2. cap. ult. In hoc tamen discrepant, quod hæc præsens sanctio generalis, illa particularis, Leges ejusdem Regis solummodo respiciens. Vide Leges Æthelstani c. 26. huic etiam simile reperitur antea cap. 12.

(10) Vide cap. 34. 69. 76.

(11) Se refert Legislator ad Caput proxime præcedens, ubi hæc: *Sæpe enim culpa malum aggravat*, &c.

non habent [1], ſed in quibuſdam cauſis eam perdant, honorabilius eſt, ut ſi quid in eos vel in ſuos peccabitur, armis hoc et honoribus pro modo ſingulorum emendetur. Nemo enim *Overſeuneſſam* ſui ipſius habet. Sed fortaſſe Dominus ejus: Amicitiæ tamen eſt non neceſſitatis, ut in quibus cauſis *Overſeuneſſam* ſuam quis amittit dignis ſatisfactionibus honoretur. Si talis eſt qui peccavit ut non ſit opus vel honor aliquid de ſuo excipere, laudabilius eſt, ut totum dimittatur ei, vel ſi ita procedat ut in eum vindicetur. Quod ſi juramentum placationis exigitur, juret ſicut præſens cauſa dictabit in circumſtantiis, vel paupertatis, vel qui aderunt obtentibus; quod ſi ille ſic eſſet pro hujuſmodi foriſfacto, hoc reciperet, vel hoc modo dimitteret. Quod autem in pacationem hoc modo datur aliquando competenter retineri poteſt, aliquando non poteſt [2]. Si quis alii malefactum ſuum emendaverit, vel dampnum ſuum reſtituerit, et poſtmodum ex ejus amicitia conſequenda aliquid ei cum juramento pacis offerat, ad laudem eſt ei cui offertur ſi [3] totum reddat, et non contumeliæ ſuæ ſuggeſtionem retineat. Satis enim eſſe debet ſi ex judicio foriſfactum emendavit, et pro habenda dilectione ſeipſum ei quodammodo expoſuit, ut et metuendus oſtendatur cui rectum fieri expediat, et ejus eſſe meriti cujus et amor proſit, et odium officiat. Si vero contigerit ut pro emendatione et ſatisfactione auferatur aliquid, recipi debet, et retineri poteſt ex toto vel ex parte ſicut cauſa dictaverit.

XXXVII. *De cæſione nemoris* [4].

Mundbreche, et *Blodwita*, et *Wudhew*, præter *Parcum & Foreſtam* communi emendatione componuntur Regi et Thainis, i. quinque mancæ. Si *Wudhew*, i. [5] nemoris cæſio in Parco Regis vel Foreſtæ fiat xx. [6] mancæ emendetur, niſi prohibitio [7] propenſior amplius exigat.

XXXVIII. *De* Scheldwite.

Si *Scyldwyta* [8] extra Burgum et Curiam fiat xxx. ſol. emendetur (1) Regi et Thainis, niſi de aliqua nominatim prohibitum ſit in quo Overſeuneſſæ foriſfactum accrevit.

XXXIX. *De foriſfactura ſanguinis*.

In quibuſdam locis qui *Blodwytam*, i. *foriſfacturam* ſanguinis fecerit, ſolummodo reus eſt. In quibuſdam etiam qui patitur ut nec agens impunitate ſuperbiat (2), nec contumeliatus fœdis emendationibus aſſueſcat.

XL. *De fractura* [9] *joneis*. (3)

Si *Pundbreche*, i. infractura Partici fiat in Curia Regis plena *wyta* ſit, alibi quinque *mancæ*. *Pundbreche* fit pluribus modis, emiſſione, evocatione, receptione, excuſſione, quæ tamen omnia ſecundum prælationem et ſubjectionem cauſantium multimode variantur. In omnibus enim cauſis diſtantia eſt loci, temporis, perſonæ, eventus.

XLI. *Quod unuſquiſque* Overſeuneſſam *debeat habere*.

Unuſquiſque Dominus plenam *Overſeuneſſam* ſuam habet ſecundum locum et modum culpæ de homine ſuo, et qui ſunt ejus ſuper terram ſuam. Quod ſi diverſos *Feodos* quis teneat, *Overſeuneſſam* quæ ad Feodum attinet, exinde tenentibus, et inibi foriſfacientibus faciat. Super alterius vero homines tantum unuſquiſque Baro vel Thaynus recipiat quantum redderet ei. Si quis autem ubi foriſfecerit retentus aut divadiatus ſit, plene componat. Qui reſidens eſt ad domum ſuam ſummoniri debet de quolibet placito cum teſtibus, et ſi domi eſt eidem dicatur vel Dapifero, vel denique familiæ ſuæ libere denuncietur. Si in eodem Comitatu ſit, inde ad ſeptem dies terminum habeat. Si in alia Scira ſit, quindecim dierum terminus ponatur. Si in tertio Comitatu ſit [10] tres ebdomadæ. Si in quarto, quatuor ebdomadæ, & ultra non procedit ubicunque fuerit in Anglia, niſi competens eum detineat ſoinius [11]. Si ultra mare eſt ſex ebdomadas habeat, & unam diem ad acceſſum & receſſum maris, niſi vel occupatio ſervitii Regis, vel ipſius ægritudo, vel tempeſtas, vel aliquid competens amplius reſpectet. Si quis plures manſiones de diverſis Dominis habeat, & ab aliquo eorum implacitetur, ſummoniri debet ad feodum, vel ad id quod de eo tenet ubicunque ſit non ad alterum. Si de uno Domino aliquis plures manſiones teneat ad quam [12] Dominus maluerit ſummoniri eum competenter faciat. Qui plures manſiones habet in Comitatu, ſummoniri debet a Vicecomite ad quam earum reſidens erit cum familia ſua, etiam ſi ſit agendum de alia. Si de familia ſit qui implacitatur ad rectum eum

1 *Vel habent* addit Ms. Lond.
2 *Aliquando non poteſt* deeſt in Ms. Lond.
3 *Quod* pro *ſi* Ms. Lond.
4 Deeſt hoc Lemma in Ms. Scacch.
5 *Pudhepes* Ms. Lond.
6 xxx. Ms. Lond.
7 *Propoſitis* Ms. Lond. pro *prohibitio*.
8 *Scyldyta* Ms. Scacch.
9 *De infractura partici* Ms. Lond.
10 *Sit terminus* Mss. Seld. & Twyſd.
11 *Sonius* Mss. Seld. & Twyſd.
12 *Quos* Ms. Lond.

(1) Firmante c. 40. ubi Parci infractura alibi quam in Curia Regis quinque mancis mulctatur. Quinque vero mancæ & triginta ſolidi in diebus illis ſeſe mutuo exæquabant, ut plenius docebitur in Gloſſar. verbo *Manca*. Vide etiam cap. 37.

(2) Inculcatur hoc iterum poſtea c. 84.

(3) Sic ſe habet Capitis Lemma, obſcurum quidem. Si divinandum eſt, ego potius divinarem aut *pacis* aut *parci*, quarum vocum prior ſcriptioni propior (*pa* priori ſyllaba ex tribus literis prioribus facile formata) poſterior autem ſenſui: ſed neutrum valde placet: præſtat aliis relinquere.

eum habeat in cujus familia eſt quando & ubi juſtum erit, ſi a Domino, vel Rege, vel Prælato ſecundum Legem ſit monitus ſive per breve, ſive per nuntium. Lex enim eſt ut omnis Dominus (1) ſecum tales habeat qui juſticiabiles ſint, & teneat familiam ſuam in plegio ſuo, & ſi accuſetur in aliquo, reſpondeat in Hundredo ſuo ubi compellabitur ſicut recta Lex ſit. Si accuſetur, & aufugiat, reddat Dominus ejus Regi *Weram* illius hominis. Et ſi Dominus accuſetur quod ejus conſilio fugerit, allegiet ſe cum quinque *Thainis*, & idem ſit ſextus. Si juramentum frangat ei, reddat *Weram* ſuam Regi, & qui fugit, *Utlaga* ſit. Si accuſetur itaque (2) quamdiu cum eo eſt, non dimittat illum Dominus donec ſatisfaciat. Si jam receſſerat, juret, ſi opus ſit, quod nihil inde audierat, nec ejus velle nec poſſe fuerat, nec ob hoc eum dimiſerit, nec cum eo cravatus ſit (3), ſed legitimo teſtimonio dimiſit eum (4), nam juſtum [1] eſt ut inde pacem habeat erga omnem manum, & qui peccavit, luat. Quod ſi implacitatus in aliquo refragaverit, retineat ipſum Dominus, vel de ſuo quantum ad ſatisfaciendum ſit. Juſtum ſiquidem eſt ut eum habeat ad emendandum cum quo fuit ad peccandum, & etiam ut ſi foriſfecit [2] alibi, rectum fiat ibi.

XLII. *De Summonitionibus.*

Qui ſummonitionem Regis vel communis Domini Domino, vel cuilibet perferendam ſuſceperit & dimiſerit, vel ex induſtria, vel ex inſcia emendet per judicium ſicut erit dampnum vel *overſeuneſſam*, ſi ad id reducatur, & quietus inde ſit qui ſummonebatur, & idem ad rectum ſummoneatur. Si quis vero Dapiferum, vel quemlibet Miniſtrum ita rebus ſuis præfecerit, & hoc, ubi & ſicut juſtum eſt, notificaverit, & homini ſuo committet, ut quodammodo locum ejus habeat, & quod fecerit, ratum ſit, & a Rege vel Juſtitia ejus, vel a communi utrorumque Domino de proprio ipſorum placito per eum ſubmoneatur, & idem coram teſtibus ſuſcepit ut negari non poſſit ſubmonitus judicetur, ſive [3] dictum ſit ab homine ſuo ſive non, & ſi non venerit ad placitum rectum inde judicetur; unde ſi dampnum ei evenerit, loquatur inde cum homine ſuo. Si etiam venire non poſſit, & mittat nuncium ad Dominum ſuum, mittet qui diligenter & fideliter renunciet præceptum illius.

XLIII. *Ne quis implacitatus* [4] *a Rege alicui reſpondeat.*

Nemo a Rege implacitatus cogitur per Legem alicui reſpondere, donec ei qui Dominus omnium eſt ſatisfecerit. Sic poteſt ei warrantus [5] eſſe (5) qui in ſervitio ſuo eſt. Si præpoſitus aut debitor Domini ſui eſt, quod debet reddat, aut inde componat. Neque enim juſtum eſt ut hominis ſui foriſfactum Dominus luat, nec expectari convenit ut quis eum in ſuis præveniat; penſandum tamen eſt ut ratione & conſideratione hoc fiat, ne fraudationis potius quam juſtæ repetitionis actio judicetur. Si quis a Domino ſuo ſine licentia diſcedat, *utleipa* emendetur [6] & redire cogatur ut re-

[1] *Curvatus——eum nam* deſunt in Ms. Lond.
[2] *Etiam foriſfecerit* Ms. Lond.
[3] *Sive dictum—judicetur* deeſt in Ms. Lond.
[4] Ms. Lond. *placitatus*.
[5] *Warrantatus* Mss. Seld. Twyſd.
[6] *Enim detur* Ms. Lond.

(1) Ex quadam parte hæc eadem habentur, cum antea cap. 8. tum poſtea cap. 59. Lex autem hic laudata triplex eſt: *Altera* Æthelredi cap. 1. *altera* Cnuti par. 2. cap. 28. *tertia* autem Guiliel. primi (in Ingulpho) cap. 50. de qua vide plura Scholiis ad cap. 8. & Bracton. l. 3. Tract. 2. cap. 10. n. 1. item Leges Edw. Confeſſ. c. 21.

(2) Sumptum forte hoc e Legibus *Æthelſtani* cap. 22. & *Cnuti* par. 2. cap. 25. quibus concordant Leges Guiliel. primi (in Ingulpho) c. 47. & 49. Inſtitutum hoc Bractoni ævo nondum antiquatum. Vide eum ubi ſupra.

(3) Id eſt forte ſervi vel familiaris ſui culpæ non conſentiit, nec cum eo de eadem celanda ex parte convenit. In re furti, pars damnum paſſa, quæ emendam vel compenſationem ceperit ſine conſideratione Curiæ Domini Regis, id eſt, extrajudicialiter, & Curia inconſulta *Theſtbati* ut vocant, reus eſt. Vide Coci Inſtitut. par. 3. pag. 134. quo tendit Lex Æthelſtani. Huic autem multum affine illud in Legibus Edw. Confeſſ. cap. 27. *purgabit ſe Sacramento de conſilio & de facto;* nec multum diſtat Lex illa Guilielmi primi, *purgent ſe quia in evaſa nullam fraudem noverint*. Hæc autem vera, ſi curvatus hic, non ſit rectius ſcribendum *cravatus*, de quo vide Gloſſarium infra.

(4) De modo ſervos dimittendi admittendique, conſulas velim Leges Æthelſtani c. 1. De receſſu autem extranei in burgo vel villa hoſpitio excepti, vide aſſiſas apud Clarendon. in Clar. Seld. Jan. Angl. p. 516. §. 68. "Nulli liceat neque in burgo neque in villa hoſpitali aliquem extremum ultra unam noctem in domo ſua habere, quem ad rectum tenere noluerit, niſi hoſpitatus ille rationabile eſſonium habuerit, quod hoſpes domus monſtret vicinis ſuis, & cum receſſerit coram vicinis recedat & per diem." Huc pertinet illud Bractoni, qualiter procedere debeant Juſtitiarii in itinere ſuo, & quo ordine, verba facientis, ſcil. lib. 3. Tract. 2. c. 1. n. 1. ubi hæc: *Jurabunt etiam (omnes ſcil. tam milites quam alii, qui ſunt quindecim annorum & amplius, ut pag. habetur præcedenti) quod nullum de nocte recipient in domum ſuam ad hoſpitandum, niſi bene notus ſit, & ſi forte ignotum aliquem hoſpitaverint, quod non permittent eum in craſtino recedere ante clarum diem, & hoc ſub teſtimonio trium vel quatuor proximorum vicinorum*. Tanta adeo fuit priſcorum in ſervis imo & hoſpitibus admittendis & dimittendis providentia, celebratione non indigna. Quod autem ad hoſpites attinet, vide plura, ſi placet, in Legibus Edo. Confeſſ. c. 27. & eund. Bracton. libro & Tract. memoratis c. 10.

(5) Videatur hac de re Glanvilla l. 1. c. 27. & Term. Juris in voce *Protection*.

rectum per omnia faciat. Qui ſibi igitur facit Advocatum contra Dominum ſuum per ſuperbiam, perdat quod de eo tenet. Si quis hominem habeat qui ei nolit eſſe ad rectum, ſi quid de eo tenet poſt legitimam ſummonitionem ſaiſiari faciat. Si quis diverſos diverſorum feodos teneat de eo quod ad eorum feudum pertinet cum ſingulis componat, & de rebus alterius alteri non intendat. Quotcunque Dominos aliquis habeat, vel quantumcunque de aliis teneat ei magis obnoxius eſt, & ejus reſidens eſſe debet cujus legius eſt. Si multis homagium fecerit, et ab aliquo eorum captus et implacitatus ſit, ille cujus reſidens et legius eſt, erga quoslibet alios jure poteſt eum plegiare, nec debet ei denegari, qui *Manbotum* inde haberet, et cui ipſe magis acquieverit. Qui furtum fecerit, qui proditor Domini ſui fuerit, quicunque ab eo in obviatione hoſtili, vel bello campali fugerit, vel victus erit, vel feloniam fecerit, terram ſuam foriſfecit, Si Dominus terram ſuam vel feodum ſuum auferat homini ſuo unde eſt homo ſuus, vel ſi eum in mortali neceſſitate deſerat, ſupervacue foriſfacere poteſt Dominus ſuus erga eum; ſuſtinere tamen debet homo Dominum ſuum, ſi faciat ei contumeliam vel injuriam ejuſmodi in *Werra* triginta dies in pace, unum annum et unum diem, et interim privatè, per compares, per vicinos, et per domeſticos, et extraneos, per Legem require [1] eum de recto.

XLIV. *De plegiis Dominorum ſuorum.*

Si quis a Domino ſuo miſſus ſit in plegium, et oſtendere poſſit quod ei (ex ſponſione [2]) vel fidejuſſione illa dampnum venit, non cogitur ex Lege de quavis pecuniali implacitatione (1) reſpondere ei donec totum reſtituat quod amiſerit pro eo. De contumelia vero Domini ſemper eſt homini ſuo reſpondendum prima vice etiam ſine alio compellante. Deinde qui Sacramentum vel Legem abnegandi vult habere, quærat accuſantem.

XLV. *De inculpationibus.*

Multæ ſunt et multorum inculpationes, in quibus non neceſſe eſt ſecundum Legem reſponderi, ut quavis compellatione ſimplici promptum eſt inveniri. Simplex enim et vacua compellatio eſt ubi ex neutra parte compellantis ſcilicet aut compellati teſtis eſt, nec cauſa hujus [3] quæ bello, vel judicio, vel Lege ſacramentali, vel timore, vel amore mereatur [4] promereri (2). Et ſi quis Monacho vel Monachæ (3), ſervo vel ancillæ, ſine Prælatorum ſuorum licentia aliquid committat ut negaverit, nil recipiat. Item ſi quis ſponſæ, vel puero, vel puellæ ſine permiſſu Domini ſui quamcunque commendationem, vel aliquam commutationem, vel traditionem fecerit, non opus eſt eos vel eorum Dominos reſpondere ſuper hiis, ſi complaceat abnegare quamdiu ſub virga ſunt; et de nemore inoperato (4) per *thiblam* nemo reſpondeat niſi ſit ibi captus, vel ſit homo ejus cujus eſt nemus. Et ſi quis diligiatus (5) legalem [5] hominem accuſet, funeſtam dicimus vocem ejus.

XLVI. *De implacitatis a Dominis.* [6]

Si quis a Domino ſuo, vel juſtitia per ſuam vel alterius ſuggeſtionem implacitetur, ſubmoneatur ad ſeptem dies in eodem Comitatu, de nominatis vel innominatis placitis, & ſi Lex Domino vadietur, differat cætera placita donec Lex deducatur per Burgi Legem. Niſi de furto, vel capitalibus ſit in quibus ſtatim oportet reſponderi, de quibuſcunque implacitetur aliquis, *furſt* & *fondung* habeat (6). Et nominentur ei placita, & inde ad ſeptem dies reſpondeat quod

1 *Requireret* Mss. Seld. Twyſd. & Lond. 2 *Ei* deeſt in Ms. Lond. Ms. Scacc. *exponcione*. 3 Mss. Seld. Twyſd. & Lond. *hujuſmodi* pro *hujus* habent. 4 Ms. Scacc. *promone. promoveri*, ut aperte *promereri* Ms. Lond. 5 *Legalem* deeſt in Ms. Lond. 6 *Dominorum* Ms. Lond.

(1) Simile habes in magno, ſive veteri (ut vocant) Norman. Cuſtumar. c. 60. fol. 75. a. quod in latina ejuſdem editione ſive verſione ſic ſe habet. *Reſidentes vero homines per Vicecomitem, & in aſſiſis comitatus Dominium ſuum* (vel *Dominum* juxta Gallicum) *plegiare tenentur, ad expenſas tamen ejus, & ipſe eos indempnes ſuper hoc reddere tenebitur. Et ſi eos* (deeſt *damnum* juxta Gallicum exemplar) *incurrere de plegiatione permiſerit, non tenebuntur ipſum ulterius nec amplius plegiare, quouſque ſuper illa plegiatione & damnis & perditis ſatisfactum fuerit evidenter.*

(2) De quo vide plura infra cap. 59.

(3) Ex quadam parte derivatum hoc videtur ex Legibus *Ælfredi* c. 20. Quod ſtatim legitur, *ut negaverit*, legendum puto *& negaverit*, niſi malis *& amiſerit*, juxta citatæ Legis verba: *and bit him loſige*, i. e. (Jornalenſi interprete) *& amittatur*. Lectioni favet Lex quædam hac de re per Cnutum lata, & inter Inſtit. ejus in Textu Roffen. reperta, quæ talis. *Et ſi quis commendaverit alterius Monacho pecuniam, aut aliquid tale ad cuſtodiendum ſine licentia Prælati ſui, & Monachus illud perdiderit, ſit illi perditum qui ſine licentia Prælati ejus Monacho commendavit.*

(4) Repetitionem ſapiunt hæc ſuperius Decretorum cap. 23. Vide Scholia ibid.

(5) Locum hunc advertit nobilis Spelman. in Gloſſar. verbo *Diligiatus*, unde ſenſum petas, inſerto ibidem quod deeſt, *legalem*, inter *diligiatus* & *hominem*.

(6) Locum exhibet Spelm. in Gloſſar. ſub vocibus *Furſt* & *Fandung* nulla omnino expoſitione adhibita. Defectus diſtinctionum (ut opinor) præcipue in cauſa fuit. Voces, fateor, *Furſt* & *Fandung* niſi hic nuſquam, quod ſciam, ſimul occurrunt. Reſtituta autem modo quo ſupra vera loci lectione ſenſum eorum facilius exploremus, quem vide in Gloſſario huic operi addito.

quod velit. Si [1] autem hoc vel alio modo ventum erit ad placitum, sive contra Dominum, sive contra alium, tacite se implacitari patiatur in omnibus vel quodlibet [2] placitis super eum. Et si quis de felonia compelletur, remaneat de cætero donec inde finiatur. In aliis quærat accusatus consilium, & habeat, & ab amicis & a parentibus suis, quod nulli jure debet defendi maxime eorum quos secum adduxerit, vel ad placitum suum rogaverit, & si [3] in consilio suo fiducialiter rerum veritatem fateatur, ut de placito vel de pace salubrius videatur. Bonum autem est ut cum alicujus [4] implacitatio reddatur cum emendatione dicendum prædicatur, ut si forte perorator, vel super adjecerit aliquid, vel omiserit, emendare liceat ei. Sæpe enim fit ut in sua causa quis minus videat quam in alterius, & in ore alterius plerunque poterit emendari quod in suo non liceret.

XLVII. *De Causis criminalibus vel capitalibus.*

De furto & *murdro* (1), & proditione Domini, & *robaria*, & *utlagaria*, & [5] *husbreche*, & *bernet*, & falsaria, & causis criminalibus vel capitalibus, nemo quærit consilium, quin implacitatus statim perneget sine omni petitione consilii cujuscunque Nationis vel conditionis sit, vel ejus affirmationem vel negationem defensor, aut Dominus prosequatur competenti termino comprobandam.

XLVIII. *Quomodo possunt uti consilio.*

In aliis omnibus potest & debet quilibet uti consilio in consulendo (2), etiam consulte agere consilium est. Si quis enim a justitia Legis implacitatus ad consilium exierit, & ad inculpationem non responderit, xx. marc' vel *Overseunesse* Regis culpa sit. Quum itaque aliquid habetur in implacitationibus prætendendum in inculpationibus ostendatur, & ad consilium de implacitatione non exeat qui placitare non deliberat, auditum [6] enim est, qui sine contradictione vel præoccupatione super implacitationem exit ad consilium, intrat in placitum, & de quibus non responderit, concesserit. Si totus Comitatus, vel VII. Hundreda super aliquibus implacitentur, & ad aliquem specialiter, vel singulariter inculpatio dirigatur, petat ut ei Comitatum suum qui ejusdem esse dicitur, habere liceat, & cum eo respondeat, ut sicut omnium una est inculpatio, una emundatio vel emendatio sit [7], si eis alternatim verum de se testantibus, quia Francorum & Anglorum plenum est testimonium, ita visum sit. Si secus est, eligantur de melioribus juraturi, secundum rei meritum [8] & causæ modum. Nec aliquis Baro solus de Hundredo, vel de eo placitet quod ad plures pertinet. Nec liceat Domino vel justitiæ testibus aliquem sine contradictione vincere (3). Si quis [9] in Comitatu (4), vel in quovis placito per justitiam dictum factum ne negetur, per homines qui interfuerint, & per alterius Domini testes agatur. Et de omni causa ubi plures fuisse dicuntur unum ad minus intelligibilem de placito testem haberi curet (5). Et qui contra Dominum partem confitetur, cæterum probabit. Qui nihil inculpationis recognoscit, totum si velit

1 *Cum* Ms. Lond. pro *si*.
2 *Quodlibet* deest in Ms. Lond.
3 *Si* deest in Ms. Lond.
4 *Consilium* addit Ms. Lond.
5 *Et husbreche & bernet & falsaria* deest in Ms. Lond.
6 *Judicium* Ms. Lond. pro *auditum*.
7 *Emundatio vel emendatio sit* deest in Ms. Lond.
8 Ms. Lond. *Regum meritum*.
9 *Quid* Ms. Lond. addit.

---

(1) Vide supra cap. 10. & infra cap. 61. Horum autem criminum capitalium nonnulla tractantur per Glanvill. l. 14. per totum, & fusius per Bractonum l. 3. Tract. 2. de corona.

(2) Vide Vetus Normanniæ Custumar. c. 84. unde colligo consilium petenti in causa ex simplici querela personali orta apud Normannos non esse denegandum.

(3) Vide Scholia ad cap. 31.

(4) Vide Glanvill. lib. 12. c. 7.

(5) Hinc forte ortus apud nos Recordatorum, ut vocantur, usus. Vide Vetus Norman. Custumar. c. 123. Leges Edo. Senior. c. 5. & Æthelstani par. 2. c. 1. in Jornalensi. " Et nominentur in Manunga singulorum Præpositorum tot homines, quot pernoscuntur esse credibiles qui sint in testimonio (forte testimonium) singularum causarum, & sint eorum juramenta credibilium hominum butan sire (l. *cyre*) i. sine electione. „ Quæ sequuntur in præsenti capite pleraque sunt obscura; hæc autem *& de cremento feodi debet habere testes ejusdem Dominii, vel ex sua vel ex parte Domini & invocatus* non multum discrepant a cap. 27. Legum Guiliel. I. in Ingulpho, quod Latine exhibitum sic se habet: Si quis vult dirationare conventionem de terra sua versus Dominum suum per pares suos de tenura, ipsos quos appellaverit, ut testes sint, debet dirationare, nam per extraneos non potest dirationare. Idem igitur locus *de cremento feodi* forsan hic intelligendus: Et de conventione feodi (hic *cremento* dicta, forte a vernaculo nostro *greement* & *agreement*) *debet habere testes ejusdem Dominii, vel ex parte sua vel ex parte Domini invocatos*. Fortasse tamen putent aliqui *cremento* hic *incrementum* intelligi, perinde ac si eodem sensu hoc in loco usurpatum esset, quo in Feudor. lib. 1. tit. 4. § Si quis de manso. Ego non renitor. In quorum gratiam integrum illum Paragraphum repræsentandum duxi. " Si quis de manso uno feudi nomine investituram acceperit, & dixerit, quod omne incrementum pertineat ad eum, per investituram: si Dominus reservaverit sibi aliquid in ipsa curte, tunc oportebit fidelem incrementi investituram, per Pares curtis, vel per breve testatum probare. Sed si Dominus in ipsa curte nil sibi retinuit, tunc omne incrementum jure feudi fidelis obtinebit. Si vero fidelis in possessione incrementi fuerit, non oportebit eum investituram probare

lit abnegabit, nec testes audientes vel videntes habendi sunt de eo quod si fuerit [1], sed quod accusatus fuisse contendit, & de cremento feodi debet habere testes ejusdem Domini, vel ex sua, vel ex parte Domini & Advocatus, de primo feodo habeantur v. libræ [2] si non possunt alii & in dirationatione producere debet feudatus [3] testem suum ad bellum, vel aliam Legem.

XLIX. *Quibus causis statim respondere debet, quibus non.* [4]

Quædam causæ sunt de quibus statim respondere tenetur, sicut dictum est, sed non statim placitare necesse est; quædam de quibus sine competenti summonitione non cogitur aliquis, vel placitare, vel respondere sine consilio vel in omni loco; quædam de quibus respondere oportet, tam in causis quam in accusationibus. Pro statu vero causarum & esse temporum & modo implacitatorum, vel inplacitantium unusquisque deliberet, tam ex præsentibus quam præteritis, an ei in præsentiarum sit, vel non sit placitandum. Melius autem aliquando erit secundum amicorum vel inimicorum præsentiam, vel absentiam differre placitum, & aliquem cum placitare possit dilatari. Si quis vero per Legem de pluribus causis inplacitatus non respondet de omnibus, omnium quas prætermiserit reus esse judicetur, si de omnibus antea summonitus fuit, aut de omnibus ipsa die respondere, & rectum facere promisit. In quibus vero expedit, debet ei si petierit consilium dari, & cum responderit, quæratur an amplius dicere velit, ne quis occasione potius quam ratione placitare videatur. Si ita ammonitus aliquid prætermiserit, sibimet imputet si dampnum ei evenerit, & qui testes nominandos habet, ante nominet. Raro enim prodest quicquid dicatur postquam judicium exiit, vel magis redditum est dum in respectatione erit, potius addatur, si ante judicium opus est [5], & omnem recordationem Dominicæ Regis Curiæ non potest homo contradicere. Frequenter autem in divinis Legibus interrogandum est, ne aliquid prætermissum forte remaneat, quod annecti conveniat. Induciæ enim modicæ [6] ad quærendum dandæ sunt, ne quid agi propere a quacunque parte videatur quia multa per surreptionem eveniunt. Si plures alicujus homines simul implacitentur secundum quod causæ fuerint vel pactum inter eos, de omnibus una die simul vel de singulis sigillatim rectum faciat. Pactum enim Legem vincit (1) & amor judicium. In causis vero communibus tractandæ simul & finiendæ sunt querelæ de pluribus quæ Lege sacramentali vel judicio promoventur. In quibus vero bellum est singulariter fiant. Et si placitum sit furti vel exactionis hujusmodi, & unus inculpatorum adducatur ad reddendum quod exigitur, non reddent alii, quia ex una culpa non debet in hunc modum plures emendationes haberi. Debet autem de convictis justitia fieri.

L. *De supersessis placitis.* [7]

Si quis a Domino vel Prælato suo de nominatis placitis secundum Legem inplacitatus ad diem condictum non venerit, omnium placitorum, de quibus nominatim implacitabatur incurrit emendationes, nisi competens aliquid respectaverit. Aliud enim est si quis a Domino suo sic submoneatur ut illo vel illa die sit ad eum, & placitum ei nominetur, & [8] aliter si ita expresse sit mannitus ut ei placitum non nominetur. Si nominata placita, & non venerit *overseuneſſa* juxta loci consuetudinem sit, & alius dies ponatur ei, & tunc explacitet se vel emendet, nisi competens *soinus* intercedat.

LI. *De summonitione Hundredi.*

Qui ad Hundredum (2) secundum Legem summonitus non venerit, prima & secunda vice xxx. den. culpa sit erga ipsum Hundredum, nisi *soinus* legalis eum detineat, tertia vice plena *wyta* sit. Debent autem ut dictum est (3) ad singulos menses, i. per annum duodecies congregari Hundreda Comitatus bis si non sit opus amplius eis, & omnis homo rectum faciat alteri ad rectum terminum, & omnis causa finem habeat, & summoneatur Comitatus septem dies antea. Et nulli sine judicio vel licentia namiare liceat alium in suo vel alterius. Si Vicecomes injuste aliquem namiet convictus noxa causam suam perdat, & dupliciter emendet, & Regi sicut factum sit. Nemo justitiæ vel Domino suo *namium* excutere præsumat, si juste vel injuste capiatur, sed juste repetat, *plegium* offerat & terminum satisfaciendi. Si Vicecomes *namium* capiat ad propinquiorem Regis Curiam

1 *Non fuit* Ms. Lond. pro *si fuerit*. 2 *Quicunque liberi* Ms. Lond. pro *v. libræ*. 3 *Debet procedere feudi* Ms. Lond. 4 *Titulus* deest in Ms. Lond. 5 *Opus fuerit ante judicium* Ms. Lond. 6 *Dominicæ* Ms. Lond. pro *medicæ*. 7 *Lemma* hoc deest in Ms. Lond. reperitur tamen in Capitulo sequenti. 8 Ms. Lond. *si non sunt ei nominata placita, & non venit Overseuneſſa* pro *& aliter---& non venerit Overseuneſſa*.

re sed jurare." Vox *crementum* eod. forte sensu in libro Angliæ censuali usurpatur, ut apud Cambdenum Britann. de *Sarisburia* urbe agentem videre est.

(1) Concordat Glanvilla l. 10. c. 14. *Generaliter* (inquit) *verum est, quod conventio Legem vincit*; Ciceronem, ut videtur, sequutus, de invent. *Pacta*, inquit, *præstant Legibus*. Item ad Heren. *Pactum præstat Juri*.

(2) Hac de re vide plura cap. 29. & Schol. ibid.

(3) Cap. sc. 7. vide etiam Leges Edo. Senior. cap. ult.

riam dimittat nec vendat ipſa die. Qui *namium* excuſſit, reddat & *overſeuneſſa* ſit. Si plus peccat plus emendet [1]. Si alicujus homines ſuper hiis accuſentur, ad rectum eos habeat Dominus ſuus. Et ſi alicujus præcepto *namium* excuſſerint qui in eos poteſtatem haberent, omnes ſimul unam foriſfacturam reddant. Sicut acciderint, ſigillatim componant. Excutere *namium* eſt ſi quis viam tollat, & avertat retro *namium* ſuum.

LII. *De proprio placito Regis.*

Si quis de placito proprio Regis inplacitetur a juſtitia ejus cujuſcunque homo ſit non debet juſtitiæ vadium recti denegare (1). Si non fuerat antea ſubmonitus, nec ad hoc veniat. Debet per judicium recti [2] vadimonium juſtitiæ dare, & plegios etiam ſi opus ſit invenire. Si fuerat inde ſubmonitus legaliter, & dies emendationis poſitus, vel emundationis, ipſa die (2) oportebit eum ſi juſtitia cogat reſpondere, vel perdere ſi Dominum ſuum habeat ſive non habeat. Si quis vadium recti juſtitiæ denegaverit tertio interrogatus, *overſeuneſſæ* culpa ſit, & ex judicio licet retineri eum donec plegios inveniat, vel ſatisfaciat, maxime ſi judicatum ſit de *vadio*, ſi de capitalibus agatur in eo.

LIII. *De ſuperſeſſione Comitatus.*

Clericus per conſilium Prælati ſui vadium dare debet cum dederit in accuſatione & omnis homo pacem habeat quam Rex ei dabit. Qui ſecundum Legem ſubmonitus a juſtitia Regis ad Comitatum venire ſuperſederit, *overſeuneſſe* Regis, i. xx. marc. reus ſit in *Weſtſexa*. Et ſi de nominatis & ſuſceptis placitis pulſabatur niſi competens aliquid intervenerit, reus omnium judicetur (3). Si reus erat, inde xxx. marc. emendet, & rectum faciat. Quod ſi *overſeuneſſam* dare & rectum facere renueret, mittantur qui de ſuo capiant, & eum ſi opus eſt per plegios ponant. Si neque ſic ſatisfecerit, totum quod habet amiſerit, & idem capiatur niſi plegios inveniat. Si repugnet & cogatur, occidatur. Si evaſerit, aut aufugerit, pro *utlaga* reputetur. Qui eum interim ſuſceperit, conſilio foverit, juverit, *Weræ* ſuæ reus ſit, vel ſecundum inculpati natalitium perneget. Si quis implacitetur de eo unde per plegium corporis & totius pecuniæ reſponſurus ſit, remaneat de omnibus aliis cauſis donec primi finis ſit, quia eſt quodam tenus in captione Regis. Nullus a Domino ſuo inplegiatus vel inlegiatus, vel injuſte diſſaiſiatus, ab eodem inplacitetur ante legitimam reſtitutionem. Si Dominus de *felonia* (4), vel fide mentita compellat hominem ſuum, non reſpondeat quibuslibet inplacitationibus ejus donec quietus ſit. Et nemo diſſaiſiatus placitet (5) niſi circa [3] ipſam diſſaiſiationem agatur. Et poſtquam aliquis diſſaiſiatus Legem vel rectum Domino ſuo vadiaverit [4] & plegios, ſi opus eſt, addiderit, ſaiſiatus eſſe debet.

LIV. *De diſceſſu [5] ſociorum unius pecuniæ.*

Si aliqui fuerint ita ſocii ut pecuniam ſuam poſuerint in communi, & a ſocietate & communitate illa diſcedere voluerint, auferant coram teſtibus quicquid habent in communi dividendum, ut ſi opus eſt ſuper ſancta jurent quod amplius non habeant, & adquiſitionem & adquiſitum, ſicut rectum eſt & pactum fecerunt, dividant inter ſe. Si quis cum ſocio vel compari ſuo cauſam habuit, & inter eos ſuper hiis ex amore & teſtimonio convenerit. Si deinceps utrumque vel alterum pœniteat, non poſſunt tamen per judicium ad placiti principium remeare, maxime ſi juſtitia interfuerit; ubi vero aliquis eorum optionem habet per juſtitiam amicitiæ, vel lagæ, & amicitiam eligit, ſtet hoc ita firmum ut ipſum judicium. Item, ſi juſto judicio inter eos actum ſit, nullatenus fieri debet ut quod judicio finitum eſt velut infectum repetatur. In quibuſdam vero cauſis nemo tenere cogatur, quod ſine juſtitia placitavit.

LV. *De privilegio Domini ſuper hominem ſuum.*

Omni Domino licet ſummonire hominem ſuum

1 *Det* Ms. Lond. pro *emendet*. 2 *Regi ad* Ms. Lond. pro *recti*. 3 *In ipſâ diſſaiſiatione* Ms. Lond.
4 *Et nemo diſſaiſiatus Legem vel rectum Domino ſuo vadiaverit* Mss. Seld. Twyſd. & Lond.
5 *Diſſenſu* Mss. Seld. & Twyſd.

(1) Juſtitiæ hic ut & alibi, cum ſupra, tum infra, crebre (quod etiam in Gloſſario noſtro infra monitum) cum J capitali ſcribendum eſt; ſiquidem non *Juſtitia*, virtus ſcil. illa moralis, ſed Miniſter potius vel Adminiſtrator Juſtitiæ, nimirum *Juſtitiarius* (ut vocant Juniores) eo nomine intelligitur.

(2) Juxta illud tam antea c. 48. *ut ſicut omnium una eſt inculpatio, una emundatio vel emendatio ſit*; quam poſtea cap. 57. *& ibi purgetur vel ibi ſordidetur*, quod iterum etiam repetitum habes cap. 62. *Et ſi quis malefactum inter manus habens alicubi retinetur, ibi purgetur, vel ſordidetur*. Similis autem correctio deſideratur poſtea cap. 59.

(3) Dimidium iſtius Capitis, ſc. ex majori parte deſumptum reor e Legibus Æthelſtani cap. 20. ut collatori non incurioſo facile conſtat. Hoc autem; *etſi de nominatis & ſuſceptis placitis pulſabatur, niſi competens aliquid intervenerit, reus omnium judicetur*, repetitionem ſapiunt quorundam prius traditorum c. 50.

(4) Simile habes ſupra. c. 46.

(5) Convenit hoc, ne quis diſſaiſiatus placitet, tum prius traditis cap. 5. tum etiam poſterius c. 61. qua de re vide magnum Norman. Cuſtumar. c. 5. n. 8. & Gloſſam Latinam, ibid.

ſuum ut ſit ei ad rectum in Curia ſua, & ſi reſidens eſt ad remotius Manerium ejuſdem honoris unde tenet, ibit ad placitum, ſi Dominus ſuus ſommoneat eum. Si Dominus ejus diverſos feodos teneat, non cogitur per Legem homo unius honoris in alium ire placitum, niſi de alterius cauſa ſit ad quem Dominus ſuus ſummonuerit eum. Si homo de pluribus Dominis & honoribus teneat quantumcunque de aliis habeat ei plus debet & ejus reſidens per judicium erit cujus homo ligius erit. Omnis homo fidem det Domino ſuo de vita, & membris ſuis, & terreno honore, & obſervatione coſilii ſui per honeſtum, & utile, ſalva fide Dei, & terræ Principis ſalva, furtum vero, & proditio, & murdrum, & quæ contra Dominum [1] ſunt & fidem catholicam, nulli præcipienda vel peragenda ſunt. Sed fides habeatur Dominis omnibus ſalva fide præcedentium, & magis ei cujus ligius eſt, & ejus licentia ſit, ſi quis hominum ejus alium [2] ſibi Dominum faciat.

LVI. *De firma tenenda.*

Si inter aliquem & firmarium ſuum, qui non etiam ſit homo ſuus, de his præſertim quæ ad firmam pertinent, controverſia oriatur, ſive de taleis agatur, ſive de ſuppletione [3], in ipſo Manerio ſit, de cætero ſicut in cæteris. Si quis vero firmam in feudo teneat, & homagium inde fecerit ſive in eo manens ſit, vel [4] non ſit, & eum diligit; ſatisfaciat Domino ſuo in Curia ſua, vel in Curia Domini de quo ipſum feodum eſt. Quærendum eſt autem in redditione Manerii a paſtoribus, de animalibus, de numero, de modo a cæteris ſervientibus, de officio ſuo; ſi plena ſingula habeantur & ejuſdem valentiæ, de ſuppletionibus, in hominibus, in pecunia; ſi deterioratum ſit Manerium in Dominio, vel hominibus, in paſcuis, in nemoribus: ſi quis gablum auxerit; ſi quis injuſte tulerit, quid ſit in horreis; quid ſeminatum ſit. Si quis de Præpoſito conqueratur, quod ei per injuriam aliquid abſtulerit, in ipſo Manerio, vel in Curia Domini ſui audiatur, & tanquam Præpoſitus reſpondeat ſubditis ſuis. Si præpoſituram dimiſit, & alterius Dominii ſit, qui poſtea loquitur in his ſuper eum, veniat in Hundredum ſuum. Si [5] & ipſe quicquam repetat in ante ſubjectos ſicut erga alium fieret, cauſa ſit, ſi in Præpoſitura non curvaverit. Unicuique vero [6] licet ſecundum Legem præpoſituram non ſuſcipere, cuſtodiam non licet.

LVII. *De querela vicinorum.*

Si inter compares vicinos utrinque ſint querelæ, conveniant ad diviſas terrarum (1) ſuarum, & qui prior querimoniam fecerit, prior rectum habeat. Et ſi alias ire oporteat, in Curiam Domini ſui eant: ſi unum Dominum habeant, & ſoca ſit ejus, & illic eos amicitia congreget aut ſequeſtret judicium. Si ſecus eſt in hundredum ſuum ſi opus eſt eant. Si inter eorum homines diſceptetur in Curiis ſuper omnibus accuſationibus alternatim ſibi rectum faciant in cauſis ſuis, niſi quis retentus, vel diviadiatus ſit, vel plegiatus pro culpa ſua ſit alibi ſecundum Legem, & ibi ſemper cauſa agatur ubi crimen committitur; ſi præſertim qui forisfecerit retineatur ibi. Si cum aliquo [7] inventum ſit unde culpatus [8] ſit (2), ibi neceſſe eſt cauſam tractari, & ibi purgetur vel ibi ſordidetur. Si quis in Curia ſua rectum de hominibus ſuis facturus ſit, nominentur ei qui implacitantur, & competenti termino ſatisfactionem debeant, nec perdat Curiam nec *ſocnam* ſuam quamdiu non diſforciaverit rectum. Inter homines aliorum Comitatuum obſervetur ut de *thibla* pariter veniant in Curias & Hundreda, vel congrua cauſarum loca, tamen [9] ſi opus eſt datis plegiis rectum faciendi ſi convenientur ibi. Quod ſi de manifeſtis & confeſſis agatur ubi quis peccavit, ibi rectum faciat vel de ſuo ad valens [10] forisfacti pro in borgo retineatur (3) conſiderate ſcilicet, & coram teſtibus & ratione hoc non furore fiat, nec rieflacum [11] reputetur (4), & juſtitia repetentis in injuſtitiam convertatur. Sæpe enim fit ut ad compendia præceps ad diſpendia dilabatur. Sæpe etiam contingit ut hoc modo depoſitum pro furto & rieflaco, & quoquo modo defraudato poſtea fuerit

1 *Deum* Ms. Seld. pro *Dominum*.
2 *Aliquem alium* Ms. Lond.
3 *Supplicione* Ms. Lond.
4 *Vel non ſit——vel in* deeſt in Ms. Lond. & eorum loco, *in Curia ejus vel*.
5 *Sed* Ms. Lond. pro *ſi*.
6 *Cravavit unicuique non* Ms. Lond.
7 *Alio* Ms. Lond. pro *aliquo*.
8 *Inculpatus* Ms. Lond.
9 *Tantum* Ms. Lond. pro *tamen*.
10 *Non habet* Ms. Lond. pro *de ſuo ad valens*.
11 *Neſſlatum* Ms. Lond.

(1) Simile habes tam ſupra c. 9. quam hic infra cap. 57. & poſtea iterum c. 91. quo etiam tendit illud in Legibus Edo. Conf. c. 32. *Iſti* (Friborgi Decanos indigitat) *inter villas & vicinos cauſas tractabant, & ſecundum forisfacturas emendationes capiebant, & concordationes faciebant, videlicet de paſcuis, pratis, meſſibus, & de litigationibus inter vicinos*. De hoc autem & loci iſtius pleniore intellectu vide plura in Gloſſario noſtro verbo *Diviſa* & *Erthmiotum*.

(2) Crimen hic intelligit Legiſlator manifeſtum & hujuſmodi, ſcil. ubi aliquis (Bractoni verbis utor) deprehenſus eſt ſeiſitus de aliquo latrocinio, ſcil. *hondhabend* aut *bacberend*. Vide ſupra c. 9. & infra c. 62. & Gryphiandr. in Tractatu de Weichbild Saxonum c. 57. num. 3. & 4.

(3) Huc tendit quod habetur verſus finem c. 41. *quod ſi implacitatus in aliquo refragaverit, retineat ipſum Dominus vel de ſuo, quantum ad ſatisfaciendum ſit*. De *in borgo* autem hic, quid ſignificet, videas velim in Gloſſar. extremo opere.

(4) Vocabuli ſignificatum quære in Gloſſario.

rit interciatum, & ad hoc denique comprobatum. Pensandum autem erit omni Domino sive *socnam* sive *sacam* habeat, sive non habeat, ut ita suum hominem ubique manuteneat, ne dampnum pro defensione vel pro dimissione dedecus incurrat juxta causarum modum, & locum diffinitum, aliquando in divisis vel in erthmiotis, aliquando super ipsam terram vicine, aliquando in Curia Domini, aliquando in Hundredo vel Hundredis, aliquando in Comitatu, vel *Burgimoto*, vel *Halimoto*, longum est enarrare singula, sed planum est inveniri. Omnes enim causæ suos habent pertractationum modos, sive in statu quo cœpere permaneant, sive in eo in alium pertranseant. Cum Clerico qui uxorem habeat, & firmam teneat Laicorum & rebus extrinsecis seculariter deditus sit, seculariter est disceptandum. De illis qui ad sacros ordines pertinent (1), & eis qui sacris ordinibus promoti sunt, coram Prælatis suis est agendum de omnibus inculpationibus maximis vel minoribus (2).

LVIII. *De homine vaganti.*

Aliter de vaganti, si Dominum habeat, aliter si non habeat. Quod si fuerit & alicubi forisfaciat, ostendatur justitiæ quæ præerit, & consilio ejus agatur.

LIX. *De contramandatione placiti.*

Si dies placiti sit contramandatus ubi [1] residens est cum quo agitur ipsi vel familiæ ejus liberæ, sive suscipiant, sive non, nihil refert quoniam contramandatus judicetur, nisi causa sit, quæ contramandari non debeat, vel pactum intercesserit quod Legem contramandationis vicerit [2]; causa vero contramandationis vicinaliter debet addi, & alius dies competens poni cum testibus, si non sit contramandatus nisi erga eos qui non frangunt causam suam, reus erit qui remanserit nisi repentinæ infirmitatis, aut Domini necessitatis, aut exercitus, vel suorum causa hostium, vel justitiæ Regis competens detentio liberaverit. De quocunque placito emendabili deceptetur, si contramandatione, vel respectatione opus est, hoc modo celebretur. Pridie ante solis occasum ad domum suam si residens est cum quo agitur & per bonum testimonium vicinorum & aliquorum [3] quos secum habeat qui placitum contramandat ipsi respectetur, si domi est, uxori, Dapifero, vel Præposito & familiæ ejus dicatur intelligibiliter, si idem absuerit & hoc iterum & tertio licet continue sive interrupte. Si ejusdem Comitatus sit qui placitum induciat pridie ante solis occasum ad septem dies terminum ponat sicut præmisimus. Si alterius Comitatus sit duobus diebus ante placitum respectetur ad [4] quindecim dies. Si de tertio Comitatu sit, triduo respectetur ad tres ebdom'. Si de quarto Comitatu, quatuor diebus ante pronunciet ad quatuor ebdom' & ultra non procedit si sit in *Anglia*. Hæc secundum Legem diximus: Qui pactum fecit aliter habeat quæ ad indiffinitum [5] utrimque se habent, diffinitis prælocutionibus egent. Omne placitum inter quoslibet habitum, & ab eisdem sine justitiæ majoris auctoritate, si opus est respectari potest exceptis capitalibus, ut si quis furtum inter manus habeat, vel murdrum, vel proditionem Domini (3), vel deinceps hujusmodi quæ salvis coagentibus tanto libentius quanto festinantius optanda sunt pertractari, de pecunia etiam [6] quæ pro pace vel inimicitia vadiata est, testes [7] protelari non debent, nec placitum de morte inimicorum nisi exercitus Regi necessitas impediat, vel infirmitatis, vel idoneæ veritatis aliquid occurrat, & tunc inter eos firma pax & diffinita plenaque consistat. In aliis etiam omnibus causis & hominibus, & in emendatione omni, vel emundatione respectari licet generaliter (4), & simpliciter omne placitum ab eis quorum est placitum, si sit ab eis sine justitia positum, nisi forte sit sine contramandatione susceptum, vel sæpius aut aliter quam Lex velit contramandatum. Et ubi residens est cum quo agitur, nisi sit alibi constitutum, secundum quod prædiximus respectetur omne placitum, & per *Francigenam* & *Anglum*. Sive autem per amicos, sive per inimicos placitum cuilibet respectetur, si legitime agatur, respectatum judicatur. Et omnis Dominus teneat familiam suam in plegio suo (5), & si accusetur respondeat in Hundredo ubi compellabitur sicut rectum sit. Qui sine legali ratione contramandationem retinuit, licet ad locum placiti veniat, licet illic ad usque expectet dum hora placitandi prætereat, & hujus expectationis testes circumquaque convocet, & ita adversarii sui placitum esse fractum contendant, non procedit quin diem qui positus est expectari oporteat, & si eum secundum Legem contra-

1 *Ubi residens est----contramandetur* Ms. Lond. deest.
2 *Vicerit, causa vero contramandationis* deest in Ms. Lond.
3 *Aliorum* Ms. Lond.
4 *Ad quindecim dies----respectetur* deest in Ms. Lond.
5 *Jus definitum utrumque* Ms. Lond.
6 *Autem* Ms. Lond. pro *etiam*.
7 *Terminus* Ms. Lond. pro *testes*.

(1) Vide cap. 7. Notanda hæc pro antiquitate tam fori ecclesiastici, quam Cleri & sacris initiatorum a foro & gladio seculari in criminalibus olim apud nos immunitatis, de quibus nihil habeo quod addam prius dictis, & a longe doctioribus, quos vel nominare superfluum erit, & a Clar. Somnero in Antiquit. urbis Cantuar. p. 485.

(2) Vide cap. 66.

(3) Sententiæ ætiologiam vide cap. 46. 4. nec non cap. 61. *Capitales enim*.

(4) Vide Scholia ad cap. 12.

(5) Vide Scholia ad cap. 41.

tramandatum esse constet, de capite placiti disceptetur. Si vero placitum sine [1] contramandatione sit, vel adeo processerit, ut sæpius aut aliter quam rectum est contramandetur & non recipitur qui non venerit, amiserit. Videndum autem si in opere est ut ibi & ei cui dici debet contramandatio dicatur; dicenda vero est sicut prædiximus ei cum quo agitur, si ita provectus est in ætatem [2], & pro se loqui possit & sui juris habeatur. Pueri autem ante quindecim annos plenos (1) nec causam prosequantur, nec in judicio resideant. De rebus hæreditatis suæ interpellatus post quindecim annos defensorem habeat, vel idem respondeat, & calumpniam mittat in rebus suis ut nullus eas teneat uno anno & una die sine contradictione dum sanus sit & patriæ pax. De minoribus vero causis respondeant interim tutores eorum [3] si forisfaciant aliis, vel alii [4] forisfaciant ipsis. Et cui per justitiam placitum sit positum eidem respectetur. Qui autem respectabit, respectabit utrique, accusato scilicet & Justitiæ [5]. Nullius contramandationem necesse est recipi, si Dominus placitet contra suum hominem de proprio placito suo, nisi [6] forte Domini, si unum Dominum inde habeant, vel Justitiæ Legem si placitum aliquo modo pertineat ei, & omni Domino jure licet hominibus suis defendere (2), ne sibi faciant injuriam, de omnibus pertinentibus ad feodum suum & etiam alterius, & si guerram sibi faciant, & de aliis [7] Dominis alios quoque feodos teneant, prohibeat si velit ne homines feodi sui vexentur ad defensionem alterius feodi maxime contra Dominum suum. Qui Dominum suum erga Regem (3) vel quoslibet repetentes in capitalibus & criminalibus falso accusaverit, de lingua sua componat. Qui de judicata et vadiata Domino pecunia apud Justitiam falso conqueritur, et contradicit et molitur secundum quod natus est, culpa sit erga Justitiam cui mentitus est pro falso clamore xx. marc. culpa sit. Qui bellum vadiaverit (4), et per judicium defecerit LX. sol. emendet. Omne autem bellum per emendationem et respectum capi debet, addi vero poterit, non etiam demi aliquid eorum in quibus bellum consistet, et non fiat bellum sine capitali, ad minus x. sol. nisi de furto vel hujusmodi nequitia compellatio sit, vel de pace Regis infracta, vel in illis in quibus est capitale mortis, vel diffamationis. Et omnis *tihla* vel compellatio sit ejus qui *socnam* et *sacam* suam plene [8] habet de suis hominibus et in suo. Et si quis furem in eis qui mortis digna sunt, probatum sine Justitia dimittat (5), sit placitum ejus cujus *socna* erit. Defectus justitiæ (6) ac violenta recti detentio primo, secundo et tertio, secundum Legem requisiti commune Regis placitum est super omnes, sive *socnam* suam habent, sive non habent, singulos convenit ut veram (7) per omnia Justitiam teneant, et sic in malefacientibus misericordiam teneant ne forisbannitum (8) aut furem *handhabendum* Francigenam vel Anglicum ultra duodecimum ætatis annum et octo denarios valens impunitum transeant. Intra hunc ætatis terminum et hoc furti pretium poterit ei aliquotiens per Legis [9] beneficium prima vice subveniri conditione, sexu, participatione, eventu, furti qualitate. Omne autem furtum mobile, vel immobile, simplex aut multiplex, redimendum non est. Redimendorum alia membris, alia pecunia. In omnibus vero furtis, aut solus compellans est aut plures, servi vel liberi, divisim vel permixtim, fugitivi vel non fugitivi, unum Dominum habentes vel non. Si servus in redimendis immobilibus intra octo denar' æstimatis furetur, reddat Dominus ejus repetenti capitale suum semel et verberetur et signetur ab eodem repetente prima vice. Si in mortificantibus *handhabenda* sit, sicut liber moriatur. Si liber cum servo furetur, liber solus patiatur. Quicquid evenerit dampnationis vel redemptionis, servus Domino suo reddatur jure castigandus (9). Si plures servi furentur, unus pro omnibus patiatur et is sit quem sors obtulerit. Si furtum redimendum sit, capitale repetentis conjectent. Si plures furentur unam ovem aut porcum, aut deinceps aliquid majus aut morte puniendum, simul omnes patiantur, sive furtum simplex sit aut multiplex. De fugitivis vero conductitiis et residenti-

[1] *Si vero placitum contra mandationem mandatum esse constet, de capite placiti disceptetur* addit Mss. Seld. Twysd.
[2] *Provectus est in ætatem vel evectus in libertatem*. Ms. Lond. [3] *Eorum* deest in Ms. Lond.
[4] *Aliqui* Ms. Lond. [5] *Judici* Ms. Lond. [6] *Ubi* Ms. Lond. pro *nisi*, [7] *Aliis* deest in Ms. Lond.
[8] *Suam plene* deest in Ms. Lond. [9] *Plegii* Ms. Lond. pro *per legis*.

---

(1) Inculcatur idem postea. c. 70.
(2) Vide scholia ad c. 1.
(3) Vide caput 61. & c. 34.
(4) Simile habes in Legibus Guil. I. cap. 10. cui concordat Glanvilla lib. 2. c. 3.
(5) Monendum hic Lectorem duxi de Veterum distinctione latrocinii vel furti in capitale, & non capitale, quod forenses nostri juniores majus & minus, alias magnum & parvum nuncupant; quibus majus sive magnum est cum res furto ablata 12. valet denariis: minus autem vel parvum, cum non tanti æstimaretur; & hoc flagro vel carcere, illud patibulo castigatur. Qua de re fusius Spelman. in Glossar. verbo *Laricinium*, & D. Cowell. Instit. Jur. Angl. lib. 4. tit. 16. Sect. 28.
(6) Vide Scholia ad c. 22. & c. 23. Adde Glanvill. lib. 12. c. 7.
(7) Vide Spelman. Concil. Tom. 1. pag. 522. cap. Concilii Ænhamensis 29. & Leges Cnuti par. 2. cap. 11. unde hæc (ut videtur) desumpta.
(8) Vide Scholia ad c. 10.
(9) Ac si vitæ & necis servorum (ut olim jure gentium) Domini adhuc potestatem retinerent.

bus servis vel liberis secundum Legem perquisitis institutum prima vice furatos reducendos et signandos esse. Si quis ex proclamatione (1) quam apud Justitiam fecerit, placitum suscipiat quod de furto vel roboria [1], *Forstal*, et *Grithbreche*, et *Hamsocna*, et similibus apud Justitiam de aliquo clamorem faciat, aut inde eum convincat aut emendet.

LX. *De contramandatione placiti per Justitiam suam.*

Si quis positum per Justitiam placitum contramandare velit, contramandet utrunque, accusato scilicet et Justitiæ. Si accusato contramandet et Justitiam prætermittat, *Overseunesf.* culpa sit. Si soli Justitiæ contramandet, causam suam perdet. Si quis die placitandi suscepto in servitium Domini sui iturus sit, hoc faciat. Si coagentes sint homines unius Domini, respectet, si velit inter eos terminum, donec alius de servitio suo redeat. Si vicinus et compar sit ejus cum quo agitur, et ulterius dominii contramandet placitum ad numerum Comitatuum secundum Legem, et iterum et tertio si opus sit tanto, ut sit respectus in omnibus secundum causam respectandam, secundum quod coagentes homines vel tenentes ejus erunt, si placitum aliquo modo pertineat ad eum. Item juxta quod processerit, vel pactum fuerit, sive in eodem Comitatu maneat vel non; diffinito autem inter aliquos longiori termino si contramandans remaneat, vel citius redeat. Si Vicecomes vel Præpositus aliquis de proprio placito suo diem ponat alicui Baronum, et ad condictum [2] terminum non veniat, convictus [3] est, cum quo agebat, nisi competens eum necessitas detineat, si de capitalibus et de propriis placitis Regis sit.

LXI. *De placito alicujus Domini cum Præposito suo & sibi subjectis.* [4]

Si Dominus inter Præpositum et sibi subditos placitum condicat, qui sine legitima ratione remanserit, nihilominus causam suam perdat, et *Overseunessam* Domini emendet. Si Dominus Ministro suo præcipiat ut causam suam agat, et idem Minister ad diem non veniat, nec eum idoneum quid detineat quietum jure dicimus super quem causa erat, et Minister Domino suo [5] suppleat, si per eum quid amittat. Nullus Dominus de propria causa sua frangat placitum erga Dominum [6] suum, nisi secundum quod prædiximus major justitia exorta querimonia præsit eis. Si quis sit serviens Regis vel cujuslibet potestatis ministrator, & alium tamen Dominum habeat cum singulis juste componat de hiis quæ ad eos pertinent. Si Dominus conqueratur de homine suo in eis quæ pertinent ad potestatem regiam, & dies inde placitandi ponatur. Si non veniat Dominus, quietus est homo ejus. Si quis forte causam habeat contra Dominum suum, remanere potest infirmitatis, vel inoperationis, vel Regis implacitationis excessibus (2). Et si communis eorum Dominus detineat eum, salvare potest diem ejus, sed sive antea sive postmodum, implacitet alius aliquis eum & eundem vel alium diem ponat ei inde semper præerit [7] Dominus cujus ligius est. De omnibus & quibuscunque sciendum quod causæ quas prædiximus ad excusationem sufficiunt, & quaslibet inpugnationum decertationes evertunt, hoc est vel infirmitatis, vel Domini necessitatis, vel contramandationis, vel Regis inplacitationis, vel inoperationis causa, & omnis justitia potest respectare placitum sibi subditorum quod posuit donec eidem per competens interesse possit. Si vero non contradixit & paratum tamen sit ut coram eo debeat agi, qui non venerit amiserit & *Overseunesf.* culpa sit, nisi *soinus* intercedat, & unicuique Domino licet induciare placitum hominum suorum si in eo est, sive posuit vel non posuit diem. De furto autem, vel de his quæ sunt mortis faciat secundum quod *socna* & *saca* ejus erit. Si quis Dapifer, vel Præpositus, vel Minister placitum Domini sui contramandet, ita sit quicquid Dominus ejus dicat, si reddiderit [8] & placitum adversarii sui fractum esse velit. Si quis per homines suos per eorum querimoniam placitum ipse posuit, & idem promiserit interesse nulli eorum quorum causa est sine prælocutione vel licentia respectare, vel inde finire possit, & nemo jure possit irrecuperabiliter perdere vel forisfacere placitum Domini sui: viderit itaque cum quo agetur si contracausator non veniat quem pro se mittat. Multi vero possunt emendare placitum Domini sui potius quam amittere, unde si quis etiam de propria causa

1 Post *roboria* Mss. Seld. Twysd. & Lond. addunt: *Vel hujusmodi sit nullam inde sine licentia Justitiæ latentem vel patentem reconciliationem faciat, qui enim de furto & roboria*, &c. 2 *Et diem* addit Ms. Lond. 3 *Quietus* pro *convictus* Ms. Lond. 4 Deest *Titulus* in Ms. Scacc. 5 *Suo* deest in Ms. Lond. 6 *Hominem* Ms. Lond. pro *Dominum*. 7 *Ei unus unde forte praerit ei*. Ms. Lond. 8 *Redierit* Ms. Scacc.

(1) Huc (ni fallor) plus minus pertinet Lex illa Regis Ælfredi cap. 22. *Gif mon on folcesgemot*, quam sic Latine versam habes apud Jornalensem: *Si quis in Conventu publico Præposito Regis proclamationem ostendat, vel ostensionem denuntiet, & postea cessare velit, pertrahat ad rectam manum si possit; si non possit, perdat suum angildum, & reddat witam Præposito*. Nec huic videtur alienum quod habetur hic supra non procul a fine c. 24.

(2) Vide paulo infra, & supra c. 59. utrumque sit Forensium nostrorum *Essonium* (ut vocant) *de malo lecti*, de quo Glanvilla lib. 1. cap. 18. & alii, (quod nihil aliud est, quam partis se a judicio absentantis ex infirmitate excusatio) perantiqua ipsius vestigia hic aperit.

causa tractaret quæ ad feodum suum disrationandum pertineret, & eam aliquo placitandi casu perderet, hoc sibi Domino [1] suo perdiderit, quod si Domino ejus videatur ut injuste quid actum sit, potest ad placiti principium reformare, sive suus [2] homo susceperit, vel non susceperit inde judicium. Nemo enim potest de feudo Domini sui placitare sine eo, nec cogi debet rectum ejus *forspeken* nec *forspillan* (1), de omnibus & quibuscunque causis communibus vel emendabilibus inplacitetur aliquis, si petierit debet habere terminum requirendi & habendi Dominum suum ubicunque sit ex competenti; modus enim in omnibus. Si quis *Romam*, vel *Jerusalem*, vel in regiones longinquas ierit, habeat eum cui rerum suarum curam commiserit. Si sine Domino aut sine termino placitare cogatur aliquis, injustum est, & per judicium poterunt recapitulare placitum ejus & emendare. Quando autem aliquis inplacitatur sine Domino suo, nisi de illis sit in quibus statim oporteat responderi, ut de furto, & de incendio, de murdro, de *Hamsocna*, & de capitalibus, terminum quærat, ac respectum, donec Dominum suum habeat secundum rectum, & iterum si opus est vadium det & plegios mittat. Capitales enim & criminales causæ suam ubique retinent malitiæ prærogativam. Et si ibi confitebitur vel ordine judiciario convincitur, jam condempnatus est. Negetur itaque statim quod nunquam sane fateri licet, & sit inde judicium an in præsenti finiendum, an ad terminum differendum [3] sit, juxta legalitatem accusantium & causæ statum. Differt enim de infami, & saisito, et de societate compellato. Nulli, vel aliquando, vel alicubi necesse sit de causis exactionalibus secundum quod prædiximus improvise respondere, sed habeant optimi quique legalem placitandi terminum et locum quamdiu rectum non disforciaverint. Et si quis implacitetur de quibus submonitus non fuerit, nec ad hoc venerit, terminum habeat legitimum et nemo dissaisiatus. (2)

LXII. *De observatione temporis Legis faciendi*. (3)

Ab adventu Domini usque ad Octabas Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad quindecim dies post Pascham, et festis diebus, et quatuor temporum, et diebus quadragesimalibus, et aliis legitimis jejuniis et in diebus Veneris et Vigiliis singulorum Apostolorum non est tempus Leges faciendi, i. vel jusjurandum pro fidelitate (4) Domini, vel concordiam, vel bellum, vel ferri, vel aquæ, vel alias [4] Leges examinationis tractari. Sed sit in omnibus vera pax, beata charitas, ad honorem Omnipotentis Dei, cujus sapientia conditi sumus, nativitate provecti, a morte redempti, consolatione securi, et qui debitor est, ante persolvat vel induciet, donec dies isti transeant gaudiis et honestis voluptatibus instituti. Et si quis malefactum inter manus habens alicubi retinetur (5), ibi purgetur vel sordidetur. Si solum inculpatio sit (6), plegiis si opus est datis ubi justum fuerit terminanda revertatur.

LXIII. *De implacitatione Judicis fiscalis*.

In causis ubi fiscalis Judex aliquem implacitet de *socna* sua sine aliquo accusatore,

1 *Non Domino* Ms. Lond. 2 *Servus* Ms. Twysd. 3 *Differendi* Ms. Scacc. 4 *Alias* deest in Ms. Lond.

(1) Sensum loci a paucis lineis præcedentibus, ubi hæc: *Nemo jure possit irrecuperabiliter perdere vel forisfacere placitum Domini sui*, &c. Et hinc advocatio illa orta, quam exteri auctores laudationem, nos autem Warantiam vocamus, de qua passim in Forensium nostratium libris.

(2) Vide Scholia ad c. 53.

(3) Major pars istius capitis (ad hæc nempe *voluptatibus instituti* inclusive) peti videtur e Canonibus Regis Edgari in Spelman. Concil. Tom. 1. p. 450. c. 23. 24. & Leg. Cnuti par. 1. cap. 17. Vide cap. Decret. 22. qu. 5. & Wormii Monum. Danica l. 1. c. 11. p. 83. Concordant fœdus Edo. & Guthr. Regum c. 9. & Vetus Custumar. Norman. cap. in Gallico exemplari 81. in Latino vero 80. cujus hæc sunt verba: *Notandum autem est, quod quædam sint tempora, in quibus Leges non debent fieri; nec simplices, nec apertæ, videlicet omnia tempora, in quibus matrimonia non possunt celebrari. Ecclesia autem Legibus apparentibus, omnes dies festivos prohibet ac defendit; viz. ab hora nona die Jovis, (Sabbati potius) usque ad ortum die Solis in die Lunæ sequente. Et omnes dies solemnes novem lectionum, & solemnium jejuniorum, & quatuor temporum, & dedicationis Ecclesiæ, in qua duellum* (nonne deest *non?*) *est deducendum*. Hinc facultas illa Archiepiscopalis Justitiariis itinerantibus impertita, de juramentis tempore quadragesimæ reis deferendis, de qua in Antiqu. Britann. p. 209. Monendum hic, quod quatuor anni tempora litigiis apud nos dicata, quæ *Terminos* hodie vocamus, ævum istud non agnovit, nec horum alicubi ulla mentio ante Henr. II. tempora. Eorum primus (quod sciam) meminit author Dialogi (ut vocatur) Scaccharii, qui tamen Terminos tantum Paschæ & S. Michaelis commemorat. Lapsus interim Polydor. Vergilius, Terminorum nostrorum originem Guilielmo primo attribuens. Sed bene potuit in Anglia errare Italus, ut Clar. Selden. de eo in simili.

(4) *Idem vel jusjurandum nisi primo fidelitate Domini*, male legit Ms. Lond.

(5) De quo plura Scholiis ad cap. 9. & cap. 37. Affirmatur enim hic Juris illud civilis axioma, reum sortiri forum delicti. De quo vide plura Scholiis ad cap. 5.

(6) Id est, si sine seisina, (ut cum Bractono loquar lib. 3. Tract. 2. cap. 32.) vel sine investitura, ut hic cap. prox. sequ. suspectus scil. tantum, & accusatus de aliquo crimine, non autem possessionis arguendus, aut in facto, hoc est, in flagranti crimine deprehensus. De genere & numero est causarum, quæ in accusatione, non manifestatione dicuntur consistere, de quo vide supra cap. 9. & Schol. ibidem.

re, sive *Sakemanno*, sive investitura; si quis se tertio vicinorum suorum purget, satis est propter justitiæ reverentiam; in aliis præter Dominum (1). Nemo sine testibus sive [1] competentibus, et cogentibus circumstantiis in cæteris accusationibus allegiandus est. Multæ enim sunt et multorum inculpationes quæ jure publico non procedunt, sicut supra monuimus, sed dum favorem et gratiam Dominorum catervatim sequimur, maliciosa semper cupiditate præpostera candida nigris, nigra candidis commutamus. Unde consequenter, et sane competenter evenit ut continuis miseriarum passionibus ac variis infortuniorum casibus nosmetipsos evertamus.

LXIV. *De Christiana consuetudine locutionum secundum quod* (2) *sunt*. [2]

Omnis *tihtla* tractetur antejuramento [3] plano vel observato sæpius aut semel sicut loci consuetudo erit [4]. Omnia enim locorum consuetudine, causarum actione, modo causantium multifarie variantur; in quibusdam locis juramenti, vel antejuramenti multa est distantia, sicut in delatura et pluribus aliis. In *hamtescira* (3) qui verborum jurat observantiis (4) semel juret, et in eo lapsus vel elapsus judicetur. In quibusdam locis quotiens velit juramentum repetat donec efficiat vel deficiat. Continget etiam antejuramentum non dari, non frangi, per alterum fieri a re ipsa, a persona, prælatione, natione, merito Malorum autem infestationibus et perjurantium [5] conspiratione dispositum [6] est frangens juramentum ut magis Dei judicium ab accusatis eligatur. Et unde accusatus cum una decima se purgaret per electionem et sortem, si ad judicium ferri calidi vadat. In quibus vero causis triplicem *Wereladam* haberet, ferat judicium tripodis, i. sexaginta solid. In furto, et murdro, et proditione, et incendio, et domus infractione, et eis quæ ad diffactionem pertinent, omnes fracto sacramento jurent in [7] *Westsexa*, exceptis *Thainis* et Presbyteris, et eis qui legalitatem suam in nullo diminuerunt. Hii de

1 *Sine competenti termino* Ms. Lond. pro *sive competentibus*. 2 Ms. Lond. hoc Lemma habet: *De tractatione locutionum, secundum quod sunt*. 3 *Juramento quod observando sæpius* Ms. Lond. 4 Mss. Seld. Twysd. & Lond. addunt: *Vel compellans præcesserit, juxta rei meritum & causæ modum*. 5 *Juramentum* Ms. Lond. 6 *Depositum* Ms. Lond. 7 *Ut* pro *in* Ms. Lond.

---

(1) Simile quid apud Bracton. lib. 3. Tract. 2. cap. 32. num. 2. *Sed si seisitus* (inquit) *non inveniatur de aliquo latrocinio, non habet quis potestatem inquirendi, nec procedendi contra ipsum ad inquisitiones, nisi ipse Dominus Rex in Curia sua*. Vide Glanvilla lib. 14. cap. 2. & harum Legum c. 45. Item magnam, ut vocant, Chartam, cap. 28.

(2) Titulus plane corruptus & obscurus; quomodo autem restituendus, ignorare me fateor. Locutio autem hic quid significet, docebitur in Glossario, extremo opere. Ms. Lond. habet hoc Lemma: *De tractatione locutionum secundum quod sunt*.

(3) Comitatum intellige Hantoniensem, *Hampshire* vulgo, ut doctiss. Spelm. observatum verbo *Hantesia*.

(4) Juramentum (ni fallor) signant hæc tam stricte præstandum, ut ne vel in minimo liceat præstanti a verborum formula, qua defertur, recedere, ne causa cadat. Adstipulatur Vetus Normann. Custumar. Latin. c. 85. ubi hæc: "Notandum etiam est, quod si deraisnator verba dimiserit vel mutaverit & juraverit quæ ei in deraisnatione fuerint escariata, ejus deraisnatio reprobatur, & similiter si quis coadjutor defuerit, vel verba escariata dimiserit, vel mutaverit, vel etiam ad deraisnam oporteat evocari vel compelli, vel attrahi. Idem autem rigoris requiri videtur in duello, vel in causa duello terminanda, Glanvilla teste (lib. 14. cap. 1. quem vide lib. 2. c. 3.) Sciendum, inquit, quod ex quo fuerit duellum in hujusmodi placitis vadiatum, non potest alterutra partium verbis in ipsius vadii datione propositis aliquid adjicere, vel diminuere, vel aliquatenus a proposito declinare, vel resilire, quin pro victo habeatur, & Lege victi censeatur." Loquendi hac occurrit formula in Legibus Guilielmi I. cap. 71. *Et si Anglicus non audeat eum probare per bellum, defendat se Francigena plano* (quomodo habetur in Ms. Regio haud *pleno*, ut ibi per errorem) *juramento non in verborum observantiis*. Locus cui parem habes in cap. earundem Legum 62. præsertim in fine. Porro juramentum in verborum observantiis præstitum, idem esse reor, quod in his Legibus Juramentum, vel (quod idem sonat) Sacramentum non fractum pluries dictum adverto, & Juramento, quod vocatur planum, contrarium. Sic enim Juramenta distinguunt in *planum* scil. & *observatum*, ut in hujus capitis initio. Hinc est, quod ubi in fine præcitatæ Legis Guiliel. I. 62. Legislator vult Francigenam purgare se *Sacramento non fracto* (apud Hoveden habetur *Sacramento non ferro*, perperam; ad fidem exemplaris Saxon. in Textu Roffensi *mid unforedan ath*, *cum Sacramento non fracto*) in Lege postea 71. perinde ac si clavem hic adhibeat prioris aperiendi gratia, instituit, ut defendat se Francigena *plano* (sic enim legendum est, ut dixi, non pleno) *juramento non in verborum observantiis*, quod quasi repetitum habes paulo post in capite hoc: *Francigenæ quoque vel alienigenæ in verborum observantiis non frangunt*; i. e. plano, non autem quod in verborum observantiis consistit, juramento utuntur. Mitto alia in hoc capitulo his similia. Quid autem sit planum, quid observatum Juramentum, edisces licet ex jurandi formulis a Petro Greg. Tholosano traditis in Syntagm. Juris universi lib. 50. cap. 8. num. 1. & 3. *Quoddam* (inquit) *solemne juramentum, quoddam non solemne dicitur. Solemne dicitur, quod habet certas solemnitates præscriptas & dictatas, vel a partibus deferentibus, vel a Judice, vel a Lege, cum certa verborum conceptione* (idem forte quod Matth. Paris. Histor. p. 321. lin. 33. literatorium dictum) *a qua varietate juranti nec recedere liceat, vel si recedatur, ratum non erit: l. 3. & l. non erit ratum 5. c. jusjurandum & ad pecunias, 34. §. qui jusjurandum de jurejur. Juramentum non solemne est, quod summarie & de plano præstatur sine delectu verborum aut locorum*, &c. Plura (si placet) vide apud Annæum Robertum Rer. judicatar. cap. 11. & Dempster, de Juram. lib. 1. c. 8.

de quacunque compellatione capitali vel communi plane jurabunt, congruo numero conſacramentalium [1] et qualitate parium ſuorum retenta, quia *Thaini* jusjurandum contravalet (1) jusjurandum ſex villanorum. Et ſi occideretur, plene vindicaretur in ſex villanis. Et ſi emendaretur, ejus *weregildum* eſt ſex villanorum *weregildum*. Miſſæ Presbyteri et ſecularis *Thaini* jusjurandum in *Anglorum* Lege computatur æque carum, *Fracigenæ* quoque et [2] Alienigenæ in verborum obſervantiis non frangunt. Si quis de homicidio accuſetur, et idem ſe purgare velit ſecundum natale ſuum, perneget quod eſt *Werelada* ut qui ex parte patris erunt fracto juramento, qui ex materna cognatione erunt plane ſe ſacramento juraturos advertant. Item ſi quis ſine judicio occidatur (2), et parentes ejus innoxiare velint quod innocens et ſine merito ſit occiſus, prædicto modo faciant. Si quilibet rem in communi propitiare velint ſibi et utrumque ſunt teſtes et furtiva dicatur qui melius teſtimonium habebit probationi proprior ſit, et ſolus fracto juramento ſuam eſſe comprobet, et teſtes ejus plane confirment. Si ſecus ſit, ſemper erit poſſidens proprior quam repetens, et habeat aut ille ſi poteſt *Werminga* [3] reſiſtat quæ ultra tertiam vicem non procedit, et nobis non videtur rectum ſecundum Legem, ut aliquis ſi properare velit, compellatur ubi cognoſci poteſt quod et teſtis intereſt, ſaltem ante ſex menſes poſtquam furabitur. Quando quis jurare debeat ſolus, quandoque cum pluribus, in cauſa ſemper eſt, et perſona juxta legalitatem, et modum concauſantium in omni ordine, et juxta pretium capitalis et *Witæ*. Sacerdos qui regularem vitam ducat (3) in ſimplici accuſatione ſolus, in triplici, cum duobus ordinis ſui juret; Diaconus in ſimplici compellatione cum duobus, in triplici cum ſex Diaconibus ſe allegiet. Plebejus Sacerdos purget ſe ſicut regularis Diaconus. Presbyter ab Epiſcopo vel Archidiacono ſuo accuſatus, ſe ſexto juret Sacerdotum legitimorum ſicut ad miſſam paratorum. Et ſit omnis homo credibilis (4) qui non fuerit accuſationibus infamatus, et neutrum ei fregerit [4] vel juramentum, vel *ordalium* in Hundredo ſimplici *lada* dignus. Incredibili eligatur ſimplex *lada* in tribus Hundredis, et triplex juramentum tam late ſicut ad ipſam Curiam obedietur, vel eat ad *ordalium*, et inducatur ſimplex *lada* ſimplici præjuramento et triplex *lada* [5] triplici præjuramento. Et nullum unquam antejuramentum condonetur.

LXV. *De dimiſſione furis*.

Si quis furem gratis dimittat (5), emendet ſecundum *weram* ipſius furis, aut plena *lada* perneget quod cum eo falſum neſcivit. Si quis audito clamore non exierit, reddat *overſeuneſſ*. Regis, aut plene ſe *ladiet*. Si quis adeo ſit incredibilis (6) Hundre-

1 *Sacramentalium* Ms. Lond. 2 *Vel* pro *&* Ms. Scac. 3 *Weminga* Ms. Lond.
4 *Venturum ei fregeris* Ms. Lond. 5 *Lada----lada* deeſt in Ms. Lond.

(1) Id eſt, Thaini Jusjurandum æquivalet (ſic verto *contravalet*, unde noſtrum *countervaile* eodem ſenſu) Jusjurandum ſex villanorum. Hæc autem quæ ſequuntur ad iſta *computatur æque carum*, tranſlata ſunt e Legibus Æthelſtani de Weris; ubi qui Thainus hic, *twelfhinde* & *twelfhindne man* appellatur.

(2) Vide cap. 74. & LL. Æthelſtani c. 11. Hæc autem & ſequentia ad iſta, *poſtquam furabitur*, hauſta ſunt pleraque e Legibus Canuti par. 2. cap. 22. quod ſic Latine legitur apud Jornalenſem: " Et nemo aliquid emat ſupra 4. denar. valens, mobile vel immobile, niſi habeat credibile teſtimonium quatuor hominum, ſit in civitate, ſit extra civitatem. Et ſi tunc ſuper eam inveniatur & tale teſtimonium non habeat, non liceat ei advocare, ſed reddat repetenti capitale ſuum, & ſecundam ſolutionem, & foriſfacturam, cui pertinebit. Si teſtimonium habeat, ſicut prædiximus, tunc liceat inde ter advocari, & quarta vice probetur (*l. proprietur*) aut reddatur ei, cujus erit. Et nobis non videtur rectum, ut aliquis probare cogatur ubi teſtimonium eſt, & cognitio, quod ibi brede ſit, & nemo illud probare debeat ante ſex menſes, poſtquam furatum eſt." Huc etiam tendunt Legum illarum Guiliel. cap. 43. & 44. quorum intellectus adhuc in aliquibus obſcurus, citatæ Legis ope, perquam facile innoteſcat. Huc etiam ex quadam parte pertinet poſterior pars cap. 10. LL. Æthelredi, ubi id ipſum quod hic, veluti Juris communis regula allatum: *for thæm agnunge bith ner* (lege *neror*) *thæm the hæfth thonne thæm the after ſpræcth*; i. e. Jornalenſi Interprete, *quia purgatio* (*l.* propriatio. V. Hotoman. Diſput. de feud. cap. 43.) *propinquior eſt ſemper poſſidenti quam repetenti*. *Weninga* ſive *weminga* hic, ut obiter notem, ſcribendum forte *Cenninga*. Significatum quæras in Gloſſar. in voce *Advocatio*.

(3) Hæc & quæ ſequuntur ad iſta, *ſicut regularis Diaconus*, prompta ſunt e Legibus Canuti par. 1. cap. 5. ubi idipſum quod hic, verbatim fere ſtatutum eſt. Veterem autem Legis illius verſionem quæras (ſi placet) in Spelm. Concil. Tom. 1. p. 562.

(4) Hæc & quæ ſequuntur in finem Capitis, ſumpta ſunt e Legibus Canuti par. 2. cap. 20. unde errata & hic & in exhibitione per Spelman. in Gloſſario ſuo verbo *Lada ſimplex*, facile cernenda, corrigenda.

(5) *Si quis furem gratis dimittat*. Concordat LL. Inæ cap. 36. & Cnuti p. 2. cap. 26. e quibus, præſertim poſteriori, hæc & quæ ſequuntur ad iſta, *ſe ladiet*, cap. 3. ſumpta ſunt. Poſterior autem illa (Cnuti) Lex apud Jornalenſem ſic ſe habet: *Si quis furi obviaverit, & ſine vociferatione eum dimiſerit, emendet ſecundum weram ipſius furis, vel plena lada ſe adlegiet, quod cum eo falſum neſcivit*. Hac de re vide plura per D. Edw. Cocum Inſtitut. par. 2. p. 126. ex Bractono, & aliis allata. Guilielmum I. Legem illam ſuam 48. hinc mutuatum eſſe quis non videt? a Lege ſc. illa Cnuti 26. Invicem enim collatæ eædem apparent, ac ſeſe mutuo exponunt.

(6) Hæc & ſequentia ad iſta, *& inde ſe purget*,

dredo, a tribus simul accusetur, tunc nihil aliud interveniat quin ad triplex *ordalium* eat et eligat accusatus alterutrum quod velit, sive simplex *ordalium*, sive jusjurandum unius libræ in tribus Hundredis super triginta denar. et si jurare non audeant cum eo, eat ad triplex *ordalium*; et inducatur triplex *ordalium* hoc modo, sumat v. et ipse sit sextus; si Dominus compelletur quod suorum aliquis Prælatorum [1] consilio suo fugerit, et antea malum fecerit, assumat quinque credibiles *Thainos*, et idem sit sextus, et inde se purget. Si quis amicis destitutus (1), vel alienigena ad tantum laborem veniat ut amicum non habeat in prima accusatione ponatur in *Hengen*, et ibi sustineat donec ad Dei judicium vadat.

LXVI. *De occisione Ministri Altaris.*

Si quis Ministrum altaris occidat, *utlaga* sit erga Deum et homines, nisi digna satisfactione pœniteat, & parentibus illius juste componat, vel *Werelada* perneget [2], & hoc infra triginta noctes incipiat apud Deum & homines super omne quod habeat. Si quis Minister Altaris hominem occidat (2), vel malis actibus supra modum differatur (3), ordine simul, & dignitate privetur, & peregrinetur sicut ei Papa [3] injunget, & opus emendet [4]. Et si se purgare velit, tripliciter hoc faciat, & nisi infra triginta noctes hoc incipiat, erga Deum & homines *utlaga* sit. Si quis ordinatorum aliquem [5] verberibus, vel [6] vinculis, vel aliquatenus affligat, emendet ei sicut rectum sit, & Episcopo emendationem Altaris secundum dignitatem ordinis, Regi vel Domino plenam *Mundbreche*, vel plena *Lada* [7] perneget. Si quis morti dampnatus confiteri desideret, nunquam negetur ei. Quod si quis ei deneget, emendet Regi centum viginti solid. vel cum sex juret quod hoc non fecisset. Si quis Dei rectitudines per vim deforciat, emendet per *Labslibt* cum *Dacis*, plenam *Wytam* cum *Anglis*, vel ita neget, assumat undecim, & idem sit duodecimus. Si quis *Burcbotam*, vel *Brigbotam*, vel *Fierdfare* [8] supersederit, emendet hoc erga Regem centum viginti solid. in Anglorum *Laga*. In *Denelaga* sicut stetit antea, vel ita se allegiet, nominentur ei xiv. & acquirat ex eis undecim. In his vero secundum Legem nominati consacramentales vicini habendi sunt, quia solus non potuit tantis efficienciis invisibilis affuisse. Si manupastus alicujus accusetur de furto, solus paterfamilias emendare potest, si velit, fracta Lege sine præjurante. Si quis furti vel hujusmodi periculosa capitalium compellatione pulsetur secundum Legem *Wessex*, antejuramentum a compellante habeatur, & aliter se sexto decimæ suæ [9] purgetur (4). Sicut accusator præcesserit secundum meritum concausantium, & causæ modum. Si quis a Vicecomite vel Justitia Regis legitime implacitetur de furto, de incendio, de robaria, vel similibus ad triplicem *Ladam* jure sit applicandus, tunc oportet ut die congruo triginta consacramentales habeat, quorum nullus in aliquo reculpandus sit, & cum quindecim ex eis quos Justitia selegerit, sextusdecimus juret sicut causa dictabit. In *Mircenis* habendi sunt etiam [10] in triplici *Lada* xxxv. Consacramentales, in *Denelaga* XLVIII. electi, & forte potius quam electione juraturi.

LXVII. *De homine infamato.*

Sit omnis homo qui non fuerit accusationibus infamatus, simplici [11] *Lada* dignus sicut prædiximus. Incredibili eligatur simplex *Lada*, [12] in tribus Hundredis. Tri-

plex

1 *Compellatorum* Ms. Lond. 2 *Vel Werilada perneget* Ms. Lond. 3 *Papa suus* Ms. Lond. 4 *Sedulo* addit Ms. Lond. 5 *Aliquem* deest in Ms. Lond. 6 *Aut* pro *vel* Ms. Lond. 7 *Plaga* Ms. Lond. 8 *Fudfare* Ms. Lond. 9 *Decima sue* deest in Ms. Lond. 10 *Etiam* deest in Ms. Lond. 11 Ms. Lond. *triplici*. 12 Omittit *dignus——Lada*;

---

get, plane desumpta sunt e Legibus Æthelredi cap. 1. & Cnuti secular. cap. 27. 28. Notandum insuper, quod inter hæc, *eat ad triplex Ordalium* & quæ proxime sequuntur, plura in Legibus illis Æthelredi & Cnuti, unde hæc deprompta sunt, plane interveniant; nimirum hæc, ut habentur apud Jornalensem. "Si Dominus ejus dicat tunc; quod ei neutrum vel juramentum vel ordalium fregerit, *&c.* assumat idem Dominus secum duos homines credibiles, in ipso Hundredo, & jurent, quod illi nunquam Juramentum vel Ordalium fregerit, vel furigeldum reddidit; nisi talem Præpositum habeat, qui eo dignus sit, ut hoc facere possit, si Juramentum procedat.

(1) Hæc & sequentia ad finem usque Capitis deducta puto e Legibus Cnuti secularibus cap. 32. Vide Spelman. Glossarium in vocibus *Carcannum* & *Hengben*. Hinc illud Bractoni lib. 1. Tract. 2. cap. 8. num. 1. *Et si advena fuerit & ignotus de longinquo veniens peregrinus, vel si pro penuria amicorum plegios invenire non possit, ejus sit plegius gaola, quæ ad custodiendum deputatur, & non ad puniendum.* Locus revera paulo altius petitur, viz. e Legibus Edo. Sen. cap. *Si quis accusetur de furto* (ita Jornalensis) *capiant eum in plegio qui Domino suo commendaverunt illum, quod de hoc se adlegiet, vel alii amici, si habet, faciant hoc. Si nesciat quis eum capiat in plegium, accipiant quibus hoc pertinet de pecunia sua in borgbum. Si neutrum habeat nec pecuniam suam, nec plegium, tunc servetur ad judicandum.*

(2) Hæc cum sequentibus ad ista, *Et adquirat ex eis undecim*, integre hauriuntur e Legibus Cnuti secularibus cap. 36. 38. 39. 41. 45. 62. Simile ex quadam parte fœdus exhibet Edo. & Guthr. Reges cap. 5. Vide Concil. Ænham. in Spelm. Concil. Tom. 1. pag. 571. cap. 27. Vide Jornalens. cap. 62. pag. 927. Vide supra cap. 57.

(3) Legerem *diffamatur* aut *deferatur*. Vide supra cap. 5. & infra cap. 73.

(4) Forte, *sexta manu decimæ suæ*; uti Glossar. Lindenbrogii in verb. *sibi alterum*.

plex juramentum tam late ſicut ad ipſam Curiam obedietur, & de omnibus cauſis unde juraret accuſatus ſe ſexto, ſit judicium xx. ſolid. In triplici *Lada* ferrum judiciale triplex ſit, i. LX. ſolid. In cauſis quæ quotidie non ceſſant (1), par contra parem ſolus juret, inferior contra ſuperiorem ſe altero vel tertio, contra Dominum ſe tertio [1] vel ſexto; in *Weminga* duo ſunt contra unum & ejuſdem dignitatis.

LXVIII. *De ſolutione liberi aut ſervi occiſi.*

Si quis liber aut ſervus occidatur, natalis ſui pretio legitime componatur, niſi ſatisfactionis judicium dampnis corporalibus amplietur. Contingit enim, ut qui aliquem occiderit vel plagiaverit, ſuæ vitæ periculum vel membrorum detrimenta ſuſtinebit. Alternantur enim omnia loco, ut ſi in Eccleſia, vel domo Regis, vel in expeditione, vel familia, vel civitate, vel hujuſmodi perpetua pacis habitatione proveniat. Tempore, ſi dies feſtus ſit (2); ſi Rex in hoſtio, vel in ipſo ſit Comitatu perſona; ſi ſerviens Regis ſit, vel alterius Domini Præpoſitus, aut Miniſter, vel quoquo modo ſecuram pacis tranquillitatem præferat ſive per breve, ſive per aliud. Et licet omnis Presbyter undecunque oriundus, ſi canonicam vel regularem vitam ducat (3) in ſeculari dignitate *Thaini* Legem habeat; ſi tamen occidatur, & hoc ad emendationem pertrahi liceat, ſecundum natale ſuum reddatur. Si de *Thainis* natus eſt, *Thaini Wera* reddatur. Si de villainis ſimiliter conjectetur & tam in Clericis quam in Laicis obſervandum ut ad patrem non ad matrem generatio dirigatur. Et nemo ſub ſervitute [2] natus ante legitimam libertatem ſacris ordinibus admittatur. Si ordinatus aliquis occidatur (4), ſuper rectam *Weram* primus gradus emendetur una libra cum digna pœnitentia. In ſecundo gradu, reddantur duæ libræ pro infractura ordinis ſuper rectam *Weram* cum digna pœnitentia. In tertio gradu tres libræ. In quarto gradu quatuor libræ. In quinto gradu quinque libræ. In ſexto gradu ſex libræ. In ſeptimo gradu ſeptem libræ emendentur ſuper rectam *Weram* cum digna pœnitentia. Et ad ordinis infracturam de pace componatur juſte ſecundum factum. Et ordinis emendationis, una pars ſit Epiſcopi, alia Altaris, tertia Societatis. Qui occiderit Epiſcopum, ſit in arbitrio Principis & Epiſcoporum. Qui Monachum vel Clericum occiderit, arma (5) relinquat, & Deo ſerviat, & ſi caſu perpetravit, & nolens, [3] ſeptem annis pœniteat. Si volens fecit, uſque ad exitum vitæ pœniteat [4]. Si Diaconus vel Presbyter homicidium fecerit, deponatur, & pœniteat ſecundum Epiſcopi ſui judicium. Qui patrem aut matrem caſu occiderit, quindecim annis pœniteat. Si voluntate, uſque ad exitum vitæ. Qui ad homicidium conſenſerit, ſeptem annis pœniteat, uno anno in pane & aqua. Si ſervus juſſu Domini ſui hominem occidat, XL. dies pœniteat in pane & aqua, & tribus quadrageſimis cum legitimis feriis a carne et potu ſe abſtineat. Dominus ejus pœniteat quindecim [5] an-

1 *Contra Dominum ſe tertio* Ms. Lond. 2 *Sub ſervitute* deeſt in Ms. Lond. 3 *Noluit* Ms. Lond.
4 Mss. Seld. Twyſd. & Lond. hæc inſerunt: *Qu. ad homicidium conſenſerit, pœniteat ſeptem annis, uno anno in pane & aqua*. Hæc in Mss. Scacc, lin. quarta ſequ. invenies. 5 *Decem* Ms. Lond.

---

(1) Inſtitutum hoc aliquid habet affinitatis cum magno Norman. Cuſtumar. cap. 85. ubi hæc: " Notandum etiam eſt, quod ſecundum diverſas perſonas plures vel pauciores in deraiſnis exiguntur adjutores. Inter pares enim vel vicinos, poteſt quilibet ſe tertia manu facere deraiſnam; verſus autem Dominum, ſexta manu in curia Domini ſui. Si autem in curia Domini ſuperioris placitaverit, ſe tertia manu deraiſnabit verſus Dominum ſuum, & ſimili modo Dominus verſus hominem ſuum. In Curia enim Domini ſuperioris placitando ſunt quaſi pares, verſus autem Domini Regis ſervientem, quinta manu debet fieri deraiſna.,, Id ipſum reperies repetitum poſtea cap. 125. in Latino exemplari, in Gallico autem cap. 122.

(2) Quemadmodum enim tempus culpam aggravat, & pœnam ampliat, ſic hæc tempora exempli gratia ſpecificantur; inde deſcenditur ad perſonam.

(3) Sic etiam ſtatuit olim Rex Æthelſtanus, ut in Legibus ſuis apud Greatanleiam cap. ult. de weris, videre eſt; quod quidem caput in codice regio Ms. a Spelman. Concil. Tom. 1. pag. 406. laudato, ſic latine exprimitur; *Miſſæ Presbyteri & ſecularis Taini jusjurandum in Anglorum Lege æque carum, & pro ſeptem ordinibus Eccleſiæ, quibus Sacerdos per Dei donum aſcendit, ut haberet Taini rectitudinem, dignus eſt.*

(4) Hæc & quæ ſequuntur, ad iſta, *tertiæ Societatis*, petuntur (ut videtur) ex additionibus ad ante memoratam Regis Æthelſtani Legem de Weris apud Spelman. Tom. 1. Concil. p. 407. ubi Lectorem ſuum ut ipſa & eadem videat, remittit ad pag. 206. unde mirum, cum revera talis ſit inter utrumque locum affinitas, ut ad idem tempus & ad eundem authorem ambos recte referendos exiſtimem; quod non adeo miror, quam Doct. Spelman. ita hallucinatum in editione prioris loci, cum equidem a poſteriori ſat lucis (ni fallor) hac in re ei non deeſſet. Bernardus autem non vidit omnia. Singula errata obſervare haud lubet, præcipuum primo intuitu hoc videtur, quod abrupte & præmature definit capitulum, quod ibi primum; cum duæ priores ſecundi Capituli lineæ & aliquid amplius eo pertineant, ſcil. ad hæc uſque *wurthian georne*, incluſive, quod aliter ille locus, poſterior ſc. ſi expendatur, ſat clare, opinor, evincat. Cætera mitto, ut diligenti locorum Collatori ſatis obvia.

(5) Vide Capitul. Car. & Lud. Impp. lib. 6. tit. 90. & 97. Hoc etiam & ſequentium quamplurima peti videntur e Canonibus, quibus Titulus, *Excerptum Egberti Archiep.* c. 3. apud Spelm. Tom. 1. Concil. p. 283.

annis. Qui hominem occiderit in publico bello, vel in defensione Domini sui, tantundem pœniteat.

LXIX. *De occisione Anglici.*

Si quis *Anglicus* sine merito suo occidatur, secundum pretium natalis sui & loci consuetudinem de *Wera* parentibus componatur, & *Wyta* et *Manbota* Dominis sicut justum est ad modum ipsius *Weræ*, de *Twyhindi* hominis *Wera*, debent reddi, secundum Legem triginta solidi ad *Manbotam*, id est, [1] hodie v. *Mancæ*. De *Twelfhindo* [2], id est, *Thaino* cxx. solid. quæ faciant viginti *Mancas* [3].

LXX. *Consuetudo Westsæx.*

In *Westsexa* quæ caput regni est et Legum *Twyhindi* [4], i. villani, Wera est iv. lib. *Twelfhindi* [5], i. *Thaini* xxv. libr. Si servus servum occidat (1) Domino reddantur xx. sol. pro *manbota*, parentibus interfecti servi xl. den. Si Dominus occisoris nec pro eo reddit, nec servus habet unde reddat, demittere potest eum Dominus ut sibi [6] caveat nisi forte gravetur dum secum est. Quod si eveniat, eum repetentibus [7] reddat, vel inde componat. Si liber servum occidat, similiter reddat parentibus xl. den. et duas *musflas* [8], et unum pullum mutilatum domino servi xx. sol. pro *Manbota*, *Blodwytam*, vel *Fihtwytam* [9] sicut acciderit. Si servus *Waliscus Anglicum* hominem occidat (2), debet ille cujus servus est reddere eum Domino et parentibus, vel dare xl. sol. pro vita sua. Si hoc capitale nolit dare pro eo, dimittat eum liberum, solvant postea parentes ejus *Weram* illam, si cognationem habeat liberam: si non habeat, observent eum inimici, non [10] cogitur liber cum servo *Megildare*, nisi velit ei satisfactionem facere, nec servus cum libero. Si *Anglicus* homo *Dacum* occidat (3), liber liberum, persolvat eum xxv. libr. [11] vel ipse malefactor reddatur, et tantundem reddat *Dacus* de *Anglico* si eum occidat. Si *Anglicus Dacum* servum occidat, reddat eum xx. sol. et *Dacus* similiter *Anglicum* si eum occidat: attamen persolvatur plena *Werâ*. Si se invicem occidant liberi, vel nativitate, vel casu servi, unus pro alio jaceat. Si superabundat aliquis eorum in genitura, quærant parentes ejus *Weræ* vel vindictæ super plus. Si unius [12] dignitatis, et paritatis sint, in eo consistat, si quis de servo liber factus [13] occidatur, omne malum occisoris pro nihilo reputatur, si homicidium fecerit contra Legem, quia scilicet rectum quod inde habiturus erat sibi abstulit, reddat vero quem occidit, tanquam ab eo nihil passus sit. Qui pacem facit cum aliquo de vulnere vel malo quod inflixerit, distincte cum testibus et gratuita parentum ejus unanimitate finiat, ut ei scilicet sic non requiratur a genitis vel gignendis [14] quicquid postea contingat. Sæpe etenim fatigatio secuta est desuper natura quæ sanitatem intempestam doloribus obduxerit. Similiter si mulier homicidium faciat, in eam, vel in progeniem, vel parentes ejus vindicetur, vel inde componat non in virum suum, seu [15] clientelam innocentem. Sive autem sponte aut non sponte fiant hæc, nihilominus tamen emendetur. Quæ enim per inscientiam peccamus, per industriam corrigamus (4). Amicitiæ tamen & veniæ propius vel remotius erit, sicut meritum ejus qui occisus est interfuit, & [16] sicut acciderit. Si mulier occidatur, sicut *Weregildus* ejus est reddatur ex parte patris sicut observamus in aliis. Si prægnans occidatur (5), & puer in ea vivat, uterque plena *Wera* reddatur. Si nondum vivus sit, dimidia *Wera* solvatur parentibus ex parte patris. De *Manbota* vero utriusque vel alterius, Domino jure conveniat. Si infans occidat vel occidatur, sive nomen habeat, sive non habeat, plena *Wera* commutetur. Mulieres quæ fornicantur (6), & partus suos extinguunt, & eos qui secum agunt ut utero conceptum excutiant, antiqua

1 *Idemoe* Ms. Lond. pro *id est*. 2 *Thefhindo* MS. Lond. 3 *Marcas* Ms. Lond. 4 *Tehindi* Ms. Lond. 5 *Twelhindi* Ms. Lond. 6 *Si* Ms Scac. pro *sibi*. 7 *Parentibus* Ms. Lond. pro *repetentibus*. 8 *Mufflas* Mss. Seld. & Twysd. 9 *Fightwytam* Ms. Lond. 10 *Ne* pro *non* Ms. Lond. 11 *Marc.* Ms. Lond. pro *libr.* 12 *Minus* Ms. Lond. pro *unius*. 13 *Factus* deest in Ms. Lond. 14 *Ingenitis* Mss. Seld. Twysd. & Lond. 15 *Vel* Ms. Lond. pro *seu*. 16 *Et* deest in Ms. Lond.

(1) Vide Lindenbrog. Glossar. verb. *Servus 15. sol. valens.*

(2) Hæc & quæ sequuntur ad ista, *Servus cum libero*, derivantur e Legibus Inæ cap. 73. cujus e Saxonico in Latinum veterem versionem habe hic ex Jornalensi. " Si servus Waliscus Anglicum hominem occidat, debet ille cujus est, reddere eum Domino & parentibus, aut 60. solidos dare pro wita sua. Si Dominus nolit hoc capitale pro eo reddere, liberum faciat eum, & solvant parentes ejus weram occisi, si cognationem habeat liberam; si non habeat, observent eum inimici sui. Non cogatur liber cum servo cognationem solvere, nisi velit eum factione liberare, nec servus cum libero. "

(3) Hæc & sequentia ad ista, *persolvantur plena wera*, ipsissima verba sunt cap. 5. par. 2. LL. Æthelredi.

(4) Hac de re vide Scholia ad cap. 90.

(5) Huc tendit quod in Legibus Ælfredi cap. 9. his verbis (teste Jornalense) sancitum est: *Si fœmina prægnans occidatur, dum puer in ea sit, solvatur ipsa pleno gildo, secundum weram matris sit semper wita 60. solid. donec angildum exurgat ad 30. sol. postquam angildum ad id crescit, postea sit wita 120. sol.*

(6) Huc etiam tendit quod inter Canones Regis Edgari apud Spelm. Tom. 1. Concil. p. 462. sub tit. *De modo imponendi Pœnitentiam* cap. 12. sancitum apparet. Vide supra.

qua [1] diffinitio [2], usque ad exitum vitæ removentur ab Ecclesia, nunc clementius diffinitur, decem annis pœniteat. Mulier si partum suum (1) ante XL. dies sponte perdiderit, quatuor [3] annis pœniteat. Si postquam animatus est, septem annis pœniteat. Mulier si duobus fratribus nupserit (2), abjiciatur usque in die mortis. In extremis tamen propter humanitatem reconcilietur. Si quis pater mortuus fuerit (3), & filium vel filiam hæreditandam reliquerit, usque ad xv. ætatis annos, nec causam prosequantur, nec judicium subeant, sed sub tutoribus & actoribus sint in parentum legitima custodia seisiti, sicut pater eorum fuit in die mortis, & vitæ suæ, & nullus hæredipeta sui propinqui vel extranei periculosæ sane custodiæ committatur (4). Si quis sine liberis decesserit, pater aut mater ejus in hæreditatem succedant; vel frater aut soror, si pater aut mater desint; si nec hos habeat, soror patris vel matris, & deinceps in quintum geniculum, quicunque propinquiores in parentela fuerint, hæreditario jure succedant, & dum virilis sexus extiterit, (5) & hæreditas ab inde sit, fœmina non hæreditetur. Primo patris feudum (6) primogenitus filius habeat. Emptiones vero vel deinceps acquisitiones suas (7) det, cui magis velit. Si *Bocland* habeat (8), quam ei parentes sui dederunt, non mittat eum extra cognationem suam sicut prædiximus. Si sponsa virum suum supervixerit (9), dotem & maritationem suam, cartarum, instru-

1 *Antiquam* Ms. Scacc. 2 *Diffunctio* Ms. Scacc. 3 *Tribus* Ms. Scacc.

(1) Parem fere sanctionem exhibent Canones sive Excerptiones Egberti Archiep. apud Spelm. Tom. 1. Concil. p. 283. cap. 3. *Mulier partum suum ante dies 40. sponte perdens, unum annum pœniteat; si vero post 40. dies, tres annos pœniteat; si vero postquam natus fuit, quasi homicida.*

(2) Simile habes inter antememoratos Canones Edgari tit. quo supra cap. 21.

(3) Simile habes antea cap. 59. p. 196. Vide Glanvill. lib. 13. cap. 15. fol. 105. a.

(4) Hinc illud (forte) Glanvillæ & aliorum posterioris ævi Juristarum nostrorum municipalium axioma, sive Juris nostri communis regula: *Nunquam enim* (ita Glanvill. lib. 7. cap. 11.) *custodia alicujus de jure alicui remanet, de quo habeatur suspicio, quod possit vel velit aliquid jus in ipsa hæreditate clamare.*

(5) Vide Testamentum Regis Ælfredi sub finem vitæ suæ per Asserium. Hinc (forte) Forensium nostratium placitum, de quo in statuto *Regis prærogativa* inscripto cap. finali: *Fœminæ non participabunt cum Masculis*; Videantur etiam Glanvill. l. 7. c. 3. & Bracton. lib. 2. cap. 30. num. 3. ubi id ipsum velut Juris regula affertur. Utrum autem hoc & quæ utrinque adhærent, *si quis sine liberis*, ad ista, *non hæreditetur*, juris sint Anglicani primigenii, seu potius integre petita e Lege Ripuariorum, dubitandum censeo. Audi enim quid in eapse Lege tit. 56. de Alodibus statutum exhibet Codex LL. Antiquarum p. 460. *Si quis absque liberis defunctus fuerit, si pater materque superstites fuerint, in hæreditatem succedant. Si pater materque non fuerint, frater & soror succedant. Si autem nec eos habuerit, tunc frater & soror matris patrisque succedant, & deinceps usque ad quintum genuculum, qui proximus fuerit, in hæreditatem succedat: sed dum virilis sexus extiterit, fœmina in hæreditatem aviaticam non succedat.*

(6) Capitale (ni fallor) signat Messuagium, ut Forensibus nostris dictum, de quo Glanvilla nostras, de hæreditate inter filios partiunda verba faciens; *salvo tamen* (inquit) *capitali Messuagio primogenito filio pro dignitate æsneciæ suæ*. Hunc sequutus est Bractonus lib. 2. cap. 34. Concordat magnum Normann. Custumar. cap. (in Exempl. Gallico) 26. *le chief de l' heritage remaindra a laisne*, &c. id est, juxta Latin. Exemplar: "Capitale herbergagium primogenito remanebit, sicut ædificia in eo constructa continebunt: Clausum autem sive gardinum vel ortum eidem remanebit, dum tamen fratribus legitimam fecerit excambiationem super hoc ad valorem.,, Vide Glossar. Latin. ibidem. Mihi idem hoc videtur, quod in Legibus Inæ cap. 38. *frumstol* dictum occurrit, i. e. prima vel primaria sedes vel mansio, quibusdam hodie vulgo *the Homstall*.

(7) Hic videatur Bractonus fol. 273. a. 407. b. & 409. b. Exemplum (ni fallor) valde appositum suppeditat Charta in Archivis Eccl. Cant. cujusdam Normanni dicti le Wautier, de tota terra sua in Suthwerke Ecclesiæ Cantuar. donata Anno gratiæ 1204. "Et quia (inquit) prædicta terra de libero catallo & proprio perquisito meo fuit, & non de aliqua hæreditate parentum meorum, ideo Deum inde & S. Thomam Martyrem & Sanctos Cantuariensis Ecclesiæ, & Conventum Monachorum ejusdem hæredem meum legitimum inscribo, & hac mea charta in perpetuum constituo.,, Glanvilla autem nostras lib. 7. cap. 1. paulo aliter, & cum quadam adhibita limitatione. *Si vero* (inquit) *quæstum tantum habuerit is, qui partem terræ suæ donare voluerit, tunc quidem hoc ei licet, sed non totum quæstum, quia non potest filium suum hæredem exhæredare; veruntamen si nullum hæredem filium vel filiam ex corpore suo procreaverit, poterit quidem ex quæstu suo cuicunque voluerit, quandam partem donare, sive totum quæstum hæreditabiliter.*

(8) Nusquam, quod sciam, sic prædixit Legislator: in sequentibus, fateor, sic instituit, cap. 88. Id ipsum autem vult Ælfredus Rex in Legum suarum cap. 37. cui conforme Testamentum ejusdem Regis sub finem vitæ suæ per Asserium, quoad terras suas, quas vocat liberas (quo nomine, opinor, Boclands indigitat voce illa in LL. Æthelredi par. 1. c. 2. occurrente, sic versa apud Jornalensem, limitatione tamen in Lege memorata adhibita; *si nimirum scriptum intersit, & testes, quod eorum probibitio fuerit, qui banc inprimis acquisierint, & ipsorum qui dederint ei, ne hoc possit*; alioqui enim *Bocland*, cum sit terra sua natura libera, ad libitum possidentis licite posse alienari, & (ut cum Forensibus nostris loquar) forisfamiliari existimo. Vide Tractat. Clar. Somn. de Gavelkynd cap. 4. & Glossar. in voce *Bocland*.

(9) Hic iterum ingerit se Ripuariorum Lex Tit. 37. *de Dotibus Mulierum*, quam hic locus usque ad *nibil inde recipias* totus spirat, unde erratorum hic corrigendorum facultas. *Si quis mulierem desponsaverit* (Lex loquitur) *quicquid ei per tabularum seu chartarum instrumenta*

ſtrumentorum, vel teſtium exhibitionibus ei traditam perpetualiter habeat & *morgangivam* [1] ſuam, & tertiam partem de omni collaboratione ſua, præter veſtes & lectum ſuum, & ſi quid ex eis in eleemoſynis vel communi neceſſitate conſumpſerit, nihil inde recipiat. Si mulier abſque liberis moriatur, parentes ejus cum marito ſuo partem ſuam dividant.

LXXI. *De homicidio* [2] *vel aliis maleficiis.*

Si quis (1) veneno, vel ſortilegio, vel in vultu actione [3], ſeu maleficio aliquo faciat homicidium, ſive illi parentum ſit, ſive alii, nihil refert quin factum mortiferum, & nullo modo redimendum ſit. Reddatur itaque qui fuerit reus hujuſmodi homicidii parentibus (2) & amicis [4] interfecti, ut eorum miſericordiam & judicium ſentiat, quibus ipſe non pepercit; ſi res in compellatione ſit & emundatione (3) miſeveniat [5], Epiſcopi judicio reſervetur. Et ſi beneficio Legis ad miſericordiam vel concordiam protrahatur, de *Wera* mortui plene ſatisfaciat, & *Wytam* & *Manbotam*, & omnibus rite pacatis (4) plegios legalitatis deinceps inveniat, triplex vero *lada* vel emundatio [6] ni hujuſmodi ſit (5). Si autem [7] inſorticatus non fuerit mortuus, ſed cutis variationem vel probabilem corporis contrahat ægritudinem, emendetur ſapientum antiquis diffinitionibus ſicut acciderit.

LXXII. *Definitio homicidii.*

Homicidium fit multis modis, multaque diſtantia in eo eſt, in cauſa, & in perſonis. Aliquando autem [8] fit per cupiditatem vel contentionem temporalium, fit etiam per ebrietatem, fit per juſſionem alicujus. Fit etiam pro defenſione & juſtitia, de quibus ita meminit beatus *Auguſtinus* de ſermone Domini in monte. Si homicidium eſt [9] occidere, poteſt aliquando accidere ſine peccato. Nam miles hoſtem, & Judex nocentem, & cui forte invito, vel imprudenti telum manufugit, non mihi videntur peccare cum hominem occidunt. Beatus *Ieronymus*, homicidas & ſacrilegos punire non effuſio ſanguinis, ſed miniſterium Legum eſt. Ipſa Lex dicit (6), ſi dimiſeris virum dignum morte, anima tua erit pro anima ejus. Fit etiam homicidium caſu, conſilio. Aliter etiam eſt, ſi Clericus vel Laicus, cum propinquis vel extraneis agant hoc vel patiantur, & alii plures modi ſunt qui maxime ad pœnitentes pertinebunt, quibus aptanda quidem eſt, & amica participatione providenda medicina ſecundum ætatem, & poſſibilitatem, & virtutem, & confeſſionem ſingulorum, in orationibus, in vigiliis, in jejuniis, in eleemoſynis, & beneficentiæ modis [10]. Qui non poteſt jejunando peccata curare, poteſt eleemoſyna redimere; eleemoſyna ſufficit ſine jejunio, jejunium [11] non ſufficit ſine eleemoſyna. Jejunium cum eleemoſyna duplex bonum eſt, ſine eleemoſyna nullum bonum eſt. Unuſquiſque donum ſuum a Deo habet, nec curat pœnitentiæ ſpatium, ſed modum.

LXXIII. *De ordinatis homicidis.* (7)

Si Epiſcopus homicidium faciat, deponatur, & pœniteat XII. annis, ſeptem annis in pane & aqua, & quinque jejunet tribus diebus in ebdomada, et aliis communi cibo utatur. Si Presbyter hominem occidat, vel Monachus, ordinem perdat, & pœniteat decem annis, [12] ſex in pane et aqua, & qua-

1 *Morhangiſam* Ms. Lond. 2 Mss. Seld. & Twyſd. & Lond. tantum *de homicidio* habent. 3 Ms. Lond. *vultuatione*. 4 *Et amicis* deeſt in Ms. Lond. 5 *Miſſe veniat* Ms. Lond. 6 *Emendatio ſit in a cadis hujuſmodi* Ms. Lond. 7 Ms. Lond. ita legit: *Si vero inſorciatus non fuerit modo vivus, ſed cutis variationem vel probationem corporis contrahat.* 8 *Autem* deeſt in Ms. Lond. 9 *Hominem reddit* Ms. Lond. 10 *Beneficie modis* Ms. Lond. 11 *Jejunium non ſufficit ſine eleemoſyna* deſunt in Ms. Lond. 12 *Septem* pro *ſex*. Ms. Lond.

---

ta conſcripſerit, perpetualiter inconvulſum permaneat Si autem per ſeriem ſcripturarum ei nihil contulerit, ſi virum ſupervixerit, L. *ſol. in dotem recipiat, & tertiam partem de omni re quam ſimul conlaboraverint, ſibi ſtudeat evindicare, vel quicquid ei in Morgangeba traditum fuerat, ſimiliter faciat. Quodſi ex his quæ conſcripta vel tradita ſunt, ſimul conſumpſerint aliquid, nihil* (inde) *requirat.*

(1) Prima & ſecunda hujus capitis linea corruptæ videntur. Senſum autem loci talem exiſtimo: Homicidium veneno, ſortilegio, vulneratione ſeu maleficio aliquo ejuſmodi illatum ſcelus eſſe inexpiabile & nullo modo redimendum. Simile habes in LL. Æthelſtani cap. 6. cujus e Saxonico in Latinum verſionem veterem ſcil. in Jornalenſi habes apud Spelm. Concil. Tom. I. p. 403. c. 5.

(2) Vid. cap. 92. Traductum hoc videtur e LL. Canuti par. 2. cap. 53. quod vide.

(3) Quomodo apud Jornalenſem in verſione Latina cap. 53. par. 2. LL. Canuti: *Qui murdrum aperte perpetrabit, reddatur parentibus interfecti; & ſi compellatio ſit, & in emundatione miſeveniat, judicet Epiſcopus.*

(4) Cætera lingua vernacula ſic exprimo: *Let him find Sureties for his good abearing in time to come*, quod Juris eſt conſultum nobis adhuc in uſu, & quam antiquum hinc colligе. Vid. LL. Edo. Confeſſ. cap. 18. Rem autem altius petendam cenſeo a ſupra memorato ſcil. cap. 6. LL. Æthelſtani, ubi hoc modo cautum eſt. *and gangen hi on borh that he æfre ſpylces geſwice.*

(5) Sc. criminum hujuſmodi diluendorum gratia juxta dicti Regis Æthelſtani memoratæ Legis tenorem. Revera Capitulum hoc quaſi integre inde hauſtum videtur, & e Lege illa altera Cnuti ſc. 53. ſuperius laudata, quibuſcum ex quadam parte præſertim poſteriori concordat Lex Ripuariorum Tit. 83.

(6) Vide excerpta Egberti Archiep. c. 80. in Spelm. Concil. To. I. p. 266.

(7) Iſtud caput integre petitur (ni fallor) e Canonibus Regis Edgari ſub Tit. *Modus imponendi pœnitentiam*, quem conſule.

et quatuor jejunet in ebdomada, tres dies [1], cæteris utatur cibo suo. Si Presbyter hominem vulneret, centum dies jejunet. Si Diaconus hominem occidat, exordinetur, et septem annis pœniteat, quatuor in pane et aqua, et tres jejunet tribus diebus in ebdomada, in cæteris communi cibo utatur. Si Clericus hominem occiderit, sex [2] annis pœniteat, quatuor [3] in pane et aqua, et duos annos tribus diebus in ebdomada. Si Laicus [4] hominem occidat, quinque annos pœniteat, tres in pane et aqua, et duobus annis tribus diebus jejunet in ebdomada. Si quis ordinatum occidat vel proximum suum, exeat de patria sua, et *Romam* adeat, et *Papam*, et consilium ejus [5] faciat de adulterio, vel fornicatione, vel Nunnæ concubitu similiter pœniteat.

LXXIV. *De purgatione occisorum*.

Si parentes eorum purgare velint (1) eos qui injuste vel sine judicio fuerint occisi, liceat eis secundum Legem pristinam *Werelada* pernegare. Si ad quatuor libras natus sit cum octodecim [6] ex patre sint, ex matre quatuor. Si ad XIV. libras cum XVI. Si bene juraverint atrium ei quærat qui occidit, et emendet ei per omnia, sicut Lex et consuetudo loci sit, et *Wera* parentibus, et *Manbota* Domino. Et qui culpam exigit de fure occiso (2), eat se tertio, ut duo sint de cognatione patris, tertius de cognatione matris, et jurent quod in cognato suo nullum factum erat pro quo de vita forisfactus esset, et eant alii cum XII. et superjurent ei in munditiam quæ ante dicetur. Quod si parentes mortui nolint illuc venire, constituto termino emendet unusquisque cxx. solid. qui super hoc loquebatur. Si aliquis [7] homo ex contentione aliqua, vel rebus repentinis occidatur, requirat eum Dominus suus per plegium, et pro mortuo plenam, et eam rectitudinem offerat quam pro vivo faceret, de quo rectum non difforciaverit. Si ei denegetur, et interim amittatur, vel a bestiis aut avibus devoretur, vel si ab occisoribus inhumetur, vel circumsepiatur, hoc præter *Weram* judicio componatur.

LXXV. *De occisoribus Dominorum suorum*.

Si quis Dominum suum occidat, si capiatur nullo modo se redimat, sed de comatione, vel excoriatione (3) [8] severe gentium animadversione dampnetur, ut diris tormentorum cruciatibus, et malæ mortis infortuniis, infelicem prius animam exhalasse, quam finem doloribus excepisse videatur, et si posset fieri remissionis amplius apud inferos invenisse quam in terra reliquisse protestetur. In omnibus enim humanæ pravitatis excessibus medicinæ salutaris fomenta prolata sunt præter traditionem Domini (4), et blasphemiam Spiritus Sancti, i. habere cor impœnitens, quod juxta verbum Domini non remittetur alicui, vel in hoc seculo vel in futuro. Quisquis itaque de morte Domini (5) sui per se vel per susceptam vel suspectam personam aliqua rerum actione, vel sub introductione tractabit, vitæ suæ culpa sit, et omnium quæ habebit. Et si placitum in accusatione sit *Werelada* sicut ipse Dominus natus est abnegabit. Si quis hominem suum sine culpa mortis occidat, parentibus ejus sicut natus est nihilominus eum reddat, quia videlicet ad serviendum, non ad occidendum servus [9] erat. Et si Dominus in capite est Manbota remaneat. Qui servum suum occiderit (6) suum peccatum est et dampnum. Si ipso die quo vulneratus est vel alio modo afflictus tanquam in manibus Domini sui moriatur, crudelius est et gravius sicut in Lege *Moysi* scriptum est (7). Qui aliquem de parentibus suis occidet, di-

1 *Tribus diebus* Ms. Lond. 2 *Quinque* pro *sex*. 3 *Tres* pro *quatuor*. 4 *Si Laicus----in ebdomada* deest in Ms. Lond. 5 Ms. Lond. *scire* addit. 6 *Octo de patre sint* Ms. Lond. 7 *Alicujus* Ms. Lond. pro *aliquis*. 8 *Accusatione vel ita postremo severa* Ms. Lond. 9 Ms. Lond. *suus* pro *servus*.

(1) De his & seqq. ad ista, *Manbota Domino*, consulas velim harum LL. c. 64. & Leges Edo. Confess. c. 36. Hæc autem *atrium ei quærat, qui occidit*, sic intelligenda puto, *Sanctuarium sibi petat*.

(2) Hæc & seqq. ad ista *qui super hoc loquebatur* sumpta sunt e LL. Æthelstani cap. XI. cui titulus apud Jornalens. *De illis qui culpam exigunt de fure occiso*: Lex autem ipsa ibidem sic Latine datur. *Dictum est de illo, qui culpam exigit pro fure occiso, ut eat se tertio, & duo sint de cognatione vel coitu patris, tertius de cognatione matris, & jurent, quod in cognato suo nullum furtum erat, pro quo vitæ reus esset; & eant alii cum* XII. *& super jurent eum, in contaminationem, sicut ante dicebatur. Quod si Parentes mortui nolint illuc ire, condicto termino, emendet unusquisque* 120. *sol. qui hoc super loquebatur*. Huc pertinet antedictarum Legum Edo. Confess. cap. 36.

(3) Forte *decollatione vel excoriatione*, vulgo *Fleaing*, nisi *exustione* malis, vivicomburium intelligens. Forsan tamen recte hic *decomatione*. Audi enim Text. Roffens. LL. Cnuti Latine exhibentem par. 2. cap. 27. *Auferatur corium capitis cum capillis, quod Angli dicunt behatian*.

(4) Hoc facinus Anglo Saxonibus quandoque *hlafordsearwe*, quandoque *hlafordswice* dictum, & apud eos omnino æque ac apud Normannos inexpiabile. Vide Præfationem in Leges Ælfredi versus finem *bi tha gesetton for thær--oferhogdon*. Concordat LL. ejusdem Ælfredi cap. 4. Edgari cap. 7. & Cnuti par. 2. cap. 23. 61.

(5) Repetitionem sapit Legum Ælfredi c. 4. de quo supra. Vid. etiam LL. Cnuti par. 2. c. 54.

(6) Huc forte pertinet Sanctio illa inter Canones Regis Edgari Tit. *Modus imponendi pœnitentiam*.

(7) Quod Legi Mosaicæ hic adscribitur, ha-

gnis apud Deum pœnitentiæ fructibus emender, et in modo pœnitentiæ sit. Si sponte vel casu perpetravit et occidat, emendatio parentum sicut manbota Domini, si non pertineat ei utrumque et aliorum importunitate, quorum consanguineus est cogatur eum reddere; sapientum hoc judicio secundum genus componatur. Si *Francigena* qui parentes non habeat (1) in murdro perimatur, habeat pretium [1] natalis ejus murdri non abarnaverit [2]. Rex de Hundredo ubi [3] invenietur XL. marcas argenti, nisi intra septem dies reddatur malefactor justitiæ Regis, et talis de quo possit justitia fieri, vel qui occisum comprobet *Anglicum*, habeatur judicium ferri calidi, vel sicut rerum circumstantiis fuerit approbatum. Ad patrem vero non ad matrem (2) generationis consideratio dirigatur, omnibus enim [4] *Francigenis* (3), & alienigenis debet esse Rex pro cognatione, & advocato, si penitus alium non [5] habeat. Si ex parte patris parentes non habeat qui occiditur, et ex parte matris habeat quantum ad eum attinet, i. tertia pars *weregildi* sui reddatur. Si quis hujusmodi faciat homicidium, parentes tamen [6] ejus *Weræ* reddant, quantum pro ea reciperent si occideretur. Si ex parte patris parentes habeat, & ex parte matris non habeat & hominem occiderit, reddant pertinentes [7] ei quantum de ejus interfectione reciperent, i. duas partes *Weregildi* sui. Si quis autem paterna cognatione carens (4) male pugnet ut hominem occidat; si tunc cognationem maternam habeat, reddat ipsa tertiam partem *weræ*, tertiam *congildones*, pro tertia fugiat. Si nec maternam cognationem habeat, reddant *congildones* dimidiam *weram*, pro dimidia fugiat vel componat. Si quis occidatur ejusmodi secundum Legem pristinam, si parentela careat, reddatur dimidium Regi, dimidium *congildonibus*. Si quis debitor moriens testamenta traditionis vel venditionis aliqua fecerit, & filios vel filias non habuerit, quicunque de parentibus suis in hæreditatem successerit [8], omne debitum ejus juste restituat, & omne factum idoneare studeat, vel culpam incurrat.

LXXVI. *De pretio cujuslibet*.

Si homo occidatur sicut natus erit persolvatur, & rectum est ut homicida postquam *weregildum* vadiaverit, inveniat *wereplegios* sicut ad eam pertinebit, i. de *Thaino* debent dari XII. *wereplegii*, octo de parte patris, & IV. de cognatione matris, & cum hoc factum erit, elevetur inter eos pax Regis in omni *weregildo*, & debet *halfang* primo reddi sicut *weræ* modus erit. Omnis autem *wera* liberorum est aut servorum. Servi alii natura, alii facto, & alii emptione, & alii redemptione, alii sua vel alterius datione. Servi & si quæ sunt aliæ species hujusmodi quas tamen omnes volumus sub uno servitutis membro constitui quem casum ponimus appellari ut ita dictum sit. Servi alii casu, alii genitura, liberi alii *Thwyhindi*, alii *Sixhindi*, alii *Thwelfhindi*. *Thwihindus* homo dicitur cujus *wera* est CC. sol. qui faciunt quatuor libras. *Thwelfhindus* est homo plene nobilis, & *Thainus* cujus *wera* est duodecies C. sol. qui faciunt libr. XXV. cujus *halfang* sunt CXX. sol. (5) qui faciunt hodie sol. quinquaginta. Et non pertinet alii cognationi pecunia ista nisi illis qui sunt intra genu. A die illa (6) qua *wera* vadiata est in vicesimum unum diem, habet hoc [9] *halfangum* reddi. Inde in vicesimam unam noctem reddatur [10] *Manbota*, inde in vicesimam unam noctem *Fythwyte*, inde in viginti unam noctem ipsius *weræ* primum *gildum*, & sic omnibus paren-

1 *Spatium* Ms. Lond. pro *pretium*. 2 Mss. Seld. Twysd. & Lond. *peroraverit*. Ms. Scacc. *abatnavit*. 3 *Nisi* Ms. Lond. pro *ubi*. 4 *Enim* deest in Ms. Lond. 5 *Non* deest in Ms. Lond. 6 *Tantum* pro *tamen* Ms. Lond. 7 *Parentes* Mss. Seld. Twysd. & Lond. 8 Mss. Seld. Twysd. & Lond. addunt, *vel cui weregildum ejus, si occisus esset, pertinebat*. 9 *Habet hoc* deest in Ms. Lond. 10 *Reddatur——primum* deest in Ms. Lond.

habes Exod. cap. 21. vers. 20. 21. indeque per Ælfredum Regem in præfatione ad LL. has transcriptum in hæc verba: *Se the slea*, &c. Quadrat hoc Capitular. Car. & Ludov. Imp. lib. 6. tit. 11. *Qui percusserit servum suum vel ancillam lapide vel virga, & mortui fuerint in manibus ejus*, (criminis) *reus erit. Si autem uno die supervixerit vel duobus, non subjacebit pœnæ, quia pecunia ejus est*.

(1) Plura de hoc vide infra cap. 91. 92. & Schol. ibid.

(2) Sic etiam antea consultum est c. 68. & postea c. 77.

(3) Exemplum (forte) duxit Legislator ex fœdere Edo. & Guthr. Regum c. 12.

(4) Hæc & sequentia ad ista, *dimidium congildonibus*, plane prompta sunt e Legibus Regis Ælfredi. c. 27. quod apud Jornalensem sic se habet cap. 34. "Si quis ex parte patris sui cognatione carens homicidium faciat, si ex materna parte cognationem habeat, reddat ipsa tertiam partem compositionis, tertiam congildones, & pro tertia parte fugiat. Si nec maternam cognationem habeat, solvant congildones ejus dimidiam compositionem & pro dimidia fugiat. Si quis occidatur hujusmodi, qui parentes non habeat, compositionis medietas solvatur Regi, & medietas gildonibus." Legislatoris autem verba hæc *secundum Legem pristinam* Legem forte Ælfredi illa antiquiorem Inæ sc. cap. 22. respiciunt. *Gif he thonne mægleas sy healf cyning healf se gesith*.

(5) Hinc est forte, quod ipsum crimen in LL. Cnuti secularibus cap. 14. CXX. sol. mulctatum, harum Legum capite 34. s. solid. tantum plectatur. Unde autem hoc, vide in Glossar. in voce *Manca*.

(6) Hic ingerit se Legum illarum Regis Edmundi par. 2. capit. 7. pars posterior, *of thæm dage on 21. nihtun*, &c. Verba autem hæc *intra genu* quid significent in obscuro est, nisi de cognatis æstimatæ personæ consanguinitate, non autem affinitate junctis, accipienda sunt.

rentibus Dominisque emendationibus initiatis persolvantur reliquum *weræ* intra terminum quem sapientes instituunt. Deinde liceat per amorem procedere si perfectam velint amicorum intrandi & exeundi licentiam habere. Eodem modo per omnia de *Cyrlisci* [1] vel villani *wera* fieri debet secundum modum suum, sicut de duodecies centeno diximus. Age enim de aliquo secundum Legem qui natus sit ad quatuor libras, & quando vel quibus reddi debeat, vel quomodo distribui, *halffange* ejus sunt v. mancæ, quæ faciunt xii. sol. & vi. denar. Est autem verbum Anglicum quod Latine sonat apprehensio colli. Si quis ad iv. libr. persolvendus occidatur, & ad id res veniat ut pretio natalis ejus componendus sit, primo debent reddi xii. sol. et vi. den. et in *wera* numerari. Reddantur vero patri, vel filio, vel fratri, vel qui propinquior est de patre, si prædictos parentes non habeat: si omnes istos habeat, et ipsi dividant inter se. A die qua *wera* vadiata est (1) in xxi. diem [2] sine omni excusatione & dilatione debet *halfhang* reddi sicut præmisimus, & hoc indivisum habeant a cæteris. Inde ad xxi. diem reddatur ipsius *manbota*, tunc ad xxi. diem *utpita*, inde ad xxi. diem reddatur ipsius *weræ* (2) *Frumgyldum*, [3] i. septem sol. & sex denar. ad expletionem xx. sol. inde componat, qui *weram* solvit terminum de xx. sol. inde ponant terminum suum parentes mortui, de xl. ovibus quæ pro xx. solid. [4] computantur. Sint autem oves videntes & cornutæ (3), nulla parte diminutæ, ultimo termino reddatur equus qui pro xx. sol. numerandus est, hoc secundum Legem & nostram consuetudinem diximus: differentia tamen *weregildi* multa est in Cancio villanorum & Baronum (4).

LXXVII. *De solutione liberi vel servi.* [5]

Si quis de servo patre natus sit (5) & matre libera, pro servo reddatur occisus in ea parte, quia semper a patre non a matre generationis ordo texitur (6). Si pater sit liber & mater ancilla, pro libero reddatur occisus, si sit *Anglicus* vel non sit, & [6] nihil interveniat cur remaneat; aliquando autem erit sicut Dominus ejus voluerit, vitulus autem matris est, cujuscunque taurus alluserit (7). Si quis servus, vel natus, vel factus in libertatem transeat, habeat Dominus suus *Manbotam* liberi.

LXXVIII. *De liberatione servi.*

Qui servum suum liberat (8) in Ecclesia, vel mercato, vel Comitatu, vel Hundredo coram testibus & palam faciat; & liberas ei vias & portas conscribat apertas, & lanceam, & gladium, vel quæ libero-

1 *Cylisci* Ms. Scacc. *Sirlisci* Ms. Lond. 2 *Diem* deest in Ms. Lond. 3 *Freminglid..m* Ms. Lond.
4 *Solid.* Ms. Lond. pro s. 5 *Servi occisi* Ms. Lond. 6 *Sed* Ms. Lond. pro *&*.

(1) Hic repetitio eorum quæ paulo ante dixerat Legislator.

(2) *Frumgyldum*, id est, ut supra, primum gildum (prima sc. præstatio) nec aliter locus, unde hoc desumptum reor, Leges sc. Edmundi cap. 7. Quod autem ibi, ut & hic, per totum fere præsens Capitulum de Twelfhindi & Twihindi weris institutum in Codice regio Ms. ad S. Jacobum asservato sub finem LL. Edmundi fol. 154. b. verbis hinc illinc sono saltem discrepantibus, sic se habet. "Twelfindi hominis weregildum est Twelfhund scillinga, i. e. duodecies 100. solidi, qui faciunt libras viginti quinque. Twihindi hominis wera est twa hund. scil. id est, ducenti sol. Si homo occidatur, sicut natale ejus erit, persolvatur, & rectum est, ut homicida postquam weregildum mortui vadiaverit, inveniat wereplegios, sicut ad eum pertinebit, hoc est, de Twelfhindi hominis weregildo debent dari 12. homines ad wereplegium, octo de cognatione patris, & quatuor de cognatione matris. Cum hoc factum fuerit, elevetur inter eos Regis munde, id est, pax, hoc est, ut omnes communi manu de utraque cognatione in uno armorum Mediatori dent, quod Regis munde stet inter eos. A die illa in 21. noctem reddantur 120. sol. pro healsfango de twelfhindi hominis weregildo. Healsfangum debent habere filii fratris & federan, id est, fratres patris. Non pertinet alii cognationi pecunia ista, nisi illis qui sunt intra cneowe, i. e. a genu. A die illa, qua halsfangum redditum sit in 21. reddatur manbota, inde in 21. noctem, Fihtwita, id est, forisfactura pugnæ, inde ad 21. noctem ipsius weræ frumgildum, id est, prima redditio, & sic postea donec persolvatur infra terminum, quem Sapientes instituert. Deinde liceat per amorem procedere, si perfectam amicorum consocietatem habere velint. Eodem modo per omnia debet de Cyrlisci hominis wera fieri secundum mensuram quæ pertinet ei, sicut de twelthindo narravimus.

(3) Aliquid huc tendens habetur in L. Ripuarior. tit. 36. cap. 11.

(4) Utrum autem Cantium nostrum (Comitatus sic dictus) villanos (forensium hujus temporis sensu) servos scil. & nativos, ut alias vocant, Saxonibus *theowe. thræl weal.* tunc temporis anteave aut citra agnovit, nec ne, vide Tract. Clar. Somneri de Gavelkind. cap. 3. utrumque Cantium in re Weregildi, præ cæteris locis esse notabile, ex præmissis patet.

(5) Contra Jus civile Romanorum, ubi partus sequitur ventrem. Vide Fortescut. de Laud. LL. Angliæ c. 42. & Cl. Seldeni Notas ibid.

(6) Vid. Schol. ad cap. 75.

(7) Hinc forte illud apud nos vulgare: *The Mother's is the surer Side*, i. e. *Laterum certius esse maternum*; hinc etiam aliud, quo utimur, in mentem venit proverbium: viz. *Maritum teneri vitulum nutrire, quicunque rem habuerit cum vacca*. Anglice autem sic: *Whosoever bulls the cow, the good man must keep the calf*; juxta illud: *Filius est*, (*Pater* etiam) quem *nuptiæ demonstrant*. De quo vide Glanvill. nostr. lib. 7. cap. 12. item Bracton. lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 29. Bartolum etiam in L. filium 6. ff. de his qui sunt sui vel alieni juris lib. 5. ff. de in jus vocand.

(8) Hæc & sequentia ad ista, *in manibus ei ponat*, pleraque traduntur ex LL. Guiliel. L cap. 65. de quo supra.

ram arma ſunt in manibus ei ponat. Si quis in ſervum tranſeat ſicut poſſeſſor eſt in *Halimoto*, vel *Hundredo*, vel vicinio coram teſtibus agatur, cum excoluerit ut nec ille deinceps abneget, et de ſingulis diſcrete ſciatur cujus conditionis æſtimandi ſunt, liberæ ſc. an ſervilis, (1) quia multi potentes volunt ſi poſſunt defendere homines ſuos modo pro ſervo, modo pro libero, ſicut interim factu facilius ſit. Sed Legibus hoc interdictum eſt (2), in ſignum vero tranſitionis hujus *billum*, vel (3) *ſtrublum* [1], vel deinceps ad hunc modum ſervitutis arma ſuſcipiat et manus in manus Domini mittat et caput. Si quis de ſervitute redeat in liberum, in teſtem manumiſſionis cum teſtibus redditionis Domino ſuo xxx. denarios reddat (4), ſcilicet pretium corii ſui (5) in ſignum quod eo dignus ſit in æternum. Si quis in occulto (6) filium vel filiam genuerit et celaverit, ſi forte occidantur, non eſt ei de *wera* reſpondendum poſt mortem, quorum pater non comparuit in vita. De inventis et pauperibus et abjectis poſitum eſt (7). Si quis eos occidat æque; ſi parentes repetentes *wera*, *wyta*, *manbota*, ſicut juſtum accidentia fecerit perſolvantur vel in *taſchis* vel hujus ſuggerendum ſicut de *blodſtotis* ſtatutum eſt quod parentes ſui divites ac Domini multa ſinunt in progenies egeſtate mendicos. Si pecuniam habebunt, ſit Domino cui præbendarii erant, ſi ſuper terram ejus ſit. Quæ omnia fortiora erunt ſi ſine diſtributione, vel diviſione, vel commiſſione, et prælocutione erant ibi. Si quis a nativitate ſurdus et mutus ſit (8), ut ſua vel alterius nequeat interrogata confiteri, emendet pater ejus foriſfacta ſua. Inſanos et ejuſmodi maleficos debent parentes ſui miſericorditer cuſtodire.

LXXIX. *De liberatione filioli vel matrini.* [2]

Qui alterius filiolum vel patrinum occiderit, erga eum, et parentes mortui conjunctim [3] reus ſit (9), et creſcat emendatio ſecundum *Weram* ſicut *Manbota* ſecundum Dominum. Si filiolus Regis ſit, per *Weram* emendetur Regi ſicut cognationi. Si occiſor ejuſdem parentelæ ſit, remaneat emendatio patrini ſicut et *Wyta* Domini. Si quis Nuntium Regis eat (10), et breve ejus deferat, qui eum innocentem occiderit, in miſericordia Regis erit (11). Et ſi com-

1 *Stumblum* Ms. Lond. 2 *Vel matrini* deeſt in Ms. Lond.
3 *Communiter* Ms. Twyſd. quod deeſt in Ms. Lond.

(1) Quod autem ſequitur ad iſta *factu facilius ſit* e Legibus Cnuti par. 2. c. 19. ductum arbitror, ubi eadem verba: *manig ſtrecman wyle*, &c. quæ ſic Latine exhibet Jornalenſis; *multi ſtrecman, i. e. potentes ſive fortes volunt ſi poſſint & audeant defendere homines ſuos ad utrumlibet, ſicut iis videbitur, quod procedat modo pro ſervo, modo pro libero, &c.*

(2) Sc. Lege Regis Cnuti, de qua ſupra, ubi hæc: *and we nellath gethafian that unrichte*, &c. ſed nolumus hanc injuſtitiam pati.

(3) Forte *billum vel ſtimulum*, quæ arma (ut videtur) ſervo propria, ut e contrario lancea & gladius libero. Vide ſupra initium Capitis hujus 78.

(4) Non tamen proprios, audiatur enim Glanvilla lib. 5. cap. 5. "Notandum eſt, (inquit) quod non poteſt aliquis in villenagio poſitus, libertatem ſuam propriis denariis ſuis quærere: Poſſet enim tunc a Domino ſuo ſecundum jus & conſuetudinem Regni ad villenagium revocari, quia omnia catalla cujuslibet nativi ita intelliguntur eſſe in poteſtate Domini ſui, quod propriis denariis ſuis verſus Dominum ſuum a villenagio ſe redimere non poterit. Si vero quis extraneus eam ad liberandum emeret ſuis nummis, poſſet quidem perpetuo verſus Dominum ſuum, qui eum vendiderat, ſe in ſtatu libertatis tueri." Vide tamen Lindenbrog. Gloſſar. in voce *redemtionale*, ubi Redemptionem ſervi propria pecunia exterarum nationum Juriſprudentia ſaltem veteri, permiſſum eſſe reperies.

(5) Quod alias *Hidegild* antiquitus vocatum. Vide Eccleſ. Legum Cnuti cap. 42. veterem verſionem apud Spelm. Concil. Tom. 1. p. 567. cap. 12. & Concil. Berghamſted. ibid. p. 196. num. 11. 14. 16. ubi hoc ad 6. ſol. æſtimatur. Summa autem licet in utroque loco videatur varia, revera tamen, veterum æſtimatione eadem eſt, ut in Gloſſar. ad fin. operis, in voce *Manca*, plenius docebitur. Lapſus interim (ni fallor) idem doctiſs. Eques in Gloſſar. ſuo *Hidagium* & *Hidegild* veluti ſynonyma confundens: *Hidagium* (inquit) *tributum quod ex ſingulis hidis colligitur, alias Hidegild. Vide Geldum.* Hidegild autem illo ſenſu, quod ſciam, nuſquam occurrit. Quod hic *pretium corii* dictum Lex Salica 42. §. 2. habet *ſolidos pro dorſo ſuo reddere*, quod Lindenbrogio *corium & dorſum redimere*, ne vapulet, puta.

(6) Locus integre petitus e LL. Inæ c. 27. ſic exhibetur apud Jornalenſem: Qui in occulto puerum genuerit & celaverit, non habebit (habuerit) pueri ipſius weram, ſi occidatur, ſed Rex & Dominus ſuus.

(7) Hæc uſque ad *prælocutione erant*, adeo obſcura ſunt, ut ſenſum illis attribuere nequeam.

(8) Hic ſe ingerit cap. 14. Legum R. Ælfredi, quod apud Jornalenſem ſic Latine habetur: *Si quis ſurdus ſit, aut mutus natus, ut non poſſit negare vel confiteri peccata ſua, emendet pater ejus foriſfacta ſua.*

(9) Sic legitur in originali, ut ita dicam, in LL. ſc. Regis Inæ cap. ult. ubi hæc & ſequentia, uſque *ſic ut & Wyta Domini*, reperiuntur inſtituta.

(10) Vide Leges Inæ c. 32. ubi Equiſo Regis Wallus, qui poterit mandata ipſius deferre, 200. ſolidis æſtimatur.

(11) Miſericordia Regis multiplex, gravior autem & levior pro culpæ qualitate & aliis circumſtantiis. Miſericordiam autem Regis hoc in loco intellectam explicatam habe Glanvillæ verbis lib. 14. cap. 1. ubi de capitalis criminis convicto verba faciens; *ex regiæ* (inquit) *diſpenſationis beneficio tam vitæ quam membrorum ſuorum ejus pendet judicium*; quod Anglo Saxonibus ſic expreſſum: *And ſy on cyninges dome hwæther he life age the nage, & ſit in arbitrio Regis utrum vitam habeat vel non.* Miſeri-

commodum aliquod facere promiserat, hoc componat qui pacem Regis fregerit quam idem manu sua dabit alicui. Si capiatur de membris culpa sit. Si quis a Vicecomite vel alio Ministro pacem Regis habeat, si infringatur in eo, *Gridbreche* [1] sit, et centum sol. emendetur, si ad emendandum venire liceat. Si quis in Ecclesia faciat homicidium (1), hoc emendare non possit, sed persequatur eum omnis qui Deum diligit, nisi forsan eveniat ut per aliquod pacis confugium Rex ei vitam indulgeat dignis satisfactionibus apud Deum [2], et homines sua prius inductione ut emendare liceat, postea *Wera* parentibus, *Manbota* Domino, *Wyta* cui proveniet, et emendetur infractio pacis Ecclesiæ, et reconciliatio perquiratur secundum dignitatem singulorum matris et capitalis Ecclesiæ, *Gridbreche* [3] est ad minus, sicut infractio pacis Regis [4], i. v. lib. in Anglorum Lege, mediæ L. sol. quæ est *Wyta* Regis, et adhuc minoris ubi parva parochia est, et atrium cum sit [5] xxv. sol. et campestris Capellæ ubi non sit atrium, XII. solid. et VI. denar.

LXXX. *De homicidio in Curia Regis, exercitu, Burgo vel Castello.*

In Domo (2), vel in Curia, vel in Burgo, vel in Castello, vel exercitu, vel hostico Regis faciat aliquis homicidium, sit in misericordia Regis de pecunia vel membris. Si in via regia fiat assultus super aliquem *Forestal* est (3), et c. sol. emendetur Regi [6], si ibi calumpniam habeat, ut divadietur vel retineatur ibi malefactor, vel si est in *socna* Regis, tanta vero debet esse via ut inibi duo carri sibi possint ad invicem obviari, et bubulci de longo stimuli sui possint assimulare, et XVI. milites possint equitare de latere armati; et via regia dicitur quæ semper aperta est, quam nemo concludere potest, vel avertere cum minis [7] suis quæ ducit in Civitatem (4), vel Burgum, vel Castrum, vel portum regium [8], et unaquæque Civitas tot magistras vias quot magistras portas habet ad theloneum et consuetudines insignitas. *Forestal* est, si quis ex transverso incurrat, vel in via expectet et assalliat inimicum suum, si post eum expectet vel evocet ut ille revertatur in eum, non est *Forestal*, si se defendat. *Stretbreche* c. sol. emendetur (5). *Stredbreche* est si quis viam frangat concludendo, vel avertendo, vel fodiendo. In cujuscunque terra fiat homicidium qui *Socnam* et *Sacam* suam habeat, si homicida divadietur ibi vel gravetur *Fitbwytam* recipiat. Si plures interfuerunt cum Domino vel Præposito, vel adhuc modo aliquo qui jus habeat in eos, si occisus, et locus unius Domini sint qui *Socnam* suam habeant *Manbotam* et *Fitbwytam*. Si quis in domo vel in Curia Regis fecerit homicidium, vel *Hominiplagium*, de membris componat; et domum Regis hoc loco dicimus ubicunque in regione sua sit, cujuscunque feudum vel mansio sit. Si quis tamen legitimos [9] coactionis testes habeat, vel Dei judicium offerat quod se (6) defendendo fecerit, Dei rectum est ut emendare liceat. Item qui in domibus Archiepiscoporum (7), Episcoporum, vel Comitum fecerit homicidium vel hominicædium, sicut causa fuerit membrorum vel pecunialis [10] emendationis reus sit. Emendatio autem vel redemptio est juxta culpæ meritum et loci consuetudinem. Cum enim in omnibus grave sit, gravius tamen est de parente Domini occiso (8) de ministro suo, et ante eum gravius est hoc effectum et

Over-

1 *Grindebreche* Ms. Lond. 2 *Dominum* Ms. Twysd. 3 *Grindbreche* Ms. Lond. 4 *Sicut infractio pacis Regis*, i. deest in Ms. Lond. 5 *Transit* Ms. Lond. pro *cum sit*. 6 *Maxime* addit Ms. Lond. 7 *Pannis* Ms. Lond. *ruinis* Ms. Seld. *ramis* Ms. Twysd. 8 *Regium* deest in Ms. Lond. 9 *Legitimationis vel coactionis* Ms. Lond. 10 *Pecunia vel Emendationis* Ms. Lond.

---

sericordia hoc sensu accepta Forensibus nostris *amerciamentum* signat; sic autem dicta, quia cum nulla certa pœna in ea parte jure definita sit, persona censenda judicis relinquitur misericordiæ, qui majorem vel minorem pro suo arbitrio animadversionem in eum exercet. Reus enim in hoc casu Gallice (unde verba hæc) dicitur amercie, i. e. in forensi Latinitate *in misericordia*.

(1) Hæc & sequentia ad finem usque Capitis pleraque petuntur e LL. Cnuti par. 1. cap. 2. & 3. quas Latine versas vid. Concil. Spelm. Tom. 1, p. 561. cap. 3. De crimine autem homicidii in Ecclesia perpetrati vide prius tradita cap. harum Legum 12. *Pacis* hic *confugium* Saxonice habetur *frithsocne asylum* sonans, de quo vide Spelm. Glossar. in voce *Firdstol*.

(2) Horum Consultorum primordia vide in LL. Inæ Regis cap. 6. 46. Ælfredi cap. 7. 36. & Edmundi cap. 2.

(3) Vide supra c. 12. ubi ut & hic forestal, inter placita enumeratur emendabilia, scil. c. sol. Quid autem sit *Forestal*, præter species ejus hic exhibitas vide Glossar. ad finem operis.

(4) Vide LL. Edo. Confess. cap. 12. & placitum apud Pinedenam apud Clar. Seld. Notis ad Eadmer. pag. 197.

(5) Recurre ad cap. 12. ubi hoc reperies inter placita enumerari emendabilia, uti & hic c. sol. *Stretbreche* autem quid significet, & unde ductum sit, verba hic immediate sequentia sat plane demonstrant.

(6) Vide D. Cowelli Interpretem verb. *se defendendo*. Simile habes postea cap. 87. & de eod. vide etiam c. 83. & Exodi c. 22. ver. 2.

(7) Vide superius citata in Schol. ad c. 1.

(8) Parentis vox & hic & alibi harum Legum sæpius obvia. Quod stricte aut proprie ut apud veteres Romanos accipienda sit, haud sentio: verum plane (ut verbis utar viri undequaque doctiss. Isaa. scil. Casauboni Comm. in Capitol. pag. 134.) quomodo in Idiotismo Gallico, Hispanico etiam & Italico, pro quibuscunque sanguine vel affinitate junctis usurpatur, potest addi & in Feudorum libris, de quo vide Hotoman. de verb. feudal. & Lindenbrog. in voce.

Overseunessa, vel multa constituali diffactione plectendum. De Thainis et Baronibus, et qui sunt hujusmodi in *Overseunesſ.* consistat, nisi amplius interveniat, ut addatur pacis fractionem per *Hamsocnam* et similia, vel si sit homo ejus cujus est domus, qui fuerit interfectus, vel percussus, vel quoquo modo afflictus. *Hamsocna* quod [1] domus invasionem Latine sonat, fit pluribus modis, extrinsecus vel et intrinsecus accidentiis. *Hamsocna* est si quis alium [2] in sua vel alterius domo cum *Haraide* assailiaverit (1), vel persequatur ut portam, vel domum sagittet, vel lapidet, vel colpum ostensibilem undecunque faciat. *Hamsocna* est vel *Hamfare*, si quis præmeditate ad domum eat ubi suum hostem esse scit, et ibi eum invadat. Si die vel nocte hoc faciat et qui aliquem in molendinum vel ovile fugientem prosequitur *Hamsocna* judicatur. Si in curia vel domo seditione orta, bellum etiam subsequatur et quivis alium fugientem in aliam domum insuget, si ibi duo tecta sunt, *Hamsocna* reputetur. *Insith* vel *Insocna* est quod ab ipsis qui in domo sunt contubernales agitur, hoc etiam sicut præmisimus *Wyta* emendabitur patrifamilias, si quæstionem habeat (2) quærentem vel quæsitam.

LXXXI. *De pace Regis danda in* [3] *potatione.*

In [4] omni potatione dationi (3), vel emptioni, vel *gilde*, vel ad quemlibet in hunc modum præparata [5], primo pax Dei & Domini qui inter eos convenerint publica prænuntiatione ponenda est, & rogandum, ut si quis alium ibi quacunque devitet occasione, si placeat palam faciat, & rectum ei vadietur competenti termino peragendum, sicut & ibi justum erit. Si præsentem concordiam non admittunt, vel exeat, vel recedat cujus culpa claruerit ad odium. Si priusquam pax [6] ita posita sit a combibentibus in domo quod agatur, *Overseunessa* est emendandum Domino domus, vel cui proveniet, si cravatus (4) & retentus sit ibi, & sit alterius dominii. Quidam villani [7] qui sunt ejusmodi *Leuerwitam* & *Blodwitam*, & hujusmodi minora forisfacta [8] emerunt a Dominis suis vel quomodo meruerunt, de suis [9] & in suos quorum *Flergesoth*, vel *Overseunessa* est xxx. den. *Cothseti*, quindecim den. servi vi. [10] den. Si quis ad arma prosiliat, & domum exfrediet [11], nec tamen aliquem percutiat dimidio forisfacto culpa consistat.

LXXXII. *De aliquibus inimicis ad invicem.*

In omni causa, si quis inimicum residentem habeat (5), non ante impugnet eum quam ipsum [12] ter, & per bonos testes de recto requirat, & ei cujus homo est, & si opus est justitiæ quæ præerit, ostendat sive de *Anglico* sive de *Franco* causa consistat. Si vagans homo sit qui forisfecerit, requiratur tamen de recto ubi eum esse constabit, & con-

1 *Quod----Hamsocna* deest in Ms. Lond. 2 *Alium* deest in Ms. Lond. 3 *Præliis* addit Ms. Lond.
4 *Non in omni* Ms. Lond. 5 *Reparata* Ms. Lond. 6 *Si postquam posita sit ita* Ms. Lond.
7 *Quid* pro *quidam*. 8 *Forisfacta* deest in Ms. Lond. 9 *De suis* deest in Ms. Lond.
10 *V.* Ms. Lond. 11 *Diffrodiet* Ms. Lond. 12 *Ipse* Ms. Scacc.

(1) Sensum pete ex Hariraida & Herireta apud doct. Spelm. Glossar.

(2) I. e. *Si Socnam habeat*. Vide cap. 20. ubi hæc *in socna*, id est, *in quæstione*. Jurisdictionem (ni fallor) signat---in quærentem vel quæsitum, id est in contubernalium alterum Infith, vel Insocnæ reum.

(3) Et Titulum & priorem partem Capituli tam corrupta & obscura reperio, ut sensum alterutrius vix assequi possim, nisi LL. Inæ cap. 6. respiciant, ubi de rixa inter convivas (*decertatio in potatione*, Jornalensi) & ejus pœna inter alia agitur. De pace (ni fallor) cavetur hic in domo publici convivii servanda. Talem Saxones *ealabus* appellabant, unde nostrum *Alehouse*. *Et pax quæ dabitur in Ealahus emendetur de homine occiso 6. dimidiis marcis, de vivo 12. oris*. Ita LL. Æthelredi apud Venetingum cap. 1. in Cod. Jornalensi. Ad pleniorem autem hujus Capitis intelligentiam, quædam de veterum Germanorum (a quibus tum Normanni tum Saxones criundi) moribus paulo altius petenda sunt. Audiamus igitur, quæ de illis ut luculentissime scripsit, Cornelium Tacitum, insignem illum Historicum, in peculiari Tractatu de moribus Germanorum: *Diem*, inquit, *noctemque continuare potando nulli probrum. Crebræ ut inter vinolentos rixæ, raro convitiis, sæpius cæde & vulneribus transiguntur. Sed & de reconciliandis invicem inimicis & jungendis affinitatibus, & adsciscendis principibus, de pace denique & bello plerumque in conviviis consultant, tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat.* Hoc in parte & de aliis nationibus tradit Quintil. in Declam. his verbis: *Ut severa nobis antiquitas tradidit, infestos animos placavere mensæ, & homines qui inter se armis atque exercitibus conflixerant, tuti tamen jacuere, media cœnæ fide.* Id hodieque durare inter Germanos testatur vir doctus in libro Anglico (*A Discourse concerning the Lord's Supper by* R. C.) cujus hæc sunt verba: *The Germans still use to conclude of bargains and ratify friendship between parties by drinking together, as appears by that phrase they have, den frieden trincken, pacem bibere.* Potationum hujusmodi quædam (ni fallor) umbra adhuc manet in *Alis*, ut vocantur in partibus Angliæ Occidentalibus & Aquilone, nondum exoletis, ubi quemadmodum etiam in vigiliis (vulgo *Wakes*) convenitur, non solum convivii causa, sed & ut jurgia, lites & controversiæ inter vicinos ortæ audiantur & componantur. Vide Caræi notitiam Cornubiæ pag. 68. & Chauceri interpretem in voce *Vigils*.

(4) Vide Scholia ad cap. 20.

(5) Hoc Capitulum, ut videtur, fundatur in LL. Ælfredi Regis c. 38. quod sic se habet, *eac se becdath*, &c. i. e. (ut habetur apud Jornalensem) *Etiam instituimus ut homo, qui inimicum suum residentem scit, non autem* (ante) *impugnet eum, quam sibi rectum postulet*.

consilio, ac licentia ejus [1] in cujus terra & socna invenitur, fide, vel sacramento, vel fidejussoribus astrictus, juste satisfactioni præparetur. Quod si per omnia refragaverit [2], & id causæ, vel temporis, vel locorum, vel accidentium sit, vel de suo aliquid pro in borgo [3] retineatur, ratione hoc & legitimis testibus fiat ne deterius aliquid inde contingat vel sequatur, quæ diligentius advertenda sunt, sicut accusatus credibilis erit, & accusationibus vel detentionibus acquieverit, & sicut ejus esse vel non ejus esse quod ita retinebitur innotuerit, & hiis omnibus habundantiori formidine [4] refectum est, an de parentum, vel amicorum interfectione, vel dampnis corporalibus, vel pecunialibus actitetur, & si etiam is in cujus terra fuerit inventus rectum per omnia disforciabit. Non tamen in eos inconsulte quid agatur. Sed in manu ejus gravetur, & Principi vel Ministro suo demonstretur (1), & unicuique licet Domino suo sine Wyta subvenire. Si quis assalliat eum, & in omnibus legitimis obedire, præterquam in proditione, furto [5], murdro, et deinceps similibus quæ nullo prorsus ingenio fieri concessa sunt, et Legibus infamantur; ad eundem modum Dominus consilio pariter, et auxilio debet, et modis omnibus potest sine forisfacto homini suo, in suis opportunitatibus [6] subvenire, et quoscunque Dominos quis habeat, vel [7] quantumcunque de aliis teneat, ei plus debet cujus ligius est in omni honesto, utili, et necessario ad facultatem et sanitatem, ad animam et [8] ejus residens esse debet, et in bello secum esse, et ejus Manbota est si occidatur. Et in quibusdam potest Dominus homini suo warantus esse si præcepto suo verberaverit, vel alio modo contrectaverit [9] aliquem qui pertineat vel non pertineat [10] ad eum: in quibusdam vero non poterit. Similiter conceditur ut homo cum germano suo cognato communicet in omni necessario, similiter pugnare potest homo (2) contra eum, quem cum desponsata [11] sibi uxore post secundam et tertiam prohibitionem clausis hostiis vel sub una coopertura inveniat, sive cum filia sua quam desponsata genuerit, sive cum sorore sua quæ desponsata sit, sive cum matre sua quæ patri suo fuerit desponsata; pecunialis autem emendatio Legibus inventa est, si desponsata fœmina fornicetur, et *Cyrlisca*, vel *Syxhinda*, vel *Twelfhinda* sit, et corporalis diffactio (3) persistentibus instituta. Pensandum autem est per visum accusantibus visum concubitus propensius advertendum, ut scilicet ipsas coeuntium naturas viderit commisceri.

LXXXIII. *Quod unicuique licet se defendere in quolibet negotio præterquam contra Dominum suum.* [12]

Unicuique licet se defendere, si quis eum assailiat in omni loco vel negotio excepto contra Dominum, quem tolerandum, non occidend' jugiter ac salubriter frequentamus advertendum (4). Si quis juxta quod prædiximus in hostem suum incidat, vel vagipulantem [13], vel alium qui juste requisitus rectum per omnia denegaverit; si tamen se reddiderit et pacem ac misericordiam vel invitus quæsierit, non occidatur. Sed ad satisfactionem a reperiente custodiatur xxx. noctes, et parentibus et amicis suis sæpius interim offeratur. Si pax in terra sit, consilio Principis et Ministrorum ejus agatur in quibuscunque causis rectum disforciabitur legitime requisitum. Qui rectum offerentem occiderit, vel afflixerit in aliquo, emendet *Wytam*, vel vulnus, vel denique sicut egerit, et quicquid adversus eum habebat forisfaciat, et qui aliquem quocunque modo perimit, videat, ne *Weilref* faciat; *Weilref* dicimus, si quis mortuum resabit armis, aut vestibus [14], aut prorsus aliquibus, aut tumulatum, aut tumulandum. Et si quis corpus in terra, vel *noffo*, vel petra, sub pyramide, vel structura qualibet positum sceleratus infamationibus effodere, vel expoliare præsumpserit, *Wargus* habeatur. Si quis in vindictam, vel in se defendendo occidat aliquem, nihil sibi de mortui rebus

1 *Ejus* deest in Ms. Lond.
2 *Refragatus fuerit* Ms. Lond.
3 *1. sine plegio* addit Ms. Lond.
4 *Formidine* deest in Ms. Lond.
5 *Furto* deest in Ms. Lond.
6 *In oportunibus* Ms. Lond.
7 *Quantumcunque——debet* deest in Ms. Lond.
8 *Animam &* deest in Ms. Lond.
9 *Contristaverit* Mss. Seld. Lond. & Twysd.
10 *Vel non pertineat* deest in Ms. Lond.
11 *Sibi* Ms. Lond.
12 Ms. Lond. ita Lemma habet: *Quod unicuique liceat in negotio se defendere contra Dominum suum.*
13 *Vapalentem* Ms. Lond.
14 *Aut vestibus* deest in Ms. Lond.

(1) Hic se ingerit, quod in cap. 38. LL. Ælfredi *eac we cwedath that mon mot mid*, &c. id est, secundum Jornalensem: *Item dicimus ut homini liceat pugnare cum Domino suo sine wita, si quis assailiat ipsum Dominum; sic liceat Domino pugnare cum homine suo, &c.*

(2) Hic iterum ingerit se illa Ælfredi Regis Lex (cap. sc. 38.) *eac man mon feahtan orwite*, &c. Unde hæc & sequentia ad ista, *fuerit desponsata*, plane petuntur. Habe hic versionem apud Jornalensem, & de lectione inde sit judicium. " Et item potest homo pugnare sine forisfacto, si alicui obviet cum sponsa sua clausis hostiis, vel sub una veste, vel cum filia sua desponsata, vel cum sorore sua, quæ de sponsa sit nata, vel cum matre sua quæ patri suo fuerit desponsata. ,, Cætera prompta censeo e Legibus ejusdem Regis cap. 10. cui titulus *Be forlegerum*: cujus veterem in Latinum versionem habes apud Spelm. Tom. 1. Concil. p. 373. cap. 8.

(3) Diffactio (i.e. deformatio), nasi puta scissura, genæ inustione, aut simili, juxta Martialis illud ad Maritum quendam lib. 3. Epigr. 43.

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?
Non hac peccatum est parte, marite, tibi.

(4) Videantur omnino cap. 43. versus finem & c. 75. in princ. Secus Glanvilla lib. 9. c. 1.

rebus aliquis usurpet, non equum, non galeam, vel gladium, vel pecuniam prorsus aliquam. Sed ipsum corpus solito defunctorum more componat, caput ad oriens, pedes ad occidens versum, super clypeum si habeat, & lanceam suam figat & arma circummittat, & equum adregniet [1], & adeat proximam villam, & cui prius obviaverit denuntiet, & etiam *socnam* habeat quod probari denique vel defendi possit contra parentes vel consocios ejus. Si inter aliquos de rebus repentinis verborum dicacitate, vel eventus aliqua procacitate dissensio consurgat, ex quo aliquis eorum gladium scogilatum [2] evaginat, non est expectandum etiam ut percutiat.

LXXXIV. *De verberatione.*

In quibusdam locis, sicut diximus, reus est qui verberat & qui verberatur, ut nec malefaciens impunitate superbiat, nec contumeliatus fœdis emendationibus insolescat; ubi unus non vult, duo non certant, & omnis *unlaga* frater est alterius, & qui respondet stulto juxta stultitiam suam, similis est ejus.

LXXXV. *Quod quivis liberavet eum quem in malis duxerit.*

Qui ad [3] dampnum vel malum aliquem duxerit, liberet eum advocatione (1), vel emendatione, vel participatione, non omnes causæ omnibus suo possunt interventu suffragari. Qui vero possunt vel non possunt, promptum est inveniri, a causa, a persona. Capitales enim & criminales causæ ita Prælatis & subditis, & modis omnibus interdictæ sunt [4], ut non solum auctor ipse sceleris puniendus sit (2), sed quicunque dando, vel recipiendo, vel defendendo, vel casu conscius fuerit aut consilio, vel consentaneus in aliquo, simili pœnæ subjaceat, & nemo possit super hiis alterius inde warantus esse. Qui ad occidendum aliquem innoxium *redbana* vel *dedbana* (3) fuerit convictus noxæ componat inde solus vel cum aliis. Si servus cum liberis homicidium faciat, totum liberis imputetur, & idem solus furatur, qui cum servo furatur [5]; si negetur, *Werelanda* fiat.

LXXXVI. *Ne quis vindicetur de suo homine sine Lege.*

Omni Domino liceat conqueri hominibus suis & amicis, si quis ei malefaciat, sed non percipere sine Lege vindictam, nec debet requiri a Domino, si homo suus misfaciat [6] sine posse vel velle suo, maxime si nunquam deinceps ad eum redeat, & hoc in verum mittere possit, & ubi forte plures fuerint, & eorum quidam forisfaciant, non est eis imputandum qui tenuerint viam suam, & recedent ab illis si per se omnia allegient; quod nec consilium eorum vel auxilium sit in forcia ipsa.

LXXXVII. *De delicto ex armis accommodatis.*

Qui ad occidendum aliquem arma sua præstiterit (4) cum occisore de occisi persolutione conferri debebit, & de sua parte *Weregildi* conveniat ei. Qui gladium præstiterit, terriam partem *Weregildi* reddat. Qui lanceam præstiterit, dimidiam. Qui commodaverit equum, totum reddat. Inveritare tamen liceat arma sua commodanti quod nulla mali suspicione vel intentione commodaverit si possit & velit. Si quis ad ostium alicujus lanceam suam ponat (5) dum ad loquendum, vel ad quod velit agendum introeat, vel quævis arma reclinet [7] ubi quiete jacerent, si permitterentur & arreptis armis hujusmodi dampnum ingeratur, justum est qui dampnum inde fecerit, dampnum illud emendet, & cujus arma fuerant si ita procedat emundet se, quod nec velle, nec posse, nec consilio, nec testimonio ejus extiterit, et Dei rectum est ut pacem habeat et videat qui misfecit ut per omnia secundum Legem emendet. Observet autem ille

1 *Arrestet* Ms. Lond. 2 *Sconigatum* Ms. Lond. 3 *Ad* deest in Ms. Lond.
4 *Interdictæ sunt* deest in Ms. Lond. 5 *Qui cum servo furatur* deest in Ms. Lond.
6 *Satisfaciat* Ms. Lond. 7 *Redimet* Ms. Lond.

(1) Id est, ut conjicio, cum vocabitur ab eo, quem ad malum duxerit, in Warantum (ut forensibus dicitur:) vide Spelm. Glossar. in voce *Advocatio*, & hic statim, *& non possit super his alterius inde warantus esse*.

(2) Agentes enim & consentientes pari pœna puniuntur: hinc vulgo dicimus, *The Receiver is as bad as the Thief*.

(3) Vide LL. Cnuti par. 1. cap. 5. ubi idem loquendi modus scil. *gif man gebadodne mid fæhwe belecge*, &c. i. e. (ut apud Jornalensem) *Si quis ordinatus homicidii particeps consilio vel auxilio fuisse compelletur, purget se cum parentibus*. Plura vide infra in Glossario in voce *Dædbana*.

(4) Hæc partim sumpta sunt e Legibus Inæ cap. 28. (cui titulus apud Jornalensem: De præstantibus gladium vel lanceam, vel equum ad homicidium Domini) partim autem e Legibus Ælfredi cap. 19. Huc (affinitate) pertinet Lex Longobardorum lib. 1. tit. 20. *De eo qui cum armis alterius damnum fecerit*.

(5) Hæc & sequentia ad ista, *secundum Legem emendet*, transumpta videntur e Legibus Cnuti secularibus cap. 73. Jornalensi autem c. 102. ubi sic Latine redduntur. "Et volo licet aliquis lanceam suam ponat ad ostium domus alicujus, & intus habeat ad faciendum, vel si aliquid armorum discrete ponatur, ubi quiete possit esse, si permitteretur, & aliquis hoc arripiat. & damnum inde faciat, rectum est, ut qui damnum faciat, damnum etiam emendet, & si ille cujus armis malefactum est, se adlegiare audeat, quod nec velle nec posse suum fecerit, vel testimonium inde habuerit, Dei rectum est, ut inde quietus sit, ut videat alius, ut quod forisfecit, emendet, sicut Lex docebit.

ille cujus arma erant, ut ea non recipiat antequam in omni calumpnia munda ſint. Si quælibet arma politori (1) vel emundatori commiſſa ſint ad purgandum, vel cuilibet ad ſervandum, et de ſubito arripiantur ad aliquid male agendum, juſtum eſt cui abſoluta commiſſa ſunt, abſoluta reſtituat niſi forte cuſtodiam eorum diffinitis prælocutionibus abdicaret. Si etiam ipſe ſuper hiis accuſetur conſcientiæ, vel poſſibilitatis in aliquo perneget ſicut rectum ſit. Si quis occidatur *in*[1] *blothe* (2) reddat interfector *Weram* parentibus, et *Manbotam* Domino, et omnes qui interfuerunt *Hlothbotam*[2] ſicut emendent (3) *Twibindeman*[3] xxx. ſol. *Sixhinde* xl. ſol. *Twelfhinde* cxx. ſol. *Manbota* ſecundum Legem a perſona interfecti ſecundum *Weram* potius accipiebatur, quam per *Overſeuneſſam* Domini vel perſonam. *Overſeuneſſa* Regis, ut diximus (4), xx. manc', Epiſcopi et Comitis x. manc. Baronis vel Thaini v. in Weſtſaxa, quæ caput Regni eſt et Legum, ad quam recurrendum eſt in omni diffidentia contingentium. Si quis autem judicio ferri calidi, vel bello, vel teſtibus legitimis, vel conſacramentalibus adhibitis, vel idoneo Legis examine monſtrare poſſit quod affalliatus fuerit, quod coactus et ſe defendente fecerit homicidium dignis ſatisfactionibus hoc monſtrare liceat, et rectum inde ſit, quia ſicut prædiximus, multis modis poteſt homo *Weram* ſuam forisfacere, ut per *Hamſocnam*, per homicidium[4] in Eccleſia, per Dei rectum diſſorciatum, per furtum, per murdrum, per injuſtum aſſultum, vel[5] homicidium, et deinceps ſimilium, de quibus *wera* parentibus *Manbota* Domino, et *Wyta* juſtius remanet. Si cohors aliquem occidat, et non ſciatur quis nominatim hoc fecerit, accuſentur quotquot ibi eſſe conſtiterit, et communiter *Weram* occiſi conjectent, et *Wytam*, et *Manbotam*, qualis *Weræ* pertinebit. Qui in Collegio vel Societate fuerit ubi aliquis occidatur, acquietet ſe quod eum non percuſſit, et ita quartam partem compoſitionis ejus ſolvat, ſive plures, ſive pauciores plagas, vel quotcunque vel qualeſcunque habeat vitæ retractione, vel mortis ſimplicitate diſcretas. Si quis in Conventiculo aliquo convivii, vel potationis, vel hujuſmodi fuerit occiſus, defendat ſe, vel emendet quibus fuerit imputatum. Secundum Legem *Salicam* (5), ſi in convivio ubi quatuor vel quinque fuerint homines, unus ex ipſis fuerit interfectus, illi qui remanent, aut unum convictum reddant, aut omnes mortis illius compoſitionem conjectent; quæ Lex uſque ad ſeptem qui[6] fuerint in convivio illo convenit obſervari[7]. Si vero[8] in convivio illo plus quam ſeptem fuerint, non omnes teneantur obnoxii, ſed quibus fuerit imputatum, illi ſecundum Legem componant. Si quis foris caſam ſive[9] iter agens, ſive in agro poſitus, aut contubernio, fuerit occiſus, & tres vel amplius habuerit plagas, tres de eodem contubernio qui convicti fuerint ſigillatim mortis illius compoſitionem componant, & tres alii de ipſo contubernio xxx. ſol. unuſquiſque illorum culpabilis judicetur, & tres adhuc alii de ipſo contubernio ſinguli xv. ſol. culpa judicetur.

LXXXVIII. *De commiſſione armorum quibus aliquis occiditur.*

Si quis in arma cujuſdam irruat vel incidat ut inde moriatur, & ejus ſolius culpa compareat, ita ſit; tamen ille cujus arma erant non indiſcrete ea ſuſcipiat. Tractandum vero eſt in agendis hujuſmodi de modo portationis vel poſitionis armorum[10] de loco poſitionis, de eo qui poſuit, quid quomodo contigerit. Si quis lanceam ferat ſuper humerum (6), & inde quis occidatur, reddatur pretio nativitatis ejus ſive *Wy-*

1 *Cum Lope* Ms. Lond. 2 *Blodbotam* Ms. Lond. 3 Ms. Lond *Twiſhindeman* xxx. ſoutz. *Sexhindeman* xl. *Twelfhindeman* cl. *ſol. Manbota ſecundum Legem interfecti (aut) perſona ſecundum weram, &c.*
4 *Per homicidium* deeſt in Ms. Lond. 5 *Per* pro *vel* Ms. Lond. 6 *Si* Ms. Lond. pro *qui*.
7 *Convenit obſervari* deeſt in Ms. Lond. 8 *Vero* deeſt in Ms. Lond. 9 *Si* pro *ſive* Ms. Lond.
10 *Armorum de loco poſitionis* deeſt in Ms. Lond.

(1) Hic ingerit ſe iterum Legum illarum Ælfredi c. 19. de quo ſupra ſchol. ad init. cap. *gif ſweord wita*, &c. id eſt, ſecundum Jornalenſem, " *Si quis forbator* (idem qui nobis vulgo *Furbiſtier* a Gallico *Fourbiſſeur*) *alicujus arma ſuſceperit ad purgandum, vel faber alicujus opus faciendum, ipſi hoc quietum reddant, ſicut receperunt, ſi non eorum cuſtodiam diffinitis prælocutionibus abdicarunt*.

(2) Locus forte petitus e Legibus Ælfredi cap. 26. Vide etiam LL. Inæ cap. 14. 69. & L. Salicam cap. 44.

(3) Locus in hanc forte ſententiam ſupplendus; *ſicut qui occiditur, natus eſt*, (vel *ſicuti fuerit perempti corporis eſt æſtimatio*) *emendent*. Vide LL. Inæ cap. 33.

(4) Videlicet cap. 35. & 53. adde cap. 34. ubi 10. ſol. corrige 60. ſol. quæ quidem ſumma reſpondet 10. mancis hic & cap. 35. Comiti overſeuneſſæ aſſignatis, ut in Gloſſario plenius docebitur, in voce *Manca*.

(5) De Lege Salica generatim accepta vide Spelm. Synopſin LL. antiquarum in Gloſſar. verbo *Lex*, pag. 442. Hæc autem Legem Salicam ſpecialiter contingentia, ſcil. ab his verbis: *ſi in convivio*, ad finem uſque capitis expreſſe leguntur & extant in Lege Salica tit. 45. §. 1. 2. 3.

(6) Hæc & ſequentia ad iſta, *ſine culpa ſit*, deprompta videntur ex Legibus Ælfredi cap. 32. Jornalenſi autem 39. Eum apud ſic Latine recenſetur. " *Inventum eſt etiam, ſi quis habeat lanceam ſuper humerum ſuum, & homo aſnaſetur vel impugnatur, ſolvat weram ejus ſine wyta; ſi ante oculos aſnaſet, reddat weram ejus, & ſi poſſibilitatis accuſetur in eo facto, & purget ſe juxta modum wytæ, & ita remaneat de wyta, ſi acutum lanceæ altius feratur tribus digitis quam cuſpis; ſi æqualiter ferantur acies & cuſpis, ſine culpa reputetur.*

Wyta. Si acumen lanceæ [1] ante oculos portitoris sit, *Weram* mortui reddat, & si impossibilitatis accusetur, in eo pernegare studeat secundum pretium *Wytæ*, & ita remaneat. Si vero cuspis & acies lanceæ pari sustentatione respondeant, sine culpa sit. Si quis in defensione sua lanceam, vel gladium, vel arma quælibet contra hostem suum extendat, & ille dira nocendi cupiditate cæcatus irruat, sibi imputet quicquid habeat. Si quis alium fugiens ut ira decertantium, vel causa persequentium sæpius impetravit, præcipitio vel casu prosequentium aliquo moriatur; reddat eum qui injuste persugabat, nec sibi mortem intulisse, nec *egilde* jacuisse (1) videatur. Si quis in ludo sagittandi, vel alicujus exercitii jaculo, vel hujusmodi casu aliquem occidat, reddat eum. Legis enim est placitum qui inscienter peccat, scienter emendet, misericordiæ tamen & amori tanto propior erga parentes esse debet, quanto genus humanum fortunæ sævientis asperitatibus lugubri miseroque omnium fletu novimus ægrotare. Si quis alterius puerum qui vel ei commissus sit ad educandum vel docendum occidat [2], vel dormiens opprimat, nihilominus reddat, quam si virum adultum occidisset. Nemo suum ipsius infantem reddere cogatur, quem voluntarie non occidit, nec emendatione pecuniali, nec dissactione corporali. Qui aliquem rogaverit ut secum in opus suum eat, & interim occidatur a suis vel ejus [3] inimicis, reddat eum cujus hortatu & gratia in locum mortis venerit, & conscientiæ vel consensus in aliquo se acquietet, si fuerit accusatus & hoc *Werelada*. Si autem inveritate possit quod non rogatus cum eo venerit, si qui inimici sui perimant eum qui nec ei consanguinitate vel affinitate juncti sint, justum est ut, sicut peccaverunt, luant, et in eos vindicetur a parentibus et Dominis, aut inde componant, quia non est super vindicandum [4] in hominibus vel servientibus alicujus. Et unicuique licet Domino suo sine *wyta* succurrere (2), si quis assalliat eum sicut prædiximus. Respectus tamen habeatur in omnibus, si quis cum inimico suo restitit contra Legem. Si alicui mortem vel vulnus inflixit, vel aliquid excitavit ut exigentibus meritis mors secuta videatur, non est in quibuscunque parentibus, vel paternis, vel maternis occidentibus, vel occisis indiscrete judicandum. Quia in omni compositione homicidii duæ partes referuntur ad paternam cognationem, tertia ad maternam, et alia est *wera*, vel vindicta Thaini, alia villani, sicut prædiximus (3). Qui secus fecerint, quærant parentes mortui *weræ* vel vindictæ super plus tam in generositate quam in propinquiori pertinentia. Scriptum est in Legibus Regis *Edmundi*, mihi valde displicent, et nobis omnibus injuste, et multiplices pugnæ quæ inter nos ipsos fuerint unde diximus. Si quis post hæc hominem occidat, ipse sibi portat homicidii *Faidiam* [5], nisi amicorum auxilio intra XII. menses persolvat pleno *Weregildo*, sicut natus sicut sit. Si eum tunc cognatio sua desiderat, et pro eo gildare nolit, tunc volo ut omnis illa cognatio sit *infrangh* [6] præter solum malefactorem. Si ei deinceps nec victum det nec pacem. Si quis cognationis ejus postea firmet eum, reus sit omnium quæ habebit [7] erga Regem, et portet fractionem erga cognationem, quia eum antea reprobavit. Si ex alia cognatione quis vindictam faciat [8] in alium aliquem præter in ipsum malefactorem, sit inimicus Regis et omnium amicorum ejus. Si quis propter [9] *Faidiam* (4), vel causam aliquam de parentela se velit tollere et eam forisjuraverit, et de societate, et hæreditate, et tota illius ratione se separaret. Si postea aliquis de parentibus suis abjuratis moriatur vel occidatur, nihil ad eum de hæreditate vel compositione pertineat. Si autem ipse moriatur vel occidatur, hæreditas vel compositio filiis suis vel Dominis [10] juste proveniat, et nemo forisfaciat feodum suum legitimis hæredibus suis nisi propter feloniam vel redditionem spontaneam, et nulli liceat forismittere hæreditatem suam de parentela sua, datione vel venditione sicut diximus, maxime si parentela contradicat, et pecuniam suam velit in ea mittere. Et si quis in necessitate mortali, vel infirmitate, vel egestate supervacue deserat patrem vel parentelam suam, et aliquis propinquus vel extraneus in tanto vitæ necessario succurreret ei, et hæreditet eum in fine cum testibus, et filium sibi constituat de feodo vel de alio conquisito sapientum, hoc judicio inter hæredipetas [11] judicio terminetur sicut acciderit. Si quis de vulnere quod alicui fecerit componere velit, ita componat ut pretium vulneris in pretio *Weræ* numeretur, si homo mortuus sit. Et in omni *Weregildo* melius est ut parentes homicidæ pacem simul fa-

1 *Lancea* deest in Ms. Lond. 2 *Occidat* deest in Ms. Lond. 3 *Vel ejus* deest in Ms. Lond. 4 *Hiis judicandum* Ms. Lond. 5 *Fauliam* Ms. Lond. 6 *Hundfah* Ms. Lond. 7 *Habeat* Ms. Lond. 8 *Capiat* Ms. Lond. 9 *Per Faldiam* Ms. Lond. 10 *Suis* addit Ms. Lond. 11 *Heredipedum* Ms. Lond.

(1) Vide Spelm. Glossar. verbo *Agild.*

(2) Vide cap. 82. & Schol. ibid.

(3) Occurrunt hæc verbatim in Regis Edmundi LL. par. 2. cap. 1. his additis extrema Lege quæ hic desiderantur: *and tholie ealle thæs the be age*, id est, (ut Jornal. habet) *& perdat totum quicquid habet*.

(4) Simile habes in Lege Salica tit. 63. *De eo* (scil.) *qui se de parentela tollere vult*, i. e. (ut Lindenbrog. in var. Lectio.) de ejuratione cognationis.

faciant [1], quam ſingillatim, et ſi plures aliqui faciant homicidium quorum *crocca cowellet* (1), ſi velint, ſimul componant. Si nolint [2] reddat unuſquiſque pro ſe ſecundam vel tertiam, vel quartam partem, vel ſecundum quod [3] fuerint *Weræ* et *Wytæ* partes reſtituant, cui proveniet prælatione, receſſione, retentione. vel cravatione. De coacto ad homicidium *Wyta* juſte remanebit. De eo pariter qui ſe vindicabit. De contribulibus et parentibus remaneat emendatio patrini [4] ſicut *Manbota* Domini, et rectum neceſſe eſt fieri parentibus interfecti per juſtitiam ſive poſſit vel non poſſit eorum *Wera* tolerari.

LXXXIX. *Qui aliquem de propinquis occiderit.*

Si quis de libertate ſua interpellatus fuerit et timens ne in ſervitium cadat, aliquem de propinquis ſuis per quem in ſervitium cadere timet, occiderit, ſcilicet patrem aut matrem, patruelem vel avunculum, vel quamlibet hujus propinquitatis perſonam, ipſe qui hoc fecerit, ſecundum Legem *Saligam* (2) moriatur, et agnitio ejus, et conſanguinitas in ſervitium cadat. Et ſi neget quod eum occiderit, ad novem vomeres ignitos examinandus accedat. Si quis per cartam ingenuitatis a Domino ſuo legitimam eſt libertatem conſecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum injuſte co-

gat inſervire, et ille per cartam ingenuitatis ſuæ oſtendat et convincat adverſarium, ipſe, qui hoc attemptavit, multam [5] quæ in carta ſcripta eſt, ſolvere cogatur. Si vero non compareat carta, ſed ab illo qui inſervire vult diffacta ſit, *Weregildus* ejus componat duas partes illi qui inſervire voluerit, tertiam Regi, et iterum per præceptum Regis libertatem ipſam componat liber, qui ſe vadii loco in alterius poteſtate commiſerit, et ibi conſtitutus [6] dampnum ſolvat, aut hominem in malo, productum dimittat, perdens ſimul [7] debitum propter quod eum in vadio ſuſceperit. Et qui dampnum fecit demiſſus juxta qualitatem culpæ cogatur emendare. Si vero liberam [8] fœminam habuit et filios interim dum in pignore eſt procreavit, liberi permaneant.

XC. *Si quis volens aliquos inter ſe dimicantes dividat.* [9]

Si quis dum inter ſe dimicantes (3) dividere ſatagit, ex induſtria vel incuria decertantium occidatur innocens, reddat eum qui occidit, quamvis rixam non incepit. Si quis arcu vel baliſta (4) de ſubitanti vel pedico ad lupos, vel ad aliud capiendum [10] poſito, dampnum, vel malum aliquod recipiat, ſolvat qui poſuit, inde penſandum de eo cui hoc licuit an qui læſus eſt herbagium vel linagium, vel cauſam ali-

1 *Habeant* Ms. Lond. 2 *Simul componant, ſi nolint* deeſt in Ms. Lond. 3 *Quetquet* pro *quod* Ms. Lond. Seld. & Twyſd. 4 *Paterni* Ms. Lond. 5 *In ſecta* Ms. Lond. pro *multam*. 6 Mss. Seld. Lond. & Twyſd. addunt *dampnum aliquod cuilibet fecerit in eum quem in locum vadii ſuſcepit aut dampnum*, &c. 7 *Simul* Ms. Lond. pro *ſimul*. 8 *Libera* Ms. Scacc. 9 Lemma plane omittit Ms. Lond. 10 *Capiendum* Ms. Lond. non habet.

(1) Quid ſibi velit hæc loquendi formula (quorum crocca cowellet) in Gloſſar. docebitur.

(2) Locum hunc indigitat Doct. Spelm. in Synopſi LL. antiqu. in Gloſſar. pag. 442. col. 2. Loci autem ſitum vel judicia Legis Salicæ, quæ remittit Legislator noſter, aliis (ut videtur) inquirenda reliquit. Occurrit (ni fallor) inter Legis Salicæ Capitula per Carolum magnum addita, de quibus in Legum antiquarum Codice per Lindenbrog. pag. 351. ubi (§. ſcil. 5. 7. 8.) hoc Capitulum (fere verbatim) extat. In majorem fidem depromere non pigebit. " V. Si quis de libertate ſua fuerit interpellatus, & timens ne in ſervitium cadat, aliquem de propinquis ſuis per quem ſe in ſervitium caſurum timet, occiderit, id eſt, patrem, matrem, patruelem, avunculum, vel quamlibet hujuſmodi affinitatis perſonam, ipſe qui hoc perpetravit, moriatur, agnatio ejus & conſanguinitas in ſervitium cedat; & ſi negaverit ſe illum occidiſſe, ad novem vomeres ignitos judicio Dei examinandus accedat. VII. Si quis per Cartam ingenuitatis a domino ſuo legitime libertatem eſt conſecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum injuſte inſervire tentaverit, & ille cartam ingenuitatis ſuæ oſtenderit, & adverſarium ſe inſervire velle comprobaverit, ille, qui hoc tentavit, multam, quæ in carta deſcripta eſt, ſolvere cogatur. Si vero carta non paruerit, ſed etiam ab illo, qui eum inſervire voluerit, diffacta eſt, weregildum ejus componat, duas partes illi, quem inſervire voluerit, tertiam Regi & ille iterum per præceptum Regis libertatem ſuam conquirat. VIII. Liber qui ſe loco wadii in alterius poteſtatem commiſerit, ibique conſtitutus damnum aliquid cuilibet fecerit, qui eum in locum wadii ſuſcepit, aut damnum ſolvat, aut hominem in malo perductum dimittat, perdens ſimul debitum, propter quod eum in wadio ſuſcepit, & qui damnum fecit, dimiſſus juxta qualitatem Regi, cogatur emendare. Si vero liberam fœminam habuerit, uſque dum pignus extiterit, & filios habuerit, liberi permaneant.„ Vide LL. Longobard. lib. 2. tit. 35. cap. 10. ubi quæ hic, ſecundo locorum (§. ſcil. 7.) proferuntur, totidem verbis occurrunt. Quid autem ſit *ad novem vomeres ignitos examinatio*, docetur Gloſſar. & Lindenbr. & Spelm. verb. *Judicium Dei*.

(3) Simile habetur in LL. Wiſigoth. lib. 6. tit. 5. cap. 5. his verbis. " Si exorta cæde ad faciendam pacem ingenuus advenerit, & eum percuſſione litis mori contigerit, atque ille qui percuſſit aut ſuo ſacramento, aut teſtibus numero & dignitate idoneis, approbare potuerit, quod hoc ut fieret, voluntatis ejus non fuit; quia percuſſor nec percutere nec occidere voluit, libram tantum auri parentibus perſolvat occiſi. Similiter & qualecunque vulnus tali caſu fieri provenerit, tertiam partem compoſitionis qui percuſſit, exſolvat, quia mors ejus inulta eſſe non debet, qui pacis præmium, ut conferret, advenit.„

(4) Omnino convenit LL. Wiſigoth. lib. 8. tit. 4. cap. 23. ſed & LL. Burgund. tit. 46.

quam in nemus habeat, unde jure debeat præmoneri. Si quis puteum vel cifternam fodiat (1), vel factum difclaudat, & aliquid incidat, ut mortem, vel debilitatem incurrat, æque bonum reftituat: mortuum vero [1] vel debile ad fe recipiat. Quod fi in fepem animal impalaverit & ipfa fepes [2] mentionalis non fuerit, Dominus fepis interfectionis feu debilitatis reus judicetur. Si autem virga deforis fepem incaute miffa fit, & aliquid interfecerit, fecundum Legem *Ripuariorum* (2) folvatur. Si autem de intus fepem in virga fe impalaverit, non eft folvendus. Si quis in fepem vel in quodlibet periculum res alienas invitus inviaverit, & ibidem interfectæ vel debilitatæ fuerint, fimiles reftituat, aut cum fex juret quod hoc non feciffet. Si [3] lignum in communi opere aliquem occidat, reddatur (3) lignum parentibus interfecti ut infra xxx. noctes de terra educatur, vel habeat illud cujus eft nemus. Idem de quolibet manufictili dicimus. Si homo taliter fit interfectus, non folvatur nifi forte quis auctorem interfectionis in ufus proprios affumpferit, & tunc abfque *fredo* culpa judicetur. Diftantia vero fit, fi quis ad opus fuum rogaverit, & fi fponte advenerit. Et item fi ad pretium vel gratiam operetur. Et fi quis cafu decidat, vel ab aliquo dejiciatur, differt etiam fi commune fit opus eorum Domini, vel commune operantium, vel alicujus proprium. Si homo cadat ab arbore (4), vel quolibet mecannico fuper aliquem [4], ut inde moriatur vel debilitetur, fi certificare valeat quod amplius non potuit, [5] antiquis inftitutionibus habeatur innoxius, vel fi quis obftinata mente contra omnium æftimationem judicare vel *Weram* [6] exigere præfumpferit, fi placet, afcendat & illum fimiliter obruat. Si alicujus manus aberraverit, ut alium occidere nolens, alium perimat, nihilominus eum folvat. Qui aliquem exarmaverit injufte (5) *Halsfangium* ejus emendet. Si ligaverit dimidiam *Weram*. Si quis injufte exarmatus ab aliquo mortem vel malum interim incurrat, componat hoc qui eum exarmavit. Sunt etiam infortuniorum genera quamplurima cafu magis quam confilio contingentia, & mifericordiæ potius quam judicio committenda. Legis enim eft, qui infcienter peccat, fcienter emendet (6). Et qui *brech ungewealdes*, *bete gewealdes*, & in quibus non poteft homo legitime jurare quod per eum non fuerit aliquis vitæ remotior morti propinquior digne componat ficut factum fit. Ex quibus funt, fi quis alii miffione in miffatico caufa mortis fit. Si quis pro quolibet mittat & in veniendo occidatur. Si quis mortem incidat [7] ab aliquo vocatus, fi [8] alicujus arma perimant aliquem ibidem pofita ab eo cujus erant. Si quis ea dejecerit, five occcifus, five alius, & noceant. Si quis vocatus an alicujus alicubi repofita arma transfigatur. Si quis aliquem terreat vel impellat (7), ut equo vel aliunde cadens malum habeat. Si quis ad fpectaculum fe-

ræ

1 *Vero* deeft in Ms. Lond.
2 *Ipfa fepes* Ms. Lond.
3 *Ligavit* Ms. Scacc.
4 *Vel quolibet mecannico fuper aliquem* deeft in Ms. Lond.
5 *Aliquis* pro *antiquis*.
6 *Weram* deeft in Ms. Lond.
7 *Infcidat* Ms. Scacc.
8 *Si alicujus——vocatus* defunt in Ms. Lond.

(1) Simile habetur in Capitular. Car. & Lud. Imp. lib. 6. c. 16. his verbis. " Si quis aperuerit cifternam & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos vel afinus in eam, Dominus cifternæ reddat pretium jumentorum, quod autem mortuum eft, ipfius erit. „

(2) De qua Lege Ripuariorum vide Spelm. Synopf. LL. antiqu. in Gloffar. pag. 442. col. 1. Quæ autem hic tradita cum immediate præcedentibus & fubfequentibus, extant in LL. Ripuar. tit. 70. §. 2. 3. 4. 5. Locum integrum exhibere non indignum cenfui, quo errata hic facilius valeant emendari. II. " Si quis autem foffam vel puteum fecerit, feu pedicam vel baliftam incaute pofuerit, & ibidem hominem vel pecus debilitaverit vel interfecerit, omni compofitione ficut Lex continet Ripuaria culp. jud. aut fi negaverit, cum legitimo numero juret. III. Quod fi in fepem animal impalaverit, & ipfa fepes mentionalis non fuerit, dominus fepis interfectionis feu debilitationis reus judicetur, aut fi negaverit, cum legitimo numero juret. IV. Si autem virga de foris fepem incaute miffa fuerit, & aliquid interfecerit, folvatur. Si autem de intus fepem fe in virgam impalaverit, non eft folvendum. V. Quod fi quis in fepem vel in quocunque libet periculo res alienas invitas inviaverit, & ibidem interfectæ vel debilitatæ fuerint, fimiles reftituat, aut cum 6. juret, quod hoc non feciffet. „ Vide etiam LL. Saxonum cap. 11. 12.

(3) Locus verbatim depromptus e LL. Ælfredi cap. 13. Jornal. autem 15. qui fic Latine exhibet. " Si quis in communi opera alium cafu dejiciat, reddatur lignum parentibus interfecti, & habeant hoc infra xxx. dies eductum de terra illa, vel habeat hoc cujus erit nemus. „

(4) Vide Conftit. Sicul. in Cod. LL. antiqu lib. 3. tit. 56.

(5) Hauftum forte hoc e LL. Cnuti par. 2. cap. 57. Jornal. autem 86. qui fic Latine exhibet: *qui aliquem exarmabit injufte, folvat ei fecundum healsfang fuum; fi ligabit, dimidiam weram reddat.*

(6) Hic inculcatum habemus quod prius non femel traditum cap. fc. 70. & cap. 88. Quod autem immediate hic fubfequitur, proverbium fapit Saxonicum, quod mendofe nimis ex erronea acceptione Romani p pro Saxon. w in impreffis ita olim extabat *Brethun fepaldes*, *Betan fepaldes*, quod doctiorum venia fic reftituo, *brech ungewealdes bete gewealdes*, id eft, lingua noftra vernacula, *unwittingly offend, wittingly amend.* Mitius tamen in hoc cafu agendum eft, ut in LL. Cnuti par. 2. cap. 66. *and gif hwa ungewealdes gedeth, ne bith that eallum na gelice the hit gewealdes gedeth*, id eft, (Jornalenfi interprete) *& fi quifquam agit aliquid impoffibiliter* (i. e. non data opera) *non eft omnino fimile, ac fi voluntarie faciat.*

(7) Huic fimile videtur Longobardorum

Mer-

ræ vel infani [1] ductus aliquid patiatur [2] ab eis. Si quis equum vel aliud cuiquam commendat, & inde malum ei veniat. Si alicujus equus [3] ab aliquo ftimulatus vel fubcaudatus (1) quemlibet percutiat, in hiis & fimilibus, ubi [4] homo aliud intendit, & aliud evenit, ubi opus accufatur, non voluntas venialem potius emendationem [5] & honorificentiam Judices ftatuant ficut acciderit.

XCI. *De folutione murdri* [6].

Si quis *Francigena*, vel *Normannus* (2), vel denique tranfmarinus occidatur, et tantis res calamitatibus involuta fit, ut ad murdrum pertrahatur, et interfector ignoretur, vel denique fugiat, ut infra feptem dies juftitiæ Regis non reddatur ad quod juftum fuerit perferendum, XLVI. marc. argenti perfolvantur (3), et fint XL. marc. Regis, et fex parentum interfecti. Si parentes fecundum Legem repetentes vel probantes non habeant, fint illius qui murdrum abomaverit, ubi autem inventum fuerit illic per Legem perquirendum eft, et ejus perfolutionem vadiare debet Aldermannus Hundredi, et in cujus terra jacebit, difcrete tamen in omnibus juxta quod acciderit. Si murdrum in domo, vel in curia, vel in clauftura [7] inveniatur, tum ad præmiffam XL. et VI. marc. redditionem pervenietur promo quicquid in ipfo Manerio eft in annona viridi, et ficca, in animalibus et in omnibus omnino primo vendatur ufque ad olera, et fi ad XLVI. marc. abundat, nihil aliunde exigitur, fi quid vero defuerit in Hundredo, communiter fuppleatur (4). Si etiam Manerium in quo murdrum invenietur [8] de dominio et firma Regis fit, et Rex ita præceperit per totum Hundredum inde componendum erit. Si murdrum in campis patentibus, et paffim acceffibilibus inveniatur a toto Hundredo communiter non folum ab eo cujus terra eft fuppleatur. Si in divifis accidat, utrumque pertranfeat. Si in via regia fit, inde componat cui terra adjacebit.

XCII. *De folutione murdri*.

Si quis vulneratus in alium Hundredum eat, et ibi moriatur, et ad murdrum veniat, ibi perfolvatur. Si murdrum ab eo loco ubi fuerit inventum, alias deportetur, referri cogatur cum *Overfeuneffa* et ibi folvatur. Qui murdrum fecerit, fi capiatur, debet reddi juftitiæ Regis, et talis de quo juftitia fieri poffit, vel [9] videlicet occifus aut diffactus [10], nifi fugiat aut repugnet (5), et aliter nequeat retineri, et hoc intra feptem [11] dies a die qua prius inventum eft. Si mortuus fit interim naturali morte fua, oftendant, et advocent ad tumulum ejus, fi parentes vel amantes non habeat qui eum [12] innoxare nolint [13], et emendetur de pecunia illius, et Hundredi, ficut fieret in vivente [14] non habito. Si a parentibus murdriti fit ante redditionem interfectus ut juftitiabilis reddi nequeat, vel fi poft feptem dies habeatur, nihil ad folutionem conferat. Si fciatur quis murdrum fecerit, et fugerit, habeat Hundredus pecuniam ejus, et fi quis confociorum ejus capiatur, juftitiæ præfentetur. Murdritus (6) homo dicebatur antiquitus cujus interfector nefciebatur ubicunque vel quomodocunque effet inventus. Nunc adjectum eft: Licet fciatur [15] quis murdrum fecerit, fi non habeatur intra feptem dies non procedit, nec folvatur pro murdro *Anglicus* fed *Francigena* (7). Ex quo vero deeft qui interfectum hominem comprobet *Anglicum* effe, *Francigena* reputatur (8). Et licet malefactor Regem re-

1 *Vifum* pro *infani*. 2 *Preftatur* Ms. Lond. 3 *Equus* deeft in Ms. Lond.
4 *Ubi* pro *nifi* Ms. Lond. 5 *N. dacionem* Ms. Scacc. 6 *Francigena* pro *murdri* Ms. Lond.
7 *In clauftra* Ms. Lond. 8 *Invenietur----murdrum* defunt in Ms. Lond. 9 *Non* pro *vel* Ms. Lond.
10 *Diftrictus* Ms. Lond. 11 *Sex* pro *feptem* Ms. Lond. 12 *Eum* deeft in Ms. Lond.
13 *Velint* Ms. Lond. pro *nolint*. 14 *Inumete* Ms. Lond. pro *in vivente*. 15 *Si* Ms. Lond. pro *fciatur*.

Merworphin, de quo in eorum Lege tit. 36. l. 4. ductum (inquit Lindenbrogius) a *mer* equa & *werphen* dejicere.

(1) Per *fubcaudatus* hic intelligo equum ex quovis molefto caudæ ipfius fuppofito ad calcitrandum irritatum.

(2) Huc tendit c. 26. LL. Guiliel. I. de quo fupra *De murdre freceis occift.* fed & c. 53. LL. ejufd. Regis. Hac autem de re vide & plura fupra cap. 13. 75. & infra cap. prox. fequ. & Schol. ibidem.

(3) Similiter harum Legum cap. 13. Legum etiam Edo. Confeff. cap. 15. & LL. Guiliel. I. cap. 53. aliter tamen Bracton. vid. 66. marc', forte autem fic ex Litteris L & X tranfpofitis.

(4) Hæc provifio facta videtur ad imitationem cap. 15. LL. Edo. Confeff.

(5) Concordat LL. Scotorum; vide Regiam Majeftatem l. 4. c. 23. ubi plura his & fequentibus fimilia.

(6) Vide Dialog. de Scacc. l. 1. c. 10.

(7) Concordat Bracton. lib. 3. cap. 15. n. 7. fol. 135. b. *Pro Anglico vero* (inquit) *& de quo conftari poffit, quod Anglicus fit, non dabitur murdrum.* Idem etiam Fleta lib. 1. c. 30.

(8) Locus tum fupra cap. 75. (*vel qui occifum comprobet Anglicum*) prius pofitus, tum infra quafi iteratus. Concordat Bracton. Fleta etiam ubi fupra. *Si autem* (inquit Bractonus) *Englefcheria nulla fit, vel minus rite facta, licet interfectus Anglicus fuerit, pro Francigena reputabitur*; quæ repetitionem fapiunt prius dictorum circa cap. initium, viz. *five interfectus cognitus fuerit five ignotus---dicitur Francigena, nifi Englefcheria, i. quod Anglicus fit, probetur per parentes & coram Juftitiariis præfentetur*. Hic ingerit fe prifca illa Englefcheria (ut vocant) innovata Lex a Cnuto noftro primo (ut ferunt. Vid. LL. Edo. Confeff. c. 16.) excogitata. Et vocis etymologiam, & rei ortum, vigorem & interitum fufe exhibet Glof-

far.

requirat (1), ut vitam requirat [1] et membra recipiat, nihilominus murdrum solvatur sicut diximus. Si murdrum inveniatur alicubi, conveniat ibi [2] Hundretum cum Præposito, et vicinis, et sive cognoscatur sive non, custodiatur septem diebus super *Cletam* [3] unam elevatus lignis nocte circum accensis, et circumquaque nuncietur multa promissione munerum et datione eum fore cumulandum si quis eos adjuvaret. Si intra terminum malefactor capi possit et Justitiæ reddi, quietum sit Hundredum. Si non possit, et desit qui probet eum ex parte patris Anglicum, sit ad prædictum modum. Murdrum enim habetur si alienigena [4] occidatur, et quis hoc fecerit ignoretur vel ad diem non reddatur. Si quis neget accusatus triplici *lada* vel judicio LX. [5] sol. applicetur. Si quis Francigenam fugientem, vel more suo resistentem solus vel cum aliis pro furto perimat statim palam faciat (2). Et si certum hoc innotuerit, pacem suam habeat. Si Hundredum de aliquo probare [6] velit (3) quod Francigena murdrum quod non fuerit XII. melioribus hominibus Hundredi ipsius jurantibus hoc credatur. Si quis murdritus intra septem dies inhumetur, & parentes ejus suspecti videre velint eum, non diffodiatur sine licentia Justitiæ, si quis infodit eum ante terminum componat inde secundum rectum. Si alicui jure non creditur, quod ei pertineat, judicio probet, homicidium *Werelada* pernegetur; ad purgandum vero vel respondendum [7] super his sufficit compellatio parentum bello vel antejuramento, vel per legalem personam, vel per publicam fuerint, vel per terminum simul habuerint, vel aliquid hujusmodi, & quando & ubi simul fuerint, vel etiam recesserint, & si iræ, vel odium, vel minæ intercesserint; de confesso autem vel convicto faciendum est, ut reddatur parentibus interfecti (4) misericordiam eorum [8] subiturus quibus nullam exhibuit. Si parentes non habeat, faciat inde Rex justitiam suam. Si Hundredum compellat aliquem quod murdrum fecerit, & ille neget, expectetur de redditione murdri, donec inde finis sit. Et si quis Baronum terram suam velit tollere de Hundredo ubi murdrum vadiaverit, vel Præpositus suus, prius reddatur quod sine calumpnia vadiatum est, & postea transeat inde si velit & possit, quæ omnia fortiora erunt, si unquam antea murdrum inibi conjectaverit, vel consuetudines alias Hundredi fecerit. Et eat submonitio Regis ad Dapiferum vel Ministrum Manerii, si Dominus desit, vel nequeat ei [9] nuntiari. Qui murdrum aperte fecerit, sive combusserit, vel decapitaverit, vel excoriaverit aliterve defecerit ne cognosci valeat, ut dictum est, reddatur parentibus interfecti. Et si compellatio sit, & in emundatione miseveniat [10] judicet Episcopus.

XCIII. *De emendatione vulneris* (5).

Si vulnus alicui fiat, sive membri truncatione, vel debilitatione, vel disfactione [11] in nudo, & manifesto, ut ante capillos ante manicam sub genibus, dupliciter emendandus est, supra id quod in capite sub capillis, vel in membris sub vestibus in occulto fieret. Capitis vulnus emendetur, si utrumque os perforatum sit XXX. sol. Si exterius os percussum [12] sit XV. sol. Si in capillis sit vulnus longitudine unius unciæ, V. den. i. uno sol. componatur. Si ante cæsariem sit vulnus unciam habens longitudinis, duobus sol. i. decem den. emendetur. Si auris

1 *Inquirat* Ms. Lond. pro *requirat*. 2 *Illuc* Ms. Lond. pro *ibi*. 3 *Decam* Ms. Lond. pro *Cletam*. 4 *In alienigena* Ms. Scacc. 5 XL. Ms. Lond. pro LX. 6 *Probare* deest in Ms. Lond. 7 *Pernegandum* Ms. Lond. 8 *Eorum——justitiam* deest in Ms. Lond. 9 *Sibi* Ms. Lond. pro *ei*. 10 *Misveniat* Ms. Scacc. *misevias* Ms. Lond. 11 *Defractione* Ms. Lond. 12 *Perforatum* Ms. Lond.

sar. Spelm. in voce. De qua vide plura in LL. Ed. Confess. c. 15. 16. & adde Schol. ad c. prox. præced. Quod autem hic scribunt *Englescberiam* & similiter, scribendum reor; *Englisceriam*, vulgo *Englishry* voce ducta ab *Englisc*, *i. e.* Anglicus & *ry* terminatione pari apud nos significatu cum *heod*, *ship*, *ness*, *dome*, & similia quæ omnia statum, conditionem, qualitatem, *&c.* signant: unde *Aldermanry* pro statu, &c. Senatoris; *Gentry* pro statu, &c. Generositatis; *Yeomanry* pro statu, &c. vulgi vel plebis (præcipue ruricolas vulgo notat); *Husbandry* pro statu, &c. patrisfamilias (ad agriculturam vox vulgo extenditur:) *Huswifery* pro statu, &c. matrisfamilias: *Infantry* pro statu, &c. peditatus. *Englisceria* itaque *Anglietas* est, sive personæ alicujus qualitas vel conditio Anglica.

(1) *Æbere morth* enim, id est, Murdrum probatum, de numero est scelerum jure humano inexpiabilium. LL. Cnuti, par. 2. c. 61.

(2) Sic etiam supra c. 81. *Si placeat, palam faciat*, i. e. *notum faciat vel proclamet*. Originem hoc traxisse videtur e LL. Inæ Regis cap. 20. 34. occultationem prohibentibus cæsionis cujusvis malefactoris in flagranti crimine perempto. Vide c. 83.

(3) Huc etiam tendit illud Bractoni fol. 135. b. *Si autem* (inquit) *dubium fuerit, utrum Anglicus fuerit, vel non, & utrum producti parentes fuerint, vel non, hoc per patriam declarabitur*.

(4) Vide Scholia ad cap. 71. ubi hæc eadem habentur.

(5) Hoc Capitulum ut plurimum depromptum reperio e LL. Ælfredi cap. 40. & Æthelstani cap. *be werum*, unde lumen accensum & cognitioni & correctioni quorundam hic erratorum. Pauca igitur sunt, quæ de hoc capite annotabo. Desunt tamen in Lege Ælfredi a linea hac, *Dentes alii præcisores*, usque ad *fœminæ pauciores habent dentes*, ut e contrario quod in eadem Ælfredi Lege immediate id sequitur, quo hæc linea terminatur (vid. *Gif mon othrum that neb ofslea gebete him mid* LX. *scill.* i. qui alteri nasum præciderit, dato ei 60. sol.) in hoc Capitulo omnino deest.

auris amputetur alicui, xxx. sol. emendetur ei. Si auditum inde perdat, LX. sol. emendetur. Si quis alii crepet oculum, solvat ei LXVI. sol. & VI. den. & trientem unius den. Si oculus in capite remaneat ut tamen homo nihil inde videat, tertia pars in eo emendationis consistat. Dentes alii præcisores, alii canini, alii molares. Præcisores dicuntur primi dentes hominis, quia omne quod accipit ipsi prius incidunt; sequentes canini dicuntur, quorum duo in dextra maxilla, duo sunt in sinistra, & dicuntur canini, quia ad similitudinem caninorum dentium existunt & canis ex ipsis ossa frangit sicut homo, & quod priores præscindere non possunt, illis tradunt ut confringant; ultimi sunt molares qui concisa a prioribus vel confracta a sequentibus molunt, & inde massant [1]; viri plures, fœminæ pauciores habent dentes. Qui primos vel præcisores dentes excusserit alicui, octo sol. emendet. Qui caninos vel thongooder (1) excusserit, quatuor sol. culpa sit. Molares excussi xv. sol. constent. Gingivæ confractæ [2] xv. sol. emendentur. Mentum XII. sol. (gurgullio vel throtebolla XII. sol. [3]) de lingua sicut de oculo componatur. Si quis in humero plagietur ut glutinum compagum effluat, xxx. sol. emendetur. Brachium fractum super cubitum xv. sol. emendetur. Si utrumque os brachii fractum sit, emendetur xxx. sol. Pollex manus amputatus xxx. sol. emendetur [4], unguis v. sol. Index xv. sol. unguis III. sol. Medius vel impudicus [5] XII. sol. unguis II. sol. Annularis vel medicinalis XVII. [6] sol. unguis IV. sol. Auricularis IX. sol. constet, unguis I. sol. i. v. den. Si quis militibus plagietur, habeat xxx. sol. ad emendationem. Si transpunctus sit ad utrumque os, emendetur xx. sol. Coxa transforata vel fracta xxx. sol. emendetur. Crus perforatum alicui sub genu XII. sol. emendetur. Fractum xxx. sol. Si major pedis articulus amputetur, xx. sol. constet. Secundus xv. sol. tertius novem sol. quartus sex sol. quintus quinque sol. Si quis in genitalibus plagietur, ut procreandi perdat officium, LXXX. sol. culpa judicetur. Si homini sit brachium cum manu penitus amputatum sub cubito, LXXX. sol. emendetur. Omne vulnus ante capillos, & ante manicam, & sub genu, dupliciter emendetur. Lumbi truncati LX. sol. constent. Intus puncti xv. sol. Transpuncti xxx. sol. Si quis in humero plagietur, emendetur LXXX. sol. si homo vivat. Si quis alteri manum extra plagiaverit, xx. sol. emendet. Si dimidia manus avolaverit [7] reddantur inde LX. sol. Si quis alteri costam fregerit, x. sol. emendet, si cutis integra sit; si cutis aperta sit, & os extrahatur, xv. sol. comparetur. Si quis oculum, vel manum, vel pedem excutiat alicui, parem emendationem faciat de singulis, i. LX. sol. VII. [8] den. & tertiam partem unius den. quæ est triens. Et [9] si crus alicui excussum sit sub genu, LXXX. sol. culpa judicetur. Si quis alii scapulam truncaverit, xx. sol. mulctetur. Si quis intus plagietur ut os extrahatur, sint ad emendationem xv. sol. [10]. Qui grossos tibiarum nervos truncaverit alicui, si medicamentum sanitatis amittat, XII. sol. emendabit. Si homo claudicet pro vulneribus nervorum, & sanari non possit, xxx. sol. emendetur. Si graciles nervi truncentur, VII. sol. emendetur. Qui aliquem in collo plagiaverit ut incurvationem, vel inflexibilitatem, vel inde perpetuam contrahat ægritudinem, & tamen vivat ita [11] contumeliatus, c. sol. emendetur & quicquid in medicatura fuerit erogatum, nisi sapientum æstimatio amplius judicaverit.

XCIV. *De verberatione absque sanguinis effusione.*

Qui aliquem ita vulneraverit [12] ut sanguinem ejus non effundat, quotlibet ictus ei det tres solummodo ictus per Legem emendet, singulum quinque den. quod est in summa xv. den. Domino ipsius verberati *Overseunessam* suam emendet, si sint homines unius Domini, vel si sit ibi retentus vel divadiatus & cravatus & *Fihtwitam* cui proveniet, sed non simul habenda est *Blodwita* & *Fightwyta* duæ scilicet emendæ (2) una culpa. Si quis partim confiteatur, & partim neget, emendet quantum recognoscit, & juret de reliquo solus vel amplius, si-

1 *Moluntur & immassantur* Ms. Lond. 2 *Ficta* pro *confracta*. 3 *Gurgullio vel Throtebolla* 12. *sol.* deest in Ms. Lond. 4 *Emendetur* deest in Ms. Lond. 5 *In impudicus* Ms. Scacc. 6 15 *sol.* Ms. Lond. 7 *Amolaverit* Mss. Seld. *violaverit* Ms. Lond. & Twysd. 8 VI. Ms. Lond. 9 *Et* deest in Ms. Lond. 10 Pro *sint ad emendationem xv. sol.* Ms. Lond. *xv. sol. emendetur*. 11 *Ita* deest in Ms. Lond. 12 *Verberaverit* Mss. Seld. Lond. & Twysd.

(1) *Thongooder*, quod in MS. Scacc. *thongood*; legendum forte, quomodo in Textu Roffensi, *fængtoth*, nisi malis juxta quod Ælfredo Saxonice dictum *wongtooth* a Saxon. *geweng* mala gena, Gallis hi *dents briseuses*, Chaucero nostro Saxon. sequuto *wangs*. Hinc autem illud in prisca Edwardi tertii (ut ferunt. Versteg. Restitut. p. 223. & Lambard. Perambul. pag. 406.) charta rhythmice conscripta: *And in witness that this is sooth, I bite the wax with my wang tooth*, id est, in testimonium veritatis hanc ceram mordeo dente meo maxillari. De vulneribus hujus Capituli vide Cod. LL. Antiqu. in L. Burgund. tit. 2. 48. Salic. tit. 19. Alaman. tit. 59. 65. Boior. tit. 3. cap. 1. Ripuar. tit. 1. 2. &c. tit. 19. & sequ. Saxon. tit. 1. Angl. tit. 3. 5. §. 12. Frison. add. tit. 2. 3. Longob. 1. tit. 7.

(2) Simile prius cap. 49. extremo. Regula Juris inde firmatur: *Neminem* (sc.) *esse bis puniendum*.

ficut factum fit. Qui vulnus alicui faciet ac fanguinem, emendet hoc per uncias ad fingulas v. den. in cooperto; in nudo pro fingulis unciis x. den. & remaneat de cæcis ictibus, & (1) *blindintis* [1], & *wita* Domini decidat, & fine cravatione fit. Differt autem in pluribus. Si homines unius Baronis pugnent cum fanguinem faciente vel non faciente, five in præfenti, five poftea, quanquam craventur, non remanet *wita* Domini. Si fint duorum Dominorum, & alius alium verberet cæcis ictibus & non cruentis, five cravatus ibi fit [2], vel non, convictus noxæ wytam emendabit Domino cujus hominem verberavit. Si fanguinem ei faciat & recedat fine cravatione vel divadiatione *witam* Domini retulit, & non habebit eam Dominus cujus hominem vulneraverit. Si autem retineatur, vel divadietur, vel implegietur ibi *blodwita* & *fihtwyta* poterit aggregari. Si plures unum aliquem vulnerent præcepto Domini fui & velit in quibus poterit warantus effe, folus emendet pro omnibus ficut malum fecerint, & unam *witam* cui rectum erit. Si eorum *crocca cowellet* [3], id eft, fi eorum olla non fimul bulliat, & misfaciant finguli figillatim [4] componant. Si quis aliquem per capillos arripiat, tantum emendet quantum de uno colpo faceret, i. v. den. de *Hergripa* [5]. Si vulnus fiat alicui, & accufatus neget, fe fexto juret fine præjuramento (2) quia fanguis & vulnus ipfum *forade* prævenerunt.

MAGNA CHARTA REGIS JOHANNIS.

Capitula, super quibus facta est Magna Charta Regis Johannis.

Ista funt Capitula, quæ Barones petunt, et Dominus Rex concedit, *fignata figillo Johannis Regis*. (3)

Poft deceffum anteceflorum hæredes plenæ ætatis habebunt hæreditatem fuam per antiquum relevium exprimendum in Charta.

Hæredes, qui infra ætatem funt, & fuerint in cuftodia, cum ad ætatem pervenerint, habebunt hæreditatem fuam fine relevio, & fine.

Cuftos terræ hæredis capiat rationabiles exitus, & confuetudines, & fervitia, fine deftructione & vaftos hominum, & terrarum fuarum. Et fi Cuftos terræ fecerit deftructionem, & vaftum, amittat cuftodiam. Et Cuftos fuftentabit domos, parcos, vivaria, ftagna, molendina, & cætera ad terram illam pertinentia, de exitibus terræ ejufdem. Et ut hæredes ita maritentur, ne difparagentur, & per confilium propinquorum de confanguinitate fua.

Ne vidua det aliquid pro dote fua, vel maritagio, poft deceffum mariti fui, fed maneat in domo fua per XL. dies poft mortem ipfius, & infra terminum illum affignetur ei dos, & maritagium ftatim habeat, & hæreditatem fuam.

Rex, vel Ballivus non faifiet terram aliquam pro debito, dum catalla debitoris fufficiant, nec plegii debitoris diftringantur, dum capitalis debitor fufficit ad folutionem. Si vero capitalis debitor defecerit in folutione, fi plegii voluerint, habeant terras debitoris, donec debitum illud perfolvatur plene, nifi capitalis debitor monftrare poterit, fe effe inde quietum erga plegios.

Rex non concedit alicui Baroni, quod capiat auxilium de liberis hominibus fuis, nifi ad corpus fuum redimendum, & ad faciendum primogenitum filium fuum militem, & ad primogenitam filiam fuam femel maritandam; & hoc faciet per rationabile auxilium.

Ne aliquis majus fervitium faciat de feodo militis quam inde debetur.

Ut communia placita non fequantur curiam

1 *Belidentibus* Ms. Lond. 2 *Sive* pro *ibi fit* Ms. Lond. 3 *Towallet* Ms. Lond. 4 *Singillatim* Ms. Lond. 5 *Heregripa* Ms. Lond.

---

(1) *Blindintis*, id eft, de plagis & vulneribus in occulto (ut cap. prox. præced.) *in cooperto* vel *cæcis ictibus*, ut in hoc capite; voce ex vernaculo noftro *blind*, i. e. cæcus, & *dint* Chaucero noft o *dent*, id eft, ictus, plaga, vulnus, compofita.

(2) Bene autem dicit *quia fanguis & vulnus ipfum forathe prævenerunt*, cum inde notorie conftet de maleficio commiffo; (facit Form. 119. apud Marculf. ubi hæc; *unde livores vel capulatucæ atque colaphi manifefte apparent*) quod accufatorem a præjuramento (præftando alioquin fi de cæcis ictibus *dry blowes* contenderint) excufat. Quod autem conftaret de maleficio, priufquam ad examen procedatur, in quibufdam cafibus me docet Hotoman. Difput. de Jure feud. cap. ult. de quo vide plura in Gloffar. verbo *Antejuramentum*. Vide etiam LL. Æthelftani par. 2. c. 2, & Senatus Conf. de Montic. Walliæ c. 6. Juramento huic (ni fallor) refpondet Danorum *aafvoren eed*, de quo apud Doct. Wormium in Monum. Danic. l. 1. c. 11. p. 82. 84.

(3) Lib. Ms. vet. Arch. fol. 14. b. n. 30.

riam Domini Regis, sed assignentur in aliquo certo loco, & tot recognitiones capiantur in eisdem Comitatibus in hunc modum: Ut Rex mittat duos Justic. per quatuor vices in anno, qui cum quatuor militibus ejusdem Comitatus electis per Comitatum, capiant Assisas de nova dissaisina, morte antecessoris, & ultima præsentatione, nec aliquis ab hoc sit summonitus, nisi Juratores, & duæ partes.

Ut liber homo amercietur pro parvo delicto secundum modum delicti, & pro magno delicto secundum magnitudinem delicti, salvo contenemento suo. Villanus etiam amercietur, salvo vainagio suo. Et Mercator eodem modo, salva mercandisa; per sacramentum proborum hominum de visneto.

Ut Clericus amercietur de laico feodo suo secundum modum aliorum prædictorum, & non secundum beneficium ecclesiasticum.

Ut mensura vini, bladi, & latitudines pannorum, & rerum aliarum, emendetur; & ita de ponderibus.

Ne aliqua villa amercietur pro pontibus faciendis ad riparias, nisi ubi de jure antiquitus esse solebat.

Ut Assisæ de nova dissaisina, & de morte antecessoris abbrevientur, & similiter de aliis Assisis.

Ut nullus Vicecomes intromittat se de placitis ad Coronam pertinentibus, sine Coronatoribus: & ut comitatus & hundreda sint ad antiquas firmas, absque ullo incremento, exceptis dominicis maneriis Regis.

Si aliquis tenens de Rege moriatur, licebit Vicecomiti, vel alii Ballivo Regis, saisire & imbreviare catallum ipsius per visum legalium hominum: ita tamen quod nihil inde amoveatur, donec plenius sciatur, si debet aliquod liquidum debitum Domino Regi: & tunc debitum Domini Regis persolvatur; residuum vero relinquetur executoribus, ad faciendum testamentum defuncti. Et si nihil Regi debetur, omnia catalla cedent defuncto.

Si aliquis liber homo intestatus decesserit, bona sua per manum proximorum parentum suorum, & amicorum, & per visum Ecclesiæ, distribuantur.

Ne viduæ distringantur ad se maritandum, dum voluerint sine marito vivere: ita tamen quod securitatem facient, quod non maritabunt se sine assensu Regis, si de Rege teneant, vel Dominorum suorum, de quibus tenent.

Ne Constabularius, vel alius Ballivus capiat blada, vel alia catalla, nisi statim denarios inde reddat, nisi respectum habere possit de voluntate venditoris.

Ne Constabularius possit distringere aliquem militem ad dandum denarios pro custodia castri, si voluerit facere custodiam illam in propria persona, vel per alium probum hominem, si ipse eam facere non possit per rationabilem causam. Et si Rex eum duxerit in exercitum, sit quietus de custodia secundum quantitatem temporis.

Ne Vicecomes, vel Ballivus Regis, vel aliquis alius, capiat equos, vel carectas alicujus liberi hominis pro cariagio faciendo, nisi ex voluntate ipsius.

Ne Rex, vel Ballivus suus capiat alienum boscum ad castra vel ad alia agenda, nisi per voluntatem ipsius, cujus boscus ille fuerit.

Ne Rex teneat terram eorum, qui fuerint convicti de felonia, nisi per unum annum, & unum diem, sed tunc reddatur Domino feodi.

Ut omnes Ridelli de cætero penitus deponantur de Tamisia & Medeweye, & per totam Angliam.

Ne breve, quod vocatur *Præcipe*, de cætero fiat alicui de aliquo tenemento, unde liber homo amittat curiam suam.

Si quis fuerit *dissaisitus*, vel prolongatus per Regem sine judicio de terris, libertatibus, & jure suo, statim ei restituatur. Et si contentio super hoc orta fuerit, tunc inde disponatur per judicium xxv. Baronum; & ut qui illi, fuerint *dissaisiti* per patrem, vel fratrem Regis, rectum habeant sine dilatione per judicia parium suorum in curia Regis. Et si Rex debeat habere terminum aliorum signatorum, tunc Archiepiscopus & Episcopi faciant inde judicium ad certam diem, appellatione remota.

Ne aliquid detur pro brevi inquisitionis de vita, vel membris, sed libere concedatur sine pretio, & non negetur.

Si aliquis tenet de Rege per feodam firmam, per *soccagium*, vel *burgagium*, & de alio per servitium militis, Dominus Rex non habebit custodiam militum de feodo alterius, occasione *burgagii* vel *soccagii*; nec debet habere custodiam *burgagii*, *soccagii*, vel feodæ firmæ. Et quod liber homo non amittat militiam suam occasione parvarum *sergantisarum*; sicut de illis, qui tenent aliquod tenementum, reddendo inde cultellos, vel sagittas, vel hujusmodi.

Ne aliquis *Ballivus* possit ponere aliquem ad legem simplici loquela sua, sine testibus fidelibus.

Ne corpus liberi hominis capiatur, nec imprisonetur, nec dissaisietur, nec utlagetur, nec exuletur, nec aliquo modo destruatur, nec Rex eat, vel mittat super eum vi, nisi per judicium parium suorum, vel per legem terræ.

Ne jus vendatur, vel differatur, vel vetitum sit.

Quod mercatores habeant salvum ire, & venire, ad emendum, vel vendendum, sine omnibus malis toltis, per antiquas, & rectas consuetudines.

Ne scutagium, vel auxilium, ponatur in regno, nisi per commune consilium regni, nisi ad corpus Regis redimendum, & primogenitum filium suum militem faciendum,

et fi-

et filiam suam primogenitam semel maritandam; & ad hoc fiat rationabile auxilium. Simili modo fiat de talagiis, & auxiliis, de civitatibus London, & de aliis civitatibus, quæ inde habent libertates; & ut civitas London plene habeat antiquas libertates, & liberas consuetudines suas, tam per aquas, quam per terras.

Ut liceat unicuique exire de regno, & redire, salva fide Domini Regis, nisi tempore werræ, per aliquod breve tempus, propter communem utilitatem regni.

Si quis mutuo aliquid acceperit a *Judæis*, plus vel minus, & moriatur antequam debitum illud solvatur, debitor non usurabit, quamdiu hæres fuerit infra ætatem, de quocunque teneat: et si debitum illud inciderit in manum Regis, Rex non capiet nisi catallum, quod continetur in charta.

Si quis moriatur, & debitum debeat *Judæis*, uxor ejus habeat dotem suam, & si liberi remanserint, provideantur eis necessaria secundum tenementum, & de residuo solvatur debitum, salvo servitio dominorum. Simili modo fiat de aliis debitis, & ut custos terræ reddat hæredi, cum ad plenam ætatem pervenerit, terram suam instauratam, secundum quod rationabiliter poterit sustinere de exitibus terræ ejusdem, de carucis vel wainagiis.

Et si quis tenuerit de aliqua eschaeta, sicut de Honore *Wallingford*, *Nottingham*, *Banen* (1), & *Lancastr.* & de aliis eschaetis, quæ sunt in manu Regis, & sunt Baroniæ, & obierit, hæres ejus non dabit aliud relevium, vel faciet Regi aliud servitium, quam faceret Baroni; & ut Rex eodem modo eam teneat, quo Baro eam tenuit.

Ut fines, qui facti sunt pro dotibus, *maritagiis*, hæreditatibus, & *amerciamentis*, injuste, & contra legem terræ, omnino condonentur, vel fiat inde per judicium xxv. Baronum, vel per judicium majoris partis eorundem, una cum Archiepiscopo, & aliis, quos secum vocare voluerit; ita quod si aliquis vel aliqui de xxv. fuerint in simili querela, amoveantur, & alii loco illorum per residuos de xxv. substituantur.

Quod obsides & chartæ reddantur, quæ liberatæ fuerunt Regi in securitatem.

Ut illi, qui fuerint extra forestam, non veniant coram Justiciar. de foresta per communes summonitiones, nisi sint in placito, vel plegii fuerint; & ut pravæ consuetudines de forestis, & de forestariis, & warennis, & vic., & rivariis, emendentur per xv. (2) Milites de quolibet Comitatu, qui debent eligi per probos homines ejusdem Comitatus.

Ut Rex amoveat penitus de *Wallia* parentes, & totam sequelam Gerardi de *Atyes*, quod de cætero balliam non habeant, scil. Engelardum *Andr.*, Petrum & Cyonem de *Cancell.*, Cyonem de *Cygon*, Matthæum de *Martino*, & fratres ejus, & Galfrid nepotem ejus, & Philippum de *Marbo*.

Et ut Rex amoveat alienigenas milites, stipendiarios, balistarios, & ruttarios, & servientes, qui venerunt cum equis & armis ad nocumentum regni.

Ut Rex faciat Justic. Constabular. Vic. & Ballivos de talibus, qui sciant legem terræ, & eam bene velint observare.

Ut Barones, qui fundarunt Abbatias, unde habeant chartas Regum, vel antiquam tenuram, habeant custodiam earum, cum vacaverint.

Si Rex *Wallenses* dissaisierit, vel elongaverit, de terris, vel libertatibus, vel de rebus aliis, in Anglia, vel in Wallia, eis statim sine placito reddantur. Et si fuerint dissaisiti, vel elongati, de tenementis suis Angliæ per patrem vel fratrem Regis sine judicio parium suorum, Rex eis sine dilatione justitiam exhibebit eo modo, quo exhibet Anglicis justitiam de tenementis suis Angl. secundum legem Angl., & de tenementis Wall. secundum legem Wall., & de tenementis Marchiæ secundum legem Marchiæ. Idem facient Wallenses Regi, & suis.

Ut Rex reddat filium Lewelini, & præterea omnes obsides de Wallia, & chartas, quæ ei liberatæ fuerunt in securitatem pacis.

Ut Rex faciat Regi Scotiæ de obsidibus reddend. & de libertatibus suis, & jure suo, secundum formam quam facit Baronibus Angl., nisi aliter esse debeat per chartas quas Rex habet, per judicium Archiepiscopi, & aliorum, quos secum vocare voluerit.

Et omnes forestæ, quæ sunt afforestatæ per Regem tempore suo, desafforestentur, & ita fiat de ripariis, quæ per ipsum Regem sunt in defenso.

Omnes autem istas consuetudines, & libertates, quas Rex concessit regno tenendas, quantum ad se pertinet, erga suos omnes de regno, tam Clerici, quam Laici, observabunt, quantum ad se pertinent, erga suos.

Hæc est forma securitatis ad observand. pacem, & libertates inter Regem & regnum. Barones eligentur, xxv. Barones de regno quos voluerint, qui debent pro totis viribus suis observare, tenere, & facere observari, pacem & libertates, quas Dominus Rex eis concessit, & charta sua confirmavit. Ita videlicet quod si Rex, vel Justic. vel Ballivi Regis, vel aliquis de Ministris suis, in aliquo erga aliquem deliquerit, vel aliquem articulorum pacis aut securitatis trans-

(1) Al. *Bononiæ*. (2) *Al.* XII.

transgressus fuerit, & delictum ostensum fuerit IV. Baronibus de prædictis xxv. Baronibus, illi quatuor Barones accedent ad Dominum Regem, & ad Justic. suum, si Rex fuerit extra regnum, proponentes ei excessum, & petentes ut excessum illum sine dilatione faciat emendari. Et si Rex, vel Justic. ejus, illud non emendaverit, si Rex fuerit extra regnum, infra rationabile tempus determinandum in charta prædicta, IV. referent causam ad residuos de illis xxv. Baronibus; & illi xxv. cum communa totius terræ, distringent & gravabunt Regem modis omnibus, quibus poterint, donec fuerit emendatum secundum arbitrium eorum; salva persona Domini Regis, & Reginæ, & liberorum suorum. Et cum fuerit emendatum, intendant Dom. Regi, sicut prius. Et quicumque voluerit de terra, jurabit ad prædicta exequenda pariturum mandatis prædictorum xxv. Baronum, & gravaturum Regem pro posse suo cum ipsis. Et Rex publice & libere dabit licentiam jurandi cuilibet qui jurare voluerit, & nulli unquam jurare prohibebit. Omnes autem illos de terra, qui sponte sua, & per se, jurare voluerint xxv. Baronibus de distringendo, & gravando Regem, cunctis Rex faciet jurare (1) ejusdem de mandato suo, sicut prædictum est.

Item si aliquis de prædictis xxv. Baronibus decesserit, vel a patria recesserit, vel aliquo modo alio impeditus fuerit, quo minus ista prædicta possit exequi: qui residui fuerint de xxv., eligent alium loco ipsius pro arbitrio sui, qui simili modo erit juratus, quo & cæteri. In omnibus autem, quæ istis xxv. Baronibus committuntur exequenda, si forte ipsi xxv. præsentes fuerint, & inter se super re aliqua discordaverint, vel aliqui ex eis vocati nolint vel nequeant interesse, ratum habebitur & firmum quod major pars ex eis provideat, vel præceperit, ac si omnes xxv. in hoc consensissent; & prædicti xxv. jurabunt quod omnia antedicta fideliter observabunt, et pro toto posse suo facient observari. Præterea Rex faciet eos securos per chartas Archiepiscopi, & Episcoporum, & Magistri Pandulfi, quod nihil impetrabit a Dom. Papa, per quod aliqua istarum conventionum revocetur, vel minuatur. Et si aliquid tale impetraverit, reputetur irritum & inane, & nunquam eo utatur. *Sine dato.*

Magna Charta Regis Johannis de Libertatibus Angliæ A. D. MCCXV. Reg. XVII.

JOHANNES Dei gratia Rex Angliæ &c. (2) Sciatis, nos intuitu Dei, & pro salute animæ nostræ, & omnium antecessorum & hæredum meorum, & ad honorem Dei, & exaltationem S. Ecclesiæ, & emendationem regni nostri, per consilium Venerabilium Patrum nostrorum, Stephani Cantuariensis Archiepiscopi, totius Angliæ Primatis, & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Henrici *Dublinienfis* Archiepiscopi, Willielmi *Londinensis* Episcopi, Petri *Wintoniensis*, Jocelini *Bathoniensis*, & *Glaston.*, Hugonis *Lincolnens.*, Walteri *Wigornens.*, Willielmi *Coventrens.*, Benedicti *Roffens.* Episcoporum; & Magistri *Pandulphi* Domini Papæ Subdiaconi, & familiaris, Fratris *Emerin.* Magistri Militiæ Templi in Anglia, & Nobilium Virorum Willielmi *Marescalli* Comitis *Penbroc*, Willielmi Comitis *Sarisberien.*, Willielmi Comitis *Warrenniæ*, Willielmi Comitis *Arundel*, Alani de *Leveia* (3) Constabular. Scotiæ, Warini filii Geraldi, Petri filii *Hereberti de Burgo*, Senescalli *Pictaviæ*, Hugo de *Nevilla*, Matth. fil. *Hereberti*, Thomæ *Basset*, Alani *Basset*, Philippi de *Albaniace*, Roberti de *Roppeleia*, Johannis *Marescalli*, & Johannis filii *Hugonis*, & aliorum fidelium nostrorum.

In primis concessisse Deo, et hac præsenti Charta nostra confirmasse, pro nobis et hæredibus nostris in perpetuum; quod Anglicana Ecclesia libera sit, et habeat jura sua integra, et libertates suas illæsas, et ita volumus observari: quod apparet ex eo, quod libertatem Electionum, quæ maxima, et magis necessaria reputatur Ecclesiæ Anglicanæ, mera et spontanea voluntate, ante discordiam inter nos et Barones nostros *manifeste* motam, concessimus, et charta nostra confirmavimus, et eam obtinuimus a Domino Papa Innocentio III. confirmari, quam et nos observabimus, et ab hæredibus nostris in perpetuum bona fide volumus observari.

Concessimus etiam et omnibus liberis hominibus regni *Angliæ*, pro nobis et hæredibus nostris in perpetuum, omnes libertates subscriptas, habendas et tenendas eis et hæredibus suis, de nobis et hæredibus nostris.

Si quis Comitum, vel Baronum nostrorum, sive aliorum tenentium de nobis in capite per servitium militare, mortuus fuerit: et cum decesserit, hæres suus plenæ ætatis fuerit, et relevium debeat, habeat hæreditatem suam per antiquum relevium, sc. hæres vel hæredes Comitis de Baronia Comitis integra, centum marcas: hæres vel hæredes Militis de feodo Militis integro, per centum solidos ad plus: et qui minus debuerit, minus det, secundum antiquam consuetudinem feudorum.

Si autem hæres alicujus talium fuerit infra

(1) Pat. 3. Joh. m. 7. n. 29.
(2) Rub. lib. Scaccarii fol. 234. Mat. Par. pag. 246.
(3) Al. *Calweia*.

ſra ætatem, et fuerit in cuſtodia, *& Dominus ejus non habeat cuſtodiam ejus, nec terræ ſuæ, antequam homagium ejus ceperit: & poſtquam talis hæres fuerit in cuſtodia*, et cum ad ætatem pervenerit, ſc. *viginti & unius anni*, habeat hæreditatem ſuam ſine relevio, et ſine fine: *ita tamen quod ſi ipſe, dum infra ætatem fuerit, fiat Miles, nihilominus terra remaneat in cuſtodia Dominorum ſuorum uſque ad terminum prædictum.*

Cuſtos terræ hujuſmodi hæredis qui infra ætatem fuerit, non capiat de terra hæredis, niſi rationabiles exitus, et rationabiles conſuetudines, et rationabilia ſervitia, et hæc ſine deſtructione et vaſto hominum, vel rerum. Et ſi nos commiſerimus cuſtodiam alicui talis terræ, Vicecomiti, vel alicui alii, qui de exitibus *terræ* illius nobis reſpondere debent, et ille deſtructionem de cuſtodia fecerit, vel vaſtum, nos ab illo capiemus emendam; vel terra committatur duobus legalibus et diſcretis hominibus de feudo illo, qui de exitibus *ſimiliter* nobis reſpondeant, ſicut prædictum eſt.

Cuſtos autem, quamdiu cuſtodiam terræ habuerit, ſuſtentet domos, parcos, vivaria, ſtagna, molendina, et cætera de illa terra pertinentia, de exitibus terræ ejuſdem. Et reddat hæredi, cum ad plenam ætatem pervenerit, terram ſuam totam inſtauratam de carucis, *& omnibus aliis rebus, ad minus ſecundum quod illa recepit. Hæc omnia obſerventur de cuſtodiis Archiepiſcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, Eccleſiarum, & Dignitatum vacantium, quæ ad nos pertinent, excepto quod cuſtodiæ hujuſmodi vendi non debent.*

Hæredes maritentur abſque diſparagatione; ita tamen, quod antequam contrahatur matrimonium, oſtendatur propinquis de conſanguinitate ipſius hæredis.

Vidua poſt mortem mariti ſui, ſtatim et ſine difficultate *aliqua* habeat maritagium *ſuum*, et hæreditatem ſuam; nec aliquid det pro dote ſua, vel pro maritagio ſuo, vel hæreditate ſua, quam hæreditatem maritus ſuus et ipſa tenuerunt, die obitus ipſius mariti; et maneat in *capitali meſſuagio* mariti ſui per XL. dies poſt mortem ipſius *mariti*, infra quos aſſignetur ei dos ſua, *niſi prius fuerit aſſignata, vel niſi domus illa fuerit caſtrum: & ſi de caſtro receſſerit, ſtatim provideatur ei domus competens, in qua poſſit honeſte morari, quouſque ei dos ſua aſſignetur, ſecundum quod prædictum eſt, & habeat rationabile eſtoverium interim de communi. Aſſignetur autem ei pro dote ſua tertia pars totius terræ mariti ſui, quæ ſua fuit in vita, niſi de minori dotata fuit ad oſtium Eccleſiæ.* Nulla vidua diſtringatur ad ſe maritandum, dum voluerit vivere ſine marito; ita tamen quod ſecuritatem faciet, quod ſe non maritabit ſine aſſenſu noſtro, ſi de nobis tenuerit, vel ſine aſſenſu Domini ſui, de quo tenuerit, ſi de alio tenuerit.

Nos vero, et Ballivi noſtri, non *ſeiſiemus* terram aliquam, nec redditum, pro debito aliquo, quamdiu catalla debitoris *præſentia* ſufficiunt ad debitum reddendum, *& ipſe debitor paratus ſit inde ſatisfacere.* Nec plegii ipſius debitoris diſtringantur, quamdiu ipſe capitalis debitor ſufficiat ad ſolutionem debiti. Et ſi capitalis debitor defecerit in ſolutione debiti, non habens unde *reddat, aut reddere nolit cum poſſit*, plegii reſpondeant debito; et ſi voluerint, habeant terras et redditus debitoris, quouſque ſit eis ſatisfactum de debito, quod ante pro eo ſolvitur, niſi capitalis debitor monſtraverit ſe eſſe quietum inde verſus eoſdem plegios.

Si quis mutuo acceperit aliquid a Judæis, plus vel minus, et moriatur antequam debitum illud perſolverit, debitum illud non uſuret quamdiu hæres fuerit infra ætatem, de quocunque tenet: et ſi debitum illud inciderit in manus noſtras, nos non capiemus niſi catallum contentum in Charta. Et ſi quis moriatur, et debitum debet Judæis, uxor ejus habeat dotem ſuam, et nil reddat de debito illo. Et ſi liberi ipſius defuncti, qui fuerunt infra ætatem, remanſerint, provideantur eis neceſſaria ſecundum tenementum quod fuerit defuncti; et de reſiduo ſolvatur debitum, ſalvo tamen ſervitio Dominorum. Simili modo fiat de debitis, quæ debentur aliis quam Judæis.

Nullum ſcutagium vel auxilium ponatur in regno noſtro, niſi per commune conſilium regni noſtri, niſi ad corpus noſtrum redimendum, et ad primogenitum filium noſtrum Militem faciendum, et ad filiam noſtram primogenitam ſemel maritandam; et ad hoc non fiet niſi rationabile auxilium.

Simili modo fiat de auxiliis de civitate Londonenſi. Et civitas Londinenſis habeat omnes antiquas libertates, et liberas conſuetudines ſuas, tam per terras, quam per aquas.

Præterea volumus & concedimus, quod omnes aliæ civitates, & burgi, & villæ, *& Barones de quinque portubus*, & omnes portus, habeant omnes libertates, & omnes liberas conſuetudines ſuas, & ad habendum *commune conſilium regni* de auxiliis aſſidendis (aliter quam in tribus caſibus prædictis). Et de ſcutagiis aſſidendis ſummoneri facimus Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Comites, & *majores Barones regni* ſigillatim, per literas noſtras. Et præterea faciemus ſummoneri in generali, per Vicecomites & Ballivos noſtros, omnes illos qui in capite de nobis tenent, ad certum diem, ſc. ad terminum XL. dierum ad minus, & ad certum locum & tempus, in omnibus literis illius ſummonitionis, cauſam ſummonitionis illius exponemus. Et ſic facta ſummonitione, negotium ad diem aſſignatum

pro-

procedat, secundum consilium eorum qui præsentes fuerint, quamvis non omnes submoniti venerint.

Nos non concedimus de cætero alicui, quod capiat auxilium de liberis hominibus suis, nisi ad corpus suum redimendum, & ad faciendum primogenitum suum Militem, & ad primogenitam filiam suam semel maritandam: & hoc non fiat nisi rationabile auxilium.

Nullus distringatur ad faciendum majus servitium de feudo militis, nec de alio libero tenemento, quam quod inde debetur.

Communia placita non sequantur Curiam nostram, sed teneantur in aliquo loco certo.

Præcognitiones de nova disseisina, & de morte antecessoris, & de ultima præsentatione, non capiantur nisi in suis civitatibus, & hoc modo: Nos, vel (si extra regnum fuerimus) Capitalis Justiciarius noster, mittet duos Justiciarios nostros per unumquemque Comitatum semel in anno, qui cum *militibus Comitatuum capiant in Comitatibus assisas prædictas, & ea quæ in illo adventu suo in Comitatibus per Justiciarios prædictos, ad prædictas assisas capiendas missos, terminari non possunt, per eosdem terminentur alibi in itinere suo. Et ea, quæ per eosdem propter difficultatem articulorum aliquorum terminari non possunt, referantur ad Justiciarios de Banco.*

Assisæ de ultima præsentatione Ecclesiarum semper capiantur coram Justiciariis de Banco, & ibi terminentur.

Liber homo non amercietur pro parvo delicto, nisi secundum modum ipsius delicti: & pro magno delicto amercietur secundum magnitudinem delicti, salvo contenemento suo: & mercator eodem modo, salva merchandiza sua; & villanus alterius quam noster, eodem modo amercietur, salvo wannagio suo, si inciderit in misericordiam nostram. Et nulla prædictarum misericordiarum ponatur, nisi per sacramentum proborum & legalium hominum de vicineto Comitatus.

Comites & Barones non *amercientur*, nisi per pares suos, & non nisi secundum modum delicti.

Nulla Ecclesiastica persona amercietur secundum quantitatem beneficii sui, sed secundum laicum tenementum suum, & secundum quantitatem delicti.

Nec villa nec homo distringatur facere pontes ad riparias, nisi qui ab antiquo & de jure facere debent.

Nulla riparia de cætero defendetur, nisi illa quæ fuerat in defenso tempore Henrici Regis avi nostri.

Nullus Vicecomes, Constabularius, Coronatores, vel alii Ballivi nostri, teneant placita Coronæ nostræ.

Omnis Comitatus, & Hundredi, & Wapentaki, & Threthingi, sint ad antiquas firmas absque ullo incremento, exceptis dominicis maneriis nostris.

Si aliquis tenens de nobis laicum feodum moriatur; & Vicecomes, vel Ballivus noster, ostendat Litteras nostras patentes de summonitione, nostro de debito, quod defunctus nobis debuit: liceat Vicecomiti, vel Ballivo nostro, attachiare & imbreviare catalla defuncti inventa in laico feodo, ad valentiam illius debiti per visum legalium hominum: ita tamen quod nihil inde amoveatur, donec persolvatur nobis debitum, quod clarum fuerit; & residuum relinquatur executoribus ad faciendum testamentum defuncti. Et si nihil nobis debeatur ab ipso, omnia catalla redeant defuncto, salvis uxori ejus et pueris ipsius, rationabilibus partibus suis.

Si aliquis liber homo intestatus decesserit, catalla sua per manus propinquorum parentum et amicorum suorum, per visum Ecclesiæ, distribuantur, salvis unicuique debitis quæ defunctus ei debebat.

Nullus Constabularius vel Ballivus noster capiat blada, vel alia catalla alicujus, *qui non* de villa ubi castrum situm sit, nisi statim inde reddat denarios, aut respectum inde habeat de voluntate venditoris: *Si autem de villa ipsa fuerit, infra* XL. *dies pretium reddat.*

Nullus Constabularius distringat aliquem militem ad dandum denarios pro custodia castri, si ipse eam facere voluerit, in propria persona sua, vel per alium probum hominem, si ipse eam facere non possit propter rationabilem causam. Et si nos duxerimus eum vel miserimus in exercitum, erit quietus de custodia, secundum quantitatem temporis, quo per nos fuerit in exercitu, *de feudo pro quo fecit servitium in exercitu.*

Nullus Ballivus noster vel Vicecomes, vel aliquis alius capiat equos, vel caretas alicujus liberi hominis pro cariagio faciendo, nisi de voluntate ipsius liberi hominis *reddat liberationem antiquitus statutam: scilicet pro careta ad duos equos,* X. *denarios per diem; & pro careta ad tres equos,* XIV. *denarios per diem. Nulla careta dominica alicujus Ecclesiasticæ personæ, vel Militis, vel alicujus Dominæ, capiatur per Ballivos prædictos.*

Nec nos, nec Ballivi nostri, nec alii, capiemus alienum boscum ad castra vel alia agenda nostra, nisi per voluntatem ipsius, cujus boscus ille fuerit.

Nos autem non tenebimus terras illorum qui convicti fuerint de felonia, nisi per unum annum, & unum diem, & tunc reddantur terræ Dominis feodorum.

Omnes *Kidelli* de cætero deponantur penitus per Thamisiam, & per Medewesiam, & per totam Angliam, nisi per costam maris.

Breve, quod vocatur *præcipe*, de cætero non

non fiat alicui de aliquo tenemento, unde liber homo perdat causam suam.

Una mensura vini & cervisiæ sit per totum regnum nostrum; & una mensura bladi, sc. quarterium Londonense.

Et una latitudo pannorum tinctorum & *russeccorum*, & *haubergetorum*, sc. duæ ulnæ infra listas.

De ponderibus vero sit ut de mensuris.

Nihil detur vel capiatur de cætero pro brevi inquisitionis, ab eo qui inquisitionem petit, de vita vel de membris, sed gratis concedatur, & non negetur.

Si aliquis teneat de nobis per feodi firmam, vel Socagium, vel per Burgaium; & de alio terram teneat per servitium militare; nos non habebimus custodiam hæredis, vel terræ suæ, quæ est de feodo alterius, occasione illius feodi firmæ, vel Socagii, vel Burgaii; nec habebimus custodiam illius feodi firmæ, vel Socagii, vel Burgaii, nisi ipsa feodi firma debeat servitium militare.

Nos non habebimus custodiam hæredis, vel terræ alicujus, quam tenet de alio per servitium militare, occasione alicujus parvæ Serganteriæ, quam tenet de nobis per servitium reddendi nobis cultellos, vel sagittas, vel hujusmodi.

Nullus Ballivus ponat de cætero ad aliquam Legem, nec ad juramentum, simplici loquela sua, sine testibus fidelibus ad hoc inductis.

Nullus liber homo capiatur vel imprisonetur, aut disseisietur, aut ut lagetur, aut exuletur, aut aliquo modo destruatur de aliquo libero tenemento suo, vel libertatibus, vel liberis consuetudinibus suis, nec super eum ibimus, nec super eum in carcerem mittemus, nisi per legale judicium parium suorum, vel per Legem terræ. Nulli vendemus, nulli negabimus, aut differemus rectum aut justitiam.

Omnes mercatores, nisi publice prohibiti fuerint, habeant salvum & securum exire de Anglia, et venire in Angliam, et morari, et ire per Angliam, tam per terram, quam per aquam, ad emendum vel vendendum, sine omnibus malis toltis, per antiquas et rectas consuetudines, præterquam in tempore guerræ, et si sint de terra contra nos guerrina; et si tales inveniantur in terra nostra in principio guerræ, attachientur sine damno temporum vel rerum, donec sciatur a nobis, vel a Justitiario nostro capitali, quomodo mercatores terræ nustræ tractentur, qui tunc inveniuntur in terra contra nos guerrina; et si nostri salvi sint ibi, alii salvi sint in terra nostra.

Liceat unicuique de cætero exire de regno nostro, et redire, salvo et secure, per terram et per aquam, salva fide nostra, nisi tempore guerræ per aliquod breve tempus propter communem utilitatem regni, exceptis imprisonatis et utlagatis, secundum Legem regni, et gente contra nos guerrina, et mercatoribus, de quibus fiat, sicut supradictum est.

Si quis tenuerit de aliqua Eschaeta, sicut de honore *Walingefordiæ*, *Notbinham*, *Boloniæ*, *Lancastriæ*, vel de aliis Eschaetis, quæ sunt in manu nostra, et sint Baroniæ, et obierit; hæres ejus non det aliud relevium, nec faciat nobis aliud servitium, quam faceret Baroni, si Baronia illa esset in manu Baronis; et nos eodem modo eam tenebimus, quo Baro eam tenuit; *nec nos occasione talis Baroniæ vel Eschaetæ habebimus aliquam Eschaetam vel custodiam aliquorum hominum nostrorum, nisi alibi tenuerit de nobis in capite ille qui tenuit Baroniam vel Eschaetam.*

Homines qui manent extra forestam non veniant de cætero coram Justitiariis nostris de foresta per communes summonitiones, nisi sint in placito, vel plegii alicujus vel aliquorum, qui attachiati sunt propter foresiam.

Omnes autem bosci, qui fuerunt afforestati per Regem Richardum fratrem nostrum, statim deafforestentur, nisi fuerint dominici bosci nostri.

Nullus liber homo de cætero det amplius alicui, vel vendat de terra sua, quam ut de residuo terræ suæ possit sufficienter fieri Dom. feudi servitium ei debitum, quod pertinet ad feudum illud.

Omnes patroni Abbatiarum, qui habent chartas Regum Angliæ de advocatione, vel per aliquam antiquam tenuram vel possessionem, habeant earum custodiam cum vacaverint, sicut habere debent, et sicut supra declaratum est.

Nullus capiatur vel imprisonetur propter appellationem fœminæ, de morte alterius quam viri sui.

Nullus Comitatus teneatur de cætero, nisi de mense in mensem; et ubi majorterminus esse solebat, major sit. Nec Vicecomes aliquis, vel Ballivus suus, faciat terminum suum per Hundredum, nisi bis in anno, et non nisi in loco debito, et consueto, *viz.* semel post Pascha, et iterum post festum S. Michaelis. Et visus similiter de Franco plegio tunc fiat ad illum terminum S. Michaelis sine occasione, ita sc. quod quilibet habeat suas libertates, quas habuit et habere consuevit tempore Henrici Regis avi nostri, vel quas postea adquisivit. Fiat autem visus de Franco plegio sic, ut pax nostra teneatur, et quod Tethinga integra sit sicut esse consuevit, & quod Vicecomes non quærat occasiones, et quod contentus sit de eo, quod Vicecomes habere consuevit de visu suo faciendo tempore Henrici Regis avi nostri,

Non liceat de cætero alicui dare terram suam domui Religionis, ita quod illam re-

su-

sumat tenendam de eadem domo. Nec liceat alicui domui Religionis terram sic accipere, quod tradat eam illi, a quo illam recepit, tenendam. Si quis autem de cætero terram suam sic dederit domui religiosæ, et super hoc convincatur, donum suum penitus cassetur, et terra illa Domino suo illius feudi incurratur.

Scutagium de cætero capiatur, sicut capi tempore Regis Henrici avi nostri consuevit; et quod Vicecomes non quærat occasiones, et quod contentus sit de eo quod Vicecomes habere consuevit.

Omnes autem consuetudines prædictas, et libertates quas concessimus in regno nostro tenendas, quantum ad nos pertinet, erga omnes homines nostros de regno nostro, tam Clerici quam Laici nostri observent, quantum ad se pertinet, erga homines suos; salvis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Templariis, Hospitalariis, Comitibus, Baronibus, Militibus, et omnibus aliis tam ecclesiasticis personis quam secularibus, libertatibus, et liberis consuetudinibus, quas prius habuerunt. His Testibus etc.

LEGES FORESTÆ.

Libertates vero de Foresta, & liberas consuetudines, quæ cum libertatibus præscriptis in una schedula pro sua angustia contineri nequiverant in hac, alia charta subscripta complectebatur.

JOhannes Dei gratia Rex Angliæ &c. Sciatis quod intuitu Dei, & pro salute animæ nostræ, & animarum antecessorum & successorum, ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ, & emendationem regni nostri Angliæ in perpetuum, spontanei & bona voluntate dedimus, concessimus pro nobis & hæredibus nostris has libertates subscriptas, habendas & tenendas in regno nostro Angliæ in perpetuum.

Inprimis omnes Forestæ, quas Rex Henricus avus noster afforestavit, videantur per probos & legales homines, & si boscum aliquem alium quam suum dominicum afforestaverit ad damnum illius cujus boscus fuerit, statim deafforestetur. Et si boscum suum proprium afforestaverit, remaneat Foresta, salva communia de herbagio, & rebus aliis in eadem Foresta, illis qui eam prius habere consueverunt.

Homines qui manent extra Forestam non veniant de cætero coram Justitiariis nostris de foresta per communes summonitiones, nisi sint in placito, vel plegii alicujus, vel aliquorum qui attachiati sunt propter Forestam.

Omnes autem bosci qui fuerunt afforestati per Regem Richardum fratrem nostrum, statim deafforestentur, nisi fuerint dominici bosci nostri.

Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, Comites, Barones, Milites, & libere tenentes, qui boscos habent in Foresta, habeant boscos suos, sicut eos habuerunt tempore primæ Coronationis prædicti Regis Henrici avi nostri; ita quod quieti sint in perpetuum de omnibus purpresturis, vastis, & assartis, factis in illis boscis post illud tempus usque ad principium secundi anni Coronationis nostræ. Et qui de cætero vastum, purpresturam, vel assartum facient sine licentia nostra in illis boscis, de vastis, purpresturis, & assartis respondeant.

Regardatores nostri eant per Forestas, ad faciendum Regardum, sicut fieri consuevit tempore primæ Coronationis prædicti Regis Henrici avi nostri, & non aliter.

Inquisitio vel visus de expeditatione canum existentium in Foresta, de cætero fiat quando fieri debet regardum, sc. de tertio anno in tertium annum; & tunc fiat per visum & testimonium legalium hominum, & non aliter. Et ille cujus canis inventus fuerit tunc non expeditatus, pro misericordia det III. solidos; & de cætero nullus bos capiatur pro expeditatione.

Talis autem *expeditatio* fit per assisam communiter, quod tres ortelli abscindantur de pede anteriori sine poleta. Non expedientur canes de cætero, nisi in locis ubi expeditari solent tempore primæ Coronationis prædicti Henrici Regis avi nostri.

Nullus *Forestarius* vel *Budellus* faciat de cætero scotallum, vel colligat garbas vel avenam, vel bladum aliud, vel agnos, vel porcellos; nec aliquam collectam faciat. Et per visum & sacramentum XII. Regardatorum quando faciunt regardum, tot Forestarii ponantur ad Forestas custodiendas, quot ad illas custodiendas rationabiliter viderint sufficere.

Nullum Suanimotum de cætero teneatur in regno nostro, nisi ter in anno, viz., in principio XV. dierum ante festum S. Michaelis, quando Agistatores veniunt ad agistandum dominicos boscos; & circa festum S. Martini, quando Agistatores nostri debent accipere panagium suum. Et ad ista duo Suanimota convenient Forestarii, Viridarii, et Agistatores, et nullus alius per districtionem. Et tertium Suanimotum teneatur initio XV. dierum ante festum S. Johannis Baptistæ, pro venatione bestiarum nostrorum; et ad istum Suanimotum convenient Forestarii, Viridarii, et non alii per districtionem. Et præterea singulis XL. diebus per totum annum convenient Viridarii, et Forestarii, ad videndum attachiamenta de Foresta, tam de viridi quam de venatione, per præsentationem ipsorum Forestariorum, et coram illis attachientur. Prædicta autem Suanimota non teneantur, nisi in Comitatibus, in quibus teneri consueverunt.

Unusquisque liber homo agistet boscum suum

ſuum in foreſta pro voluntate ſua, & habeat panagium ſuum. Concedimus etiam quod unuſquiſque liber homo poſſit ducere porcos ſuos per dominicum boſcum noſtrum, libere et ſine impedimento, et ad agiſtandum eos in boſcis ſuis propriis, vel alibi ubi voluerit. Et ſi porci alicujus liberi hominis una nocte pernoctaverint in foreſta noſtra, non inde occaſionetur, ita quod aliquid de ſuo perdat.

Nullus de cætero amittat vitam, vel membra, pro venatione noſtra; ſed ſi aliquis captus fuerit et convictus de captione venationis, graviter redimatur, ſi habeat unde redimi poſſit; et ſi non unde redimi poſſit, jaceat in priſona noſtra per annum unum, et unum diem; et ſi poſt annum unum et diem unum plegios invenire poſſit, exeat e priſona; ſin autem, abjuret regnum noſtrum Angliæ.

Quicunque Archiepiſcopus, Epiſcopus, Comes, vel Baro, veniens ad nos per mandatum noſtrum, tranſierit per foreſtam noſtram, licet illi capere unam vel duas beſtias per viſum Foreſtarii, ſi præſens fuerit. Sin autem, ſi facit coronari, ne videatur hoc furtive facere. Item licet in redeundo idem eis facere, ſicut prædictum eſt.

Unuſquiſque liber homo de cætero, ſine occaſione faciat in boſco ſuo, vel in terra ſua, quam habet in foreſta, molendinum, vivarium, ſtagnum, Marleram, foſſatum, vel terram arabilem, extra coopertum in terra arabili, ita quod non ſit ad nocumentum alicujus vicini.

Unuſquiſque liber homo habeat in boſcis ſuis Ærias accipitrum, ſparvariorum, falconum, aquilarum, et heironum; et habeat ſimiliter mel, quod inventum fuit in boſcis ſuis.

Nullus Foreſtarius de cætero, qui non ſit Foreſtarius de feudo, reddens firmam nobis pro balliva ſua, capiat cheminagium, ſc. pro careta per dimidium annum II. denarios, et per alium dimidium annum duos denarios, et pro equo qui portat ſummagium, per dimidium annum obolum, et nonniſi de illis qui extra ballivam ſuam tanquam mercatores veniunt per licentiam ſuam in ballivam ſuam, ad buſcam Meirenium, corticem, vel carbonem, emendum, et alias ducendum ad vendendum ubi voluerint. Et de nulla careta alia, vel ſummagio, aliquod cheminagium capiatur. Non capiatur cheminagium niſi in locis illis, ubi antiquitus capi ſolebat et debuit. Illi autem qui portant ſuper dorſum ſuum buſcam, corticem, vel carbonem, ad vendendum, quamvis inde vivant, nullum de cætero dent cheminagium. De boſcis aliorum nullum detur cheminagium Foreſtariis noſtris, præterquam de dominicis boſcis noſtris.

Omnes utlagati pro foreſta a tempore Regis Henrici avi noſtri uſque ad primam Coronationem noſtram, veniant ad pacem ſine impedimento; et ſalvos plegios inveniant, quod de cætero non foriſfacient nobis de foreſta noſtra.

Nullus Caſtellanus, vel alius, teneat placitum de foreſta, ſive de viridi, ſive de venatione: ſed quilibet Foreſtarius de feudo attachiet placita de foreſta, tam de viridi, quam de venatione, et ea præſentet viridariis provinciarum; et cum rotulata fuerint, et ſub ſigillis viridariorum incluſa, præſententur capitali Foreſtario, cum in partes illas venerit ad terminandum placita foreſtæ, & coram eo terminentur.

Omnes autem conſuetudines prædictas, et libertates, quas nos conceſſimus in regno tenendas, quantum ad nos pertinet, erga noſtros; omnes de regno noſtro, tam Laici, quam Clerici, obſervent, quantum ad ſe pertinent, erga ſuos.

* * * * *

Cum autem pro Deo, et ad emendationem regni noſtri, et ad melius ſopiendam diſcordiam inter nos et Barones noſtros, hæc omnia conceſſimus, volentes ea integra et firma ſtabilitate gaudere, facimus et concedimus eis ſecuritatem ſubſcriptam, viz.

Quod Barones eligant xxv. Barones de regno noſtro, quos voluerint, qui debent pro totis viribus ſuis obſervare, tenere, et facere obſervari, pacem et libertates quas eis conceſſimus, et hac præſenti charta noſtra confirmavimus; ita ſc., quod ſi per nos vel Juſtitiarium noſtrum erga aliquem in aliquo deliquiverimus, vel aliquem articulorum pacis vel ſecuritatis tranſgreſſi fuerimus, et delictum oſtenſum fuerit IV. Baronibus de xxv. Baronibus, illi IV. Barones accedent ad nos, et ad Juſtitiarium noſtrum ſi fuerimus extra regnum, et proponentes nobis exceſſum, petent ut ſine dilatione faciamus emendari. Et ſi nos exceſſum non emendaverimus (vel Juſtitiarius noſter ſi fuerimus extra regnum) inter tempus XL. dierum, computando a tempore, quo monſtratum fuerit nobis; prædicti IV. Barones referent cauſam illam ad reſiduos de illis xxv. Baronibus; et illi Barones, cum commune totius terræ, diſtringent et gravabunt in modis omnibus quibus poterunt, ſc. per captionem caſtrorum, terrarum, poſſeſſionum, et aliis modis quibus potuerint, donec fuerit emendatum ſecundum arbitrium eorum: ſalva perſona noſtra, et reginæ noſtræ, et liberorum noſtrorum. Et cum fuerit emendatum, intendent nobis, ſicut prius fecerunt.

Et quicumque voluerit de terra, juret quod ad prædicta omnia exequenda parebit mandatis prædictorum xxv. Baronum, et quod gravabit nos pro poſſe cum ipſis. Et nos publice et libere damus licentiam jurandi cuilibet qui jurare voluerit, et nulli unquam jurare prohibebimus.

Omnes autem illos de terra noſtra, qui per ſe

se et sponte sua voluerint jurare xxv. Baronibus de distringendo nos, et gravando nos cum eis, faciemus jurare eosdem de mandato nostro, sicut prædictum est.

In omnibus autem istis quæ xxv. Baronibus committuntur exequenda, si forte in aliquo inter se discordaverint, vel aliqui ex eis submoniti, noluerint vel nequiverint interesse, ratum habeatur et firmum quod major pars eorum providerit vel præceperit, ac si omnes xxv. in hoc concessissent.

Et xxv. Barones jurent quod omnia antedicta fideliter observabunt, et pro toto posse suo facient observari.

Et nos nihil impetrabimus per nos, nec per alium, per quod aliquid istarum concessionum et libertatum revocetur, aut minuatur. Et si aliquid tale fuerit impetratum, irritum sit et inane, et nunquam eo utemur per nos vel per alium.

Et omnes malas voluntates, et indignationes, et rancores ortos inter nos, et homines nostros Clericos et Laicos a tempore discordiæ, plene omnibus remisimus et condonavimus.

Et ad melius distringendum nos, IV. Castellani, de *Northanton* sc., de *Kenillewwicbe*, de *Nothingham*, et de *Scardeburck*, erunt jurati xxv. Baronibus, quod facient de castris prædictis quod ipsi præceperint, vel mandaverint, vel major pars eorum. Et tales semper Castellani ponantur in illis castris, qui fideles sint, et nolunt transgredi juramentum suum.

Et nos amovebimus omnes alienigenas a terra, Parentes omnes Girardi de *Athies*, Engelardum scil. Andream, Petrum Gyonem de *Chanceles*, Gyonem de *Cigony*, uxorem prædicti Girardi cum omnibus liberis suis, Gaufridum de Martenni, et fratres ejus, Philippum, Marc. et fratres ejus, et G. nepotem ejus, *Falconem*, et *Flandrenses* omnes, et ruptarios, qui sunt ad nocumentum regni.

Præterea omnes transgressiones factas occasione hujus discordiæ, a Pascha transacto, qui fuit annus decimus sextus, usque ad hanc pacem reformatam, plene remisimus omnibus Clericis et Laicis, et quantum ad nos pertinet, plene condonavimus. Et insuper faciemus illis fieri literas testimoniales et patentes Domini Stephani Cantuariensis Archiepiscopi, Domini Henrici Dublinensis Archiepiscopi, Domini Pandulphi Subdiaconi et Dom. Papæ familiaris, et Episcoporum prædictorum, super securitate ista, et concessionibus præfatis.

Quare volumus et firmiter præcipimus, quod Anglicana Ecclesia libera sit, et quod omnes homines de regno nostro habeant et teneant omnes libertates præfatas, jura, et consuetudines, bene et in pace, libere et quiete, plene et integre, sibi et hæredibus suis, de nobis et hæredibus nostris, in omnibus rebus et locis, in perpetuum, ut prædictum est.



AD LEGES IN ANGLIA CONDITAS

GLOSSARIUM.

A

A *Barnare*. Rem clam & occulte geſtam probationibus manifeſtare. Unde *murdrum abarnare* idem eſt ac *murdrum probare*, verbo ab eodem fonte hauſto ac *æbere* in Anglo-Saxonum, *æbere morth*, *æbere-theof*, *&* *æbere-hore-cwen*, i. e. *probatum murdrum*, *probatus fur*, *probata meretrix*: uti apud Jornalenſem in locis Legum Saxonicarum, ubi occurrunt voces, exponuntur. Denudare Sax. *abarian*. Hinc forte Teutonicor. *baeren*, oſtendere, manifeſtare, uti & noſtratium *bare*, nudus; ſed & Anglo-Saxon. *bærſymig* pro *Publicano*, it. *bærfot*, &c. Adverte autem hic differentiam ut inter furem compertum & probatum, ſic etiam inter homicidium compertum & probatum: ut enim illum *open-theof*, hunc *æbere-theof*, ita & homicidium, illud *open-morth*, hoc *æbere-morth* Saxones vocabant. (Vid. LL. Canuti cap. penult. & quomodo Latine habetur in LL. Edo. Confeſſ. cap. 35.) Per apertum, notorietate facti jam convictum, ut qui in flagranti crimine, quod eis *openre ſcylde*, deprehenſus (quales *hond-habend*, *bac-berend*;) per probatum, non ita manifeſtum, ſed accuſationibus & probationibus judicialiter criminis convincendum imminentis. Hoc forte latuit Doct. *Spelmannum*, uti & qui ante eum D. *Lambardum*, quorum alter (Gloſſar. verbo *Aberemurdrum*) *aberemurdrum* per apertum; per manifeſtum murdrum alter (Leg. Canuti, cap. 61.) interpretatus eſt; niſi hujus *manifeſtum*, illius *apertum* lata illa ſignificatione accipiamus, qua horum priori *apertum* poſtea acceptum in verbo ſcil. *Eberemord*, quod *apertum murdrum* vertit; & ideo ſic vocari monet, *non* (inquit) *quod in aperto fit*, *ſed quod aperte conſtat de perpetrato ſcelere*; i. e. (ut diximus) probationibus.

Acquietare. Vox forenſis, quietum reddere ſonans. Vid. Spelm. Gloſſar. in voce.

Adregniare. Fræno cohibere a Gallico *reſne*. Pro fræno, inquit doctiſſ. Eques verbo *Areniare*, & hoc forte a Latino *regere*, quod equus fræno cohibitus, regendus, vel gubernandus ſit, ad equitantis placitum. Hinc noſtratium *Rein* pro habena.

Advocare, *Advocatio*, *Advocatus*. Hæc, ut juris noſtri municipalis vocabula ſunt decantatiſſima, ſic in his Legibus occurrunt ſæpius. Significat autem (*Lambard. & Spelman.* in voce) *advocare*, rem factam agnoſcere, vel in ſe ſuſcipere, unde forenſium noſtrorum *Avowry*, quin & vocare (ut leguntur) ad warrantiam, hoc eſt, ad præſtationem rei venditæ, & ſimil. Forenſium autem lingua vulgari *voucher al garantie*, quod Gallis *appeller a garand*, alias *ſommer a garand*, Duarenus. *Recours de Garantie*, Cotgravius. Hinc Capituli Legum Æthelredi decimi titulus apud Lambard. *be teaman* apud Jornalenſem Latine redditur, *De advocatione & termino guerrandi* (corrige *warranti*) *inveniendi*. Videatur Spelm. Gloſſar. verbo *Garandia*. Saxonibus autem *Advocare* eſt *tyman*, *Advocatus gateaman*, *Advocatio team*: item Lambardo in verbo *Advocare*. *Cenning* vocabulum, forma autem Latina *Cenninga* (quod Lambardus habet *Kenninga*) apud eoſdem idem ſignabat, Jornalenſi teſte in verſione LL. *Æthelredi*, cap. 9. 10. ei autem 10. 11. non *notitiam*, ut Doctiſſ. Equiti viſum in voce, niſi quis malit ut ſit notitia alicui data, ut veniat & advocet. Vocem autem hanc & immediate præcedentem, *Cenitus* ſc. idem doctiſſ. Eques expoſiturus, quaſdam laudat additiones ad LL. Inæ Regis. Cum autem de talibus ad LL. Inæ additionibus apud Jornalenſem, ſaltem quo nos utimur, nulla ſit mentio, utrumque vocabulum reperitur in LL. Æthelſtani apud eundem Jornalenſem, par. 2. Prius ſcil. in earundem LL. cap. 4. poſterius autem cap. 18. ubi *pecoris cinnitus* forte legeretur, *pecoris tinnitus*, quod quibuſdam *tintinnum*, aliis *tintinnabulum*: idem autem id quod aliis *skella*, *skilla*; voces omnes a ſono factæ, & rem ſignantes, ſonitus gratia, pecori impoſitam, campanulam puta. Veriſimilius autem iſtud hinc videtur, quod poſt ibidem a Spelmanno allata verba, ſtatim ſequitur in eadem Lege: *& unumquodque reputatur melda*, i. e. *manifeſtatio*; cui ſuffragatur illud *Amoinii* (Hiſt. lib. 3. c. 81.) a Clar. *Lindenbrogio* in voce *Tintinnabula jumenti* laudati: *Mos quippe* (inquit) *antiquus inoleverat Francis*, *& maxime Auſtratiis*, *ut paſcentibus equis tintinnabula imponerent*, *quo ſi forte longius in paſcendo aberraſſent*, *eorum ſonitu dignoſci poſſent*. Lambardus de voce *Advocare* & *Advocatio* hæc commentatur. *Advocare* & *Advocatio* Saxonice *tyman and*. Eſt proprie *tyman propagare*, *team ſoboles*, & *propagatio*, per tranſlationem vero, *alium patefacere*, atque *in medium proferre*. Erat enim in more poſitum, ut ſi quis rem furto ſurreptam mercatus eandem alteri vendidiſſet, atque is porro rem illam alteri cuiquam alienaſſet, idemque feciſſent alii præterea plures, Domino tamen per Leges licebat rem ſuam ubivis deprehenſam ſuo ſibi jure vendicare. Tum vero ejus (quem penes res erat deprehenſa) partes erant, venditorem proferre, cauſæque illum advocare, ut is venditionem præſtaret, atque in ſe reciperet. Is demum cauſæ Advocatus alium citabat aliquem, atque ita alio alium advocante, in ipſum tandem furti autorem culpa transferebatur. Nos Gallice *voucher al garrantie*, cujus eſt frequens in legibus mentio, appellamus. De *Advocatione* autem vide plura apud D. *Cowell*. Interp. verbo *voucher* & verbo *warantie*, *Spelmann.* verbo *Advocatus*, & hic infra in voce *Theam*.

Aesne, *inops*. Vocem illo ſenſu nondum legi. *Servum* Saxones nuncuparunt *esne*, inopem autem *earme* & *onæhte*. Saxonibus tamen *eſne* non quemvis ſignificabat ſervum, ſed mercenarium tantum vel conductitium (*a hired Servant* vulgo) quem inter & eorum *theowe* tale reperio diſcrimen; hic ſervus natus & a parentibus; ille factus & ex pacto (*a covenant Servant* vulgo); hic ſine, ille cum (vel pro) mercede ſerviens; hic ſemper quoad vixerit, ille pro tempore in pacto contento; hic ad opera quævis pro arbitrio Domini, ille ad ea tantum pacto expreſſa, quæ quandoque militaria, cujuſmodi ſervum Saxones,

ut

ut memini, *fyrd eſne* nuncuparunt, militem ſc. mercenarium, ſtipendiarium, eundem qui Junioribus *Solidarius*, vulgo *Souldier*, de quo vide Clar. Selden. Tit. Honor. edit. 1. pag. 335. & Beſold. de Natu. popul. cap. 18. verbo *Soulde*. Pro *inops* itaque hic ſubſtituendum *operarius*, quomodo vox iſta *eſne* in LL. Ælfredi Regis, c. 39. vertitur.

Æſtimatio capitis. Vide *Were*,

Agenfrigea. *Liber*, ſeu potius *Poſſeſſor*. Retinet tamen *Jornalenſis* vocem *agenfriga* in verſione, cap. 42. LL. R. *Inæ*. Vox iterum occurrit in ejuſdem Regis Legum c. 50. item in LL. Cnuti, par. 2. cap. 22. de qua vide Doctiſſ. *Spelm*. Gloſſarium.

Ahteswan *Servus porcarius*. Vox obſcura, de cujus verſione cenſuram ferre ſuperſedeo. De ſervo autem porcario vide, ſi placet, *Lindenbrogii* Gloſſar.

Aldermannus. Vocabulum Anglo-Saxonicum, ab *ealdre ſenior*, & man *homo* compoſitum, cujus munus ditioque *ealdordom* dicta; de quo ne actum agam plura dicere omnino ſuperſedeo. Me etenim in vocis etymologia, & cæteris ad plenum & verbi & rei (inſtituti ſcil.) intellectum anteverterunt *Lambardus* verbo *Senator* & Doct. *Spelman*. verbo *Aldermannus*. Clar. *Seld*. Tit. Honor. par. 2. cap. 5. §. 2. & *Cowell*. Interpr. in voce.;

Algorium maris; id eſt, *Alga maris*, fucus marinus; Sax. *war*, noſtratibus olim inde *Wore*, hodie quibuſdam *Dore*, aliis *Wrait*, exteris autem *Wier*; unde Wiringiam, Hollandiæ ditionis inſulam, id nominis adeptum volunt, cujus *tanta ibi eſt copia* (inquit *Guicciard*. par. 2. pag. 95) *ut & aggeres fartos tectos conſervent*. Adde *Bertii* tractatum de Aggeribus, cap. 13. Deſcriptionem prælii inter Cæſarem & Venetos Britanniæ in Strabon. Geograph. lib. 4. Camdeni etiam noſtri Britanniam de Gerzei inſula. & Gerardi noſtri Herbar. 1568.

Allegiare. Verbum ſatis explicatum a *Spelman*. in voce, cujus ope intelligas illud in cap. 41. LL. Guilielmi primi, *ſil ne pot aleier*, ſed & illud ibidem, paucis intermediis, *ſil alaier ne ſe pot, i. e. niſi poteſt allegiare*, jurejurando ſc. verificare, &c. Vide earundem Legum cap. 15. & harum cap. 34.

Amber. *Amphora*, quaſi ampher, ἀμφορεὺς, dictio Græca, vaſis vinarii genus & menſuram ſignificat: ſic dicta quod duas habeat anſas, atque ex utroque latere prehenſa feratur. Continet autem, ut tradunt nonnulli, ſextarios 48. Sextarius aliis unciarum eſt viginti, aliis viginti & quatuor, atque ita *Amphora* hæc noſtra ad id genus menſuræ, quod nunc vulgo *Firkyn* dicitur, proxime accedit, neque vero omnis evanuit vetuſti illius nominis memoria.

Amonitus. Quid, vide *Mannitus*.

Antejuramentum. Sic vertunt priſci Interpretes Anglo-Saxonum *Foreath*, de quo in LL. Æthelſtani, cap. 23. & Cnuti par. 2. cap. 20. quod olim (ad inſtar juramenti de calumnia) non ab accuſato ſolum, ſed & accuſatore quandoque exactum. Cap. har. LL. 66. *Si quis furti, vel hujuſmodi periculoſa capitalium compellatione pulſetur, ſecundum Legem weſſex antejuramentum a compellante habeatur, & alter ſe ſexto decimæ ſuæ purget, ſicut accuſator præceſſerit*. Vide etiam c. 64. in principio, cum additione ibidem marginali, & cap. 92. Accuſatore vero in hujuſmodi antejuramento deficiente, accuſatus liber evadebat. Inter LL. Philippi Comitis Neoportuenſis, A. D. 1164. editas, *ſi fur vocatus accuſatus fuerit*, ferro candenti ſe excuſabit; ſi culpabilis permanſerit, ſuſpendetur; & ſi accuſans in antejuramento defecerit, accuſatus liber erit. Vid. Petr. Greg. Tholoſ. Syntagm. Jur. univerſ. lib. 48. cap. 15. num. 6. Tanto autem rigore uſi ſunt majores noſtri in hoc ab accuſato exigendo, ut vel ad *Ordaleum*, niſi eo prius præſtito non eſſet admittendus, unde illud in LL. prædicti Æthelſtani cap. 23. *And ſwerige thone ath that he ſy mid folcribte unſcyldig thære tyhtlan ær the he to thæm ordale ga*. Et paulo poſtea: *And ofgaylc man his tybtan* (1) *mid fore ath ſwa we ær cwædon*. Poſteriora ſic Latine exprimo: *Et quilibet illatam accuſationem exuat (vel excutiat) præjuramento*; ut de accuſato non accuſatore (quomodo Lambardo viſum) dicta, De *Forath* legimus in LL. Foreſtæ cap. 12. (apud *Spelm*. Gloſſar. in voce *Foreſta*) ubi juramentum vice alterius præſtitum (cui illud ſimile, *in animam Domini* Canoniſtis dictum) ſignificare videtur. Veruntamen ſi Lex illa deprompta ſit e Legum Canuti ſupra memorato capitulo, ut mihi quidem viſum, quomodo etiam Lex proxime ſequens ex ejuſdem Canuti Legum cap. 32. (quod notandum pro mendoſa loci exhibitione corrigenda) *Forath* hic & illic pro antejuramento malim accipi, & eo conceſſo, pro *juramentum*, extrema Lege reponendum reor *antejuramentum* vel *præjuramentum*.

Apparitor. Textus c. 10. LL. H. I. habet *Apparitores* in plurali, & in proximo ſequitur, *vel Miniſtris*. Vocum poſterior ſenſum prioris ſatis plane enucleat. Judices ſane & Juſtitiæ Miniſtros, *Præpoſitos* ſc. ſive *Præfectos*, notat; non autem qui Judicibus a ſervitiis, Lictores, Satellites, Nuntios, & ejuſmodi, quomodo vox vulgo apud nos accipitur. Parem autem huic habemus locum poſtea c. 19. LL. H. I.

Aquæ Lex. Judicium deſuetudine exoletum ad *Ordaleum* ſpectans, quod vide; & *Judicium Aquæ* in Spelm. Gloſſar.

Aſſaliare (unde *Aſſaliatus* c. 87. *Aſſultus* c. 10. 87. LL. H. I.) eſt in aliquem inſultum facere a Gallico *aſſailir*, & hoc a Latino *aſſilire*; Anglice *to aſſail* vel *aſſault*. Vid. *Spelman*. Gloſſar. verb. *Adſallire* & *Aſſailrie*. *Aſſultus* voce utitur *Order. Vitalis* Hiſt. Eccleſ. in anno 1080. pag. 553. n. 16. 19.

Aſtribilthet. Vox hæc cap. 30. LL. Edovardi Confeſſoris obvia *duplicem compenſationem pro pace fracta* denotat. In tribus Codicibus Cottonianis tripliciter legitur *aſtrekibthet*, *aſtredelthet* & *aſtrikebbet*; & in Hovedeno *aſtrideltbot*, unde facilis conjectura eſſet vocem hanc legere a *ſwidel* vel *ſwyfeald bot*, i. e. *duplex compenſatio*. Sed cum *aſtre* ſignificet *domum*, & vox *aſtribilthet* hic duplicem pro damno pœnam œconomis impoſitam ſignificet, longe faciliorem etymologiam ei aſſignabimus ab *aſtre* domus, *hold* dominus, & *theowet* vel *het* (mutato *h* in *b*) mulcta; ut ſic *aſtribilthet* compenſationem factam a domino manſionis denotet, Vid. quæ *Somnerus* dicit de *aſtribilthet* infra in voce *emendare*.

B

B*ærnet*. Domus incendium. De quo in LL. Cnuti ſecular. cap. 61. ubi quomodo & cap. 12. 47. LL. Henr. I. inter ſcelera jure humano inexpiabilia enumeratur. *Husbrec, and bærnet, and openthyſth----æfter weoruld*

(1) Lege *tyhtlan*.

laga is botleas. I. e. (juxta Jornalensem) *Husbrece*, *i. e. infractura domus*, *& bernet*, *quod est domus incendium*, *& opentheofthe*, *i. e. apertum furtum* --- *secundum Legem seculi inexpiabile est*.

Baro. De voce nihil habeo dicere, quod non fuit dictum prius: ut inter nostrates a *Spelman*. in Glossar. a *Selden*. Tit. Honor. par. 2. cap. 5. Lambardo, in voce *Thanus*; *Camdeno* de Gradibus in *Anglia*; D. *Cowello* in Interpr. inter Exteros autem ab *Hotomanno* de verb. Feudal. *Vulteio* de Feud. lib. 1. capp. 4. 11. 14. *Vossio* de vitiis sermonis, &c. in voce; & pluribus aliis.

Belfleos. *Tympani vellus*. Ducem gregis hic intellige campanulam habentem, cervici ejus pro more impositam. Vide supra in *Advocatio*. Vox composita a *bell* campana & *flys*, Saxonibus *fleos*, nobis *fleece*, vellus. Vervecem sectarium vulgo dicimus, *the Bell-weather*.

Bellum. Idem sæpe quod Græcis *monomachia*, Latinis *singulare certamen*, Feudistis autem *duellum*; cujus (inquit *Hotomannus*, Disput. de feud. cap. 45.) vera definitio talis erit: *Duellum est duorum pluriumve concertatio*, *ea Lege instituta*, *ut ex ipsius eventu de re ambigua dijudicetur*. De quo, cum vix habeam, quod addam prius dictis, vide *Spelm.* Glossar. verbo *Campus*, & cæteros quos laudat authores Doctor *Cowellus* in Interpr. verbo *Battel & Combat*, quibus adde vetus Normann. Custumar. capp. 68. & ult. *Cujac.* de Feudis, lib. 1. tit. 1. §. Si autem controversia, &c. *Dempster* de Juramento, cap. 18. & *Wormii* Monumenta Danica, lib. 1. cap. 10. Hoc genus examinis cum in Anglo-Saxonum Legibus non occurrat, Normannis eorum successoribus, ut verisimile est, debemus, a quibus e Normannia, post conquestum (ut vocant) huc adductum reor. Hoc genus a Normannis, cum Anglis illis antiquioribus antea ignotum erat, invectum est. Antiquit. Britan. p. 103. Cambro-Britanni tamen vocem *ornest* habent pro duello, sive monomachia, perinde & si Britannis olim in usu. Vid. *Diction. Britann. Lat.* in voce *Ornest* & *Ymornest*. Truculentum morem in omni ævo acriter insectarunt Theologi, & ab eo Principum clementia excusantur plures, inter alios autem cives London. ut hic in Legislatoris nostri charta libertatum eis facta, sicut & cives Cantuariæ Henrici II. diplomate verbis concepto similibus, quæ sequuntur. " Concessi etiam eis--quod nullus eorum faciat duellum, & quod de placitis ad coronam pertinentibus se possint disrationare secundum antiquam consuetudinem civitatis, &c. „ Clausula Regale sapit privilegium, duelli casus (ne dicam impietates) vitandi gratia indultum, cui illud simile Cantianis omnibus in terris quas possident (ut loquuntur) in *Gavelkynd* olim irrogatum, de quo in agri illius Custumario apud Lambardum, non procul a fine. Vid. Glanvill. lib. 2. cap. 3. l. 14. cap. 1. Plura autem quæras in Spelm. Glossar. verbo *Jurata*, *Lex apparens*, *Assisa*, *Adhramire*, *Judicium Dei*. Item in Tholos. Syntag. Juris univ. lib. 48. capp. 15. 16. Quercetani Notis ad Biblioth. Cluniac. pag. 160. 161. Lindenbrog. verb. *Campio*, *Duellum*, *Pugna*. Superest apud nos hodie in solemnioribus Juris actionibus, licet rarius in usum veniat, ut fusius tradit Spelman. verb. *Campus* & *Lex apparens*; cujus ibidem ut & alibi conjecturæ assensum meum nec immerito facile præbeo, de *Juratarum* sc. nostrarum judicii, nempe apud nos duodecimviralis, si non origine, saltem resuscitatione, & frequentiori deinceps usurpatione, ab Henrico ejus nominis secundo, pro tempore (referente Glanvilla, lib. 2. cap. 7.) Duellum in tanto licet non in toto sustulit; cum utique temporibus anterioribus rei rarum, nominis autem (duodecimvirale judicium intelligo) nullum apud nos extet vestigium: quæ vero in contrarium adducuntur (in probationem sc. altioris judicii illius originis, Anglo-Saxonicæ præsertim) meo judicio tam obscura sint, ne dicam levia. Vid. Daniel. Histor. Angl. in vita Guil. I. f. 38. Lapsum igitur reor Polydorum Vergilium, duodecim virorum judicium (quod terribile vocat) a Guilielmo Conquestore illatum asserentem; cum majorem antiquitatem eidem adscribat, ut mihi videtur, quam expedit, quandoquidem institutum illud ab Hen. II. edicto inolevisse videatur. A Normannis dixi hoc genus explorationis (per Bellum) in Angliam invectum; id autem in primo ipsorum adventu. In quibus enim casibus causisque locum esset habiturum, legibus in eam rem a Guilielmo primo, Conquestore dicto, latis constitutum est: quæ quidem Leges a pluribus in lucem editæ jam vulgo circumferuntur, suspicor autem an originali quo descriptæ sunt idiomate. Textus Roffensis (insignis liber MS. sic dictus) easdem LL. Anglo-Saxonico sermone exaratas exhibet, quas vide supra.

Bellum vadiare est deposito quopiam pignore certare. Vid. Clar. *Vossii* Glossar. pag. 642. in voce *Wadium*.

Belundintum. Scribendum reor *Blindintum*, ut Scholiis ad cap. 94. LL. Henrici I. jam monitum. Cæcum ictum sonat: pleniorem autem & verbi & loci expositionem in eisdem Scholiis, cui placeat quærat. Cæci vulneris meminit Persius, Satyra 14. *Ilia subter cæcum vulnus habes*. Alio tamen sensu.

Benripe, *ad preces*. Vox in LL. Saxonicis desiderata, servitium sonans a quibusdam inferioris notæ Tenentibus sive Fructuariis debitum Dominorum suorum frumentum metendi, quando ad id rogati fuerint, & in auxilium acciti; de quo pluribus in Tract. Clar. *Somneri* de Gavelkynd, c. 1. Post *Preces* igitur hic deest *metere*. Servitium hoc (ut & illud infra *Benyrden* dictum) majoribus nostris *Precaria* dictum.

Benryrden alias *Benyrden*. *Araturæ pretium*. Vox priori in hoc consimilis, quod in LL. Saxonicis minime reperiatur, nec quod sciam alibi præterquam in Codice antiquo olim Monasterii S. Augustini Cantuar. Quandam tamen eidem vicinam invenio in pluribus antiquis custumariis, computis, & scripturarum consimilium schedis, scil. *Benerth*, servitium signans vel auxilium arationis maneriorum sive prædiorum Dominis a quibusdam inferioris notæ Tenentibus sive Fructuariis debitum, de quo plura in Tractatu quo supra in *Benripe*. Quod hic igitur *araturæ pretium*, corrigendum reor *aratio ad preces*.

Berebrectus. *Horrearius*. Vox in MS. Cantuar. at in nullis LL. Saxonicis obvia; in ejus tamen illustrationem quædam videas apud Doctiss. Spelman. in voce *Berewica*.

Billum. Si idem sit *billum mutilatum* hoc in loco, cum billo de quo cap. 78. LL. H. I. falcem forte sonat, nisi malis securiculam, quod Teutonicis *Bill & Beil*, ex armorum genere videtur servo propriorum, ut e contrario lancea & gladius libero. Vid. dict. cap. 78. LL. Henr. I.

Blasere. *Incendiarii*. Vox hæc derivatur a *blæse* vel *blase*, *flamma*, & eos qui flammas domibus, horreis, sylvis & agris subjiciunt, denotat. Eodem cum homicidis puniebantur modo apud veteres Saxones. In LL. Æthelstani Regis, cap. 6. *blisgeras* vocantur a *blysa*, vel *blysige*, *fax*. *flamma*, *tæda*.

Blod-

Blodflodium. Loci depravati vocabulum obſcurum. De expoſitis (ni fallor) & a propriis parentibus & dominis derelictis, locus intelligendus eſt, quem cum aliquandiu adverterem, eundem cum proxime præcedentibus tandem ſic legendum ſicque reſtituendum duxi: *De inventis & pauperibus & abjectis poſitum eſt: Si quis eos occidat, eiſque ſint parentes repetentes* (id eſt, compenſationem eis jure debitam ob cognatum occiſum petentes) *wera, wita, manbota, ſicut juſtum fuerit* (vel *ſicut acciderit*, i. e. pro facti ratione) *perſolvantur* (occiſi) *vel in taſchis* (i. e. forte pecuniis numeratis; *taſcha* enim, Voſſio teſte, marſupium ſignat vel crumenam, continente hic poſito pro contento; niſi cui magis placeat *daciis*, i. e. eodem teſte, tributis vel collectis) *vel hujuſmodi ſuggerendis. De blodflodiis eſt inſtitutum, quos Parentes ſui divites ac Domini multa ſinunt in progenies* (i. e. forte de progenie in progeniem) *egeſtate mendicos, ſi pecuniam habebunt, ſit Domini cui* (ex charitate forte) *præbendarii erunt* (eleemoſynis ejus nutriti) *ſi ſuper terram ejus ſit* (ſcil. pecunia.)

Blodwita. Mulcta effuſi ſanguinis, unde autem ſic dicta ſit vide apud *Spelman.* in voce.

Bocland. Terra ex ſcripto, codicillaris. Fundum veteres aut ex ſcripto, qui Bocland, aut ſine ſcripto, qui *folcland* dicebatur, poſſidebant. Quæ fuit ex ſcripto poſſeſſio commodiori erat conditione, hæreditaria, libera, atque immunis. Fundus ſine ſcripto cenſum penſitabat annuum, atque officiorum ſervitute quadam eſt obligatus. Priorem viri plerumque nobiles atque ingenui, poſteriorem ruſtici fere & pagani poſſidebant. Illam nos vulgo *Freehold* & per chartam, hanc ad voluntatem Domini appellamus. Habebant etiam majores noſtri & ſuas villas, quas a *feormian* (quod eſt cibum ſuppeditare) *feormes* appellabant, eamque nos hodie nominationem retinemus. Dominis etenim quæ ad eſum, potum victumque erant neceſſaria, villæ ſubminiſtrabant. Hæreditatem vero temporibus illis non (quemadmodum apud nos) ſolus ætate maximus adibat, verum ad filios omnes æqualiter fundus Lege veniebat, quod illi *landescyſtan* dixerunt, & Cantii hac noſtra memoria eodem vocabulo *to ſhift land*, id eſt, herciſcere, & fundum partiri appellant. Atque hinc ego uſu tandem eveniſſe credo, ut terra illa *Gavelkyn* quaſi *gife eal cyn*, id eſt, omnibus cognatione proximis data dicatur. Ac quoniam ex hoc ſermone in memoriam *Cantianorum* incidimus, non erit opinor ab inſtituto noſtro alienum commemorare, quid cauſæ fuerit, quare ex omnibus Angliæ provinciis, una fere Cantiorum regio veterem hanc terræ dividendæ conſuetudinem ſervet, aliaque nonnulla, quæ erant in more majorum, etiamnum teneat. Cæterum quoniam minorem fidem faceret oratio mea, excitabo religioſum teſtem *Tho. Spottum*, Monachum olim Cantuariæ Auguſtinenſem, qui (*vixit regnante Edwardo primo*) in ſuo de Abbatibus Cœnobii libello, ad hunc modum loquitur.

" Anno 1066. Wilhelmus Dux Normannorum rerum potitus verſus caſtrum *Doveriæ*, iter ſuſcepit; ut illud cum cæteris Cantiæ partibus ſubjugaret. Stigandus itaque Archiepiſcopus, & Abbas Egelſinus, quaſi totius Cantiæ majores & Domini, animadvertentes ubi in Anglia antea nullus fuerat ſervus, jam omnes etiam Nobiles ſervituti Normannorum ſubditos, populum univerſum Cantianum congregarunt, quibus expoſuerunt imminentia pericula, Normannorum inſolentiam & ſervilis conditionis anguſtiam. Qui cum decreviſſent potius mori, quam ſervitutis jugum ſubire, ſtatuitur Duci occurrere, & pro patriis Legibus dimicare. Facti ſunt Duces Archiepiſcopus & Abbas, dieque dicto univerſus populus apud *Swaneſcombe* convenit, latitantes in ſylvis adventum Ducis expectant, ſtatuunt ramos arborum in manibus portantes præcludere undique vias Duci & circumvenire. Poſtridie Dux juxta *Swaneſcombe* tranſiens, ſeſe animadvertit circumſeptum, quaſi nemore paulatim undique appropinquante, non ſine conſternatione. Cantiani vero ſtatim, abjectis ramis, ad buccinæ ſonitum arma præferunt, miſſique ſunt ad Ducem Archiepiſcopus & Abbas, qui hæc dixerunt: Ecce, Domine Dux, populus Cantiæ tibi obviam procedit, te tanquam ligeum Dominum ſuum recepturi, ea conditione, ut populus univerſus Cantianus in perpetuum avita gaudeat libertate, avitiſque fruatur Legibus; alioqui tibi e veſtigio bellum indicunt, parati hic potius omnes occumbere, quam ſervitutis jugum pati, & ab avitis Legibus recedere. Dux in arcto poſitus, petita non tam libenter quam ſapienter conceſſit. Datis utrinque obſidibus, Cantiani lætos Normannos Roſeceſtriam deducunt, & Comitatum Cantiæ, cum caſtro Doverenſi, eis tradunt. Sicque antiqua libertas Anglorum, patriæque Leges, in ſola Cantia, induſtria Stigandi & Egelſini, uſque ad hæc tempora remanſerunt. „ Hactenus ille. Ego vero in hoc uno Lectori verba dari non facile patiar, nam quod nondum id temporis ſervitutem introductam aſſerit, ego vere affirmare poſſum, ſervos fuiſſe in Anglia complures, id quod vel me conticente Leges ipſæ enunciabunt. Num vero in Cantianis tum temporis fuerint ſervilis conditionis homines, aut nunc ſint, non affirmaverim; legi ſane, non fuiſſe unquam. *Spelman.* in voce *bocland* (ni fallor) perperam ejuſmodi terram ea poſſidendi transferendique Lege coerceri aſſerit, ut nec dari licuerit, nec vendi, ſed hæredibus neceſſario relinquenda fuerit, idque e LL. Ælfredi cap. 37. concludi poſſe: cum (ſalva ejus reverentia & aliorum ſimiliter ſentientium) loci, id eſt, Legis citatæ recte intellectæ ſcopus atque ſenſus aliud plane velit; tali ſiquidem alienatione eo ſolummodo caſu ibi prohibita, quando ſc. hujuſmodi terra a primis donatoribus tempore donationis tali reſtringitur conditione, ſcil. ne alienaretur cognatis inconſultis & invitis. Quæ quidem limitatio ut exceptionis vim obtinet, quæ (ut loquuntur Juriſtæ) firmat regulam in non exceptis, ſic etiam Juris Civilis edicto prohibitorio apte comparandam puto, quo quodcunque non prohibetur, permittitur. Fuſius autem de hoc in tractatu de *Gavelkynd*, cap. 4. ubi plura de iſtius & aliorum generum terra Lectori obvia: inter alia autem de Feudiſtarum *Allodio*, Noſtratium *Bocland* (ac ſi eſſet idem alterum) conſono, cujus etymon habebis infra in verbo *Feudum*.

Bonda. Maritus, Paterfamilias. Huic autem *bus* adjungi ſolet, aut potius præponi, quo idem ſignificatur quod Sax. *Husfuſtune*, *Humfæſt* & ſimil. domui ſcil. aſcriptum vel aſtrictum ſignat, ut *Heorthfæſt* antiquitus Latine redditur *aſtro aſtrictus*. Vide *Heorth faſt.*

Borghbreche. Sic enim ſcribendum reor quod cap. 10. LL. Henr. I. ſcribitur.

Borghbrege. Fidejuſſionis violationem ſignat, unde autem ſic dictum ſit, vide Spelman. in voce *Burghbrech*.

Bote. Vid. *Emendare.*

Bræde. Figmentum. LL. Edo. ſenioris, c. 1. *butan bræde and beſwice*; quæ apud Jornalenſem ſic Latine dantur: *ſine figmento & ſeditione*. Quod autem *bræde* hic, poſtea in LL.

Cnu-

Cnuti par. 2. cap. 22. *brægden* dicitur, *thær gewitneſſe bith and man gecnawan can that thær bregden bith*; i. (eodem Jornalenſe interprete) *ubi teſtimonium eſt & cognatio, quod ibi brede ſit*.

Burgus. Quid, quotuplex, & unde ſic dictum vide apud *Spelman*. in voce. *Cluver*. German. Antiq. Lib. 1. pag. 110. & *Voſſ*. de vitiis Sermonis, pag. 181. *Burgi lex* occurrit cap. 46. LL. *Henr*. I. quod idem forte ac forenſium noſtratium *plegium recti faciendi*.

C

CAcepollus. LL. Æthelſtani apud Veneting. in Jornalenſ. cap. 24. *Si cacepollum advocet, quod ei thelonium dedit, & ille neget, perneget ad Dei Judicium*. Vox, ni fallor, *Lictorem* ſignat, aut miniſtrum quendam ei non abſimilem, unde ortum Noſtratium *Catchpoll* pro Satellite, vulgo alias dicto *Serjeant*. Plura vide apud *Cowell*. Interpr. in voce.

Cantia. Comitatus nomen apud nos Anglos celeberrimi, Julio Cæſari quem Cl. noſter Cambdenus ſequitur, *Cantium* dicta, quo teſte (de bello Gallico, Lib. 5.) omnibus (Britanniæ incolis) longe ſunt humaniſſimi, qui Cantium incolunt.

Capitale. Pro bonis, vel bonorum illa ſpecie, quæ nobis vulgo *Chattell*. Sæpe pro valore rei ablatæ. Unde autem derivatum vide apud Spelmann. in voce.

Capitalis inimicitia. V. *Fæhth*.

Caſtellatio. A *caſtellare* forte vel *incaſtellare*, quod caſtello munire ſive in caſtelli formam redigere ſonat: ſic autem munire ædes ſuas nemini licet ſine Regis licentia. De quo vid. Spelmann. Gloſſar. verbo *Kernellare* & D. Edo. Coci Inſtit. par. 1. fo. 5. a.

Cauſæ emendabiles & inemendabiles. Quales hæ, vid. infra in voce *Emendatio*.

Centuria. Saxonice *Hundred* a numero centum hominum (hydarum, ut Niger liber Scaccarii vult) appellationem habens, inquit D. *Lambardus*, & *Spelman*. in voce. Hujus autem vocabuli nulla mentio in LL. Saxonicis ante Ælfredi Regis tempora, qui Angliam primus (antiquiori ejus in Regiones diviſione antiquata: vid. *Spedi*. Tabb. Num. 1. §. 3.) in Satrapias, Centurias & Decurias, ut communis fert opinio, partitus eſt. De voce & ejus Relativo, *Centenario*, Domino ſc. Hundredi, vide apud eundem *Spelman*. verb. *Centena*, *Graſio*, *Hundredum*. Videantur etiam Doctoris *Cowell*. Interpr. in voce *Hundred*, & Ed. Coci Inſtit. par. 4. pag. 287. *Lambardus* hæc de voce *Centuria* habet. Ælfredus Rex ubi cum Guthruno Daco fœdus inierat, prudentiſſimum illud olim a Jetrone Moyſi datum ſecutus conſilium, Angliam primus in *Satrapias*, *Centurias* & *Decurias* partitus eſt, *Satrapiam ſcyre* a *ſcyran* quod partiri ſignificat, nominavit; *Centuriam hundred*, & *Decuriam teothung*, ſive *tienman tale*, i. e. Decemvirale Collegium appellavit. Atque eiſdem nominibus vel hodie vocitantur. Ac ne quis ignoret, *Decuria* ex decem viris conſtabat, quorum ſinguli uniuſcujuſque ſiſtendi fidejuſſores erant, & ſi quis eorum aliquid dediſſet damni, id omne reliqui reſarcire debebant. Atque hinc novem illi quidem *freoborh*, id eſt, ingenui fidejuſſores dicebantur; nos in titulis curiarum *francos plegios* appellamus. Decimus ille *teothungmon*, id eſt, *Decurio* dictus eſt, quo nomine hac noſtra eſt tempeſtate Occidentalibus Anglis notiſſimus. Eum tamen alii *tienheofod*, alii *freoborhes heofod*, id eſt, vadem primarium & præcipuum nuncupabant. Cantii etiamnum borsholder corrupte pro *borhes ealdor*, id eſt, vadem primum, vocant. *Centuria* quidem ex denis erat Decuriis conflata, quemadmodum & centenarium numerum decies decem conficiunt. Hanc etiam Tranſtrentani alio nomine, verum nec in vulgus ignoto *wæpentac* appellabant. Sed revocetur unde digreſſa eſt oratio. Decrevit tum porro Ælfredus, liberæ ut conditionis quiſque in Centuriam aſcriberetur aliquam, atque in Decemvirale aliquod conjiceretur Collegium. De minoribus negotiis *Decuriones* ut judicarent, ac ſi quæ res eſſet difficilior, ad *Centuriam* deferrent: difficillimas denique & maximi momenti lites Senator & Præpoſitus in frequenti illo ex omni ſatrapia Conventu componerent. Modus autem judicandi quis fuerit, Æthelredus Rex, Legum (quas frequenti apud Venetingum Senatu ſancivit) cap. 4. his fere verbis exponit: " In ſingulis (inquit) Centuriis Comitia ſunto, atque liberæ conditionis viri duodeni, ætate ſuperiores, una cum Præpoſito ſacra tenentes juranto, ſe adeo virum aliquem innocentem haud damnaturos, ſontemve abſoluturos. " Huic etiam non diſſimile eſt illud duodecim Virorum judicium, quod in Angliæ Walliæque Sapientum Conſulto, reperitur. Quæ cum ita ſunt omnia, viri intelligentes judicent, quam diligenter omnia veterum monimenta perſcrutatus ſit *Polydorus*, qui lib. Anglic. Hiſtor. nono, ex centum Hominibus electos fuiſſe Decemviros, adeoque Guilielmum Regem terribile illud (ita enim loquitur) duodecim virorum Judicium introduxiſſe contendit. Verum danda erat homini Juris neſcienti venia.

Ceoyl. *Ruſticus*, *paganus*. Erat apud veteres *ceorle* infimæ quidem at liberæ tamen conditionis homo, quemadmodum *Corle* ſummæ & ampliſſimæ. *Ceorl* is erat (ni longe fallor opinione) quem nuper Juris peritiſſimus D. Fitzherbert in ſuo de natura Brevium libello *Baſe tenant qui feſoit ville in ſervice, mes ne fuit pas villein* appellavit. Priſci etenim ſer vilis conditionis hominem non *ceorl*, ſed alias *theore*, alias *eſne* nominabant. A *ceorl* derivatur *cyrliſcus*, mas, villanus, & *cyrliſca* fœmina Ruſtici, vel conjux villani. LL. Henr. I. c. 76. & 82. De utroque vide plura apud *Spelman*. verbo *Ceorlus*.

Charta. Quid, vide Spelmann. in voce. Quid autem Normannis de terris & prædiis contrahentibus *Charta* dictum, Anglo-Saxonibus erat *landboc* Latino barbare *Telligraphum*, alias *terræ liber*, a *Land* terra, fundus, & *boc* liber *codicillus*, quod etiam *Spelman*. obſervatum in voce *Landboc*, quem vide etiam in Concil. Tom. pag. 333. Hinc *Bocland* hodie dicimus *Charterland*.

Criſtendom. *Chriſtianitatis jura*. Res & Cauſas eccleſiaſticas, fori ſcil. Eccleſiaſtici judicia Legiſlatores Saxonici & Henr. I. intelligunt, quibus in cauſarum in Comitatu diſceptatione primum aſſignant locum, juxta ordinem Legg. Edgardi, cap. 5. & Canuti par. 2. cap. 17. De Comitiis unde forte hoc tranſumptum, *And thas ægtherteaçan ge godes riht ge weoruld riht*. *Et ibi uterque doceat cum Dei rectum tum ſeculi*. Qua autem ratione juribus hujuſmodi Chriſtianitatis nomen impoſuerit Henricus I. diſce mecum a Cl. Seldeno, Not. ad Eadmer. pag. 208. " Chriſtianitas (inquit) & ea quæ ad Chriſtianitatem pertinent paſſim, apud Eadmerum atque alios illius ævi Scriptores, Functionem Epiſcopalem atque Fori ſacri actionem & adminiſtrationem ſeu of-

fi-

ficium Episcopale ut usitatius appellatur, denotant. —— Hinc apud nos Fora sacra, quibus jure nempe communi subnixis, aut Episcopi præsunt, aut ii qui eo nomine Episcopos, utpote quos provocare licet, suspiciunt, Curiæ Christianitatis, etiamnum vocitantur. „ Huc etiam pertinet illud in Doct. Spelm. Concil. Tom. 1. pag. 311. ex MS. excerptum, de vita Regis Uffæ. *Dominabatur etiam* (inquit) *Snotingensi provinciæ, cujus Christianitas ad Archiepiscopum spectat Eboracensem.* Historia Abbatum S. Albani per *Matth. Parisium* in vita Guliel. Abbatis 21. Prælatorum Christianitatis sic meminit: *Aderat tempus quo omnes Prælati Christianitatis generaliter ad Concilium sub Innocentio Tertio Papa celebrandum convocarentur*. Vide plura in urbis Cantuariens. Antiquit. pag. 362. 363. ubi de *Decano* legimus *Christianitatis* ut & apud *Brianum Twynum* Antiquitatis Academiæ Oxon' propugnatorem, hujus autem vocis expertem, ut ibi plenius ostensum.

Cleta. Crates, Caula, de qua voce vid. Spelman. Glossar. verb. *Cleja* & *Clida*, ut & in L. Ripuariorum, Tit. 77.

Collaboratio. Conjuncta laboratio, efficta voce a *con* & *laborare*, de qua plura apud *Lindenbrogium* in Glossar. In LL. Hen. I. c. 70. autem potius proventum & fructum signat conjunctæ laborationis (lucrum scil. & quæstum inde provenientia) quam rem vel actum laborandi.

Colonus Saxonice *gebure*. Villicus ad certum censum singulis annis pendendum ascriptus. Belgæ hac nostra tempestate rusticos *Bowres* appellant, quos nos hodie contracto vocabulo pro *colonis*, *Clowns* appellamus.

Colpus. Sic (ut Doct. *Spelm*. Glossar. verbo *Fallire* visum) contrahitur, ne dicam corrumpitur *Colaphus*. Vocem autem ducit *Lindenbrog*. in Glossar. a Gallor. *coup*. Si plura velis, *Martinii* consulas Etymologicum in voce *Salapitta*.

Compares in Curia. Hos Feudistæ *Pares Curiæ* vel *Curtis* vocant, de quibus vide Hotoman. Dictionar. in voce.

Congildones. Socii Confratres, Contubernales, &c. unde autem vox efficta, vide apud D. Lambard. verbo *Contubernalis*, & Glossar. in voce *Geldum*. Huc (forte) referendum id quod capp. 88. & 99. legimus, *quorum crocca cowellet*, de quo plura infra in voce *Crocca*.

Conjectare. Hoc & (quod inde demanavit) *Conjectum*, quid, vide Clar. Lindenbrog. Glossar. verbo *Conjectum*. Vox est in chartis & Privilegiorum tabulis Episcoporum Ultrajecten. ab Heda in eorum Historia exhibitis, valde obvia, & privilegium semper signat, cui nostratium *Scot* (ni fallor) respondet, de quo vide Buchelii Not. ad eand. Histor. pag. 47.

Consacramentales. *Rim æwda men*. Conjuratores iidem scil. (aut similes) qui hodie in foro Ecclesiastico *Compurgatores* dicti, de quibus vide Hotoman. Dictionar. & Lindenbrog. Glossar. verb. *Sacramentales*, & hic infra in *Lex Sacramentalis*.

Consuetudines. Inter alias vocis significationes (Cowell. verbo *Custome*, & D. Ed. Coke Instit. par. 2. p. 58.) Forensibus nostris sonat, quomodo & hic jura & Servitia Domino Manerii e Fructuariis sive tenentibus (homines etiam vocantur) debita, præsertim vero ab eis qui tenent (ut loquuntur ipsi) *per Copiam rotuli Curiæ ad voluntatem Domini, secundum consuetudinem manerii*: unde ut eorum Tenura (id est, possessionis titulus, vel status) Anglice dicitur *Copy-hold*; sic etiam terræ eorum vocantur *Consuetudinariæ*, olim autem *Folclands*. Vid. Cowell. in voce *Copy-hold* & West. Symbol. par. 1. lib. 2. sect. 603. Sed, ut diximus, pro servitiis Domino debitis (prædiorum servitutes vocant exteri) hic accipiendum reor: quando autem apud nos eo sensu usurpatur, plerumque vocabulum *servitia* ei adjunctum habet, ut simul copulata mutuo se exponant. Hinc est, quod repertorium ejusmodi servitiorum, scil. liber quo talia describuntur servitia, quandoque *Consuetudinarium*, quandoque *Custumarium*, non semel *Custumale* inscribitur. Servitia & consuetudines ejusmodi Anglo-Saxones vocabant *geribtas*, quod eo ævo Latine redditum *Rectitudines*, a Normannis autem postea *Consuetudines*, vocabulo (ut fertur vid. Spelman. Concil. tom. 1. pag. 124. & Tractat. de usu & consuetud. per D. Casaubon. pagg. 109. 110. &c.) eo sensu Normannicam sapiente originem. Utut sit, id genus consuetudinum justum esse Saxones voluisse: hinc (ni fallor) satis congrue concludi posse existimo, quod tale nomen rei imposuere. Vid. D. Edo. Coci Instit. par. 2. pag. 56. verb. *Justitiam vel Rectum*. Eodem recidit recepta illa & satis decantata Juristarum sententia, viz. *Consuetudo ratione carens, potius dicenda corruptela*.

Conterminatio. Idem (ni fallor) sonat hic, ut apud Jurisperitos *Reconventio*, contraria sc. intentata actio; conflata (ut opinor) voce a *contra* & *minare*, quod Latino Barbaris sonat propellere, unde forte Nostratium *countermine*, Gall. *conterminer*, nisi quod hic *conterminationibus* corrigendum sit *concriminationibus*, ut habetur in quodam, quod vidi, exemplari.

Contracausator, Adversarius. Pars in judicio adversa, Saxon. *witherwin*.

Contramandatio. Placito ut plurimum copulatur. *Placiti* autem *contramandatio* (ni fallor) diei ad placitandum condicti, mandati, vel statuti, per mandatorem (actore sc. ex casu aliquo repentino impedito) revocationem sonat, & ejusdem placiti in alium diem vel terminum prorogationem, seu (ut citato vocatur loco) *respectationem*. Idem forte quod Gallis *Respit*. Licet autem hic tam late hac de re differatur, cito tamen, ut videtur, evanuit, & penitus obsolevit, res pariter & verbum; cum nec in Glanvillæ, Bractoni, nec aliorum Juristarum nostrorum libris ne vola ejus exter nec vestigium, nisi de natura sit *Essonii*, de quo in eodem Glanvilla, lib. 1. c. 27. & Bracton. fol. 334. b.

Contrapositio. Quid, vide Schol. in cap. 64. LL. Henr. I.

Conventus. Vide *Gemote*.

Corsned. *Panis certis verbis devotus*. Vocabulum a *cors* execratum & *ned* a *neod* i. e. necessitate ductum, *panem* significat: atque ita *corsned panis* est *execratus*. Moris erat panem certis quibusdam destinatisque sententiis consecratum, reo gustandum offerre; habebant enim penitus insitam opinionem, non posse quenquam mali conscium panem hoc modo dedicatum glutire. *Offam judicialem* alii dixerunt. Vide plura statim in *Lex Sacramentalis*.

Cotsetus. Sic enim *Cocsetus*, LL. Hen. I. c. 27. & *Cothsetus*, cap. 81. corrigenda puto. Cotæ vel tugurii habitationem sonat: vocabulum autem unde originitus ortum prostat apud *Spelman*. in voce.

Cravare, *cravatio*, *cravatus*. Sic nimirum quod in Legibus Henr. I. & in antiqua LL. Saxonicarum versione apud Jornalensem, quandoque *gravatus*, quandoque *curvatus*, quandoque *curvatio* legitur, corrigendum reor: verborum istorum quolibet originitus ab Anglo-Saxonum *crafian* (ut opinor) ducto, quod ut

ut *graven op iemanden* Belgis (Kilian. in Etymolog.) poſtulare, expoſtulare, petere, imo & impetere, lite ſcil. mota, ſignat. Unde illud in LL. Canuti ſecularib. cap. 70. *And thær ſe bonda ſæt uncwyd. and unbec raſod ſitte that wif and tha cild on tham ylcan unbeſacen;* ſic vertitur apud Jornalenſem (eiſdem fere verbis ac in harum Legum c. 14.) *Et ubi bonda*, i. e. *paterfamilias*, *manſerit ſine compellatione & calumnia*, *ſint uxor & pueri in eodem ſine querela*. Hinc hodieque rogare, Anglice dicitur *to crave*, & rogatum aliquid *craved*, Saxonibus *crafod*, quo etiam impetitum atque in reos relatum intelligebant, eoque ſenſu non ſemel occurrit vox in Chronologia Saxonica bono publico nuper edita, anno 1070. Voci autem *cravatus* & *cravatio* quandoque *mis* præponitur, quod in compoſitione a recto devium ſæpe notat, unde *miſcravatio* cap. 22. erroneam vel injuſtam poſtulationem ſignat, eoque ſic dictam puto, quia (ut locus oſtendit) ſera nimis cum priori (ut videtur) accuſatione præventa ſit, ut ex verbis immediate ſequentibus *præſumptis accuſationibus* datur intelligi.

Crementum feodi. Quid, vide Schol. in cap. 48. LL. Henr. I.

Crocca cowellet. Cap. 88. 94. LL. Hen. I. alias *quorum crocca cowellet*. Dictio in ſecundo locorum citatur, hac interpretatione illuſtrata: *ſi eorum olla non ſimul bulliat*, ubi, *non*, ut per errorem irreptum, delendum exiſtimo. Forma autem hac loquendi, id olim Contubernii vel Convivii nomine exteris (Vid. Legem Salic. tit. 45.) Saxonibus noſtris (Vid. LL. Inæ cap. 6. Edo. ſenior. cap. 1. Evangel. Saxon. Luc. IX. 14.) *gebeorſcipe* (potationem vertit Jornalenſis) notum intelligendum cenſeo; ſocietatem forte vel *Gildam* apud Saxones paſſim obviam, ei ſimilem, de qua hic cap. 54. ſociorum ſc. pecuniam ſuam ponentium in communi. Moris ſiquidem (ut videtur) fuit in diebus illis tempore ſc. Anglo-Saxonum, ut omnes ejuſdem viciniæ Decennæ ſc. Friborgi vel Gildæ (& vox & res in Cambriam adverte: *Gildio* enim Cambris co. potationum expenſas exolvere ſonat. Ditmar. Britannic. Lat. in voce *Gildio*) ſocii vel ſodales menſam haberent communem, ubi collatitia ſtipe ſimul comedebant & combibebant. Plures igitur *quorum crocca cowellat* contubernium ſonat in publico vel communi convivantium, a Sax. *crocca* olla & *wealien* bullire; o præpoſito, quod ut *con* in compoſitis (quomodo in *co partner*, *co-operate*, *coordinate* coincidunt) ſimul notat. Plura pete in loco Gildarum communi apud Spelm. in voce *Geldum*. Videantur etiam D. Lambard. verbo *Contubernalis*. Kilian. verbo Gulde, & hic ſupra *Congildones*.

Curvare, *Curvatio*, *Curvatus*. Quid, vide ſupra in voce *Cravare*.

Cynebote, alias dictum *cenegild*. Fallitur interim Doctiſſ. Spelmannus, cum de voce diſſerens in Gloſſario, eam pro eodem accipit, quod alias *mægbote* dicitur; ea nempe compenſationis pars, quæ interfecti cognatis reddebatur ob amiſſum conſanguineum. Hæc enim compenſatio cognationi cedens regiæ, ſub Weræ nomine hic plane comprehenditur, unde hæc: *ſe wære belimpathe to tham mægthe thæs cyne cynnes*; i. e. *Weram debent habere propinqui regii*, dum quod ſequitur *cynebote* univerſo populo cedit, ob Regem ſublatum, juxta ſequentia, *And that cynebote to tham landleod.*

Cyricſceat. Sic enim quod cap. harum LL. 2. lin. ejuſdem 2. *Cheriſceatum* habemus, legendum eſt. Vocabulum in Legibus Saxon. ſatis obvium, ubi a Doct. Lambardo earundem Legum primo editore, Latine redditur (quomodo etiam in verbor. explicatione eiſdem LL. præfixa) *Primitiæ ſeminum*, ad verbum autem (inquit & rectius) *vectigal Eccleſiaſticum*, quam quidem verſionem, poſteriorem ſcil. amplexus D. Abraham Whelocus ad LL. Saxon. Præfat. priorem & inconcinnam, nec immerito rejicit. Primitiæ ſiquidem Saxonibus *frumſceata*, alias *frumripa*. In Gloſſar. ſub fin. Lambardi Gloſſar. *cyricſceat Eccleſiæ cenſus* redditur, quomodo etiam LL. Canuti, par. 1. cap. 2. & bene cum revera cenſus ſit, ſive in gallinis ſive aliis rebus. pro ædium decima ſolvendus die S. Martini, de quo vide *Gryphiand*. de Weichbild Saxon. cap. 30. num. 2. voce ducta a Saxon. *cyric Eccleſia*, & *ſceat cenſus*, *vectigal*, *ſymbolum*, *munus*. Male interim *teothan ſceattas pecuniarum decimas* Latine reddit idem Whelocus, Not. ad Bedæ Hiſtor. Eccleſ. lib. 4. cap. 29. cum dictio ſimpliciter ſive generatim (quomodo Lambardo ibidem viſum) *decimas* plane ſignet. Plura ſi cupias, Doctiſſ. *Spelman*. Gloſſar. adito. *Cyricſceat* (ſunt verba Lambardi) denotat *vectigal Eccleſiaſticum*. Hic videntur juſtæ interpretationis loco, verba ex veteri quodam Legum libello deſumpta, digna quæ ſubjiciantur. Ibi autem legitur ad hunc modum; *Chircheſeed*, *ou Chirceomer*, *ou Chirceamber*, *fuit un certein de blee batu*, *que cheſcun home devoit al temps dez Brytons*, *& dez Engles porter a lour Egliſe le jour Seint Marten*. Id ſi verum ſit, conſtat falſo ſcribi *cyricſcead* pro *cyricſæd*, *ſæd* etenim apud illos ſemen ſignificat, *ſceat* vero (unde id quod vulgo *ſhat*) pecuniam ſive vectigal ſonat.

D

DAnegildum. Quid & quotuplex *Danegildum*, & unde ſic dictum, juſtum habes Tractatum apud Doctiſſ. *Spelmann*. in voce, & Cl. *Selden*. in Mare Clauſum, capp. 11. 15.

Dapifer. Quid, vide Doct. *Spelman*. in voce. Idem forte qui Saxonibus *diſhthegne*. Codicill. ſive Teſtament. *Æthelſtani* filii Regis *Æthelredi*, anno 1015. Vide Tractat. *Somneri* de *Gavelkynd*, in Append. ſcriptura 17. *And ic gan Eylemere mine diſhthegne thare egte hide at Cateringtune* &c. i. e. *Et do Eylmero Dapifero meo illas octo hydas (terræ) Cateringtunæ*, &c. Eylmerum hunc eundem eſſe reor, de quo in Spelm. Concil. Tom. 1. pag. 184. fit mentio. *Diſhthegne* autem compoſitum arbitror a *Diſh*, alias *diſc*, Belgis *Diſch*, Germanis *Tiſch*, i. e. menſa (unde *Deis* apud Matth. Pariſium in vita Johannis 23. Abbatis S. Albani. *Priore (inquit) prandente ad magnam menſam, quam Deis vulgariter appellamus*) & *Thegne* Miniſter, quaſi Domino a menſa; menſæ miniſtrator Witichindo.

Decania, *Decima*, *Decuria*. Saxonice *teothung*. Quæ fuerit Decuriæ origo ac forma, ſatis eſt antea in voce *Centuria* explicatum. Hoc tantum ſubjiciam, mirabiles illud unum Ælfredi (vel potius Jetronis) conſilium allaturum Reipubl. utilitatis fructus, ſi veræ Decuriæ ſolidam teneremus imaginem, nec amplius umbra uteremur. Verum hoc alii viderint, ego quæ reliqua ſunt perſequar. Vide plura apud *Spelman*. in voce, & D. *Cowell*. Interpr. verb. *Decimers* & *Tithing*.

Decomatio. Quid, vide Notas in LL. Henr. I. c. 75.

Dedbana. Huic comes ibi *Redbana*, maleficii alicujus hic conſiliarius, ille author, qui Saxonibus (LL. Edm. par. 2. cap. 1. & Æthelr. par. 2. cap. 5.) alias *hand-dædan*. Nec aliud

vult ſenſus loci, qui talis, ut (viz.) qui alicujus innoxii interficiendi author vel conſiliarius fuerit, convictus noxæ, componat inde ſolus, aut cum aliis. Prior quidem in utraque voce ſyllaba plane varia (*ded* ſcil. & *red*) facti illa, conſilii iſta, Saxonum lingua ſignificativa; poſteriores autem ſunt eædem, *bana* ſc. quæ quidem vox apud Anglo-Saxones, quin & Bractoni ævo malefactorem notabat. Unde illud in Bracton. lib. 3. tract. 2. num. 1. fol. 116. a. —— *ſed ſequi non oportet de terra in terram, villa in villam, cum malefactor captus ſit*, i. e. *la bane*. Vocabulum In hunc uſque diem retinemus tam ſimpliciter pro pernicie, quam in compoſitione, ut in *Ratſbane*, *Woolfs-bane*, *Hen-bane*, *Fleaſ-bane*, &c. Perniciem dico; atque inde eſt, quod *bana* Saxonibus non quemlibet notabat malefactorem, ſed duntaxat mortiferum, talem ſc. quem Latini interfectorem vel homicidam vocant; unde ſeſe occidentes Saxonibus *ſelfbanan*, carnifices *feorhbanan* dicti. His adde Judicia (ut vocantur) Lotharii & Eadrici Regum Cantuariorum in Textu Roffenſi; *Gif mannes eſne frigne mannan ofslæth thane ſie hund ſcill. gelde: Se agend thone banan agefe and other man wirth thær to, gif bana othbyrſt twam man wyrthum hine man forgelde. And hine gecænne mid godum ewdum that he thane banan begeten ne mihte*. Id eſt (ni fallor in loci intellectu) *Si ſervus alicujus liberum hominem trucidarit, tunc centum ſolidi reddantur. Dominus ſervi interfectorem dedat ſimul cum alterius hominis pretio. Si interfector aufugerit, duorum hominum æſtimationibus reddat eum* (Dominus) *& purget ſe bonis evidentiis, quod interfectorem apprehendere non valebat*. Nec alio ſenſu occurrit vox iſta *bana* in Chronologia Saxonica ſub unno 755. *And tha cwædon hi that hsom nænig mæg theofra nære thonne heora hlaford and hi næfre his banan folgian noldon*: Quæ ſic Latine danda puto, *Verum illi retulerunt, quod illis nemo cognatorum charior ſuo Domino* (Rege) *extaret; & quod nunquam interfectori ipſius deſervire vellent*.

Defacere, *Diffactio*, *Diffactus*, *Diffacta charta*, *Disfactio*. Voces in LL. Henr. I. obviæ. De his omnibus in eorum intellectum vide *Spelman.* Gloſſar. verbo *diffacere & diffigurare*. Adde, hinc noſtratium *Defeat*, ut & Forenſium noſtrorum *Defeiſance*, Gallor. etiam *Desfaire & Desfaicte*.

Dei judicium. Quid, unde ortum, quando & a quibus prohibitum, late & ſcite traditur a *Spelman.* verb. *Judicium Dei*.

Delatura. Quid, vide Cl. *Voſſ.* Gloſſar. in voce. Hoc Saxonib. *meld feoh*, i. e. judicii merces. Vid. LL. Inæ cap. 17. Jornalenſis vertit *pecuniam indicationis vel delaturam*. Vide *Spelman.* Gloſſar. in voce *Capitale*.

Demetæ. Vide *Wænstætas*.

Difforciare, *Deforciatio*, cap. 22. Horum poſterius *recti* (ut ſolet) adjuncto, denegationem ſignat juris æqui, ſcil. juſtitiæ, quando ab eo petitur, cujus intereſt. ut rectum fiat. Hoc Saxonibus *rihtes wirnan*, ut in LL. Edoſen. cap. 2. videre eſt. Talis recti a Judice inferiori (Domino puta manerii & ejuſmodi) requiſiti denegatio, Jurisdictionem ſuam ei adimit, altius provocandi cauſam præbet, & in aliorum forum & poteſtatem, juriſdictionem tranſire facit. De quo videantur harum LL. cap. 22. 33. & 59. exemplum forte ducentia a LL. Edgari par. 2. cap. 2. & Canuti par. 2. cap. 16. De translatione etiam cauſæ, quod Scotis *Advocatio*, Gallis (ut oſtendit Skenæus) *Evocatio*, vide lib. a primis verb. Regiam Majeſtatem, lib. 2. cap. 16. §. 24. & lib. 3. cap. 20. 21. Quaſdam alias vocabuli acceptiones vocem Forenſibus noſtris melius notam reddentes, quæ apud Doctor. Cowell. in Interpr. verb. *Deforſour*, & apud authorem Terminor. Juris noſtri municipal. in eadem voce.

Diligiatus. E patrocinio Legis ejectus. Vocabulum autem unde ductum, vide apud *Spelman.* in voce, ubi in loci hujus exhibitione inter *diligiatus* & *hominem* deeſt *legalem*.

Diſrationare, *Diſrationatio*. Veteris Norman. Cuſtumar. Gloſſographus Latinus, verbum *Deſrener* in cap. ejuſd. 7. num. 2. expoſiturus, vocem dici opinatur a *corrigia*, qua equi ligantur, & eorum fræna tenentur, quæ vocatur (inquit ille) vulgariter *la reſne*. *Diſrationationem* autem Normannico-Latina lingua *Deraiſnia*, ad facti ſive criminis alicui objecti negationem, & ejuſdem negationis præſtationem (*juſtificationem* vocant) reſtringunt Normanni a probatione eam hoc modo diſtinguentes. " Sciendum eſt (ita Cuſtumar. illud cap. 125.) quod probatio ſemper habet fieri ad factum ſuum probandum. Deraiſnia vero ad factum ſuum denegandum. Nemo enim tanquam actor ad factum alienum probandum debet admitti, nec etiam ad alienum factum deraiſnandum. „ Ut rem & vocis etymologiam plenius pernoſcas, audi cap. inſequentis principium. " Deraiſna autem eſt Lex quædam in Normannia conſtituta, per quam in ſimplicibus querelis inſecutus, factum, quod a parte adverſa ei objicitur, ſe non feciſſe declarat. Et quoniam facti proprii unuſquique præſumitur ſcire melius veritatem, Deraiſnia de facto, quod ei objicitur, conceditur inſecuto, unde eſt, quod homo deſrainat id quod proponitur ab adverſo (Gallic. adverſario) id eſt, diſrationat & demonſtrat extra rationem, vel ſine ratione. Et ſic per Deraiſniam irritat quod contra ipſum propoſitum eſt ab adverſo (Gallic. adverſario). „ Appoſite Spelm. in voce: *Manifeſtam* (inquit) *mihi videtur ipſa vox originem prodere a Latino ratiocinari; adjecto dis, quod in compoſitione contrarium ſæpe notat, ut δυς creberrime apud Græcos: ſic diſcordare, diſſentire, diſſuadere, &c. Diſrationare igitur eſt contrarium ratiocinando aſſerere, vel quod aſſertum eſt ratiocinando deſtruere*, Hoc Forenſibus noſtris hodie *traverſare*. Plura, ſi vis, conſulas velim Cl. Spelm. in voce, & Doct. Cowelli Interpret. verbo *Dereyne*.

Diſſaiſiatio, *Diſſaiſiatus*. Voces fori noſtri tritiſſimæ, de quibus vide *Spelman.* verbo Diſſaiſare, & D. *Cowell.* Interpr. in voce Diſſeiſin. *Voſſium* etiam adito verb. *Saiſire*.

Divadiare, *Divadiatio*, *Divadiatus*, *Dividiatio*. De his omnibus vide Schol. ad c. 23. LL. Henr. I.

Diviſa. Quid & quotuplex, vide apud *Spelman.* & Doct. *Watſii* Gloſſar. *Matth. Pariſio* additum in voce. Plura autem, & ad rei ſenſum in his locis magis facientia, vide infra verbo *Erthmiotum*.

Dombec. Liber Judicialis. Frequens eſt in his Legibus Judicialis libri mentio, neque interim quis fuerit uſquam apparet. Beda lib. Eccleſ. Hiſt. 4. cap. 5. ait, Æthelbertum Cantiæ Regem ſcripſiſſe idiomate Saxonico libellum, cui nomen indidit *Decreta Judiciorum*, atque Judicia illa vel ſua memoria tradit fuiſſe obſervata. Hic noſter etiam Ælfredus in Præfatione fatetur, ſe ex Æthelberto ſumpſiſſe nonnulla. Quid plura? *Aſſerius Menevenſis*, olim Ælfredo Regi familiaris, prodit ipſum Regem Saxonicis mandaſſe literis *Judiciorum Decreta*, verum ad nos pervenire injuria temporum non permiſit.

Dominicum, *Dominium*. Quid, quotuplex & unde ſic dictum, pluribus *Spelman.* in Gloſſar

ſuo

ſuo in vocib. & D. *Cowell.* in Interpr. verbo *Demayne*. De vocis autem ratione nemo luculentius authore *Dialogi* (ut vocatur) *Scaccarii*, l. 1. c. 11. " Noveris (inquit) Dominia cujuslibet hæc dici, quæ propriis ſumptibus vel laboribus excoluntur, & item quæ ab Aſcriptitiis ſuo nomine poſſidentur: quia enim Aſcriptitii de regni jure non ſolum ab his quæ modo poſſident ad alia loca a Dominis ſuis transferri poſſunt; verum etiam ipſi quoque licite venduntur, vel quomodolibet diſtrahuntur, merito tam ipſi, quam terræ quas excolunt, ut Dominis ſuis ſerviant, Dominia reputantur, &c. „

Dunſættas. *Monticolæ*; a *dun* quod montem, & *ſæta* a *ſittan quod ſedem habere* ſonat. Hos Walli hac noſtra tempeſtate *Gwer Blayny* appellant.

Duodecies centenus. Vide infra in voce *twelfhind*.

E

E*Aldorman*. Vide *Aldermannus*.

Eberemorth. Quid & unde derivatum, vide ſupra in *Abarnare*.

Egildi. Saxonibus *agild*, alias *orgild*, i. e. inultus, *ſine compenſatione*; talis ſcil. cujus ob interfectionem nulla exigenda eſt ultio ſive compenſatio. Legg. *Canuti* par. 2. cap. 45. *Gif he gewyrce that man hine afille thurh that he ongean riht geanbyrde gif man that geſothige licge agylde*. Quæ ſic Latine habentur apud Jornalenſem (verba autem ſunt ipſiſſima c. harum LL. 11. lin. ejuſd. 26. 27.) *Si efficiat ut occidatur per hoc quod contra rectum reſiſtat, ſi hoc inveritetur, inultus jaceat*. Simile habes in LL. Æthelredi par. 2. cap. 3. *Gif ſe frithman fleo oththe feohte and nelle hine cythan, gif hine man ofslea licge orgilde*: i. e. (ut apud eundem Jornalenſem) *Si Fridman*, i. e. *homo pacis fugiat, vel repugnet, & ſe nolit indicare, ſi occidatur, jaceat ungeld, i. e. inſolutus*.

Emendare, *Emendatio*. Videat Spelm. Gloſſar. in voce, ubi *emendam* & *emendationem* per id exponit, quod in reſtaurationem damni tribuitur, a Gall. *amende* & *emende*. In hoc (inquit) a mulcta differt, quod mulcta Judici, emenda autem parti læſæ datur, laudato hoc fine Speculo Saxonico, cui convenit quod e Judicio Saxon. art. 53. lib. 3. *Landrecht* per Gryphiandrum in ſuo de Weichbild Saxon. Tractatu, cap. 58. num. 21. allatum: *Wette gibt man dem Richter, Buſſe aber dem Klager*, i. e. *Mulcta datur Judici, Emenda autem Accuſatori*. Diſtinctio quidem hodie obſervata, nec pridem inducta, licet forte ab initio non ſic: olim enim mulcta ſub emendationis voce comprehendebatur, quæ Saxonibus *bote* dicta, unde cauſas hic diſtinguit Legislator noſter in *emendabiles* et *inemendabiles*, id eſt, mulcta pecuniaria redimendas, vel non; quarum poſteriores Saxonum lingua *betleas*. Legg. Canuti par. 2. cap. 61. *husbrec and bærnet and openthyfth and aberemorth and hlafordſwice æfter weoruld laga is botleas*: i. e. Domus effractura, &c. ſcelera ſcil. hic enumerata, nullo pretio, nulla mulcta redimenda ſunt, ſed ſontis morte plectenda. Ex ſcelerum genere ſunt hæc aut ſimilium quæ Teutonicis *Ondaet*, graviora ſcil. de quo vide *Buchel.* Not. in *Hedæ* Hiſtor. Ultrajectenſ. pag. 238. et *Kilian.* Etymolog. in voce. In Legibus Edo. Confeſſ. cap. 30. de quadam emenda legimus, ſeu reſtauratione damni, quam (ut ibi) et Angli vocant *Aſtribiltbet*, *qui ſi nimis confidens in pace quam habet per ſuperbiam alicui forisfecerit*, damnum reſtauret, et iterum tantundem, quod Angli vocant *Aſtribiltbet*, al. (ut mora libri) *atribiltbet*. Locum advertit *Spelman.* in Gloſſario, exhibetque; nulla tamen vocis illius ænigmaticæ quidem expoſitione adhibita ad ſenſum loci quo occurrit, ſic tandem reſtituo (ſunt verba Somneri) a *twifeald bote*, i. e. *duplex emenda vel compenſatio*.

Eorl, Satrapa. Erant quidem Satrapæ viri ſummæ fortunæ nobiles, qui cum plerunque integram procurabant Satrapiam (quem ego Magiſtratum Senatorem dico) uſu tandem evenit, ut ex Satrapiis ſuis ſinguli nomina ſint ſortiti. Hinc enim (ſicut ego autumo) alius *Huntendonenſis*, alius *Bedfordienſis*, alius *Leiceſtrenſis* Satrapa primo eſt nuncupatus. Hos Normanni poſtea *Comites*, *quod in multis capiendis* (ut non nemo ſuſpicatur) *fiſco regio Socii & Comites*, id eſt, participes eſſent, nominarunt.

Ermingſtret. Ran. Higdeno *Ernimgiſtrete*, Una e quatuor Regalibus Plateis, de qua Higdenus in Polychronico hæc ait; Platea hæc *tendens a Zephyro in Eurum, & incipit a Mavonia in Weſt-Wallia, procedens uſque ad portum Hamonis, quæ modo dicitur South-Hamptonia*.

Erthmiotum, cui in LL. Henr. I. cap. 57. præcurrit *Diviſa* vocem hanc de ſe obſcuram elucidans, *Conventum* autem ſuper terram vel fundum, ut videtur, ſignat a Saxon. *earth terra* & *gemote*, contracte autem (*ge* per Aphæreſin ſublato) *mote*, *conventus*, *conſeſſus*; niſi *erth* hic ſcribendum velis *heorth*, i. e. veteribus *manſio*, *domicilium*, Anglo-Normannis *aſtrum*; & ſic *Heorthmote* quaſi *Halimote*, i. e. conventus aulæ. Hoc autem mihi non placet, *Halimoto* ſiquidem ſeorſim ſtatim ſubſequente. Utcumque, hinc juſte celebranda priſci ſeculi in cauſis tractandis ratio, & litium promovendarum gradatio, de qua vide Schol. ad cap. 34. Huc pertinet id in MS. Cuſtumar. (in Archiv. Eccleſiæ Cant.) maneria de Eſtria in Orientalibus Cantii partibus. " In *Oxene* dimidium Swoling — Et debent Firmario de Eſtry, cum illuc venerit 2. comedia in anno pro iſtis conrediis quieti ſint de ſequendo Halimoto de Eſtry, niſi talis cauſa emerſerit, quod non poſſit terminari ibi, i. e, infra præcinctum prædicti Swolingi de Oxene, *Diviſæ* puta ſic dictæ. „ Iſte autem mos conveniendi ad diviſas terrarum (Juris Civilis *finium regundorum* [1] actioni reſpondens) & vicinorum inter ſe diſcrepantium hinc inde gravamina & querimonias ibidem ſummarie audiendi, eoſque invicem reconciliandi, per *viſum*, i. e. arbitrium *contenentium*, i. e. Comparium Curiæ, vel Convaſſallorum, viget adhuc (ut audivi) in Curiis quas hodieque *Letes* vocamus. Vid. Glanvill. lib. 9. capp. 13. 14.

Eſcot. Scot (inquit Jornalenſis) i. e. *Symbolum ad opus Ballivorum Domini Regis, & inde dicitur Scotale*. Majorem autem præ ſe fert ipſa vocis ratio ſignificationis amplitudinem, *Scotum* enim vel *Shotum dicitur* (Coci Inſtit. par. 4. p. 306.) *quando homines faciunt collectam inter ſe ad aliquod obtinendum ſeu evitandum*. Privilegio igitur vel diplomate excuſari de *Schoto*, ut hic, eſt quietum reddi de tali collecta. Authorem audi Terminor. Juris noſtri;

(1) D. 10. tit. 1. C. 3. tit. 39.

ſtri: *Scot* (inquit) *hoc eſt, quietum eſſe de quadam conſuetudine, ſicut de communi tallagio facto ad opus Vicecomitum, vel Ballivorum ejus*, *Scot* autem & Eſchot, alias *Eſcat*, idem; poſteriore, quod Gallicum, a priore orto, quod Anglicum: noſtro enim *Scat* Galli (ut aliquibus aliis vocibus quibus ab *S* littera initium) E præponentes, ſuumque inde facientes, de eo faciunt *Eſcot*, & ſimil. *Scot* autem hujuſmodi ex radice forte Saxonum *ſceat*, i. e. portio, pars, ut ſcite Legum Saxonicarum ſecundæ editionis Eruditus Adornator in ſua ad Lectorem Præfatione, quam vide. Hinc (ſc. a *Scot*) Jornalenſem vides *Scotale* derivantem; de quo non abs re erit, pauca hic adjicere. Vocem quidem *Scotallam*, alii vero *Scotallum* ſcribunt, & e Sax. *ſcot* ſymbolum & *ale* cereviſia, compoſitam volunt; nec dubito quin recte; cum generatim vox cereviſiam ſignet a quibuſdam ſeipſos exhilarandi gratia, collatitia ſtipe comparatam; particulatim vero cereviſiam quam quidam fructuarii, tenentes, ſive convaſſalli, quibus *tenuræ* vinculo tale incumbit onus, communibus eorum expenſis comparant Dominum ſuum vel vicem ejus gerentem hoſpitaturi; unde illud in quodam veteri conſuetudinario (in Archiv. Archiep. Cantuar.) manerii de South Malling in agro Suſſex: " Memorandum quod prædicti tenentes debent de conſuetudine inter eos facere *Scotalium* de 16. denar. & ob. ita quod de ſingulis ſex denar. detur 1. denar. & ob. ad potandum cum Bedello Domini Archiepiſcopi ſuper prædictum feodum. „ Vocis ſenſum habes & verum & plenum; qui vero *tabernam* cereviſiam ſignificare volunt, & ipſi decipiuntur, & alios decipiunt; talis ſiquidem domus *Alebus* dicitur, nec alio nomine Saxonibus nota. Vid. Schol. ad cap. 81. LL. Hen. I. De *Scotallo* autem hujuſmodi, aut cenſu ſimili, ut a Miniſtris Regiis nimio rigore exacto, querentem vide Petrum Bleſenſem, Epiſt. 95. ubi hæc: *quod undredo & alimoto defuerit*, (locus Doctiſſ. Buſæo obſcurus) corrige. *quod hundredo & halimoto defuerit*. Quid autem utraque vox ſignificet, vide infra in *Hundred & Halimot*.

Eſſartum. Vox Foreſtariorum & Saltuariorum. Exteris quibuſdam *Diſboſcatio*. Eſſartare autem idem ſonat ac ſylvas ſuccidere, dumetis purgare, loca rigida & inculta in culturam redigere. Plura vide apud Doct. Spelm. in Gloſſar. & D. Cowell. in Interpr. in voce. Vide etiam D. Ed. Coci Inſtit. par. 4. pag. 306.

Eſſoinus, *Eſſoniare*, *Eſſoniator*, *Eſſonium*, c. 29. Voces omnes Forenſes, de quibus vide Spelman. Gloſſar. Doct. Cowelli Interpr, in voce, & hic infra verbo *Soinus*.

Exfrediare. *Domum exfrediare* eſt pacem domus, vel pacem in domo inter aliquos compotationis vel commercii cauſa ingreſſos conventus ſui principio publica pronuntiatione (ut loquuntur Leges) poſitam, aliquo eorum ad arma proſiliente, violare. Effictum puto verbum (*exfrediare*) a Latino *ex* præpoſitum & Saxonico *fred*, *frid* vel *frith*, i. e. pax, quies. Vox Hybrida, de qua vide plura apud Doct. *Spelman.* & Cl. *Voſſium* in voce *Fredum*.

Expeditatio canum. De qua re vide Scholia in cap. 17. LL. Hen. I. de re autem omnino conſulas Doct. *Spelman.* Gloſſar. in voce.

Explacitare. Litem obtinere, de quo vide *Spelman.* in voce.

F

F*Actio*. Locum priorem, ubi vox iſta, e LL. Inæ cap. 73. deſumptum eſſe in Scholiis dicetur; vocabulum autem ibidem Saxonicum eſt *fæhthe*, quod ut hic, ſic etiam apud Jornalenſem Legem illam Latine reddentem, & alibi (LL. Edm. c. 7.) per factionem exprimitur. Idem autem eſt, quod alias, licet magis barbare *Faida*, *Feida*, *Guerra* appellatur, Anglice *Feud* (unde noſtratium *Deadly Feud* pro inimicitia capitali) ſic, opinor, dictum a Saxon. *fah*, quod nobis hodie *Foe*, i. e. hoſtis vel inimicus, & *hade*, junioribus *hode* & *hood*, Teutonicis *heid*, *heit*, *hat*, quod in verborum compoſitorum terminatione conditionem, qualitatem, naturam ſignat: & ſic *Feud*, quaſi *Fah-hade*, *Fah hode* & ſimil. id eſt, qualitas inimica vel hoſtilis, pura puta inimicitia. De poſteriori compoſiti parte, pluribus infra in voce *Feudum*, ut & in Tractatu de *Gavelkynd* c. 4.

Fahth (inquit Lambardus) *capitalis inimicitia*; nomen a *fah* quod *adverſarium* ſonat, exortum, atque a Borealibus Anglis hac noſtra memoria uſurpatum. Illi vero dictione non ita multum a priori diſſidente, *fewd* & *deadly fewd* appellant. Erant quidem inimicitiæ primis temporibus illis juſtæ, & cæſi cognatis nonnunquam legitima fiebat (ſi id res poſceret) necem ulciſcendi, & domeſtici ſanguinis pœnas expetendi poteſtas. Ego (quam belle aliorum eſto judicium) eam agendi in judicio formulam, ſive actionem cognatione proximo conceſſam, quam vulgo *appeal de mort* dicimus, hujus effrænati ac præcipitis furoris in locum ſucceſſiſſe conjicio. Inimicitias Capitales Carolus Magnus in libello (cui nomen Capitulare inditum) *faidam* appellat. De *Faidis* vide plura apud Doct. Spelm. in voce & verbo *Guerra*, Videatur etiam Glanvilla, Lib. 9. c. 8. ad cujus uſque tempus ſævus iſte mos (ut videtur) duravit: hæc enim ſunt ejus verba: *Utrum vero ad guerram ſuam manutenendam poſſint Domini hujuſmodi auxilia exigere quæro, &c.* Hujus autem (ut quidam volunt) umbram tenet Forenſium noſtrorum *Appeale de mort.*

Fæhthe. Vide *Factio*.

Falſaria. Actus vel crimen falſarii.

Felonia. Quid, quotuplex & unde ſic dicta, vide late & ſcite tradita per Doctiſſ. *Spelm.* in voce. Apud nos ſonat omne crimen capitale, infra læſam Majeſtatem.

Feodum, *Feudum*, *Feodus*, *Feudum* (Cujacio ad Libr. 1. Feudor. Tit. 1.) *eſt jus in prædio alieno in perpetuum utendi fruendi; quod pro beneficio Dominus dat, ea lege, ut qui accipit ſibi fidem & militiæ munus aliudve ſervitium exhibeat.* Verum apud nos *Feudum* accipitur *dupliciter*, I. *vel* nimirum pro terris aut tenementis, quæ quiſque feudatarius perpetuo jure a Domino feudi tenet, II. *vel* pro circuitu integro, qui ad Dominum feudi ſpectat, & inter diverſos feudatarios diſtribuitur. Quia vero *feudum* omne alicui ſubjacet ſervituti, *Allodio* opponitur, quod e contrario prædium eſt liberum nulli ſervituti obnoxium. Utriuſque vocis etymon habes in Tractatu *de Gavelkind* cap. 4. quorum paucula e vernacula qua deſcribuntur lingua huc deſcribere operæ pretium duxi: Vocabulorum prius (*Feudum*) Feudiſtarum turba a *Fide* duci volunt; quidam autem a *Faida* vel *Feida* bellum, alii a Fœdere, quidam a Germanor. *Fueden* quaſi

a fungendo, i. e. pascendo, vel (*Gryphiandri* Sententia de Weichbild Saxon. cap. 49. n. 8.) a Saxonum *Foden* i. e. nutrire; a *Vogthumb* quidam, h. e. præfectura. Posterius autem (Allodium) ab *A* particula privativa, & *laudare* vel *laudatio*, quippe cujus nomine laudatio non debeatur: alii ab eadem particula & *Lodes*, quasi *sine Lode*, id est, vassallo: alii ab *Alslend*, quasi quis dicat universæ plebi competens; ab *ein anlod* alii, quod familiæ veluti coagmentatum sit, & conjunctum, hoc est, inseparabile a familia; a *Lot* quidam (quod ut mihi author est Besoldus de natur. Popu. cap. 23.) Gallis sumitur pro sorte, vel etiam hæreditaria portione, aut quota: Germanis est *Loss*, Saxonibus *Lott*; alii denique a memorata particula privativa *a* & *Leod*, Gallis *Leud* i. e. Vassallus, quasi sine vassallagio, vel sine onere. En quantum inter interpretes de utriusque vocis derivatione dissidium! Nostrum nunc si fas sit adhibere judicium, utramque vocem quod ad originem attinet reor esse Teutonicam ex duabus syllabis compositam, quarum posterior in utraque eadem, nec alia quam quæ in terminatione nonnullarum ipsarum dictionum compositarum in Kiliani Etymologico contentarum reperitur, sc. *beyd*, *heit*, *hat*, Anglo-Saxonibus *hade*; nobis eorum Successoribus *head*, *hode*, *hood*, quod statum, ordinem, qualitatem, conditionem, genus, naturam, &c. significat. Hinc equestris, masculinus, fœmininus, puerilis, paternalis, maternalis, fraternalis, presbyteralis, vicinalis, virginalis, status, &c. alicujus, Anglice dicitur, *Knight-hode*, *Dan-hode*, *Woman hode*, *Child hode*, *Father hode*, *Dother hode*, *Brother-hode*, *Priest-hode*, *Neighbour-hode*, *Daiden-head*. Posteriorem habes in utroque composito syllabam. Prior autem in priori (*Feudum*) *feoh* i, Salarium, Stipendium, &c. in posteriori vero *Al* (*Al* particula perfectionis *Worm.* Literat. Run. cap. 3.) *All*, Saxonibus *eal*, omnis, totus; quibus cum syllabis posterioribus in hujusmodi feudi & Allodii vocabulis, junctis, hoc *All hode*, illud *Feo-hode* prodit, idque satis apposite; cum hoc (Feudum) stipendiario more possideatur, proprietate rei penes Dominum remanente, dum illius tantum usufructus (utile Dominium vocant Juris periti) idque servitii præstandi gratia, ad accipientem transeat: illud e contrario (*Allodium* sc.) ex integro vel totaliter atque in ævum (*for all* ut lingua dicimus vernacula) tenebatur, pleno sc. jure, cujus nomine nulla neque gratia neque merces, neque opera debeterur, Dominio & utili & directo (ut vocant) transeunte. Fusius autem de his in Tractatu quo supra, quo Lectorem plura desiderantem remitto; ubi *Feudi* vocem vel nomen in nullo mihi saltem non suspectæ fidei monumento ante Annum Christi millesimum reperiendum commonui. *Allodium* donis priscis *Odal*. *Worm.* Monum. Dan. Lib. 6. pag. 507.

Feoh, *Pecunia*, *Possessio*, *Animal*. Vox Anglo Saxonica omnis generis facultates & possessiones mobiles & immobiles, vivas & vitæ expertes denotat. Hodie apud Germanos vox *vieh* non æque late patet, sed tantum *Animal* vel *pecus* signat. Spelmannus vocem *feoh*, *feo* & *feh* (Anglis hodie *Fee*) mercedem & stipendium describere dicit, unde *feodum*, *h* Saxonico euphoniæ causa in *d* mutato. Vid. quæ supra adnotavimus de *cwic feoh*, *viva pecunia*.

Ferri Lex, *Ferrum iudiciale*, *Ferri calidi iudicium*. De omnibus vide late & scite tradita per Doctis. *Spelm.* de priscis suspectorum axaminibus apud Christianos agentem in Glosser. verbo *Judicium Dei* & infra in voce *Ordalium*. Normannis antiquis hoc genus examinis *ygnise*, Vide Magnum loci *Custumar.* cap. 77. in exempl. Gallico, in Latino 76. Danis autem *Jerntegn*, id est (inquit Doct. *Worm.*) signum candentis ferri, quasi *Iron-token*.

Fideles, *Fidelitas*. Quid *fidelitas*, quot *Fidelium* & *Fidelitatum* genera & cætera ad plenum & rei & vocis utriusque intellectum pertinentia, petas apud Doctiss. *Spelm.* in vocibus. Videatur etiam *Hotomanni* Dictionarium in similibus. Juramenti fidelitatis formulam Anglo-Saxonicam quemadmodum habetur in *Textu Roffensi* fol. 38. b. inter plures alias ejusmodi formulas, hic subnectendam duxi: *On thone drihten the thæs haligdom is fore halig. ic wille beon. N. hold and getriwe. and eal lufian thæt he lufath. And eal ascunian thæt he ascunath æfter godes rihte and æfter worold gerynum and næfre willes ne gewealdes wordes ne weorces owiht don thæs him lathre bith with tham the he me healde swa ic earnian wille and eall thæt læst thæt uncer formæl wæs tha ic to him gebeah and his willen geceas.* I. e. (ut Latine habetur sub finem LL. Eadmundi Regis in libro Regio MS. ad S. Jacobum prope Westmonasterium asservato.) " In illo Deo pro quo Sanctum hoc sanctificatum est, volo esse Domino meo N. fidelis & credibilis; & amare quod amet, & absoniare (i. e. devitare a Sax. *ascunian*, unde nostratium *to shunne*) quod absoniet per Dei rectum & seculi competentiam, & nunquam ex velle vel posse verbo vel opere quicquam facere quod ei magis displicet, ut me teneat sicut deservire volo, & totum mihi compleat, quod in nostra prælocutione fuit, quando suus deveni & ejus elegi voluntatem, „ Vide LL. Edo. Senior. cap. 4.

Fihtwita. Manuscriptus Codex Jornalensis de hoc ita: *Fihtwite*, *emenda eveniens ex contentione*. Spelmanno *fihtwita* mulcta est ob commissam pugnam in perturbationem pacis. In Exercitu Regis 120. sol. luebatur, ut in *fird*, MS. Codex *fightwita*, id est, *fortsfactura pugnæ*.

Firma, *Firmare*, *Firmarius*. Vocabula a Saxonum *feorme*, quod *cibum*, *prandium*, *cœnam*, *alimentum* sonat, ducta puto, ut & illud ab eorum *feormian pascere*, cibum aut victum suppeditare. Proprie & ab origine, censum tantum in cibariis *firma* notat: commutata autem & reducta postea firma victualium in denarios, verbo retento ad reditum sive censum pecuniarium extendebatur, quo sensu vocem *Farme* in hunc diem retinemus. Plura videas apud Spelm. in voce & Lambard. verbo *Terra exscripto*. Ubi autem horum posterior in Legum versione Saxonicarum *cyninges feorme* in LL. Aluredi cap. 2. per *villam Regis* interpretatur, mihi magis placet vetus illa versio apud Jornalensem, sc. per *firmam* (i. victum vel *mensam*) *Regis*. Huic astipulatur ipsius Lambardi versio horum verborum in LL. Canuti par. 2. cap. 67. *ic bebode eallum minum gerefan that hig on minan rihtlic tihan and me mid tham feormian.* I. e. *Præfectis meis omnibus mando, ut ex prædiis meis propriis quæ mihi fuerint ad victum necessaria suppeditent.* Ubi etiam D. Lambardus citatæ Legis Aluredi partem memoratam sic exhibet: *the ne cyninges feorme to belimpe*, & pariter Jornalensis, Latine, *quæ ad firmam Regis non pertinet*: neutrius lectio placet, cum (ni fallor) *ne* in Saxonica quod in Textu Roffensi plane omissum, *non* in Latina loci lectione omnino delendum sit. Vid. LL. Edmundi cap. 2. & Spelm. Concil. pag. 372. cap. 2. ubi *vel alteri commodo* (in impressio, modo) *deserviat & venialis sit*, juxta Saxonicum textum corrigendum puto: *vel alte-*

vius liberæ familiæ quæ honorabilis sit. Idem Doctiss. Spelman. ulterius de verbo agens phrasin *firmæ dealbandæ* exponendam exhibet. Ex locis autem & authoritatibus per eum ea occasione adductis, quid sit *firmam dealbare* se non posse conjicere fatetur. Si per *Firmam* hic census in pecuniis numeratis intelligendus sit, quod verisimile, rem ego (si vel ipse non halluciner) inveni apud Matth. Parisium ad. ann. 1248. pag. 747. de monetæ per Regem Henricum III. mutatione verba facientem: " Ipsius quoque (inquit) temporis curriculo, Domini Regis diversa præcepta, voce præconia, per civitates Angliæ præcise promulgata, super receptione monetæ, adeo populum angebat, (1) quod mallet ut summa frumenti pretium viginti solidorum superaret. Escambium enim paucis civitatibus exercebatur. Et cum illuc perventum fuerat, pondus veteris monetæ pro pondere novæ dabatur trutinatum, & præterea pro opere aurifabrili, id est, monetationis, quam vulgariter dealbationem vocabant, pro qualibet libra tredecim denarii solvebantur, &c.,, *Dealbatores* hosce vel hodie *Blanchers* vocant. Vid. D. Cowell. Interpr. in voce *Mint. Firmam* itaque *dealbare*, est monetam nomine Firmæ solutam dealbare, vel potius *dealbationis* pretium solvere. In Vitis Abbatum S. Albani per Matth. Parisium pag. 56. de tot loci illius *firmis* legimus, quot sunt in anno septimanæ: ubi *Firmæ* nec prædia denotant elocata, nec reditum annuum a colono, Domino fundi nomine prædiorum sic elocatorum solutum; sed tot portiones in pecuniis, summas scilicet tot, XLVI. sol. (talem enim summam Firmam vocabant) ex proventibus Monasterii ad Monachorum victum assignatas, quot ad eundem victum comparandum, & Monachos inde pascendum septimanatim competere compertum fuit. In c. harum LL. 56. de *Firma* legimus tenta in *Feudo*, quam Feudi-firmam juste vocandam puto. *Feudifirma* autem quid sit, vide apud Spelm. in voce *Feudum* & alios plures.

Fleomenfirma. *Fugitivorum sustentatio*. LL. Henr. I. cap. 2. Hæc sunt jura quæ Rex Angliæ solus & super omnes habet in terra sua, Incendium, Hamsocna, Forstal, Fynderinga Hemonfirma. Et infra cap. 13. Ex his placitis quædam emendantur C. sol. quædam wita -- Hæc emendantur C. sol. grithbrech, strebrich, forstal, burghbrech, hamsocna, flymenfirma.

Folcland. *Terra popularis*; scilicet, quæ communi jure possidetur, vel sine scripto. Ei contraria quæ *Bocland* dicitur.

Folgarius. Cliens, Sectator, Famulus: in LL. *Henr*, I. c. 8. vrbum autem unde sit dictum, vide *Spelm.* Glossar. in voce; hic etiam infra in *Heorthfæst* & in Tractat. Somn. de *Gavelkynd*. cap. 4.

Folcgemote. Conventus populi. Vid. infra in *gemote*.

Forathe. Vid. Schol. in cap. 94. LL. *Henr.* I. & supra in voce *Antejuramentum*.

Forcia. Vis, sed in foris Angliæ plerunque injusta. Etiam LL. *Bojorum*, Tit. 2. cap. 10. §. 1. Si filius Ducis tam superbus & stultus fuerit, ut patrem suum dehonestare voluerit, per consilium malignorum vel per fortiam. LL. *Ripuar.* Tit. 2. §. 3. Si quis Regio aut Ecclesiastico homini, de quacunque libet re, fortiam fecerit. *Fortia frisca* dicitur vis recenter illata. Inde *Assisa friscæ fortiæ*, datur ubi dissaisitus in civitatibus & burgis infra 40. dies queritur.

Foresta. *Sylva*, *Saltus*. De Forestis autem justus extat Tractat. in Doctiss. *Spelm.* Glos. in voce & in D. *Cowelli* Interprete, verbo *Forest*; vide autem late de eis tradita per Dn. Cocum, Instit. par. 4. pag. 289. & sequ. & (qui ante hos omnes) Magistrum Manwoodum in Tract. de Legibus Forestæ inscripto. De voce etiam pluribus Clar. Vossius in Glossar.

Forestal. Viæ obstructio, itineris interceptio: vox autem unde dicta vide apud Spelm. in Glossar.

Forisbannitus. Vocabulum (ut videtur) ortu Longobardicum, de quo vide Hotomanni Diction. & Vossii Glossar. in voce. Pervenit autem & ad nos, ut locus indicat citatus. Proscriptum, relegatum, sonat, Anglis utlagatum, de quo vide plura apud Spelm. in voce *Forbannitus*.

Forisfacere, *Forisfactum*, *Forisfactura*. De his omnibus vide Doctis. *Spelm.* Glossar. & D. *Cowelli* Interpr. in voce, item *Buchell.* Not. in Histor. Ultraject. pag. 91. *Vossii* etiam Glossar. Voce utitur *Ordericus Vitalis* Histor. Eccles. in ann. 1080. pag. 582, cap. 8. & pag. 553. cap. 12.

Forisjurare. *Abjurare* sonat. Plura vide apud Spelm. in voce.

Forismittere. *Extra mittere* signat vel alienare, a *foris* & *mitto*. Astipulatur par huic locus ille in cap. LL. Henr. I. 70. *Si Bocland habeat, quam ei Parentes dederint, non mittat eam extra cognationem suam, &c.*

Fossa. Una e quatuor plateis regalibus, quas Molmutius Rex Britonum confecit: de qua accipe Ran. Higdeni verba ex Polychronico. *Viarum prima & maxima Fossa dicitur ab Austro in Boream extensa, quæ incipit ab angulo Cornubiæ apud Totenesse, & terminatur in fine Scotiæ apud Catenesse. Verius tamen secundum alios incipit in Cornubia, tendensque per Devoniam, Somersete, juxta Tetteburium, supra Cotteswold, juxta Coventriam usque Leicestriam procedit, indeque per vasta plana versus Newark progrediens diutius, apud Lincolniam terminatur.*

Fracta Lex. Cap. 66. LL. Henr. I. Idem forte quod *fractum juramentum*, vel *Sacramentum*, quod vide.

Fractum juramentum. Quid, vid. Schol. in cap. 64. LL. Henr. I.

Fractum placitum, *Frangere causam*, *Frangere placitum*. Quid sit, nil certi habeo, quod respondeam. Locus si sit conjecturæ, perpensis unde hæc desumpta singulis capitulis, *placitum* vel *causam frangere* idem est, quod in medio deserere, & sic amittere ex defectu prosecutionis, quod vulgo *foris facere*, causa scil. mulctari, vel cadere, uti & *fractum placitum*, placitum amissum vel forisfactum, quia desertum, & ad effectum vel exitum non perductum sonat. Similis loquendi modus Forensium nostrorum ore frequens, viz. *Loosing the Cause*. Idem forte quod alias *Nonsuiting* vocant, Forenses autem exteri *Litis renuntiationem*. Legem autem terræ amittere, quid sit, vide apud Cl. Seld. Tit. Honor. 1. edit. par. 2. pag. 344.

Frede, *Fredum*. *Pax*, *quies*. Verbum autem unde sic dictum vide apud *Spelm.* & Clar. *Vossium* in voce: item Buchell. Notis ad Hedæ Histor. Ultraject. pag. 104.

Frith-gilde. *Guild-hall*. Occurrit vox in Judic. Civit. London. supra sub initium. *This is seo gerædnes the tha Bisceopas and tha Gerefan the to London byrig hyrath gecweden habbath and mid wæddum gefæstnod on urum frith gegildum ægther ge Eorlise ge Ceorlisce*. Quæ apud

(1) L. *Angebant*.

pud Jornalensem Latine sic leguntur: " Hoc consultum est, quod Episcopi & Præpositi qui Londoniensi Curiæ pertinent, edixerunt, & jurejurando (Saxon. pignoribus) confirmarunt in suo Fridgildo Comites & Villani. „ Frithgildum hinc mihi signare videtur idem ac *Gyldscypa*, de quo vide statim in voce *Gegylda*, & Spelman. verb. *Geld* & *Frith*, unde vox illa conflata. Sodalitium forte est quorundam pacis inter eos sive consociationis aut ineundæ aut firmandæ gratia convenientium.

Frithsplottum. Cathedræ Pacis. In LL. Eadgari cap. 16. *And we lærath that preosta gebwile —— forbeode wilweorthunga and licwiglunga, and hwata, and galdra, and man weorthunga, and tha gemearr the man drifth on mislicum gewiglungum and on frithsplottum. Et docemus, ut quilibet Sacerdos —— prohibeat cultum voluntarium, & necromantiam, & auguria & incantationes, & divinum hominis cultum, & plura quæ exercentur in variis præstigiis, & in cathedris pacis.* Cathedras pacis *Asyla* fuisse, quæ mox sequentur ex *Spelmanno*, ostendunt. An autem corrupte *frithsplottum* pro *frithstolum*, *frithstettum*, vel *frithstowum* scribatur, vel an vox hæc a *plette habitaculum* & *frith pax* derivetur, affirmare non audeo, illud certe constat *Asyla fugientium* denotare. In chartis immunitatum Ecclesiæ S. Petri Eboracensis, confirmatis anno 5. Henr. VII. *Fridstoll* exponitur *Cathedra Quietudinis vel pacis*. Erant hujujusmodi Cathedrarum multæ in Anglia, præter Eboracensem istam: Beverlaci autem celeberrima, quæ priscorum Regum benignitate (puta Æthelstani vel alterius cujuspiam) asyli nacta privilegium, tali honestabatur inscriptione, HÆC SEDES LAPIDEA FREEDSTOLL DICITUR, i. e. PACIS CÁTHEDRA, AD QUAM REUS FUGIENDO PERVENIENS, OMNIMODAM HABET SECURITATEM. Occurrit *frithstoll* pro *refugio* in quadam versione Psalm. XVII. *frithstovv* pro *asylo* in Præfat. LL. Ælfredi cap. 13. & significat præterea *Palatium*, quod Palatia Regum & Optimatum multis Legibus a vi & injuria erant immunia. Vid. *Spelman.* in voce *Sanctuarium*.

Frumgilde. Frumgildum male *Frinigildum*, ut Scholiis in cap. 76. LL. Henr. I. jam monitum, ubi vocis etiam significatum habes. A Saxon. venit *frum prima* & *gyld solutio*.

Fugatio. Pro actu fugandi & privilegio alicui irrogato hoc faciendi, de quo vide Doctiss. *Spelman.* in voce & D. *Edvv. Coke* Instit. par. 4. pag. 293. & 314.

Furst & Fondung. Vide Scholia in cap. 46. LL. Henr. I. Verba autem hæc inducias forte sonant alicui concessas, vel terminum deliberandi, an ei sit placitandum necne, forte id quod nunc dierum facultatem reo concessam *bellum indictamenti traversandi* nuncupant Forenses nostri moderni; Veteres autem *disratiocinandi copiam* (Spelm. Glossar. verbo *Disrationare*) juxta illud in cap. harum LL. 49. " Pro statu vero causarum, & esse temporum & modo implacitorum, vel implacitantium, unusquisque deliberet tam ex præsentibus quam præteritis, an ei in præsentiarum sit, vel non sit placitandum, quod melius & plenius expressum habes in cap. 5. p. 178. l. 1. Notandum quod per omnia si accusatus inducias competentes & respondendi vel defendendi licentiam legitimam habuit, ne dissaisiatus vel implegiatus, vel illegiatus, vel surreptione aliqua circumventus, aut fraude judicetur. „ Et paulo infra: " Et ut pulsatis quoties poterint, induciæ dentur. „ Huc etiam tendit, quod in cap. 48. sic se habet: " Nec liceat Domino vel Justitiæ testibus aliquem sine contradictione vincere, nec minus appositum, quod capite 61. extremo: Nulli vel aliquando vel alicubi necesse sit, de causis exactionalibus, secundum quod prædiximus, improvise respondere, sed habeant optimi quique legalem placitandi terminum, &c. „ Videantur etiam Scholia ad cap. 31. Hoc autem non est, quod miretur aliqnis, cum defensio sit de jure naturali, & Diabolo ipsi non neganda (Panormit. Pract. cap. 3.) Verborum autem horum prius ductum reor a Sax. *fyrst* i. e. spatium: *æfter miclum fyrste*, Matth. XXV. 19. i. e. *post multum temporis*. *Wucena fyrst* in LL. Æthelredi cap. 9. septimanæ spatium vertit Lambardus. Hic intermissio Teutonicis (Vid. Kilian. Etymol.) V pro F amantibus. *Vorste* item *Virst* & *Frist* Induciæ: Ampliatio *Vorstinghe*. Posterius autem vocabulum aut a Saxon. *fandian*, i. e. probare, aut a Lat. *defendo*, unde litigantium altercationem vulgo dicimus *Fending and Proving*.

Fynderinga. Sic enim scribendum puto quod ibi *Fyrderinga*. Quid autem significet, vide Schol. in cap. 10. LL. Henr. I.

Fyrdfare. Quid, & unde dictum, vide apud *Spelman.* in voce, cui hæc & *Herdfare* synonyma, rectius *Herefare*, ut alibi ipsemet, in voce scil. *Herebannum*. Quamvis autem *here* & *fyrd* ut synonyma confundat, notabilem tamen inter voces differentiam in *Chronologia Saxonica* nuper edita deprehendo; ubi *priori* voce accolarum sive aliorum exterorum, prædandi causa, terram invadentium, *posteriori* autem incolarum sive indigenarum, Principis authoritate, expeditionis gratia, in tales prædatores armatorum exercitus semper significantur: quarum vocum hæc a *faran*, i. e. proficisci; illa autem ab *herian*, al. hergian, i. e. devastare, spoliare, prædam exercere, veniunt. *Here* itaque in dictis Annalibus *hostium*, *fyrd* autem *civium exercitus*,

G

GAblum. Quid, videsis apud Doctiss. Spelman. in voce *Gabella*, ubi vocabulum a Sax. *gafol* al. *gafel*, i. e. *Census*, *Tributum*, &c. ductum monet. *Gafol* autem (ni fallor) ab eorum *gyfan* al. *gywan* fluit, quod Belgis *geeven*, Germanis *geben*, i. e. *dare*, *reddere*, *tribuere*, *præstare*, *præbere*. Atque hinc *Tenuræ* illius apud Cantianos nostros *Gavelkynd* dictæ, nominis origo, quod *terram* signat, non (quomodo Lambardo Glossar. verb. Terra exscripto, & sequacibus ejus visum) omnibus cognatione proximis datam, quasi *gife-eal cyn*; censualem vero, tributariam, redditui annuo, cæterisque plebejorum prædiorum servitutibus obnoxiam, ac Saxonum *gafolland* respondentem, de qua in fœdere *Aluredi & Guth.* Regum cap. 2. *butan tham ceorle the on gafollande sit*; i. e. (Jornalensi Interprete) *præter rusticum qui in terra censa manet*: sic autem dicta, distinctionis gratia a terra tenuræ e regione contrariæ, *militaris* dictæ, sub servitio scil. militari elocatæ, cujus præstatione terram ejusmodi tributis, censu, redditu annuo, & cæteris servitutibus, quibus oneratur altera, solutam & immunem, adversus Feudi Dominum sibi & suis Vassallus defendit. Fusius autem de hoc in Tractat. Clar. *Somneri de Gavelkynd*. cap. 1. quo, ne actum agam, Lectorem plura desiderantem mitto.

Gængans. Gravida. LL. Æthelb. cap. 83. Vox hæc diu me torsit; sensum ejus an recte sim assecutus, æquo submitto Judici. Hickesius & Laetius silere maluerunt, quam incertum ejus significatum adferre. Legislator loqui-

quitur de virgine per vim ad fornicationem capta, quæ *tham agende*, *Possessori*, *Tutori* vel *Parenti* restituenda est cum pretio quinquaginta solidorum. Ast si virgo alteri desponsata sit, addat vir qui eam violavit xx. solidos: *gif gængans geweorthebh, si gravida fuerit* ex concubitu cum homine illo, tunc addat vir xxxv. solidos & Regi xv. solidos *solvat*. *Gængans* derivatur a *gange ambulare*, & Germanis usitatam loquendi formulam signat, qua mulier gravida *ambulans* dicitur: *Sie hat noch so viel Wochen zu Gehen*. *Tot hebdomadas adhuc ambulare debet*.

Gawelbeard. *Grex ad censum*. Huic assidet sono saltem *Gaveleyth*, i. e. aratio ad censum; servitium nempe arandi terras Dominicales (vulgo *the Lord's Demaine Lands*) a quibusdam inferioris notæ tenentibus sive fructuariis ex censu debitum. De quo plura in Clar. Somneri Tractatu *de Gavelkynd*.

Gegylda. *Contubernalis*. Quæ vox a *gyldan*, quod *solvere* sonat, fluens, una pariter *solventem* significat. Ipsus est quem aliis in locis *gerefa* dicunt, id est, socium & vitæ comitem. Erat enim superiorum temporum consuetudo, ut isti (quos diximus) Decemviri pecuniam in unum conferrent, atque interdum una cum socio cædis conscio ad peremptì corporis æstimationem explendam contribuebant, nonnunquam etiam illis compensationis nomine, æstimationis pars soluta est aliqua. Hoc veteres contubernium *gyldscip* nominabant: atque eo hinc facile crediderim natum, quod religiosorum aliquot societates & mechanicarum artium ordines *gyldes* dicantur.

Gemote. *Conventus ex omni Satrapia*, a *gemettan*, quod est *convenire*. Id alias *folcgemote* (præposito *folc*, quod populum significat) alias *Scyregemote* (a *scyre*) nuncupatur. Ejus duo sunt genera, quorum alterum hodie *le Countie Court*, alterum *le turne del Vicount* vulgo appellatur. Priorem illum Conventum Edwardus Rex singulo quoque mense, posteriorem Edgarus bis quotannis celebrandum instituit. Londinenses etiam nunc celebrem ex omni civitate conventum *Folcmote* verbo paulum contracto dicunt. Leguleji suos ad Juris exercitationes obeundas congressus, vel hodie *Motes* appellant.

Gerefa & *Scyrgerefa* & *Hibgerefa*. *Præfectus*, *Præpositus*. Vocabulum (ut ego conjectura augurор) a *gereccan*, quod *regere* sonat, ductum; ut sit *gerefa* quasi *gerecfa*, facilis est enim lapsus. Legum Allemannorum & Bajoariorum (quisquis is fuerit) Interpres *Gerefa* hunc nostrum *Grafionem* vertit; neque interim me latet longe diversam reperiri in Legibus Guilielmi hujus vocis derivationem. Utcunque sit, de hoc mihi dubium non est, eundem esse *gerefa*, qui hac nostra memoria vulgo *Reve* (abjecto *ge*, quod apud Saxones semper fere superfluum est) dicitur. Atque ita *Scyrgerefe* is est, quem nos hodie *Shyrife*, vel potius *Shyre-Reve* appellamus. Hinc illud manat *Portgeref*, nomen Prætoris Londinensis tempestate *Guilielmi* primi, atque illa Germanis in ore frequentissima *Burgreve*, *Margreve* and *Landsgreve*. Bini tum temporis in singulis Satrapiis viri authoritate valebant *Ealdorman*, quem ego *Senatorem* verti, & secundum eum hic noster *Præfectus*. Horum alterum Normanni postea *Comitem*, quod plerunque Comitatui præficeretur, alterum *Vicecomitem* appellarunt. Erant denique & minuti quidam Præpositi, quos nunc vulgo *Reves of Danors* nominamus. Eorum hac nostra ætate plerisque in locis aut omnino nulla, aut certe tenuissima est existimatio.

Gersfwin. *Herbagii porcus*, porcus scil. gramine pascens; gramen enim vel herba Saxonibus *gærs*, nobis *Grass*; porcus autem eis *swin*, nobis *Swine*. Fortasse tamen *Gerswine* quasi *Gere*, i. e. *Pear-Swine*, porcus scil. annotinus, aut nefrens, quod vulgo *Greese*. Vocabulum vetus Anglo-Saxonicum *Pyggegryce nefrendus*.

Gild. Collegium, fratria, fraternitas, sodalitium, adunatio; quotuplex autem, & unde sic dictum, vide apud Doctiss. Spelm. in voce *Geldum*, & hic supra voce *Contubernalis*. Supra etiam verb. *Crocca Cowellat*, & *Congildones*.

Gildare. Quid. Quid etiam & quotuplex *Gildum*, de quo LL. Henr. I. capp. 2. 76. & unde dictum, vide Doctiss. *Spelman*. ubi supra.

Gravatus. Quid, & unde dictum, vide supra in voce *Cravatus*.

Gravio. Quid, quotuplex, & unde dictum, vide Doctiss. *Spelm*. Tractat. de *Grafionibus*, &c. & ejusmodi Magistratibus in Glossar. pag. 317. Videatur Vossius etiam in voce *Gravio*, & supra *gerefa*.

Grithbrece. *Pacis fractio*, seu violatio, unde autem sit dicta, vide apud sæpius laudat. Glossar. *Spelmanni*.

Guerra, *Bellum*; unde autem vox ducta, vide, ubi supra, verbo *Guarra*, & hic supra in voce *Factio*.

Gwalstow. Patibuli, seu *occidendorum* (i. e. vita plectendorum) *locus*, quod effictum vult Doctiss. *Spelm*. Glossar. in voce a Sax. *gwal patibulum* & *stow locus*; quod autem patibulum aut locus patibuli Saxonibus eo nomine notum fuerit, hinc satis est probabile, quod a Germanis *Gabel* eodem sensu vel hodie usurpatur. Vocabulum a Latina antiqua voce *Gabalus* derivatum, ut me docuit in sublimioris illius & abstrusioris doctrinæ libris vir præstantissimus *Joan. Seldenus*, Tract. de Diis Syris, syntag. 2. cap. 1. ult. edit. De quo vide plura, si placet, apud Martinium in Etymologico verbo *Gabalus*, & *Ludov. de la Cerda* Adversar. sacr. cap. 40. nu. 1. Nisi quod hic vocatur *Gwalstow*, conflatum malis a Sax. *cwellan*, hodie nobis *to quell*, quod & subigere, interficere & torquere sonat, unde *Cweller* (inquit Verstegan. Restitut. cap. 7. p. 214.) & turbatorem & tortorem sive carnificem significat; litteram autem C, G, K, & L sæpe confundunt. Huc facit, quod in quodam Exemplari vocem hanc reperio scriptam *Gwalstow*. Huic autem voci (& sono & sensu) assidet Saxonum *wælstow*, *wælstole*, *wælfeld*; quæ omnia locum stragis in bello scil. campestri occumbentium, notant. De quo vide plura infra in voce *Weilreaf*. Furca autem Saxon. *galgh*, uti Teutonicis modernis *Galghe*, quod nobis (*gh* in *ow* inpluribus vocibus ejusmodi emollire solitis) *Gallow*.

Gyrdlandes. *Virgata terræ*, nunc vulgo *Pardland*, fundi mensura pro ratione loci diversa, nonnullis enim in locis ex 20, aliis ex 24, aliis ex 30 constat acris.

H

HAiradum. Caterva militaris. Vocabulum autem unde haustum, vid. apud *Spelman*. in voce *Herireita*.

Halimot. Conventus aulæ, Curiæ præsertim Dominicales, de qua voce vid. Spelm. voce *Halimot* & *Gemotum*.

Hamfare. Unum & idem esse cum *Hamsocna*

na (de qua in proximo) hinc plane liquet, quod iſte ubi occurrit locus eadem copulat tanquam ſynonyma in hunc modum. *Si quis alium in ſua vel alterius domo cum Haraido aſſaliaverit* —— *Hamſocna eſt vel Hamfare*. Conjuncta etiam vide apud Jornalenſem & Ranulphum Ceſtrenſem. *Hamſocen* vel *Hamfare* (inquiunt) eſt *inſultus factus in domo*. Nec aliud eſt (ni fallor) *Hamfare* hic, quam quod alibi reperitur ſcriptum *H:infare*, alias *Hainfare*, quod ſi eſt cum *Hamfare* hic *Hamſocnam* ſonat. Huic autem ſuffragatur paritas emendationis Heinfaræ in Domeſdei Libro (Vid. Spelman. Gloſſar. in voce) & *Hamſocnæ* hic cap. 12. utraque enim 100. ſol. emendatur. Inter Anglo-Saxones vocem non reperio: effictum tamen puto ab *Ham* domus, manſio, & *fri* vel *frith* pax, quies, quo Hamſocnæ ad amuſſim quadrare *Hamfare* quis non videt? niſi malis *fare* ſenſu quo in *Herefare*, *Fyrdfare* acceptum, quaſi profectio in domum.

Hamſocna. Quid, cum quibuſdam ſpeciebus ejus, vide hic in capitulo 80. LL. Henr. I. Cætera & rem & vocem plenius explicantia, vide apud Spelm. in Gloſſar. & Somn. Tractat. *de Gavelkynd*, cap. 4. Vocem reperio apud Scotos opere, quod a primis verbis, *Regiam Majeſtatem* inſcribitur, lib. 4. capp. 9, 10. ubi etiam de ejus ſignificatione per *Skenæum*.

Handabenda fur. Item *Hand-habbenda*. De hoc ſatis in Gloſſar. memorato verbo *Hond-habend* & per nos non ſemel in Scholiis ad LL. Henr. I.

Healsfange. *Mulcta* nomine colli obſtricti. Vox ab *heals*, quod *collum* ſonat, & *ang*, quod a *gefon ductum*, *captum* ſignificat, compoſita: atque ita *healsfang* ad verbum eſt *collum obſtrictum*. Erat id temporis fortaſſe in more poſitum (uti nunc eſt) *numellis* colla hominum conſtringere, quod genus vinculi lignei Leges noſtræ in Piſtores latæ, *colliſtrigium* appellant; nunc vulgo *Piſſory* dicitur. Verſa eſt hæc tandem pœna in mulctam pecuniariam, atque non deſunt qui decem fuiſſe ſolidorum affirmant. *Healsfang*, quid ſit, explicatum habes in capp. 11. 76. 60. LL. Henr. I. his verbis: *Eſt autem* (Healsfang) *verbum Anglicum, quod Latine ſonat apprehenſio colli.* Alias dicitur *Colliſtrigium* (i. e. pœna qua alicui collum ſtringitur) *Healsfang* autem a Sax. *hals* collum (mutato hic Latinorum C in H, quod Germanis, a quibus Anglo-Saxones oriundi, frequens, ut cornu *Horne*; illis itidem hodie, caput *haupt*; nobis olim *heafod*, nunc *Head*; Canabis *hanf*, nobis *Hemp*; his adde cælum, Teutonicis *hemel*, & *himel*, nobis olim *heofon*, nunc *Heaven*) & *fang* a *fangian* fluente, i. e. comprehendere. Cætera ad rei pleniorem adhuc notitiam ſpectantia ſatis obvia in *Spelm.* Gloſſar. in voce.

Hengen. *Cuſtodia*, *Carcer*. Plura vide apud *Spelman.* in voce. Locis autem ab ipſo citatis adde LL. Aluredi cap. 51.

Heorthfeſt. Sic enim ſcribendum reor, quod cap. 8. LL. Henr. I. *Hud-feſt*. Idem autem mihi videtur cum Bractoni *Huiſfaſtene*; nec minus convenit priſcorum *Bondæ*, juniorum *Husbando*, ſcil. Patrifamilias. In Gloſſar. ſub fin. harum LL. Edit. olim Lambardi, in quarto, litera H occurrit *Heordfeſt*, ubi Latine redditur *aſtro aſtrictus*: quod aliquid luminis accendit loco in conſuetudinibus Cantii: *le aſtre demorra al pune*, i. e. *aſtrum remanebit juniori*. Cl. Seld. notis in Hengham, pag. 158. de aſtro diſſerens, in vocis explicationem locum adducit. Plenius autem, ut verbum & locus intelligantur, advertendum eſt, quod ut veterum Lar familiaris ab Anglo-Saxonibus inter alias ejus appellationes (quales *Hus*, *Ham*, & ſimil.) frequentiori vocabulo *Heorth*; a poſterioribus autem Anglo-Normannis ſcil. *Aſtre* nuncupabatur, ſic Larem ejuſmodi fovens, Paterfamilias ſcil. apud priores, quandoque *Husfaſtene*, quandoque *Hamfaſtene*, non raro *Husband*, crebrius autem *Heorthfoeſt*, apud poſteriores vero *hominis aſtrarii* nomen ſortitus eſt. Sub hoc nomine latifundiorum Domini tantum, & poſſeſſores terrarum præcipui, plerunque intelligebantur; aliis inferioribus ſcil. (Folgariis dictis, quaſi Dominis ſuis a ſequela) aut domibus fociſque propriis carentibus, aut ſub ſtipendio & ſervitii alicujus præſtatione poſſidentibus, quod diverſimode, pro more loci, vel in pecuniis, vel in operibus ſervilibus pendebant. Prius *Harth-peny*, *Heorth-Silver*, *Smoke-ſilver*, *Bern-peny* (promiſcua verborum uſurpatione) vocitabant. Hoc Teutonicis dictum *Hauſzzins* (*Hauſszins*) *Rauchgeldt* (*Rauchgeldt*) *Herdeſchilling* (*Herdeſchilling*). Vid. Serarii Not. ad Epiſt. S. Bonifacii, p. 322. Poſterius autem in ſcheda quadam (Rotulum vocant) computorum manerii de Harwe (nunc *Harrow*) anno 21. Ric. II. inter opera autumnalia ſic occurrit. " Magna Precaria. Et de 199 operibus magnæ precariæ provenientibus de omnibus Tenentibus Domini, tam liberis quam nativis infra Dominium Domini reſidentibus, quorum quilibet domum habens de qua fumus exiit, inveniet unum hominem ad magnam precariam, ſi ad hoc ſummonitus fuerit, *&c.* „ *Precaria* autem quid ſit, vide Tractat. Somneri *de Gavelkynd*, cap. 1. Eundem vox hæc ſignificatum obtinet, quem vox *Bencip* ad preces. Tali ſervitio obnoxius, alibi, in maneriis ſcil. quibuſdam intra Cantium in diebus illis *Herdemeter*, quaſi *Heorth-meter*, appellabatur, perinde ac ſi ad id obligatus ob larem ſive focum proprium ſibi a Domino indultum; quod (ni fallor) intellectum, illuſtratumque reddit illud in LL. Inæ Regis, cap. 66. *gif he him nan botle ne ſylth*, i. e. *niſi ei Dominus domum dederit*; antiquum (forte) veſtigium hoc domuum vel focorum ea lege a Dominis hominibus ſuis concedendorum.

Heregat. *Hereotum*. Vocabulum ab *here* (quod *exercitum* ſonat) effictum, atque armamenta ſive belli inſtrumenta ſignificat. Conſtat ſane *Hereotum* his primis temporibus nomine apparatus bellici Dominis tributum, id quod etiam nunc aliquibus in locis obſervatur. Datur quidem & hodie paſſim *Hereotum*, ſed longe ab hoc noſtro diverſum. Imo quod hac noſtra memoria Gallice *relief* dicitur, veteris illius *Hereoti* vim obtinet. Conjectura eſt igitur, Normannos victores Anglis victis omnique ſpoliatis armatura *Heriotum* remiſiſſe, atque a miſeris pecuniam exegiſſe.

Hereſtrete. Cap. 10. LL. H. I. Quid, & unde ſic dictum, vide Doct. Spelm. Gloſſar. in voce & Schol. noſtra in locum. Teutonicis *Herrenſtraete*, *Heyrſtraete* & *Herſtraete*, quandoque *Hooge-ſtrate*, & *Hooghen-wegh*, nobis *High-ſtreets*, *High-ways*, altæ ſc. viæ; ſic autem, potiſſimum, ut opinor, dictæ, quod, quatenus regiæ, altæ (omnium potius ſupremæ, id eſt, regiæ) juriſdictioni, uti hic, reſervatæ.

Hergripa. Quid, locus ubi occurrit (c. 99. LL. Henr. I.) ſatis explicat; mulcta ſcil. alium per capillos arripienti impoſita ſive irrogata. Vid. *Spelm.* verbo *Horgrift*. Hoc Saxonibus *feaxfang* alias dictum.

Hikenildſtrete. Ran. Higdeno *Rykenildeſtrete*, aliis *Ikenildſtrete*. Una e quatuor plateis regalibus, quas Rex Molmucius conſtruxit.

Hig-

Higdenus hæc de ea habet in Polychron. —— *Tendens ab Africo in Boream Vulturnalem, & incipit a Mavonia (prædicta) tenditque per Wigorniam, per Wicum, per Birmyngham, Lichefeld, Derby, Chesterfeld, Eborum usque ad ostium fluminis, quod Tynemutha dicitur.*

Hlaford-socna. LL. Æthelst. c. 5. in Jornalensi ita: " Et item ne Dominus homini libero *blafordsocnam* prohibeat, qui rectum ei per omnia fecerit. „ Paulo infra scribitur *Labsocnam*, cujus intellectum disce mecum ex capitis Epigraphe verbis concepta sequentibus: *Ne Dominus libero homini jus prohibeat*, i. e. forte, jus æquum ei ne denegêt. *Hlafordsocna* vero signare videtur *Domini Protectionem* vel *Tutelam*, aut simile quid.

Hlothe. *Turma*. Vocabulum a *hlyde*, quod *tumultum* sonat, deductum. Est quidem *hloth* hominum manus ad rapinam parata, manipulus furum. Ego quod ad Romanam turmam, quæ ex XXXII. constabat militibus, proxime accederet, turmam verti. Id si cui minus arriserit, cohortem dicat.

Homagium. Cap. 56. LL. H. I. Clientela; quotuplex autem & unde sic dictum, pluribus ostendit Spelm. in voce.

Homo Regis, *Homo Baronis*, *Homo Ecclesiasticus*. De his & aliis hominum, i. e. Clientum speciebus, vide abunde tradita per Spelm. in Glossar. verbo *Homo*.

Hosticum. Hostium exercitus. Ita *Spelman*. quem vide in *Hostium*, & *Besold*. de Natu. popu. cap. 18. p. 105. verbo *Ost*.

Hreatcroppum. *Mantoli Summitas*. In alio quod vidi exemplari *Macoli summitas*; utraque lectio obscura. Pro *Hreat Croppum* alibi occurrit *Hreaccroppum*, quod malim, ducta forte voce a *breac* nobis hodie *reeke*, strues, cumulus sive fœni sive spicarum, & *cropp*, nobis (*Chaucero* nostro teste, quem sequitur *Minsheus*) pro summitate a Gallorum forte *crope* & *crouppe* pro montis crepidine vel jugo. Verisimilius hinc videtur *Mantoli* hic erratum esse pro *Macholi* vel *Macoli*, quæ vox occurrens in Lege Salica, tit. 16. §. 2. a *Lindenbrog*. in Glossar. *Horreum sine tecto* explicatur, cui contrarium *Spicarium*, quod horreum cum tecto, eodem Glossographo teste; Belgis *Spucker*. Kilian.

Hudesest. Quid, quomodo scribendum, & unde dictum, vide supra in *Heorthfæst*, & Schol. ad cap. 89. LL. Henr. I.

Hundredum. Locum quasi communem de Hundredis habes in Spelm. Glossar. in voce & verb. *Centuria*, *Centena*, *Centenarius* & *Gemot*. Vide quæ supra diximus in voce *Centuria*. Ubi autem (ut hic obiter moneam) Doctiss. Spelm. locorum citatorum priori pro *Hundred-Centena* rectius reponendum fore autumat *Hundred-sceatena*, plane fallitur, cum recte habeatur *Hundred-setena*, quod utique vocabulum Textus (ut vocatur) Roffensis Latine exhibet *constitutionem Hundredi*, his verbis: *debent habere constitutionem Hundredi*, *quod Angli dicunt Hundred setene*.

Husbrece. Habitaculi alicujus diruptionem vel effracturam signat, quam recentiores *Burglariam* nuncupant, de qua pluribus Spelm. verbo *Burglaria*, ubi obiter de Saxonum *husbrec*, quod hic scriptum *Husbreche*; crimine in diebus illis, ut postea *Burglaria*, inter inexpiabilia reposito. De utraque voce plura vide per D. Ed. Cocum Instit. par. 3. c. 14. pag. 63.

Hustenge, *Husting*. *Antiquissima* (inquit Eques Spelmannus) *& celeberrimæ Londoniarum Civitatis Curia suprema*, *a loco (ut Prytaneum Athenis) nuncupata*; *hus enim domus*, *thing causa*, *quasi domus causarum*, *vel ubi causæ aguntur*. Ita ille, quem sequutus est D. Edo. Cocus, Instit. par. 2. pag. 322. & par. 4. pag. 247. Et per me licet. Libere tamen ut dicam, quod ego sentio, mihi haud placet derivatio. Licet enim partes compositi ita sonent, *hus* scil. domum, & *thing* causam, taliter tamen copulatæ, causarum domum, forum scil. juridicum vel contentiosum ut significent, nihil video quod suadeat, saltem nisi hysteron quoddam proteron fit in syllabis. Experiundi gratia ad alia fas sit verba provocare. Patrifamilias vel habitatori Saxones *husband*, *husfastene*, Teutonici (Kilian. Etymol.) *Huys-heer*, *Huysman*, *Huysvader*, *Huys-weerd*; Angli hodie *Housholder*, nomina indiderunt; ut famulo domestico *huscarle* Saxones, *Huysknecht* Teutonici: per *husban*, *husfastene*, *huscarl*, &c. domum patrisfamilias, domum habitatoris, domum famuli, &c. nequaquam intelligentes; *Hus* hic naturam nominis adjectivi potius quam substantivi præ se ferente, & epitheton nominis cui præponitur, qualitatem sive subjectum prædicans, potius quam nomen ipsum sapiente. Ad alia verba ut transeam, cum de domo publica (privatas ut mittam) gymnasio scil. libero, prætorio, domo eleemosynaria, hospitale vulgo dicta, vel hodie loquimur, loca hæc *School-house*; *Town-house*, *Almshouse*, dicimus, non syllabis inversis, *Houseschool*, &c. Adde quod curiam municipalem, puta Prætorium, domum Senatoriam, Teutonici *Stad-huys*, & *Raed-huys* nominant; quemadmodum etiam (propius ut accedam ad verbum exponendum) locum judicii publici, (Saxonibus *domerne*, al. *spræcerne*, item *moterne*) *Ding-statt*; tribunal *Ding-stuel*, & *Dingbancke*; diem litigiis dicatam (i. e. diem Martis) *Dings-dagh*; Judicem *Ding-grave*; non autem inversis syllabis, *Statt ding*, &c. cujusmodi scriptioni plane obstat idiomatis nostri (paris cum Teutonico originis) Canon ille grammaticalis, de quo in *Butleri* Grammatica Anglicana cap. 3. §. 2. 35. *Notandum hic* (inquit) *genitivum* (nomen. scil. casus genitivi) *semper esse præponendum nomini a quo regitur*, &c. Præterea demus *Husting* causarum domum vel locum signare juridicum, quare quæso hoc nomen non cæteris omnibus ejusmodi locis commune, sed e contrario Londinensium & paucorum aliorum locorum curiis proprium? Aliam itaque vocabuli originem doctorum venia petendam puto. Curiarum tantum superiorum genus, nomen illud (ut opinor) respicit, nec alibi forte reperitur, quas & regias a placitis nimirum regiis sive ad coronam Domini Regis jure spectantibus ibidem tractari solitis & *Recordi* curias (ut sunt omnes regiæ; curiæ scil. quarum acta adeo sunt authentica ut probationem contrarii non admittant) Forenses vocant. Ad suprema scil. (ut ita dicam, respectu Regis, cujus sunt) judicia nomen spectat. Quod forte vocabulum potius sonat, quam (quod derivatio adhuc recepta vult) causarum domum; cum (ni fallor) ductum sit ab *Hig-hest*, vel ut antiquitus scriptum *Hyhsta*, i. e. supremum & *thing* judicium, simul *Hysthing*, quibusdam *Hiesting*, aliis autem *Hoystings* (Stow Notit. London. p. 207. ex charta Ed. I.) cujus prior syllaba eadem, ut sono, sic itidem forte & sensu ac nautarum vela dantium *Hoise*. Ad hoc facit quod hujus nominis tribunal apud Londinenses a Spelm. & aliis memoratum, & inter alia loci tribunalia descriptum, *Supremum* audit. Nec hic transeundum est, quod apud quosdam exteros Judicium summum *Althing*, quasi altum judicium nuncupatur. Vid. Johan. de Laet de orig. gent. American. lib. 1. pag. 160. de Islandis. Nomen hoc quinque portarum curia apud

apud Shipwey in Auſtralibus, non (ut omnes hac de re ſcribentes) apud *Shepey* inſulam ſc. in Borealibus Cantii partibus, inter alia quædam loca obtinuiſſe ſat plane conſtat ex Fletæ lib. 2. cap. 55. ubi ut etiam cap. 54. pro *Shepey* legendum *Shipwey*, quemadmodum loci nomen recte exhibet D. Edo. Cocus Inſtit. par. 4. c. 42. ut & Bracton. lib. 3. tract. 2. c. 2. & lib. 5. tract. 5. c. 14.

Curia Huſtingi Abſoluta. Pauca nunc addamus, nec importune de *Huſtingi* pondere, cujus fit mentio in Spelm. *Huſtingi* voce Tractatu e charta ſcil. antiquiſſ. libri Rameſienſis. Iterum autem occurrit mihi in charta etiam pervetuſta Saxonica ſcil. Eccleſiæ Cantuarienſis per Eadſium ſive Eadſinum Presbyterum, Anno Dom. 1032. in hæc verba: *And he gaun bac thæs landes æt Orpedingtune on his dæge for his ſawle into criſtes cyrican tham godes theowum to ſcrudeland the he geboþte mid hund eahtigan marcan hwites ſeolfres be hustinges gewihte* &c. " Dedit etiam terras illas apud Orpedingtune per dies ſuos, pro anima ſua Eccleſiæ Chriſti, Deo illic ſervientibus in terram veſtiariam, quas emit octoginta marcis argenti albi Huſtingi pondere, &c. „ Quale autem pondus hoc in incerto eſt. Capitulum trigeſimum Legum Æthelredi Regis apud Venetingum, de quibus in Jornalenſe, ponderis meminit mercatorii huc forte pertinentis. *Et ipſi qui portus cuſtodiunt efficiant ſuper overhyrneſſam meam, ut omne pondus ad mercatum ſit pondus, quo pecunia mea recipitur, & eorum ſingulum ſignetur, ita quod* (Nullam hic apud Jornalenſem lacunam reperio, vocem tamen quandam numerum *orarum* Libram facientium, quæ exprimeret, hic deeſſe minime dubitandum, & in MS. Regio locus ſic legitur *ita quod* XV. *oræ libram faciant*) -- *oræ libram faciant, & cuſtodiant omnes monetam, ſicut vos decere præcipio, & omnes eligimus.* Venia igitur ſi ſit conjecturæ, *Huſtingi* ſtatutum pondus puto commercio inſerviens, ipſum ſcil. ſtandardum (ut vocant) Regis (quod pondus ſignat originale & Canonicum, ad quod alia pondera ejuſdem ſpeciei debent examinari, & cum eo concordare) aut talis Standardi exemplar atque inde forte nomen hoc obtinuiſſe, ductum a ſupra memorato *hyhſta ſupremum & thing* Teutonicis *Dingh*, nobis hodie *Ching* Res; quaſi dicas pondus Regium, de quo vide 2. Samuel. cap. XIV. ver. 26. vel pondus quo ſuprema, res ſcil. regiæ appenſæ trutinantur; ſive (phraſi Legis Æthelredi jam citatæ) *quo pecunia Regis recipitur*, niſi pondus hoc in diebus illis in *Huſtingo* (quemadmodum Romæ olim in Capitolio, de quo vide Caſaub. not. in Jul. Capitolin. pag. 139. num. 14.) fori nempe Juridici loco; ſic dicto ex uſu conſervatum, & inde nomen illud ſortitum malis. Nec aliud forte pondus hoc, Saxonum ævo *Huſtingi* appellatum, quam illud a poſteris, & in hunc diem, omnium ore *Trojæ Trojanum* (ac ſi inde huc allatum) nuncupatum: credat autem Judæus Apella. Melius autem, ut oſtendam, unde (ut veriſimile eſt) nomen illud ductum ſit, ponderum apud nos in uſu duo eſſe genera advertendum eſt; quorum unum vulgo *Croy-weight*, alterum *avoir de pois* dictum. Prius ad inſtar libræ, quam Romanum vocant, 12. tantum uncias in libra continet; poſterius autem libræ ſimile quam mercalem, civilem, hypoſtaticam indigitant, 16. uncias. Priori, gemmæ, lapides pretioſi, electuaria, medicinalia, aurum, argentum & panis ponderantur, poſteriori autem omnia alia, quæ pondere mercari ſolent homines. Prius (ut præfertur) ſic dictum, ſaltem, ut vulgus aliquandiu ſomniavit, ac ſi a Troja huc adductum; poſterius autem quaſi *habere pondus*, aut *juſti eſſe ponderis*: hoc uſu magis receptum, quam Lege fundatum, cum nunquam adhuc lege aliqua ſtabilitum, ſed potius, prohibitum, ut Statuto anni 27. Ed. 3. cap. 10. ſortito nomine, non (ut communis fert opinio) a *pondus habendo*, ſed a Gall. *Avoir* Subſtantivo (perperam ſcripto Aver) unde, noſtratium *Averia*, i. e. (Cotgravio teſte) *bona, facultates, res*, cui opponitur *de pois* bonorum qualitatem deſignandi gratia. Atque hoc modo *avoir de pois*, ut verbum verbo reddam *bona ponderis* eſt, ſive bona quæ pondere potius quam valore venduntur: nomen obtinens a bonis tali libratis pondere, cujuſmodi ſunt (ut diximus) omnia præter panem, & quæ venundant aurifices, medici & pharmacopolæ, res nimirum pretioſiores, ideoque forte illo altero ponderum genere libratæ, *Croy-weight* vulgo dicto, nec minus (quod ad nomen attinet) apud vulgus erronee derivato, quam alterum. Recta autem derivatio non a *Troja* ut Trojanum, ſed a vocabulo quodam antiquo Hetæ authori *Trona* (corrupto forte, aut a Latino *Trutina*, aut a Græco τρυζειν a τρύω fluente) unde nobis ortum *Tronage* Latino-barbare Tronagium, vectigal quoddam pro mercibus ponderatis pendi ſolitum, de quo in Statuto Weſtmonaſt. 2. cap. 25. anno ſcil. 13. Ed. I. *Trona* enim ſtatera eſt, ponderandi gratia exagitata, teſte Doct. Cowello noſtro in Interprete, quem vide etiam in voce *Weights*, ubi conjicit Tronæ & Trojæ pondus idem eſſe. Cui quidem conjecturæ ſuffragatur altum de Trojano vel Trojæ pondere ſilentium, inter omnes ea de re ſcriptores exteros ut & domeſticos, antiquitate ſaltem celebres. Adde quod noſtrum *Croy-weight* Lexicographi noſtri *Trutinam campanam* Latine reddunt. De *Huſtingi* pondere hactenus.

Hyde. Terræ portio, quæ ad alimoniam unius familiæ, vel ad annuum penſum unius aratri deſignatur. Ita vocem explicat Doctiſ. Spelm. quem de vocis derivatione, & aliis ad rei notitiam pertinentibus, vide in Gloſ.

Hydelandes. Fundi menſura, quæ *Matth. Pariſienſi*, *Johanni Londinenſi*, & veteribus bene multis tanta erat terræ portio, quanta unico per annum arari & coli poterat aratro. *Gervaſii Tilberienſis*, Henrici ſecundi Nepotis, quem legi (inſcriptus de *Scaccario*) Dialogus, ex centum acris *Hydam* conſtare exponit. *Acra* vero conſtat in longitudinem ex *perticis* (ut vocant) 40. in latitudinem 4. Ac *perticæ* longitudo eſt, 16. pedum & dimid. Illud interim verum eſt Eccleſiaſticæ *Bedæ* Hiſtoriæ Interpretem, eam terræ portionem, quam Latinus Codex *familiam* vocat, Saxonice *Hydelandes* plurimis in locis vertere. *Beda* autem idcirco familiam vocat, quod ad familiam alendam ſufficiat, poſt eam alii *Manentem*, alii *Manſam* appellarunt. Tantum abeſt, ut terræ *hyda* ex vicenis conſtet acris, quemadmodum *Polydorus*, atque alii eum ſequuti tradiderunt.

I

ILlegiatus. Abſque Lege. Exempli gratia cum accuſatus, & in judicinm ductus quis abſque Legis aut Juris tramite, vel legalis proceſſus judiciarii forma (quod cap. harum LL. 9. *congruus pertractationis modus* appellatur) ſpreta judicetur.

Impalare. In palum ſe impingere, de quo vide *Spelm.* Gloſſar. in voce.

Impetitio. Accusatio, criminatio. Vid. *Spelm.* Glossar. in voce & Scholia in locum, item *Glanvill.* lib. 13. c. 17.

Implacitatio. Actus implacitandi: *Implacitare* autem aliquem est eum lite involvere, vel implicare, ab *in*, & *placitum* (sive placitatio) quod *litem* & litigationem sonat. Vide plura infra verb. *Placitum*.

Implegiatus. Absque plegiatione, i. e. cautione per accusantem data se crimen quod objecerit, probaturum. Hanc Juris civilis periti *Inscriptionem* vocant, pœnam talionis in accusantem ob non probatum crimen inferentem. L. penult. C. de accusat.

Inborgum. Hypothecam (*plegium* vulgo vocant) sonat in loco delicti admissi, damni dati compensandi ergo captam, pariterque *bor* & *borho* verba tam simpliciter quam composite usurpata, accepta esse antiquitatum nostrarum vel mediocriter doctis satis notum reor. Vide Skenæum de verb. signif. in voce *Borgh* & Doctiss. *Spelm.* verbo *Borsholder*, *Friborga*, *Headborrow*, &c. Apposite (Magnum Britanniæ Lumen) Cl. Cambdenus, de Patritio Comite de Dunbar tempore Regis Henrici tertii e Lib. Inquisit. verba faciens, eundem Comitem *Inborow* & *Outborow* inter *Angliam* & *Scotiam* appellat, i. e. (si fas sit a Doctiss. Authoris illius sensu recedere) Fidejussorem omnium ex uno in alterum regnum proficiscentium, sive inter utraque Regna viatorum. Simile habes in SC. de Monticolis Walliæ inter Leges Saxonicas, cap. 6. De nostro autem hic *Inborgo*, vide plura in LL. Edo. Senior. c. 6.

Inculpatio. Vox (ut patet) crebra & semper pro *culpatione* usurpata sive *accusatione*.

Infidelitas. Sacramenti violationem Domino feudali de fidelitate præstiti signat, de qua plura apud *Spelmannum*.

Infith. Vide locum ubi cum *Insocna* copulatur, quorum utriusque (ad instar synonymorum) idem sensus. Contubernalium in eadem domo pugnam signant: *fith* & *socna* posterioribus compositorum partibus, *in* præposito, talem pugnam distinguendi gratia ab alicujus in domo propria ab exteris invasione, sive impugnatione. Quod autem hic *Infith*, Saxonibus erat *ingefeoht*, quod bellum signat intestinum, vel civile, ut *utgefeoht* externum. Vide Bedæ Hist. Eccles. Anglo-Saxon. pag. 9. cap. 22.

Infingentheaf. Significat latronem infra jurisdictionem alicujus jus habentis de eo cognoscendi captum: vox autem unde ducta, vide apud *Spelm.* in Glossar.

Inforciare placitum. *Inforciatum judicium* cap. 33. LL. Henr. I. Hoc judicium firmatum, illud placitum firmare sonat, a Gall. *enforcer*.

Infractura. Idem hic quod *Infractio* vel *Fractura*.

Inoperatio. Loco quo occurrit, hominis vel coloni, in operibus Domini sui servilibus, quæ olim *Averagia* dicebantur, personalem occupationem, sive implicationem, & inde detentionem sonat, ab *in* & *operatio*. Operum autem istorum cum apud Veteres duplex genus esset, unum intra, aliud extra Manerii fines, hoc *Out-auers*, illud *In-auers* appellarunt, teste Scheda computor. Manerii de Maghefeld (nunc Mayfield in agro Sussexiano) anno 2. Henr. IV. in Archiv. Archiep. Cantuar.

Insocna. Quid, vide supra in *Infith*.

Insorticatus. Quid, vide Schol. in cap. 71. LL. Henr. I.

Intertiatum. Sic enim corrigendum quod LL. Henr. I. cap. 57. *Intentiatum*, signans quodlibet apud Sequestrum depositum; unde autem sic dictum, vide apud Lindenbrog. *Spelm.* & *Vossium* in voce.

Inveritare. Cap. 11. LL. Henr. I. e Jornalensi exhibet Doctis. *Spelm.* Concil. Tom. 1. pag. 568. cap. 17. ubi *inveritetur* in textu, nota adhibita marginali, legi suadet *inveniatur*. Tanti autem viri reverentia salva, lectio correctione non indiget. *Inveritare* enim vocabulum est Jornalensi, LL. Inæ capp. 19. 20. Lambardo autem 16. 17. vid. LL. Gul. I. cap. 71. & coævis ejus non infrequens, & ut tempus fuit, satis elegans, saltem ab illo ævo non abhorrens; idem autem signat quod probare, vel, ut loquuntur Juridici *verificare*, vulgo *to justify or verity*, unde eorum *Averment* Saxonum *gesothian* respondet. LL. Canuti par. 2. cap. 45. *gif man that gesothige* &c. i. e. (secundum Jornalensem) *si hoc inveritetur*. Quid etiam in LL. Guliel. I. cap. 71. supra pag. 173. legimus *& hoc super eum inveritare velit*, &c. in Textu Roffensi sic se habet Saxonice: *And wille bit thonne on hine gesothian*, &c. E contra refellere, confutare, Saxonibus *geunsothian*. LL. Canuti par. 2. cap. 15. *gif thonne se other that geunsothian mæge*, i. e. *tum si alter id refellere vel coarguere poterit*, &c. Lambard.

Investitura. Confirmatio in Feudo. Vocabulum autem unde dictum, vide apud Hotoman. in Dictionar. de verb. feudalib. Besold. de Natur. Popu. &c. cap. 23. & Voss. in voce. Horum primum laudat Cowellus in Interpr. in voce.

Judicium tripondii. Quid, vide infra *Jusjurandum unius libræ*.

Juramentum fractum, frangens, observatum, planum. Quid., vide Schol. in c. LL. Henr. I.

Jusjurandum unius libræ. Textus, unde hoc desumptum, Saxonicus (legum scil. Canuti par. 2. cap. 27.) *pundes weorthne ath* habet; jusjurandum sc. (Lambardo interprete) quod uni libræ æquali proportione respondeat; sic (ni fallor) dictum, quia infamatus, qui ad purgationem simplicem, juratoriam puta, admissus in tali sua purgatione defecerat, eamque ad effectum non perduxerat, tali summa libra sc. jure mulctabatur; ut qui in triplici purgatione (Judicium tripondii audit c. harum LL. 64.) defecerat tribus libris, vel XL. solidis. Vide etiam c. 67.

Justitiabilis. Quid ex cap. 8. 41. 92. LL. Henr. I. ubi occurrit, sat plane constat. De servis domesticis, & aliis Dominis quasi a latere & stipe, vocabulum accipitur, quibus quidem Dominis incumbit, eos, si peccaverint, *ad rectum habere*, &c. judicio sistere, aut pro eis rationem reddere & emendam præstare, perinde ac si familiæ sistendæ fidejussores. Scotis hoc *Furthcum-mand-borgh*, ut in LL. *Scotic.* opere, quod a primis verbis, *quoniam attachiamenta* inscribitur cap. 17. videre est. Plura vide apud *Voss.* in voce Justitiare.

L

Laadrinc. *Pincerna*. Male forsan pro *Lacdrinc* a *lacan offerre* & *drinc potus*. Cum autem solus Textus Roffensis vocem hanc habeat nec ullibi præterquam in Æthelbirhti Legibus occurrat, retinui *Laadrinc* & verti *Pincerna*.

Lade. *Lada*. Purgatio a Saxon. *ladian*, quod purgare sonat, effictum; unde derivandum puto nomen celebris illius Londinensium portæ vulgo *Ludgate* dictæ, ducto (secundum quo-

quoſdam) nomine a *Lud*, Rege neſcio quo, & urbis & portæ (ut ſomniant) conditore: ut alii autem a *Leod* i. e. populus, ob numeroſam populi turbam in & extra urbem per portam illam tranſire ſolitam; cum revera aut a *Flutta* (ut Lelando viſum) a fluviolo ſubjecto, ſicut Romæ porta *Fluentina* dicebatur, aut potius a *Lada* (quam Fletam vocant) cloaca ſcil. portæ vicina, colluvies purgatoria, cum per ejus ſubterraneos canales ſordes urbis egerantur, nomen illud ſortita ſit, ſcilicet *Ladegate*; quod vulgus non advertens, & Hiſtoriæ (fabulæ potius) gentis noſtræ originis Trojanæ nimium deditus, in *Ludgate* tandem corruperunt. Hinc etiam pars nominis loci illius inter veteres Annalium noſtrorum Scriptores adeo decantati, *Creek lade* ſcil. quod quidam (nomen illud ducentes a Græcis neſcio quibus, vel Græcarum literarum ſtudioſis & profeſſoribus eo, ut ferunt, ſeſe conferentibus) *Greek-lade* vocant, perperam tamen, cum horum prius loci ſit illius nomen plane genuinum, compoſitum a Saxon. *crecca*, poſterioribus *Creeke*, Zelandis *Kreke* i. e. *amnis*, torrens, curſu plus minus incurvo, vel in majorem fluvium labens, vel in maris brachium cadens; & *lade* i. e. non, ut quibuſdam placitum, Latus, ſed Purgatio, Exoneratio, Evacuatio; illo nomine huic loco primitus indito, quod ea propter amnis quidam exonerando ſe purgat, & purgando ſe exonerat, deciditque in alium (Thameſin nimirum) fluvium. Pariſque eſt originis locus ei vicinus *Lechlade* vulgo dictus, ſumpto nomine a *Lech* quod (contra quam quibuſdam viſum) fluviolum notat a Sax. *leccan* fluens, quod irrigare ſonat, cui vicinum Teutonicor. *Lecken*, i. e. ſtillari, derivari, unde *Leckæ* Hollandiæ rivuli, Rheni brachii nomen (vid. Hedæ Hiſt. Ultraject. cap. 1.) ut & apud Saxones *leaweard*, i. e. hortulanus, olitorius, ſic dictus, quia hortum irrigat, item noſtratium *to Leake a*, *Leake*, & *Leaking*; cui *Lade* in nomine illius loci accedit, ob conſimilem ejus cum *Crekelada* in Thameſin ea propter lapſum. Hæc autem obiter, & pro re nata: ad *Ladam* redeo, quæ *ſimplex*, *triplex*, *plena*, de quibus vide copioſe tradita per *Spelman.* in Gloſſar. verb. *Lada* & *Judicium Dei*. *Anfealdre lade*, *Purgatio ſimplex*. Varia fuit criminis purgandi ratio, Pane ſcil. Euchariſtico, pane certis verbis devoto, Ordalii quæſtione & Jurejurando. Purgationis vero ſingularis & triplicis appellatio, Ordalii & Juriſjurandi propria eſt & peculiaris. De ſimplici & triplici quidem Ordalio inferius a nobis dicetur. Jurejurando igitur *ſimplex* fit *purgatio*, cum reus adjunctis ſibi duobus aliis interponit jusjurandum. *Triplex* quoties cum aliis quinque jurat una. Accuſato præterea aliter fiebat interdum per Sacramenti Religionem criminis diluendi poteſtas, quod pro ratione 12. aut plurium pauciorumve Hydarum terræ dicebatur; atque id alias ſolus, alias cum aliis una præſtabat. Neque eſt interim cuivis crimen quodque purgare conceſſum, verum pro delicti ratione, ipſa etiam purgandi augenda minuendave fuit facultas, atque ut cujuſque fuerat capitis æſtimatio, ita ei facta eſt crimina ſive majora ſive minora purgandi copia. Pervaſerat enim (ut nunc quidem) opinio per animos hominum, ut quo quis erat opibus affluentior, eo fuit majori fide, & in jurejurando religioſior. Hujus purgationis non omnis evanuit vetuſtate memoria, nam per hæc tempora de pecunia poſtulatus, debitum nonnunquam *duodecima* (quod aiunt) *manu* diſſolvit.

Lafordiſwike. Domini proditio; unde autem ſic dicta, vide apud *Spelm.* in voce.

Lage. Inde *Denelaga*, *Weſtſeaxnalaga*, *Myrcnalaga*. Autor eſt Beda, avolaſſe una ab initio in Angliam tres Germaniæ populos: *Saxones* vel hodie notiſſimos; *Anglos* gentem Saxoniæ vicinam, quorum regionem Munſterus Angriam dici, & Saxonico Duci parere affirmat; & *Jutas*. Ex *Jutis* orti ſunt Cantuarienſes, & qui *Vectem* inſulam colunt. Ex *Saxonibus* profecti ſunt hi, quos Orientales, Auſtrales & Occidentales Saxones nuncupamus. An Anglis originem traxerunt Orientales Angli, Mercii & Northumbri. Horum autem omnium ſedes Heptarchiam & totum Angliæ Regnum conſtituerunt. Atque hic (quoniam *Jutarum* facta eſt mentio) admonendi ſumus, librariorum incuria falſo haberi in Latino Codice *vitas* præpoſito v: pro *Jutas*: nam liber Bedæ *Saxonicus Jotum* invertit, id eſt *Gottos* quos *Jutas* & *Jutones* fuiſſe antiquitus dictos, Philippus Melancthon & Matthæus Weſtmonaſterienſis affirmant. Sed reliqua explicemus. Hi igitur ut erant moribus diverſi, patrias quique Leges atque Inſtituta more majorum obſervabant. Præ cæteris autem, eorum qui Occidentalem & Mediterraneam Regni regionem incolebant Jura, & Conſuetudines vigebant. Quorum illi quidem a ſitu vulgo *Occidentales Saxones*, hi Mercii (a fluvio ut quidam vult *Merſey* limitaneo, qui eſt in Satrapia Lancaſtrenſi) dicebantur: utriuſque autem populi Lex uno interdum nomine *Jus Anglorum* appellatur. Longo poſt demum tempore Dacorum gens ferociſſima in Angliam fertur, atque Anglos armis divexat, donec *Orientalem Regni partem* ſubegiſſet. Atque horum etiam tandem conſuetudines enituerunt. Hinc igitur natum, ut Juris *Occiduorum Saxonum*, *Merciorum* & *Dacorum* crebrius in hoc libello verſata ſit mentio. Cæterum ne quis ſuſpicetur Guilielmum Normannum has Leges penitus omnes ſuſtuliſſe, operæ pretium duxi hoc loco commemorare, quæ fuerit plus quadringentis abhinc annis Henrici Wintonienſis Epiſcopi, atque ejuſdem Guilielmi Regis ex Adela filia nepotis, hac de re opinio atque ſententia, *Gervaſius* igitur *Tilberienſis* in ſuo (quem diximus de neceſſariis Scaccarii obſervantiis) dialogo, de libro illo, quem vulgo *Damesday* appellamus, verba faciens, hæc habet quæ ſequuntur. *Porro liber ille, de quo quæris, Sigilli Regii comes eſt individuus; hujus autem Inſtitutionis cauſam ab Henrico quondam Wintonienſi Epiſcopo ſic accepi. Cum inſignis ſubactor Angliæ Rex Wilhelmus, ejuſdem Pontificis ſanguine propinquus, ulteriores Inſulæ fines ſuo ſubjugaſſet Imperio, & rebellium mentes terribilium perdomuiſſet exemplis, Ne libero de cætero daretur erroris facultas, decrevit ſubjectum ſibi populum Juri ſcripto Legibuſque ſubjicere. Propoſitis igitur Legibus Anglicanis ſecundum tripartitam earum diſtinctionem, hoc eſt, Merchenlage., Denelage, Weſtſexenlage, quaſdam reprobavit, quaſdam autem approbans tranſmarinas* Neuſtriæ *Leges, quæ ad Regni pacem tuendam efficaciſſimæ videbantur, adjecit. Deinde communicato conſilio, diſcretiſſimos a latere ſuo deſtinavit viros per Regnum in circuitu, a quibus totius terræ deſcriptio diligens facta eſt, tam in nemoribus*, &c. Hactenus Gervaſius.

Labſlite. Et Legis violationem ſignat, & violationis ejuſmodi pœnam ſive mulctam proprie & ad verbum *ruptio legis*; a *lab*, *lag* & *lagh*, i. e. *Lex*, & *ſlit* vel *ſlite* (a *ſlitan* fluente) ruptio. Vox Danica, quæ in Anglo Danorum Legibus primum deprehenditur, ſic crebro in eiſdem occurrit, in fœdere præſertim inter *Edo.* et *Guth.* Reges, ubi hoc ſæpius obviam: *gildwite mid Englum and mid Denum*

labslite, i. e. *reddat witam* (delicti mulctam) *cum Anglis* (vel jure Anglico) *&* *Labslitam* (Legis violatæ pœnam) *cum Danis* (vel Jure Danico.) Quænam erat *Labslitæ* pœna (cum Doctis. Spelm. in voce) non definio, ni (ut in fœdere memorato cap. 3. legitur) duodecim oris æstimaveris. " Si presbyter ad rectum terminum sacrum chrisma non perquirat, vel baptismum neget ei cui necesse sit, reddat wytam cum Anglis, & cum Danis Lahslite, hoc est, duodecim oras. „ Sed non evincit (inquit Doctis. Spelm.) hic locus, ut tantundem esse *Labslitarum* omnium compositionem censeam, licet sic nonnulli intelligant, &c. Nostrum hic si fas sit contribuere judicium, Danorum *Labslite*, & Anglorum *wyte* eatenus pares haberi puto, ut cum earum altera occurrat, mulctæ modo non adjecto, simplex intelligatur; quænam autem illa, licet hodie ignoretur, illo tamen ævo procul dubio haud ignota fuit. Forte, altera (*Labslite*) eademque hic 12. æstimatur oris; nec aliter in Glossar. nostro, voce proxime sequenti, ubi *Labslyte duodecim boræ sive Oræ* exponitur; altera autem (*wyte*) eadem quæ postea Legum scil. Hen. nostri primi c. 38. xxx. *solidis*, sic enim, non *denariis*, legendum in Scholiis monetur: Delicti enim mulctam sive pœnam *Scyldwitam* ibidem notare existimo, a *scyld* Sax. i. e. culpa, reatus, unde *scyldig* reus, *unscyldig*, *insons*. Germanis *Schuldig* & *unschuldig* uti reatus, sive culpa eis est *schond* & *schuldt* (unde apud eos culpæ & pœnæ pro noxis exactor *Scultetus* vulgo dictus) & *wite* i. e. mulcta, pœna, animadversio. Plura autem de hac voce vide apud Doctiss. Spelm. in voce *Labslit*.

Labslite. *Mulcta Legis violatæ*. Duo reperiuntur in his Legibus Mulctarum genera: alterum in Lege ipsa præscriptum atque expressum: alterum maxime quidem in singulis Legibus explicatum; notum tamen, & cujusque personæ consentaneum, atque id *labslite* appellatur. Ego etenim me legisse memini, Legis violatæ mulctam Thano irrogatam fuisse Marcarum quinque: *homini fundum ex scripto possidenti* trium: *Pagano*, orarum duodecim. *Thanus* autem & *Ora* quid fuerit, loco dicemus apposito.

Lastagium. Vocem exhibet Doctis. Spelm. verb. *Barones de London*, & iterum verbo *Lastagium*, vocis expositione posteriori locorum adhibita, onus scil. quod navi imponitur, etiam & vectigalis genus eo nomine exactum.

Legalitas. Pro pura illa plerumque erga Dominum Regem fide, Gallis & Anglis *Loyaulte*. Plura vide apud Spelm.

Legem vadiare. Est deposito quopiam pignore litigare. Plura vide apud *Spelman*. ubi supra & Cl. *Vossium* in voce *Wadium* pag. 642.

Legerwita. Alias *Leirwita*. Stupri sive concubitus illegitimi mulcta; unde autem sic dicta, vide apud Doctis. *Spelm*. in voce. In c. harum LL. 11. occurrit *Leyergildum*: *&* *Regi emendet secundum Legergildum*. Locum exhibet idem Doctis. Spelm. de hac voce agens, adjiciens: *In hoc etiam alias sonat Legergildum*, &c. Error autem hic in textu, cum pro *Legergildum* legendum sit *Weregildum*, ut Scholiis ad locum & hic supra jam monitum.

Lex Sacramentalis. Purgationem signat, quæ aut *Canonica* Juramentis sc. accusati, & consacramentalium suorum (Conjuratores alias vocantur; in foro autem Ecclesiastico Compurgatores) aut *Eucharistica*; quando scil. corpus Domini, panem nempe Eucharisticum in probationem innocentiæ accusatus percipit. Examinis modus hic alii, quem *Corsned* Saxones vocarunt, valde affinis: *offam judicialem* quidam vertunt; potius *offam execratam* a Sax. *cors execrata* & *sned*, vel *snid pars*, *portio*, *offa*. Plura huc spectantia vide apud *Lindenbrog*. Glossar. verb. *Judicium aquæ*, Spelmannum verb. *Judicium Dei*, hic infra verbo *Purgatio*, Hotomann. tum Disput. de Feud. cap. 43. tum Dictionar. verbo *Sacramentales* & *Worm*. Monument. Danic. lib. 1. cap. 2.

Liga. *Lea* fluvius. Prisci *Lui* vocabant, nunc *Lee* vulgus appellat. Is est qui *Ware*, *Waltham*, & *Stratford*, villas alluens, septimo a Londino lapide in Thamesim diffunditur. Ostium accolæ *Leemouth* nuncupant.

Ligius. Domino sic obligatus, ut eum obstrictus sit tueri adversus quemlibet. Plura vide apud Spelman. in voce: Vossii etiam Glossar. adi. Item videatur Besoldus de Natur. Popul. &c. cap. 23. verbo *Vassus*, cujus *Vassi* etymo a Germ. *vom Fassen*, quo Vasallus idem esse videatur, at Ligius hic, astipulatur Asserius Menevens. ubi (in vita scil. Ælfredi nostri) Clientes hujusmodi *Fasellos* nominat. De *Ligio* plura apud Dn. Cowell. Interpr. verbo *Liege* & *Ligeancy*.

Lignagium. Vox terminatione forensis (Vid. *Coke* Instit. 1. fo. 86. a.) veniens forte a Gall. *Lignage*. Jus signat ad lignum in sylva, ubi nescit capiendum, id forsan quod Forensibus nostris *Estoverium*, de quo in Spelm. Glossar. vulgo *Woodage*.

Locutio. Loqui. Capp. 56. 74. LL. Henr. I. Quod hic *Locutionis* nomen obtinet, respondet (ni fallor) tum Sax. *spræc* (a Jornalensi quandoque *Placitum*, quandoque *causa* Latine reddito: accusationem etiam signat) tum (Glanvilla lib. 2. cap. 3. Vide etiam Mag. Chart. cap. 28.) *Loquelæ*, qua Juris actionem significari existimo atque inde forte ille loquendi modus in cap. harum LL. 56. *Si præposituram dimisit, & alterius Domini sit, qui postea loquitur* (i. e. litem movet) *in his super eum*, &c. Cui similem habemus cap. 42. *Unde si damnum ei evenerit, loquatur inde cum homine suo*, i. e. *in Jus vocet hominem suum*. Haud absimilis ille, cap. 74. *Emendet unusquisque* cxx. *sol. qui super hoc loquebatur*, i. e. litem movebat de eo. Hinc etiam forte comminationis illa formula iratis apud nos in usu: *I will talk with you*. Hinc (tertio) ejusmodi locutionum locus, forum scil. juridicum a litigantium hinc inde locutionibus sive altercationibus, accusantium etiam & accusatorum criminationibus & recriminationibus, non sine sermocinationis copia Saxonibus *spræcern*, Cantuariensibus olim *Speech house* dictus: Vide Antiquit. Civit. Cantuar. p. 126. Sunt qui ab eadem origine *Parliamenti* vocem deducunt, sensu quo exteris sonat fori Juridici locum ab advocator. scil. altercationibus, de quo plura apud *Vossium* in voce *Parliamentum*.

Locwrence. *Præstigiæ*. Vox composita a *locce illecebræ* & *wrence machinatio*.

M

Mallus. *Conventus* præsertim *publicus*, de quo vide Lindenbrog. et Voss. in voce, *Kiliani* Diction. verbo *Mael*, et Doctis. Spelman. verbo *Admallare*.

Manbote. Perempti hominis æstimationis pars, cæsi Domino compensationis ergo tributa. Nonnulla quidem perempti corporis æstimationis pars, cæsi Domino compensationis loco tributa est, eaque solutio *Manbote* diceba-

cebatur. Vide plura apud Doct. Spelman. verb. *Bota* & *Homo*. Videatur etiam LL. Inæ, cap. 69.

Manca. *Marca* (capp. 48, 53, &c. LL. H. I.) Harum utraque (nomine varia, re autem eadem) in his Legibus, ut patet, occurrit sæpius; quod in memoriam mihi revocat varia veterum numismatum, Anglo-Saxonum scilicet genera, quorum scientiam ad Historiæ antiquæ gentis nostræ notitiam plurimum conducere in confesso est. In priscis enim Legibus mulctarum ratio, ob ignotum numismatum valorem valde est incerta & obscura. Plenam cupio hac in re elucidationem, operi autem me imparem fateor, quædam tamen non pigebit annotasse, paucis etiam de veteribus ponderum generibus intertextis. Numismatum autem species, de quibus sum dicturus, sunt hæ: (1.) *Denarius*. (2.) *Solidus*. (3.) *Thrimsa*. (4.) *Ora*. (5.) *Manca*, alias *Marca*. (6.) *Libra*. (7.) *Scuta*.

(1.) *Denarius*.

Germanis *Pfenning*, Danis *Pending*, Saxonibus modernis *Peninck*, antiquis *Penig*, *Pening*, nobis (posteriorem syllabam emollientibus) *Penny* a pendo, i. e. solvo, ut Martinio in Etymologico placuit, a pecunia, ut aliis Henisch. de Asse, p. 224. Ab hoc tanquam omnium ponderum & mensurarum apud nostrates legalium principio & fundamento, pondera quævis & mensuræ nostræ compositæ perhibentur. Quod (præter ejusdem denarii & pondus & formam) tam e statuto anni 51. Hen. III. quod Assisam panis & cervisiæ vocant, quam e statuto anni 31. Ed. I. quod *Compositio Mensurarum* inscribitur, edifcas licet. " Denarius Angliæ, qui nominatur Sterlingus rotundus sine tonsura, ponderabit 32. grana frumenti in medio spicæ, & 20. denar. faciunt unciam, & 12. unciæ faciunt libram, octo libræ faciunt gallonem vini, & octo gallones vini faciunt bussell London. quæ est octava pars quarterii, &c. „ Hinc (forte) venit (ab hujusmodi sua ponderum & mensurarum gubernatione) quod denarius noster ultra omnes alias numismatum species illud obtinuit *Sterlingi* nomen, & quod in nummis argenteis computetur a denariis. Latinorum enim *regere*, *gubernare* Saxonibus est *steoran*, unde Anglo-nautarum *steer*, *Steerage*, *Steersman* (Saxonibus *steoresman*, & a Jornalensi in versione LL. Æthelredi, par. 2. cap. 4. gubernator dictus) cum quibusdam aliis vocibus navis gubernationem & gubernatorem exprimentibus. Superest etiam idem sensus vocabuli in Curiæ sive Tribunalis appellatione jamdudum apud nos insignis, vulgo *Starre-chamber* dicti, & quidam (Lambard. & Cocus de hac Curia) non mediocriter docti censuerunt, nomen illud a Saxon. *steoran regere* deducentes, idque quod ab illa curia navis Reipublicæ, instar navis a navarcho, regitur; aut quia dictæ curiæ præsidentes, Rex scil. & regni primores, ad clavum quasi assident, navem Reipublicæ consultis suis regentes. Hinc præterea Leges quibus Respublicæ gubernantur, & ad quarum normam Justitia administratur, Saxones *steora* nominarunt, unde *weoruldcundre steore* in Concil. Ænham. c. 31. Doctis. ejusdem Concil. editor *leges seculares* vertit. *Gefadige man tha steore* in Legibus Canuti par. 2. c. 2. Jornalensis reddit, *temperetur in eo justitia*; i. e. (ni fallor) disciplinæ modus Canone vel Lege statutus. Quid autem hæc ad *Sterlingum*, Denarium scilicet? Multum certe. Cum enim denarius iste & pondus suum & formam recipiat a *minet steore*, ut ita dicam, a Lege scil. nummaria & instar Canonis, cæteris apud nos numismatibus saltem argenteis, sicut & ponderibus mensurisque legalibus, fundamentum tribuat compositionis, quid, obsecro, magis congruum, quam quod priorem in *Sterlingo* syllabam inde (a *steore* scil. aut *steoran*) deducamus? cui *ling* veteres adjunxere, quod (inter alias ejusdem in verborum terminatione significationes, de quibus in locis infra (1) citatis; dum aliis vocis solum fit productio) *propaginem*, *progeniem*, *processionem*, *descensum* notat. Hinc Nobilem, Ingenuum. Libertum, ortu, progenie, descensu, *Etheling*, *Friling*, *Frankling*, veteres vocarunt, ut affinium propaginem, *Siblingas*. Hinc etiam Normanni ipsi *Nordalingi* nuncupati, q. filii Aquilonis: & Danos hodie *Esterlingos* vocamus, quasi sobolem Orientis. Nec alio quidem sensu *ling* hic in *Sterlingi* compositione, veteres, ut probabile est, usurparunt, & denario applicarunt, ut qui a primitiva impressionis forma (illa sc. pro denariis cudendis legis præcepto instituta, quam *Standardum* vulgo vocant) procederet, & effigiem ejus (ut fœtus parentis) impressione inde recepta, gestaret; nisi *ling* hic eo sensu accipias atque in *Dearling* *Wearling*, *Fondling*, *Hireling*, *Shaveling*, *Stripling*, *Worldling* *Changeling*, *Suckling*, &c. in quibus omnibus *ling* illius verbi subjectum notat, cui adjungitur, ut Butlero nostro monitum in Grammat. Angl. cap. 3. §. 1. pag. 36. Utcumque parum me movet quorundam objectio, qui de tanta vocis antiquitate, nimirum Saxonica, ancipites, altum de eo in monumentis Saxonicis silentium huic etymo obstare volunt; cum quidem inter vocabula apud nos antiqua, nondum penitus obsoleta, quædam sint, quæ licet ante adventum Normannorum, in monumentis nostris sanæ saltem fidei nusquam, quod sciam, obvia sint, Saxonica tamen originitus esse, alibi (Tractat. de Gavelkynd) sat plane indicatum existimem, qualia, *Gavelkynd*, *Gavelmannus*, *Socmannus*, *Socmanria*, *Socagium*, *Scotale*, cum multis aliis. Præterea demus, vocabulum apud Saxones non extare, vix tamen ante subacti erant a Normannis, quam verbum a nostratibus usurpatum. Eodem enim ævo, nummi *Sterilensis* mentio, scil. apud Orderic. Vitalem Uticensem Cœnobitam, natum anno Domini 1075. qui in Hist. Eccles. lib. 5. sub anno 1082. Rogerium de Monte Gomerici in fundatione Scrobesburiensis Monasterii sic a quodam compellatum refert. " In primis advenientibus Monachis cum cementario, ad jaciendum monasterii fundamentum, ad inchoationem hujusmodi porrigam xv. lib. Sterilensium. „ Nec minus (imo magis) hic appositus locus ille ex eodem authore a Clar. harum Legum editore in sua ad Lectorem præfatione, pag. 154. adductus, *viz.* " Regi (Conquæstori) ut fertur mille & sexaginta libræ Sterilensis monetæ, solidique triginta, & tres oboli, ex justis redditibus Angliæ per singulos dies redduntur, &c. „ Adde his ipsissima ipsius Conquæstoris verba in charta quadam Uticensi monasterio facta, & ab eodem Orderico, pag. 602. exhibita; viz. " Mabilia vero ejusdem Comitis filia, de redditibus suis in Anglia LX. solidos Sterilensium pro decimis suis dedit S. Ebrulfo per singulos an-

---

(1) Spelm. Glossar. verbo *Adelingus*. Seld. Tit. Honor. par. 2. cap. 5. Verstegan. cap. 9. p. 291. Butler. Grammat. Anglic. cap. 3. §. 2. D. Warsii Glossar. verbo *Starlingus*.

annos ad luminaria Ecclesiæ, &c, „ Posteris remansit eadem vox usurpata, siquidem temporibus Guil. II. & Henr. I. eodem Orderico teste, pagg. 768, 786, 788. nec longe postea sub Henrico scil. secundo occurrit iterum, mutata autem appellatione a *Sterilensi* in Sterlinum. Robertus enim de Betuna, advocatus Atrebati, charta sua super eo confecta (in Archiv. Archiep. Cantuar.) ad feudam firmam (ita MS.) concessit Abbati & Conventui S. Salvatoris de Feversham totam terram suam de Messewella, cum omnibus pertinentiis in perpetuum, pro decem libris *Sterlinorum*, Abbate eodem & conventu, compensationis ergo, concessori & suis centum marcas *Sterlinorum* retribuentibus. Tandem, nec longe posthac, ad formam pervenit vocabulum qua nunc vulgo scribitur, *Sterling* scilicet, variata tamen quandoque forma illa in *Esterling*, occasione inde quibusdam tributa, nec paucis iis, nec indoctis, nomen illud quibusdam ab Orientali hinc sita, *Esterlings* vocatis, adscribendi, quos asserunt huc aliquando venientes, artem purgandi argenti, etiam flandi & feriundi, celebrem reddidisse, nomenque suum facto deinceps reliquisse. Cum autem horum Esterlingorum adventum ad Johannis Regis ævum referunt, fidem rei labefactant, cum longe antea (sub ingressu scil. Normannorum, temporibus etiam Guil. II. Henr. I. & Hen. II.) vocabulum istud, forma qua prius, sat plane occurrat. Deinde forma hæc scribendi *Esterlingorum*, cum *E* scil. *sterlingo* præposito, ut verisimile est, Gallicismum (Vid. Merulæ Cosmogr. par. 2. lib. 2. c. 1. Besold. de Natu. popul. cap. 18. verbo *Escarlatte*, Vossii Gloss. verbo *Sunnis* & *Esterling*) sapit. Gallis enim cum Hispanis in more fuit, & est pluribus vocibus Latinis, ut & Anglicis, quibus ab *S* litera initium, *E* præponere, suasque inde facere; quod quidem accidisse *Steringo* nostro nihil mihi verisimilius visum, ubi tandem occasione & cohabitationis & commercii nobiscum in usurpatione vocabuli Galli communicarunt.

Quod ad illud argumenti eorum adminiculum attinet, qui *Esterlingis* illis vocabulum hoc, ut diximus, attribuunt, quod viz. in transmarinis regionibus vox recepta sit, ut e Jure Canonico non semel liqueat, in cap. sc. tertio de Arbitris, & cap. Constitut. 12. de Procurator. hoc verum fateor. Advertendum tamen est, decretales illas Epistolas ad loca spectare, vel nostræ (Regis scil. nostri) tunc temporis subjecta ditioni, ut Lexovium in Normannia, aut commercio nostro, ut vicinitatem taceam, celebria, ut Calais; talia nimirum loca, quorum incolæ, ut in mercibus, sic etiam in vocibus, mutuo saltem commercio (qualis hæc præ aliis) necessariis nobiscum communicarunt. Adde his quod exteri vocem non agnoscunt, sed plane abdicant, ut Anglis propriam: inter alios (præter Polydor. Vergil. Histor. lib. 16. & Covarruvium in veter. collat. numismatum, cap. 2. nu. 12. ubi ex eodem Polydoro Anglicanam indicat) Buchelius Notis ad Bekæ Chronica Ultrajectina, pag. 51. *Sterlingorum moneta* (inquit) *Anglicana est*. Kilianus etiam de variis variarum regionum libris, exponendi ergo verba faciens, *libram Sterlingorum*, Teutonicis *Pond Sterlincks*, Anglicanam indigitat. Quibus concordant Henischius in Tractatu de Asse & partibus ejus, pag. 225. *Sterling* (inquit) *est monetæ commune nomen in Anglia sic dictæ*, &c. & Paulus du Maji Notis ad Innocentii III. Epist. pag. 236. Freherus etiam de Re monetaria, cap. 3. *Sterlingus* (inquit) *in Anglia*, *Scotia* & *Hibernia*. Qua quidem voce sic domum revocata, ad alias numismatum nostrorum species descendamus.

(2) *Solidus*.

Saxonibus *scyll* & *scyllyng*, nobis *c* in *h* mutantibus, *Shilling*, iis ex quinque constabat denariis, nobis autem ex 12, quod satis liquet ex cap. harum LL. 93. ubi illud in LL. Aluredi cap. 40. *Gif in feaxe bith wund ynces lang gesylle ænne scyll. to bote. Gif hit beforan feaxe bith wund ynces lang twegen scyll. to bote*. Sic legitur; " Si in capillis sit vulnus longitudine unius unciæ, v. denar. i. e. uno sol. componatur. Si ante cæsariem sit vulnus, unciam habens longitudinis, duobus Sol. i. e. decem denar. emendetur. „ Et paulo infra: *Auricularis* (*digitus*) ix. sol. constet, unguis 1. sol. i. e. v. denar. quod in Aluredi lege memorata sic se habet: *Gif se litla finger sy ofaslagen thæm sceal to bote nigon scyll. and an scyll. his nægles gif hit sy ofaslagen*. Ulterius patet hoc, & firmatur ex cap. harum LL. 81. ubi Villani *Fletgefeoth*, sive pugnæ in area domus Villani forisfacturam, sive mulctam, legimus esse xxx. denariorum, cum in loco (LL. Inæ cap. 6. & Aluredi cap. 35.) unde hoc plane petitur, hujusmodi mulcta ad sex sol. æstimetur. Hinc illud verum in cap. har. LL. 76. nempe cxx. *sol. qui faciunt hodie sol. quinquaginta*, quinque nimirum denariis ad solidum numeratis: nec minus verum illud in cap. earund. Legum 35. *viginti mancæ, quæ faciunt* L *sol*. Veterum enim viginti mancæ & cxx sol. ut secundum hanc computationem æquiparantur, & sese exæquabant; sic posterorum L sol. simili computatione respondent, talem nempe summam non excedentes. Nec præterea, secundum eandem computationem minus verum illud in memorato 76. cap. viz. *duodecies* C *sol. qui faciunt* (non libras 5. sed ut in Scholiis ad locum lectio corrigitur) *lib*. xxv. quinque nimirum (ut diximus) denariis ad solidum computatis.

(3.) *Thrimsa*.

A threo, quod *tria* sonat, effictum. Est igitur Thrimsa *trium solidorum nummus*. Sic Lambardus. Clar. autem Seldenus, Tit. Honor. edit. 1. p. 204. tertiam solidi Germanici partem vult, *Tremissi* earum respondentem. Cum autem duo Thrimsarum millia, e quibus jure Anglorum Thani capitis æstimatio constat, MCC. solidis respondeant, quibus Mercii Thanum æstimant, ea saltem computatione, qua (quinque denariis in solidum computatis, de quo supra in *solidus*) MCC. solidi faciunt xxv. libras, *Thrimsa*, si monetæ percussæ genus fuerit, mihi videatur esse trium denariorum nummus; in quo tamen non acquiesco, cum in Lege Æthelstani Regis de Weris (Text. Roffens. MS.) sic legam: *Ceorles wergyld is* CC *and* VI *and* LX *thrimsa, that bith twa hund scyllinga be myrcna lage*.

(4.) *Ora*.

Vox a Saxon. *ore*, quod metallum signat, fluens. Vide Bedæ Histor. lib. 1. cap. 1. *Ego* (Lambardum audis in voce) *in vetustissimo Codice legi ex quindecim oris constare libram, cui tamen opinioni haud facile assentior, quippe qui oram ex nomine æream fuisse conjicio, adeoque tanti valuisse non existimo*. Codicem hic a Lambardo laudatum illum puto (aut similem) in Bibliotheca *Regia* apud S. *Jacobum* asservatum, de quo supra in *Husting*, ubi in-

ter alia inde ducta, hæc: *ita quod* xv *oræ libram faciant*, &c. Forſan tamen xv. ibi (ſcriptoris vitio v literam numeralem, lapſu facili formantis ex duplici ı) ſcribitur pro xıı. Per oras enim illic (cum Doctiſ. *Spelmanno* Gloſſar. in voce *Libra*, de oris in libro Angliæ cenſuali, vulgo *Domeſ-day* dicto) uncias intelligo, quarum xıı libram faciunt Sterlingorum, Stat. 51. Hen. III. *Compoſitio Menſurarum* inſcriptum: neque monetæ alicujus percuſſæ genus *oram* unquam ſignificaſſe comperio (quod forte dicendum etiam de *Solido*, *Thrimſa*, *Marca*, *Libra*) ſed ponderis potius, unde ut de Libris, ſic etiam de Oris denariorum crebra mentio in libro illo cenſuali, ut in *Spelmanni* Gloſſar. in voce *Libra* videre eſt. Ora autem, id eſt (ut dixi) uncia, in re nummaria duplex reperitur, major ſcil. & minor, hæc xvı continens argenti denarios, illa (ſicut uncia in ſtatuto *Compoſitio Menſurarum* inſcripto) xx; quarum poſterior in libro illo cenſuali ubique obvia, pluribus inde ductis exemplis ab eodem Spelmanno ubi ſupra, quem vide in verbo *Denarius* & *Eſterlingus*. In Regiſtro Monaſterii Burton. (obſervante Cl. *Camdeno* in Wiltonia) xx Oræ dicuntur valere ıı. argenti Marcas. Hoc, ut verum ſit, per Marcam hic intelligenda Marca temporum poſteriorum, xııı valens argenti ſolidos, & ıv denarios; ut per oram, ora minor, xvı ſcilicet denariorum: hac enim computandi ratione xx Oræ duas faciunt argenti Marcas, viz. xxvı ſolidos, vııı denarios. Orarum mentio fit crebra in Fœdere *Edo.* & *Guth.* Regum, ut & poſtea in Legibus Æthelredi Regis ſupra pag. 103. & in LL. *Presbyteror. Northumb.* ſupra pag. 98, & ſequent. Quales autem Oræ illæ, majores ſcil. an minores (hoc conceſſo quod fuerint tunc ut poſtea duplices) ignarus ipſe a peritioribus inſtrui longe ſum paratiſſimus. *Lora* interim apud *Matth. Pariſ.* Hiſtor. pag. 208. lin. 28. corrige *in ora*: & pro *de viginti lora*, ut ibi, lege *de viginti in ora*, i. e. de viginti denariis in uncia. De *ora* plura vide apud Skenæum Scotum, in ſuo de verbor. ſignific. tractatu in voce.

(5.) *Manca*. *Marca*.

Saxonice *mancus* & *mearc*; forma Latina *mancuſa* & *marca*. Utraque (ut diximus) eadem nummi ſpecies. Dicitur autem *Marca* (inquit Martinius Etymolog. in voce) *quaſi dicas limitata pecuniæ ſummula*. Heniſchius (de Aſſe, pag. 103.) *quod ſit terminus menſuræ ponderum apud aurifices & metallarios*. Alteram ſcil. *Mancuſam* ita dictam lego, quaſi *manu cuſam*. Sic enim Cajus de Antiq. Academ. Cantabr. lib. 2. pag. 209. quod Cl. watſio & aliis (Ludovic. de la Cerda Adverſar. Sacr. cap. 95. nu. 14.) placuit. Derivatio forte nimis generalis, cum ad omnia numiſmata extendat, unde nec cum aliis a *moneta cuſa* derivandam cenſeo. Meliorem tamen non reperio, niſi quis fortaſſe malit a Latin. *Mango*. Unde forte Sax. *mangian*, Teutonicis *mangheren*, i. e. percontari, commercium agere, ut & noſtratium *monger*, veterum autem *manger* pro mercatore: quaſi nummus ſit inter mercatores præcipue currens, eiſque præſertim in computationibus, uſitatior & magis notus, ut Germanos olim per Marcas computaſſe ferunt (Vid. Freher. de Re Monetar. lib. 2. cap. 3.) nummus ſcil. præ aliis negotialis mercatorius. Simpliciter nominatus nummus eſt argenteus, 30 valens denarios, ut Lambardus vult & recte: Ælfrico enim in extremo fine Grammaticæ ſuæ Saxonicæ; " *Libra on leden is pund on engliſc fif penegas gemacigath ænne ſcillinge and* xxx *penega ænne mancs*. Cui in parte convenit quod in Judiciis Civitatis London. apud Jornalenſ. cap. 6. ſic legimus: *Et bos una manca*, i. e. xxx *denar.* & *ovis* v *denar.* (Sax. habet *ſcyll*) *perſolvatur*, cui par eſt, ut addam illud in cap. harum Legum 69. *triginta ſolidi*——*id eſt hodie* v *mancæ*; quinis nimirum denariis ad ſolidum, ſex ſolidis ad mancam computatis, de quo vide plura in *Solidus*. Quid autem cenſendum ſit de *mancuſæ* valore dato per Sprotæum ſive Spotæum Monachum olim Abbat. S. Auguſtini Cantua. a Cajo prædicto laudatum ubi ſupra, cui nummus eſt duorum ſolidor. & ſex denariorum, Lector hinc colligat, cum plane valorem denarii Anglo-Normannici in hujuſmodi computatione ſecutus ſit. Aureæ Marcæ valor, Saxonum ævo, me adhuc latet, Nomannorum autem ex ſequentibus colligendus: " Ebrardus Dapifer Willielmi de Albamari reddit compotum de ıı. Marcis auri, ne ſit amplius Dapifer Willielmi in Theſauro vı lib. pro ı Marca, & debet ı Marcam auri. " Sic in Rot. Mag. Pipæ 1. Hen. 2. Rot. 3. Membr. 1. in tergo. Hinc patet Marcam auri ſex argenti libras, aut circiter valuiſſe, cum in charta quadam Johannis Regis dat. 7. Junii, anno regni ſui primo, Marcam auri decem argenti Marcas valere doceamur: *Capiatur* (Charta loquitur) *una Marca auri vel decem Marcæ argenti ad opus Cancellarii*.

In iſto de Marcis Tractatu, intempeſtivum non erit, ſpero, nec linguæ Saxonicæ ſtudioſis ingratum, de Marcarum numero in quibuſdam LL. Saxonicarum locis a Jornalenſi & aliis male expoſito, pauca annotare. Nonnulli Eruditorum in numerandi ratione *Ordinalem* & *Cardinalem* numerum cum adjecta voce *dimidium* confundunt, Auctoriſque ſenſum, in cujus Editione deſudant, haud adeo feliciter exprimunt, uti jam olim de mala verſione Græcorum numerorum cum adpoſita voce ἥμι conqueſtus eſt Clar. *Caſaubon.* Comment. in Theophr. Charact. p. 193. Error hic calculi ex figuris Numerorum (ıı, vıı, vııı, xx, &c.) quæ æque *Cardinalem* ac *Ordinalem* denotant Numerum, ortus eſt. Longe enim differunt voces *threo healf* (in Numero *Cardinali*) a *thridde healf* (in Numero *Ordinali*); priores *tres dimidiatas* partes, h. e. unum & dimidium; poſteriores *duo & dimidium* ſignificant. In hac enim numerandi ratione latet aliquis Saxoniſmus, ſive Linguæ Saxonicæ idiotiſmus: quippe vox iſta *healf* (i. e. dimidius) in his & ſimilibus ad rem numerariam attinentibus tantum notat deeſſe de præcedente numero, ut ſit plenus. Sic enim numerarunt Anglo-Saxones, (1.) *healf*, id eſt, ut dixi, *dimidius*, (2.) *othre healf*, id eſt, Latine, ſeſqui alter. Vide LL. Inæ Regis c. 65. & Bedæ Hiſtor. Anglo-Saxon. lib. 4. cap. 26. prope finem, item lib. 5. c. 2. & adde, quod cl Epiſcopi, quibus ſynodus Conſtantinopolitana conſiſtebat (Spelmanno referente inter Canones Ælfrici in Concil. Tom. 1. pag. 581. cap. 33.) Saxonice dicuntur *other healf hund biſcopa*. Hinc etiam tempus regiminis Aluredi Regis (de quo in Chronologia Saxonica ſub ann. Domini 901.) ſcil. *othrum healfum læs the* xxx. *wintra* (i. e. anno ſeſquialtero minus xxx. annis) apud Malmeſburienſem Latine exprimitur xxvııı. & *ſemis annis*; & apud Huntindon. *viginti octo annis* & *dimid.* Ut pergam, (3.) Saxonum *thridde healf* Latine valet ıı. & dimid. unde quod in Chronolog. illa Saxon, ſub an. 891. Saxonice legimus: *of thryddan healfre hyde*, Florent. Wigornienſ. ſub an. 892. Latine exhibet *ex duobus coriis & dimidio*. (4.) Deinde Saxonum *feortbe healf* Latine valet ııı. & dimid. unde

ſe-

feorthe healf hundscipe in Chronologia qua supra sub an. 851. apud cæteros Annalium nostrorum Scriptores Latine habetur *trecenæ & quinquaginta naves*. Et sic deinceps per omnes numeros. Hinc quæ in scriptura illa Saxonica in Textu (ut vocatur) Roffensi de opere pontis ibidem a Lambardo in Cantio suo pag. 386. exhibita, Saxonice sequuntur: *thridde healf gyrd*, *fiorthe healf gyrd*, *fyfte healf gyrd*, in Latina Scripturæ illius veteri versione subsequenti sic se habent: II *virgatas & dimid.* III *virgatas & dimid.* IV *& dimid. virgatas*. Hinc etiam tempus regiminis Edmundi Regis, de quo in Chronologia sæpe memorata, sub an. 946. scil. *feofethe healf ger* apud Malmesb. Latine habetur *annis* VI *& semis*; apud Huntindon. VI. *annis & dimid.* Hinc præterea tempus regiminis Edredi Regis, de quo in eapse Chronologia sub ann. 955. scil. *teothe healf ger* apud eundem Malmesb. Latine exprimitur *annis* IX *& dimid.* Alia in promptu sunt exempla; hæc autem ad præsens sufficiant.

Nec tacendum est, eandem numerandi rationem posterioribus Saxonibus, *Germanis* hodiernis mansisse: illi enim *drey halbe theile* multum distinguunt a *dritte halb theile*; prior numerus *Cardinalis* tres dimidiatas partes, posterior *Ordinalis* duas partes cum dimidio significat. Observatur hoc etiam in Speculo Saxonico (Libro, ut summum circiter duodecimum a Christo nato seculum incœpto, & non ante, Gryphiandro de Weichbild Saxon. c. 48. num. 14. teste, conscripto): videre licet, ubi (lib. 2. act. 26.) *quartus dimidius nummus* occurrit. Sed & eadem etiam numerandi ratio apud veteres Ripuarios invaluit, ut pluribus Legum suarum locis comprobatur. E g. *tertii dimidii solidi* fit mentio, tit. 24. *quinti dimidii solidi*, tit. 20. *octavi semisolidi*, tit. 34. §. 3. *octavi dimidii solidi*, tit. 58. §. 9. Quæ nimirum loca a Frid. Lindenbrog. (viro quidem perspicacissimo) in Glossario suo eisdem Legibus addito, animadversa, nullam apud eum invenerunt explicationem. Veruntamen eo quo supra disserebamus modo, intelligenda esse *octavi semisolidi* in dicto tit. 20. memorati (hoc modo computati, viz. VII sol. & VI denar.) proportio quam habet ad præcedentes summas, si perpendatur, sat plane evincet. Sicut enim mulctæ quantitas in primo §. raptorum principi irrogatæ, in secundo §. dimidio minor evadit, sic etiam ut adjutorum vel participum omnium ultra tres mulcta in dicto tertio §. instituta proportionem habeat ad illam in dicto §. primo similibus participibus irrogatam, dimidio minor illa esset necesse est.

Altera hic se offert in re *Mancusæ* animadversio, nec parvi quidem videtur momenti: dabitur itaque venia spero repræsentandi. In Chronolog. Saxonica superius laudata, sub an. 694. hæc occurrunt. *Her Cantware gethingodan with ne and him gesealdon* XXX. *manna forthon the hi ær Mul forbærndon*. Locum hunc & mutilatum & corruptum suspicor; *manna* hic, ni fallor, posito pro *mancus*, *mancos*, vel *mancs*, cui ut præcederet *thusend*, sic etiam subsequeretur *goldes*. Audi enim hac de re Monachum Malmesbur. de Gestis Regum, lib. I. fol. 7. a. *Tentant* (inquit de Cantuaritis loquens) *regium* (Inæ) *animum muneribus, solicitant promissis, nundinantur pacem triginta millibus auri Marcis, ut pretio mollitus bellum solveret*, &c. Concordat Lambard. in Notitia Cantii; pag. 24. Locum igitur sic restituendum censeo. *Here Cantware gethingodan with Ine and him gesealdon* XXX *thusend mancus goldes*, &c. i. e. *Hic Cantuarii pacem inierunt cum Ina, & dederunt ei triginta millia marcarum auri*, &c.

(6.) *Libra*.

Nummaria sc. nomen a pondo cepit, quod Libram, quam a *Trona* (Vid. supra in *Husting*) non a *Troja* Trojanam vocant, hoc est, uncias duodecim olim penderet. Inde etiam Saxonibus *Pund* & Anglis *Pound*. Horum autem argenti libra e XX solidis constabat, solido quovis XII. denarios continente; illorum e XLVIII solidis, quinis, nec ultra, denariis in solidum numeratis, & sic ex CCXL denariis, non CXX, ut Spelman. non semel in voce *Libra* traditum. Quomodo interim hoc conveniat cum harum LL. cap. 76. ubi hæc: *cujus wera est* CC. *sol. qui faciunt quatuor libras?* Hinc enim libram ex L. sol. constare videatur: pariter *Heriotum* (sive Relevatio) in LL. Canuti par. 2. cap. 69. ad duas libras æstimatum, in LL. Guil. I. cap. 24. per centum solidos redditur. Solvat Oedipus: de multiplici autem librarum genere videatur *Spelm.* in voce. Quod ad valorem attinet libræ auri, Saxonum ævo, nihil habeo quod dicam, quia nondum satis exploratum quod habeo. Inter Normannos autem decem aut circiter valebat libras argenti: *Cuppa aurea de pondere decem librarum auri, & valore centum librarum argenti*. Continuat. Matth. Par. p. 73. Hinc autem & ex præmissis in *Manca*, videtur & marcam & libram auri, argenti marcam & libram, ævo quo supra decuplo superasse. Communiter autem auri pondus valet duodecies quantum argentum, Tholosan. Syntag. Juris univers. lib. 28. cap. 13. n. 8. Item lib. 36. cap. 2. num. 12. Vide tamen Brerewoodum nostrum de Ponderibus, cap. 20. ubi proportionem illam duodecuplam perpetuam non fuisse, sed vel pro copia auri aut inopia, vel arbitrio principum, sæpe variatum ostendit. De *Libra* hæc Lambardus habet. Libra his primis temporibus XLVIII solidos valebat argenteos; solidus autem qui est apud nos pars libræ vicesima, denarios per id temporis continebat quinque, nunc duodecim. Atque ita fit, ut libra ex 240 denariis constaret: quemadmodum etiam nunc constat. At tum quidem 240 denarii pondo unum gravitate exæquabant, id quod nunc 720 denarii, vix, aut omnino non assequuntur. Hujus autem rei monimenta certa extant, in denariis argenteis tempestate Æthelredi Regis excusis.

(7.) *Scata*.

Vocabulum a Sax. *sceatta* effictum. Est autem (observante Lambardo) *sceatta ingens argenti summa, quippe quæ argenti quinque millia contineat*. Si verum hoc (in Legibus enim Ethelberti Regis Cantuarior. in Textu Roffensi, ubi crebre occurrit *sceatta*, nummus videtur, solido multo minor; & sunt qui per *sceatta obulum* intelligunt) XXX *sceattas* de quibus in Lege Æthelstani de *werts* ex 15000 libris constabant, quod quidem verisimile. Cum enim Regis weregildum (Regii scil. capitis æstimatio) apud Mercios, Thanorum sex millium *Wergilda* æquivaleret; (Thani autem Wergildum duodecies 1200 solidos, id est, 21 libras, quinque nimirum denariis in solidum computatis, continebat) secundum hanc computationem 30. Scatæ & 6. Millium Thanorum Wergilda sese mutuo exæquabant summam 150000 librarum seorsim faciendo, viginti quinque libris toties multiplicatis eatenus extendentibus. Hactenus de Nu-

misſmatibus Angio-Saxonicis occaſione Mancæ. In viam redeo.

Manerium. Idem eſt, quod *unius feudi circuitus*. Dictio autem derivata videtur a verbo Gallico *manoir* id eſt *manſio* a *manendo* dicta, quia Dominus feudi intra cancellos feudi ſui plerumque manet, atque ædes habet, quæ capitalis manerii domus appellantur. Sic Cowell. noſter in Inſtit. ſuarum Indice verbo *Manerium*, quem vide in Interpr. & Equitem Cocum Inſtit. par. 1. fol. 58. a. 6. Ante Normannorum tempora vox apud nos in chartis ſcil. aut cæteris ſcriptis noſtris, ſanæ ſaltem fidei, fruſtra quæritur. Egfridus (fateor) filius Regis Offæ, donaſſe dicitur Eccleſiæ S. Albani terram quinque Maneriorum ut in vitis Abbatum ibidem per Matth. Pariſium legitur pag. 36. Charta autem ipſa donationis pag. 239. habet terram quinque *Manentium*. Nec in toto Legum antiquarum gentium exterarum codice *Manerii* vocabulum reperitur. A Normannis huc (inter alia ejuſdem farinæ verba) adductum puto, quorum in Anglia præceſſoribus, *Hida*, *Familia*, *Villa*, *Sulinga*, *Caſata*, *Manſura*, *Manens* (ut *Manſus*, *Manſio*, *Manſum*, *Colonica*, & eis & exteris ſimul) idem ſignificarunt, quod ipſis & aliis poſterioris ævi populis *Manerium*. De voce plura apud Cl. Voſſ. in Gloſſ.

Mannitus. Vide *Lindenbrog.* & *Voſſ.* in voce. Saxonibus eodem ſenſu *manian* & *amanian*, i. e. *monere*, *citare*, *interpellare*, *depoſcere*, *in jus vocare*.

Manſio. Quid, vide ſupra in *Manerium*. LL. Henr. I. cap. 80. *Feudo* copulatur, ut paris ſignificatus. De voce autem & (quæ eidem affinia) *Manſus*, *Manſum*, vide *Hotoman.* Dictionar. & *Cujac.* de Feud. lib. 1. tit. 1. 6. Si quis de manſo.

Manupaſtus, LL. Aluredi & Godrini Regum apud Jornalenſ. cap. 5. " Præcipimus, ut omnis homo habeat ſecum tales homines, quos ad rectum poſſit adducere, & nullum a ſe dimittat, qui inculpatus ſit in manupaſto ſuo, donec rectum Jus publicum fecerit ei de omni placito, quod loquetur ſuper eum. „ Vocabulum & Familiam ſonat & famulum domeſticum Domino ſaltem vel Patrifamilias a menſa, iis forte ſimilem, qui in Libro Angliæ cenſuali *Domeſday* vulgo dicto, *Bordarii* vocantur. A Gallorum autem venit *Meſnie* i. e. Familia (hinc Servi illi domeſtici *menial Servants* dicti) & *Paſt* quod a Latino *Paſtus* correptum, Refectio, Cibus (unde noſtratium *Repaſt*) ſignat, aut forſan a *Manus* & *Paſtus*, quia tales cum ſint ſub Manu i. e. poteſtate Domini, paſcuntur ab eo, qui cum a tali poteſtate Dominica liberentur, manumiſſi dicuntur, quaſi a manu miſſi, ad inſtar eorum qui ſui juris facti, *to live at their own hand*, Anglice dicuntur. De *manupaſtu* autem alicujus (ſecundum Bracton. lib. 3. fol. 124. b.) eſt ille, & familia, qui eſt ad victum & ad veſtitum, vel ad victum tantum cum mercede, ſicut ſunt famuli vel ſervientes, & domus mercenarii. Scheda antiqua (in Archivis Archiep. Cantuar.) de Curia Archiep. Cantuar. de Taneto anno 8. Ed. I. *manupaſtus* vocis ita meminit. " Robertus Baker queritur de Johanne Andrew, quod ubi quidam Johannes manupaſtus, ipſius Roberti, die —— recolligebat oves prædicti Johannis facientes damna ſuper blada prædicti Roberti Domini ſui, ibi venit prædictus Johannes & inſultavit dictum Johannem manupaſtum dicti Roberti, & verberavit, & male, &c. „ Plura ſi cupias, conſulas velim Cl. Selden. Jan. Angl. lib. 1. pag. 51. §. 35. Vocem exhibet Orderic. Vitalis, Hiſt. Eccleſ. pag. 553. in Statut. Concil. apud Illambonum celebrati anno Domini 1080. capp. 19. 28. Hinc autem diſcas quomodo lingua vernacula recte exprimenda ſint hæc apud Manwoodum noſtrum in ſuo de LL. foreſtæ tractatu. c. 16. num. 6. fo. 112. a. *erit* (inquit) *culpabilis tanquam de manupaſto*, &c. Anglicam enim ibi verſionem ſic corrigendam arbitror: *he ſhall be culpable as of a thing done by one of his family* (*or under his Charge*) id eſt, *culpabilis erit* (Dominus) *perinde ac ſi id feciſſet famulus ejus domeſticus*, vel alius ipſius curæ & regimini ſuppoſitus, pro quo reſpondere (i. e. rationem reddere) tenetur, juxta illud Britoni noſtri cap. 12. fol. 19. b. *En droit de Clers & de chivallers gentz de religion, & femes volons que cheſcun que meyne tient ſoit reſpoinaunt pur touts ſes meynpaſtes que oueſque luy ſient en chiefs & ceux reſpoybient de lour ſubjetz.*

Manutenere. *Defendere*, *protegere*, *tueri*, ſonat, ac inde *manutenementum* pro patrocinio, vel tutela. Vox autem a Gallico *maintenir*, vel a duobus Latinis *manu* & *tenere* componitur.

Maritatio. Id quod ſponſæ a ſponſo datur. Contra *Maritagium*: id autem D. Watſius in Gloſſar. ad Matth. Pariſ. *matrimonium* vertit. Commodum potius illud videtur, quod Dominus feudi e nuptiis minoris, ut vocant, de ſe per ſervitium militare dictum tenentis conficere poteſt. Vide D. Cowell. Indicem Dictionum ſub fin. Inſtitut.

Mentonalis ſepes. Sepes eſt quæ ad mentum hominis mediocris pertingit. Vide *Lindenbrog.* Gloſſar. in voce.

Mercena Lex. Quid & unde ſic dicta, qui etiam Mirceni; de quibus in cap. Henr. I. LL. 66. vide in voce *Lage*. Adi etiam LL. antiquarum Synopſin per Doctiſ. *Spelm.* in Gloſſar. verb. *Lex Merciorum*.

Miſcravatio. Quid & unde dicta, vide ſupra in *Cravatio*.

Miſericordia. Quid, vide Schol. ad cap. 1. LL. Henr. I. & ad cap. 79. plura autem pete a doctiſſimo Equite verbo *Amerciamentum* (quo nomine Forenſibus noſtris *Miſericordia* hodie nota) & Cowelli Interpr. in utraque voce. In cap. harum LL. primo de forisfactura, i. e. mulcta legimus *in miſericordia totius pecuniæ* forisfacientes i. e. mulctandi, & in charta hic citata, de indicio *in miſericordia pecuniæ*. *Pecuniæ* hic, perſonæ forisfacientes ſive mulctandæ, ut in uno, ſive judicandæ, ut in altero loco, ſubſtantiam, fortunas, bona intelligimus, & ne patiatur in omnium eorum amiſſione caveri conjicimus juxta quod in LL. Edgari Regis c. 2. *And æt nanum botwyrdum gylte ne forwyrce mon mare thonne his were*: i. e. (ſecundum Jornalenſem) *Et de nulla emendabili re forisfaciat homo plus quam weram ſuam.*

Miſevenire. Male evenire, male ſuccedere ſonat a Gall. *mes*, nobis, cum Teutonicis *mis*. In compoſitis idem *eis*, quod *male*, nobis quod *amiſſe*. Hinc noſtratium *Miſhap*, *Miſchance*, *Miſ-fortune*, pro Infortunio. Locum ubi hoc occurrit vocabulum e LL. Canuti par. 2. cap. 50. 53. petitum eſſe, ex Scholiis in locum conſtat, ubi Saxonice habetur *miſtide*; & alicui de *murdro* accuſato, ſeque inde purgare molienti, non autem valenti applicatur. Deficere itaque in purgatione & in *emundatione miſevenire* pro eiſdem haberi puto. Vide Kilian. Etymolog. Beſold. de Natur. popul. cap. 18. & Voſſ. Gloſſ. in voce *Miſpriſere*.

Miſfacere. Eſt *malefacere*, & malefaciendo aliquem lædere, a *mis* (de quo ſupra in *Miſevenire*) & *facere*. Hinc noſtrum *Miſ-doing*, *Miſ-deed*, quod Sax. *miſdæde* i. e. delictum.

Miſ-

Miskenninga. Sæpe præcursorem habet *Mislocutio*. Verba forte sunt *Synonyma* idem significantia, quod quibusdam *Abisbersing* dictum, aliis autem (& rectius) *Mis-hersing*, quasi *Mis-rebearsing*, i. e. errone a locutio vel recitatio. Vid. Term. Jur. nostri verbo *Abisbersing*, D. Cowelli Interpr. in eadem voce, & voce *Mis-bersing* Spelman. Glossar. verbo *Abisbersing*, Stowi Notitiam urbis London. pag. 919. verbo *Miskenning*, Huc pertinet, quod harum Legum cap. 46, sic legitur: *Bonum autem est, ut cum alicujus implacitatio reddatur* (sic enim locum corrigo) *cum emendatione dicendum prædicatur, ut si forte perorator vel supperadjecerit aliquid, vel omiserit, emendare liceat ei*. *Misconning* (ex Libro veteri MS. loquor olim Eccles. Cantuar.) *Mesprise de parole en Curt*. Jornalensis autem sic: *Myskennyng, i. e. variatio loquelæ in Curia*.

Mislocutio. Cap. 22. LL. Henr. I. quid, vide Miskenninga.

Monetagium. Doctor *Watsius* in Gloss. *Matth. Parisio* addito hanc chartam in Historia sua exhibenti *Jus & artificium cudendi monetas vertit*. Tributum potius reor, aut vectigal, id forte aut consimile, de quo in Veteri *Normann. Custumar*. cap, 15. "Monetagium autem est quoddam auxilium pecuniæ in tertio anno Duci Normanniæ persolvendum, ne species monetarum in Normannia decurrentium in alias faciat permutari.——„ Focagium solet nuncupari, quia illi principaliter illud persolvebant qui focalem residentiam obtinebant. Apud nos (ut videtur) plerisque in locis vel hodie manet sub nomine *Smoke-Money*, *Smoke Silver*, & simul Gallis *Fouage*.

Monetarius. Monetæ cusorem sive cuneatorem sonat; nostratibus vulgo *a Coyner*, Saxonibus *mynetere & monetatio* i. e. monetæ cusio nobis *coyning*, Saxonibus *mynet*. Hinc celebri illi cudendi loco in turri Londinensi nomen *mynt*, ut vel ab officio nummularii, vel ab arte cudendi, familiam cognomento *Minters*, nomen etiam suum sumpsisse verisimile est. De Legislatoris autem nostri in monetæ adulteratores gravi animadversione vide Cl. Seld. Jan. Angl. lib. 2. §. 31.

Morgangiva. Dos a marito profecta quasi dicas, *donum matutinum*, quod maritus, dotis nomine, uxori suæ erogat die nuptiarum ante nuptiale convivium. Dotem enim (ut olim de Germanis Tacitus) non uxor marito, sed uxori maritus affert, contra quam Jus cavet Romanum, id etiamnum (inquit Cl. Seldenus Jan. Angl. lib. 1. §. 29. & Glanvill. lib. 7. cap. 1.) Anglis in usu. A Dote autem distinguit Gregor. Turonens. lib. 9. cap. 20. *Tam in dote* (inquit) *quam in Morgengabe h. e. matutinali dono*. Plura cupis: adi Hotoman, de verb. feudalib. in voce *Morganatica*, Lindenbrog. Glossar. verbo *Morgengeba*, Kilian. Dictionar. verbo *Morghen gave*, & Voss. Gloss. verbo *Morgengeba*. Saxonibus hoc dictum *morgan gyfe*. Vide Legg. Canuti par. 2. cap. 71. & Ludovic. de la Cerda Adversar. sacr. cap. 131. nu. 8.

Muffla. Chirotheca Hiberna, quod Germanis & Belgis *Moffe*, Gallis *Moufle*, nobis *Muffe*. Plura quæras apud *Lindenbrog*. & *Vossium* in voce.

Mundbrece. Male apud *Cowellum Mindbruch*: Læsionem Majestatis vertit Jornalensis: violationem pacis Lambardus in versione LL. Aluredi cap. 3. & Edmundi, cap. 6. Sonat etiam (inquit ille) læsæ dignitatis crimen, & hæc forte, & muniminis, protectionis, tutelæ, patrocinii, defensionis, septi, clausi (Saxonum *mund* & *mundbyrde* omnia hæc sonante) violationem, læsionem, fractionem, signat, ut *gemundian* protegere, patrocinari, *mundboran* Patronum, defensorem, advocatum, Teutonicis *Momboor*. In hunc diem Middelsexii nostri prædiorum munimina *Mands* & *Mounds* appellant. Hinc forte ortum forensium nostrorum Breve *quare clausum fregit*, dictum. Vide plura apud Lindenbrog. verbo *Mundiburd*, Hotomanni Dictionar. verbo *Mamburgus* & Voss. in voce *Mundium*. Nec abs re forsan fuerit hic subjungere, quæ de hoc in Textu Roffensi reperi: *In Lege Cantia* (ita MS.) *Ecclesia Christi & Rex & Archiepiscopus habent similem: & æque charum despectum, quod Angli dicunt Mundbrece*. Per despectum hic *Overseunessam* intelligo, ut vox ista posterior Latine datur a Lambardo in Glossario Archaionomiæ suæ, de quo vide hic infra verbo *Overseunessa*. Citati igitur loci talis videtur sensus: *Cantiana lege Forisfacturæ* (i. e, mulctæ) *valor Ecclesiæ Christi, Regi & Archiepiscopo competentis, omnino idem est, vel consimilis*.

Murdrum & Murdritus. Quid murdrum & ab homicidio quomodo differat, vide *Glanvill*. lib. 14. cap. 3. Bracton. lib. 3. cap. 15. num. 1. 2. Cowelli Interpr. in voce. Videatur etiam cap. har. LL. 92. vocabulum in Legibus nostris crebrum, ductum a Sax. *morth*, i. e. cædes, occisio. *Murdrum* autem pessimum mortis genus signat. Matth. Parisius Histor. pag. 283---*Pessimo* (inquit) *mortis genere, quod Angli murdrum appellant*. Ad omnia enim homicidiorum genera significanda vox non trahitur, odiosiora tantum sonat, quæ scil. & occulte & ex præcogitata malitia perperrantur. Decalogi igitur præceptum illud, *Non occides*, Saxonice *ne slea thu*, nimis anguste versum puto in vetustioribus Bibliorum nostrorum translationibus: *Thou shalt do no Murder*. De voce plura per Doctiss. Voss. in Glossar. & supra in Schol. ad cap. LL. Henr. I. 2. & 92.

N

N*Amiare*. Item *Nomium*, *Namium* vocabulum Forense & Legulejis nostris satis notum, licet quodammodo antiquatum utpote ab eis in verbum, nunc dierum usitatius *Distress*, paris significatus (pignoris enim captionem signat) mutatum; a Saxonico *name*, *pignus*, vel *pignoris prebensio*, fluens, ut illud a *nyman capere*, *prebendere*, a Saxonibus ad nos transmissum Galli videntur esse mutuati, apud quos olim (vid. *Orderic. Vital.* Histor. Eccles. an. 1080. pag. 553. cap. 19.) hodieque sæpius usurpatum. Vide *Cowelli* Interpr. verbo *Withernam* & Equitis Smithi Tractat. de Rebusp. Anglic. lib. 3. cap. 10. Ordo sive procedendi modus ratioque in *Namiis* capiendis qualis sit observandus, e LL. Guiliel. I. alias Conquestoris dicti cap. 42. ediscas licet. Cum vero Latina Legis illius versio adhuc in nonnullis imperfecta sit, Lector inter legendum hærens, Legg. Canuti adeat, par. 2. cap. 18. (unde illa Guilielmi Lex desumpta) & se expediat. Cujus gratia, Latinam ipsius Canuti Legis versionem apud Jornalensem ex abundanti exhibendam duxi. "Et nemo namium capiat in Comitatu vel extra Comitatum priusquam ter in Hundredo suo rectum sibi perquisierit. Si tertia vice rectum non habeat, eat quarta vice ad conventum totius Comitatus, quod Anglice dicitur *Scyremotus*, & ipse comitatus ponat ei quartum terminum, quem si fallat, tunc licentiam accipiat

ut abhinc & inde suum audeat rectum perquirere.

Nyman. *Pignerari*, id est, *pignus auferre*, vulgo *to distrein*, Inde *Nam*, *ablatio pignoris*, vulgo *distresse*: atque hinc etiam vulgatissimum illud nostrum *Wythernam*. Verum maximam mihi admirationem movet introducta nominis depravatio, quæ *Wythernam vetitum* (cum potius *iteratum* sonat) *namium* dicit. Est enim apud Saxones *wyther altera*, & *Nam pignoris* (ut dixi) ablatio; atque ita Wythernam *altera* sive *secunda* est *pignoris ablatio*. Accedit eodem verus & germanus vulgaris nostri Wythernam usus. Et enim si quis pecudem pignoratus in aliam abegerit Satrapiam, is pignoribus ablatis coercendus est. His primis temporibus *vade & pignore* caveri solebat, hæc illi *wed and borh*, nos (qui aliquam ejus rei tenemus umbram) *vadios & salvos plegios* vulgo nominamus.

Naufragium. Vocabulum cap. 10. LL. Henr. I. naufragii fructus sonat aut commodum, bona scil. quæ post naufragium, vi ventorum & fluctuum seu æstus marini ad litora devolvuntur. Saxonibus hoc (si chartæ Regis Edgari monachis Remesiensibus factæ apud Clementem Reynerum Apostolat. Benedictin. in Anglia, Append. par. 2. pag. 48. scriptura 41. fides) *Sypbrech*, Belgis hodie *Schip-breke*, Germanis *Schiff-bruch*, quasi navis fractio, vel fractura, uti riparum sive aggerum effracturam per maris inundationem hic *brech*, illic *bracke*, vel hodie vocamus. Normannis hoc *Varech*, forma Latina *verifcum*, nobis hodie, ut & olim, *Wrecke* & *Verec*, Forensium Latinitate *Wreccum*. Hoc autem, ut & Normannorum *Varech*, corrupta puto ex Saxonum *brech* (*b* in *v* & *w*, quæ pro una litera apud Germanos fere habita, mutato. Vide Befold. de Natu. popul. p. 83. *B* & *V* Gothismo confunduntur. Martin. verb. ovis) & quod ad verborum originationes attinet, eo utrumque referendum; prima compositi *sypbrech* amputata syllaba, brevitatis gratia. De re plura apud Lindenbrog. Glossar. in voce.

Noffus. *Capulus* sive *Sarcophagus*, ligneus, de quo plura vide apud Lindenbrog. & Vossium in voce.

Nunna. Pro *Monacha* plerunque, de qua plura vide apud eosdem clariss. viros in voce. Vide etiam *Quercetani* Notas ad Biblioth. Cluniac. p. 148. & *Befold.* de Natu. Popul. c. 18. verbo Nonne.

O

OBedientiarius. Vocabulum Cœnobiticum, Monachum signans, qui aliquod officium ipsi ex mandato Prælati commissum exercet. Plura vide apud *Roverium*, Illustrat. Histor. Monaster. S. Johan. Reomaen. p. 649. n. 201. quem repræsentat Author Antiquit. Civitatis Cantuar. pag. 201. Videatur etiat *Watsii* Glossar. *Matth. Parisio* additum in voce.

Opentheofthe. Furtum apertum, cujusmodi illud, ubi fur ἐπ' αὐτοφώρῳ, in ipso scil. actu furandi, ut cum re furto ablata penes eum inventa *bond habend* aut *bac-berend* deprehenditur. Ab *open apertum* & *thyfth furtum*. Hujusmodi autem furtum (publicum scil.) inemendabile, secus vero furtum privatum, vel clandestinum, quod e contrario emendabile, unde *weregeldtheof*, ut habet Fletæ author, lib. 1. c. 47. sine *wergyldtheof*, ut LL. Inæ cap. 72. Latronem significat, qui pretio redimi potest. De furti autem speciebus, publici scil. & privati, vide plura apud Bracton. fol. 150. b. Sunt qui tradunt Henricum I. suspendium ob furtum primum induxisse. Vide *Spelman*. Glossar. in voce *Felonia*. Falluntur autem, cum satis constet furtum, quod vocant manifestum longe antea videl. a Canuto Rege inter scelera jure humano inexpiabilia, & vitæ dispendio plectenda enumeratum esse. Vide Legg. *Canuti* seculares, c. 61.

Opus. Apud medii ævi Authores, *Feudistas* præsertim, operam plerumque servilem sonat, rusticum sc. vel plebejum. Opera autem servilia eisdem duplicia; ea nempe aut operantis manu sive corpore (*manuale* servitium) quæ *manopera*, aut vecturis; carris sc. & plaustris eorum (carrale servitium) quæ *Carropera* vocarunt peracta. Gallis *corvata Roydæ*. Vide Boer. Decis. 213. Clar. *Spelman*. in voce *Carropera*, & Doctis. *Vossium* in eadem & *Manopera*.

Ordalium. Criminis purgandi modus antiquus, nec pridem obsoletus, sc. per aquam gelidam vel fervidam, aut candens ferrum alias Dei Judicium dictum, de quo justum habe tractatum (inter nostrates) apud Lambardum in voce; *Parkeri*) seu potius *Jocelini*, qui ei ab Epistolis) Antiquitates Britann. in vita Roberti 31. Archiepiscopi; *Versteganum* in Tractatu cui titulus, *Restitution of decay'd Intelligence*, &c. cap. 3. & Spelman. verbo *Judicium Dei*; ut Textum Roffensem taceam, jam demum divulgatum, & Cl. *Seldeni* ad *Eadmer*. Notas, pag. 203. Inter exteros autem apud *Skenæum* de Verb. signifi. verbo *Machamium*; *Hottoman*. Disput. de Feud. cap. 44. Cujac. de Feud. lib. 1. tit. 1. §. Si autem controversia; Codicem LL. antiquarum opere ad calcem *Marculfi* Formulæ ibidem; *Kiliani* Etymolog. verbo *Vier Ordeel* & *Waeter Ordeel*; *Quercetani* Notas ad Biblioth. Cluniac. pag. 156. Lindenbrog. Glossar. verb. *Judicium aquæ*; Vetus *Normanniæ Custumar*. cap. 67. Glossa addita Gallica & Latina; Dempster. de Juramento, cap. 18. & Wormii Monum. Danica, lib. 1. cap. 11. *Pichocum* in Glossar. ad Cap. Caroli M. & *Juretum* in Observ. ad Ivo. Epist. pluresque alios. Quod ad vocis originationem attinet puram putam Anglo-Saxonicam existimo, nec aliunde quærendam, cum in toto LL. antiquarum gentium exterarum codice (ubi istiusmodi criminum explorandorum genus, cum variis ejus speciebus ritibusque, satis obvium) nisi semel, alibi autem ne semel quidem, quod sciam, occurrat, in Lege scil. Bajoarior. inter decreta Tassilanes §. 9. ubi *Urtella* nuncupatur. Quamvis enim apud Teutonicos modernos (ut ex eorum liquet Lexicis) vox illa reperiatur, hic *Dordeel* illic *Artheyl*, pro varia gentium Germanicarum dialecto scripta, id tamen nostratium imitatione factum puto, talem sceleris investigandi modum, quem habebant nobiscum communem, ita appellare solitorum. Vocabulum autem illud latiorem tandem accepit significationem, ad judicium enim in genere, id postea extenderunt; atque ex eo alia fabricarunt, ut *Dordeeler* & *Artheyler* Judex; *Dordeelen* & *Artheylen* judicare, & id genus alia: A Saxonibus, interim plane recedentes, quibus licet *Ordale* in criminibus quibusdam explorandis Judicium valeat, & de reatu vel innocentia partis accusatæ decisorium esset, (unde forte sumpta verbi ampl tan, di a Teutonicis occasio) Judicium tamen apud eos generatim neque signavit, nec ex eo aliæ voces, Teutonicorum more derivatæ, in scriptis ipsorum reperiuntur; iidem enim Anglo Saxones, uti etiam veteres Dani (Wormii Literat. Runic. pag. 152.) sive de Judicio

sive

ſive de examine generatim agentes, alio in eam rem uſi ſunt vocabulo, *dom* ſcil. quod a *demian* fluens, judicare ſententiam dicere ſonat; atque hinc inter alias voces Anglo-Saxonicas inde derivatas *deman Judex*; *domboc* al *dombec*, *Liber Judicialis*; *dom erne*, *Forum Judiciarium*; *dom-ſetle*, *Tribunal*; *domes dæg*, *Dies Judicii*, & id genus aliæ in ſcriptis ipſorum paſſim obviæ. *Ordalei* autem vocem nomenque ad ea ſolummodo judiciorum ſive examinum genera applicarunt, quæ in cauſis criminalibus, non item civilibus ſcil. in criminibus inveſtigandis, nec tamen omnibus, ſed duntaxat atrocioribus, & inter ea ſolum eis quæ claris perſpicuiſque probationibus indigebant, eis denique in quibus accuſato ob fidem ejus labefactatam, purgatio canonica ſuo ipſius & conjuratorum juramentis interdicta erant in uſu. Vide Antiquit. Britan. in vita Roberti 31. Archiepiſcopi; item Canuti Conſtitut. de Foreſta apud Spelm. in voce Foreſta, cap. 11. Si quis enim criminis ſuſpectus vel ſuo teſtimonio vel teſtibus, aliiſve claris & perſpicuis probationibus convinci poterat, aut adeo erat fide dignus ut ad purgationem canonicam jure eſſet admittendus, qui Saxonibus *athworth* haud ullus eo caſu *Ordalei* uſus; eis autem deficientibus, & quovis alio veritatis indagandæ modo ordinario, ad *Ordaleum* recurrebatur; minime tamen priuſquam accuſatus de innocentia ſua ſolenniter juraſſet LL. Æthelſtani cap. 23. quo quidem juramento ſic præſtito, ac conſequenter re jam magis dubia facta, ne diutius laboraret ſub lance dubia, ſed ut omnis in ea parte dubitationis occaſio auferretur, ſuſpectum ad *Ordalium* tanquam ad Lapidem Lydium adigebant, ut ſic Judicio Dei (Ordalio ab eis ſic dicto) rei veritas eluceſceret. In iſtiuſmodi enim olim examinibus adeo magna erat fiducia, & ne vel in minimo de rectitudine eorum ambigerent aut diſputarent, ſed de reatu vel innocentia accuſati, pro examinis exitu, abſque omni hæſitatione cenſerent & pronunciarent. Unde illud Concil. Rhemen. cap. 11. pag. 19. *Hæc ſi quiſquam veſtrum aliter eſſe putat, meque indignum cui credatur, credat igni, ferventi aquæ, candenti ferro; faciant fidem tormenta, quibus non ſufficiunt mea verba*. Nec mirum, cum, ut diximus, Dei ipſius Judicium *Ordalium* hoc & nominarent & reputarent. Judicium autem Dei rectum, verum, juſtum, æquum, certum, nec errori aut perſonarum acceptioni (ut humanum) obnoxium, quod etiam olim hoc examine uſis plene perſuaſum: unde illud in formula conjurationis ferri & aquæ in LL. antiquar. Codice, pag. 1302. " Deus Judex juſtus, fortis & patiens, qui es author & amator juſtitiæ, qui judicas æquitatem, judicas, Domine, quod juſtum eſt, quia recta tua judicia ſunt; &c. „ & id genus alia. Hinc autem venit, quod judicium ſive examen hujuſmodi, ut nomen rei conveniat, *Ordale* vocarunt, Latine *Ordaleum*, vocabulo compoſito ab *or*, quod Saxonibus & negationis & privationis particula (unde eis *ormod amens*, *orrcente impunis*,, *orgild inſolutus*, *orgorb incurioſus*, *orwennyſſe deſperatio*, *ortrywig perfidus*, *ormæte immenſus*, *orceapunga gratuito*, &c.) & *dale* quod, quomodo & *todale* & *gevale* (ex trito hic ut in ſimilibus compoſitis fieri ſolet *ge* & *to*. Vid. Tractat. de Gavelkynd, c. 1.) diſtinctionem ſive differentiam ſignat, quaſi dicas *ſine differentia*, ſemota ſcil. partium, i. e. perſonarum diſtinctione vel acceptione, qua judicium humanum nonnunquam redditur iniquum, atque minus juſtum: & ſic *Ordale*, quaſi Judicium æquum, juſtum, indifferens, neutri partium plus juſto favens, ſed veritatem oſtendens.

Hæc mihi dictabam cum in hujus decantatiſſimæ vocis enodatione aliquandiu hæſiſſem. *Ordaleum* autem aut *ſimplex* reperitur aut *triplex*. De utroque vide Spelman. in voce *Lada*.

Modum hunc purgationis obſoletum dixi; reviraſcit tamen hodie, quaſi poſtliminio idem mos ex quadam parte, examen ſcil. per aquam gelidam, etiamſi plane barbarum, & qua tale cum cæteris olim nec immerito damnatum, in veneficii ſcil. ſuſpectorum vel ſuſpectarum potius (cum mulieribus magis adhæreat) vulgari apud nos examine, quas manibus pedibuſque vinctas de facto in aquam projiciunt, de reatu vel innocentia ipſarum judicantes, prout eas vel ſupernatare (veluti ab aqua, ut volunt protinus rejectas) vel ſidere compertum fuerit; has emerſas ſontes, illas ſubmerſas inſontes habentes & pronunciantes. Tam iniquum, & tum meo quidem judicio pernicioſi exempli inſtitutum, cum nullo omnino jure divino, aut quod ſaltem hodie viget apud nos, humano ſubnixum ſit, ſilentio occaſione hic oblata ſine nota præterire non potui, nec opinor debui.

Lambardus hæc de *Ordalio* habet: " *Ordalium*, Saxonice *Ordæl*; dictio ab *or* & *dæl* compoſita. *Or* privativum eſt, quemadmodum apud Græcos α, apud Latinos *in*, ut in dictione Græca ἀβλαβής, Latina *innoxius*, videre licet: *dæl* partem ſonat, atque hoc modo *Ordæl* (ut verbum verbo reddam) expers eſt, id eſt, criminis expers. Erat etenim *Ordæl* criminis purgandi modus, cujus duo fuerunt genera, alterum ignis, alterum aquæ Ordalium dicebatur. Igneum illud ſolitum eſt hoc modo perfici: Reus autem perpaucul is paſſibus incedens, ferrum nuda manu candens ferebat, aut nudo currens pede, ſuper ignitos quoſdam gradiebatur vomeres. Ferrum illud unius erat interdum libræ, quod illi *ſimplex Ordalium*, pondo interdum tria, atque hoc illi *triplex Ordalium* appellabant. Eum illi inſontem (incolumis ſi forte evaſerat) pronunciabant; ſin igne peruſtum deprehenderent, damnabant criminis. *Aquarii* itidem duo fuerunt *Ordalii* genera: Aquæ nimirum frigidæ, & ferventis. Aut enim in aquam gelidam accuſatus immiſſus eſt totus, atque tum (ut eorum ferebat opinio vehemens) criminis purus in fundo reſidebat, ſceleris vero conſcium aqua protinus a ſe rejiciebat: Aut in aquam denique ebullientem manum cubito tenus immergebant, atque de reo & innocenti (quemadmodum a nobis ſuperius dictum eſt) decernebant. Viris tantummodo nobilibus atque ingenuis ignei illius Ordalii quæſtione facta eſt ſeſe purgandi poteſtas: Ruſtici vero & pagani in aqueum detruſi ſunt Ordalium. Operæ pretium erit, ad divulgandam illorum temporum barbaram & pleriſque inauditam (ſuperſtitionem dicam, an immanitatem?) aliquam ejus rei formulam, quam vel ad tempora Joannis Regis Angliæ ſtetiſſe deprehendi, ex vetuſtiſſimo codice excerptam ſcribere.

Hic incipit ordo Judicii, quo rei aut innoxii probantur ferro candenti. Poſt accuſationem legitime factam, & triduum in jejuniis & oratione conſumptum, Sacerdos veſtibus ſacris præter caſulam indutus, ferrum ante altare poſitum forcipe accipiat, & hymnum trium puerorum, videlicet, *Benedicite opera omnia*, decantans, ad ignem deferat, & dicat hanc orationem ſuper locum ubi fiet ignis ad faciendum judicium: *Benedic, Domine Deus, locum iſtum, ut ſit nobis in eo ſanitas, ſanctitas, caſtitas, virtus, & victoria, & ſanctimonia, humilitas, bonitas, lenitas, & plenitudo legis, & obedientia Deo Patri,*

tri, & Filio, & Spiritui Sancto, hæc benedictio ſit ſuper hunc locum, & ſuper omnes inhabitantes in eo.

Benedictio ſuper ignem.

" Domine Deus, Pater omnipotens, lumen indeficiens, exaudi nos, quia tu es conditor omnium luminum. Benedic, Domine, hoc lumen quod ante ſanctificatum eſt, qui illuminaſti omnem hominem vel mundum, ut ab eo lumine accendamur igne claritatis tuæ: Et ſicut igne illuminaſti Moyſem, ita nunc illumina corda noſtra & ſenſus noſtros, ut ad vitam æternam mereamur pervenire, per Chriſtum, &c. *Qua finita dicat* Pater noſter, &c. Salvum fac ſervum, &c. Mitte ei auxilium Deus, &c. De Syon tuere eum, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiſcum, &c. „

Oratio.

" Benedic, Domine ſancte Pater, omnipotens Deus, per invocationem ſanctiſſimi nominis tui, & per adventum Filii tui, atque per donum Spiritus Paracleti, ad manifeſtandum verum judicium tuum hoc genus metalli. ut ſit ſanctificatum, ut omni dæmonum falſitate procul remota, veritas veri judicii tui fidelibus tuis manifeſta fiat, per eundem Dominum, &c. *Poſt hoc ferrum in ignem mittatur, & aſpergatur aqua benedicta, & dum calefcit Miſſam celebret. Cum vero Sacerdos Euchariſtiam ſumpſerit, hominem probandum (ſicut infra ſcriptum eſt) adjuret, atque communicare faciat.*

Officium Miſſæ.

" Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum, &c.

Oratio.

" Abſolve quæſumus, Domine, tui delicta famuli, ut a peccatorum ſuorum nexibus, quæ pro ſua fragilitate contraxit, tua benignitate liberetur. Et in hoc judicio quoad meruit juſtitia tua præveniente, ad veritatis cenſuram pervenire mereatur, per Chriſtum Dominum, &c. In illo tempore; cum egreſſus eſſet Jeſus, in via præcurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens, Magiſter, boni quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Jeſus autem dixit ei, Quid me dicis bonum, &c.

Deinde Secreta, &c.

" *Antequam vero communicetur, interroget eum Sacerdos cum adjuratione ſic.* Adjuro te per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per veram Chriſtianitatem quam ſuſcepiſti, & per ſanctas reliquias quæ in iſta Eccleſia ſunt, & per baptiſmum quo te Sacerdos regeneravit, ut non præſumas ullo modo communicare, neque accedere ad altare, ſi hoc feciſti aut conſenſiſti, &c. *Hic communicet Sacerdos illum, & dicat*, Corpus hoc, & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ad probationem hodie. *Oratio*. Perceptis, Domine Deus noſter, ſacris muneribus, ſupplices deprecamur, ut huius participatio ſacramenti a propriis nos reatibus expediat, & in famulo tuo veritatis ſententiam declaret, &c. *Deinde* Kyrieleſon, *& Letania, & Pſalmi, & tum Oremus*. Deus, qui per ignem ſigna magna oſtendens, Abraham puerum tuum de incendio Chaldæorum, quibuſdam pereuntibus eruiſti, Deus qui rubum ardere ante conſpectum Moyſis, & minime comburi permiſiſti; Deus qui incendio fornacis Chaldaicis pleriſque ſuccenſis, tres pueros tuos illæſos eduxiſti: Deus qui incendio ignis populum Sodomæ involvens, Loth famulum tuum cum ſuis ſalute donaſti; Deus qui in adventu Sancti Spiritus tui illuſtratione ignis fideles tuos ab infidelibus decreviſti; oſtende nobis in hoc pravitatis noſtræ examine virtutem ejuſdem Spiritus, &c. & per ignis hujus fervorem diſcernere fideles & infideles, ut a tactu ejus, cujus inquiſitio agitur, conſcius exhorreſcat, & manus ejus comburatur, innocens vero penitus illæſus permaneat, &c. Deus, cujus notitiam nulla unquam ſecreta effugiunt, fidei noſtræ tua bonitate reſponde, & præſta ut quiſquis purgandi ſe gratia hoc ignitum tulerit ferrum, vel abſolvatur innocens, vel rei noxius detegatur, &c. *Deinde Sacerdos ſuper ferrum aquam benedictam ſpargat, & dicat*. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper hoc ferrum, ad diſcernendum rectum judicium Dei. *Et mox accuſatus ad novem pedum menſuram ferrum perferat. Hujus denique manus ſub ſigillo triduum tegatur, & ſi ſanies crudeſcens in veſtigio ferri reperiatur, culpabilis ducatur: Sin autem mundus extiterit, laus Deo referatur.*

Quando quidem ex eodem fonte fluant (Amice lector) quæ de aqueo traduntur Ordalio, ſatis ſupero, hac de re dixiſſe videor; nunc igitur ad id quod propoſitum erat revocetur oratio.

Owerſcuneſſe. Overſeuneſſa. Forisfacturam i, e. mulctam ſonat: Hæc enim in cap. harum LL. 24. *Nemo enim forisfacturam ſui ipſius habuit*, & poſtea cap. 36. ſic leguntur. *Nemo enim Overſeuneſſam ſui ipſius habet*. Quid autem ſit *Forisfactura* & quotuplex vide Doctiſ. Spelman. Gloſſar. in voce & verbo *Emenda*. Gravior autem fuit aut levior, pro ejus gradu ſive qualitate cui competebat. De quo vide cap. 35. 87. LL. Henr. I. Gryphiandr, etiam de Weichbild. Saxon. cap. 58. nu. 22. *Superadditionem* vero vocabulum (quo Sax. *oferhyrneſſe* in LL. Æthelſtani MS. cap. 10. Latine verſum deprehendit Clar. Spelman. Gloſſar. verbo Gemotum) juxta Saxonicum corrigendo, legit *ſuperauditionem*, Lambardus *contumaciæ pœnam* vertit, & congrue. Saxonum enim *oferhyrnyſſe* ut & eorum *oferſewennyſſe alias forſewennyſſe* haud aliud ſignat, ex contumacia ſcil. vel ſuperbia obedientiæ debitæ detrectationem, ab eo qui Legem audire, juri ſcil. parere, recuſat, & ſic non tam proprie *forisfacturam*, quam Legis contemptum forisfacturam inducentem ſignificare videatur. Normannis hoc, *ſurſiſe*, forma latina *ſuperſiſio*, nam *cyninges oferhyrnyſſe* in LL. Canuti ſecularibus cap. 26. a Guiliel. primo poſtea recenſito, lege ſcil. 48. ſupra pag. 169. *la ſurſiſe le Rei* redditur. *Superſiſioni* autem reſpondet etiam Saxonum *forſitte* in LL. Inæ. cap. 52. & in LL. Canuti par. 2. cap. 30. quod Jornalenſi *ſuperſederit forſittan* autem, ut & *forſewen* deſpicere ſonat (vid. Chronolog. Saxon. ſub. an. 975.) *ut forſewennyſſe* deſpectio. Pſalm. Sax. 122. ℣. 4. 5. Hinc *overſeuneſſa deſpectus* Latine exprimitur.

P

PArcus. Saxonibus *deorfald* de quo vide *Spelman.* verbo *Falda*. Parcus autem, (inquit Doct. Cowell. in dictionum Indice ſub finem Inſtit.) *eſt locus ad ferarum cuſtodiam palis aut aliter circumſeptus*. Parcus autem & illud quod *Parocum* nuncupamus Anglice *Paroc*, ut & Gallor. *Parc* ejuſdem (ni fallor) ſunt proſapiæ, omnia nempe a Sax. *pearruc* fluentia, quod ſaltum vertit Chronolog. Saxonicæ eruditus Editor pag. 550. extrema. Florentius autem Wigornienſis ſub anno 915. impreſſus *Sepum* pro *Septum* forte, quod inter alias vocis acceptiones, idem ſonat quod Anglice *Parke*, Teutonicis *Parck* vivarium ſc. cervinum. quibuſdam Therio-

tro-

trophium. Vivaria hæcce *proprie apud Anglos* (inquit Polydor. Vergil. in vita Henr. I.) Roboraria, ficuti antiqui dixerunt, nominari possunt, quod ejusmodi loca roboreis sudibus fere ubique circumdentur. Plura infra in *Pundbreche*.

Perdingus, al. *Ferdingus*. Homo (forte) pertenuis & famæ & fortunæ, cum inter villanos & Cotsetos, cæterasque generatim viles & inopes personas, a judicantium consortio trusos, locum hic capessat.

Pertinentia. LL. Henr. I. c. 88. (ni fallor) cognationem signat, statum scil. ejusdem propinquiorem aut remotiorem inter occisum & parentes ejus, quibus pars vindictæ mortis in solamen (forte) cognati amissi jure competebat. Vide locum.

Placitum. Vocabulum etiamsi barbarum, domi tamen & foris satis notum, disceptationem sive litigationem judicialem sonat, ut placitare idem est quod in judicio litigare, contendere, causas agere: unde Gallor. *plaid* & *plaider*. Ad tribunal ipsum verbum se extendit, unde Curiarum celeberrimarum in aula nostra, Westmonasteriensi una *Communium Placitorum*, altera *Placitorum Regis*, coronæ scil. nomen obtinuit. Plura si placet vide apud Lindenbrog. Hotoman. Cowell. Vossium, alios. *Placitum respectare* capp. 29. 33. quid, vide *Respectare*. *Placitum frangere* cap. 16. quid, vide *Fractum placitum*.

Plegium. *Vadimonium*, fidejussio, de quo plura apud Doctis. Spelman. verbo *Leta* & Doct. *Watsium* in voce.

Plegius. Alias *Plegians*. Vas scil. vel fidejussor, is qui pro altero cavet, vel fidejuber a *Plegiare* veniens cap. 43. quod fidejubere signat. Qui *Plegius* hic dictus Saxonibus ut & Scotis (Skæneus de verb. signific. in voce *Borgh*) *borh*, *borgh*, de quo vide Doctis. *Spelm.* Glossar. verbo *Borsholder* & *Friborgus*. Adeas etiam Vetus *Normann. Custumar.* cap. 60. & Vossii Glossar. in voce.

Prælatus. Ad viros in Ecclesiastica dignitate constitutos, vox hodie saltem apud vulgus restringitur; quibus tamen non est sua natura magis propria quam Secularibus pari honore ornatis, cum nihil aliud quam Præfectum verbum sonet. Prælatos tamen Ecclesiasticos sive sacros distinctionis gratia, quandoque *Prælatos Christianitatis* vocarunt majores nostri, de quo plura supra verb. *Christianitatis jura*.

Pretium Nativitatis. Genealogiæ precium ut in Lib. Eliens. MS. a Clar. Seldeno laudato. Tit. Honor. cap. 5. pag. 633. *Wergildum* sonat, quod vide.

Pundbrece. Quid sit explicatum habes ipso quo occurrit loco i. e. *infractura parci*, cap. 40. LL. Henr. I. Peribolum enim quod nunc dierum *Pund* & *Pound* (a veterum *Pin*. i. e. septum, unde locus quo nociva animalia carceri mancipantur nobis hodie *a Pinfold*) olim aut a Gallor. *Parc*. aut a Sax. *wearruc Parcum* vocabamus, verbum apud *Bractonum* crebre obvium, ut & apud *Fletam*, atque eopse sensu in Registro etiam (Forensium nostratium libro sic dicto) de Brevi legimus *Parco-fracto* inscripto quod Domino competit, in aliquem clausum suum vi rumpentem, & bestias ibidem ob damnum alicui in terra sua datum, inclusas, inde abducentem vel abigentem. De quo vide etiam Fitzherberti Naturam Brevium fol. 100. Tale clausum *parcum publicum* vocat Cowellus noster Indice Dictio. Institutis addito, & " est (inquit area in quolibet feudo seu manerio circumsepta, in qua animalia damnum frugibus vel fructibus terræ quibuscunque facientia includuntur, donec de damno per Dominum satisfiat, aut saltem cautio apud Vicecomitem per Dominum interponatur de stando juri. Vide *Parcus*.

Q

Quæstio. Vide Schol. in ca. 20. & 80. LL. Henr. I. & plura infra in voce *Socna* quo capitum priore vox explicatur.

R

Recordatio. Idem forte quod alias *Recordum* Forenses appellant. Actum Curiæ sonat adeo authenticum, ut probationem contrarii non admittat. Hoc autem talis Curiæ sive Tribunalis actum esse debet, quam curiam de *Recordo* nominant cujusmodi sunt Regia illa tribunalia apud Westmonasterium & alia quædam a Doct. Cowello in interprete memorata. Videatur etiam Dn. Edo. Coci Instit. par. 1. fo. 117. & 168. His adde quæ supra de *Husting* dicta sunt.

Rectitudines. Sic Latine reddunt Saxonum *geribta*, quandoque tamen *consuetudines*, quo jure alicui consuetudine competentia intelligunt. De quibus plura supra in voce *Consuetudines*.

Rectum. Apud Juris nostri peritos causam proprietatis signat, quibus etiam *Breve*, quod vocant, *de recto* est vocatio alicujus in Jus super causa proprietatis de quo vide plura apud Cowellum nostrum in Interprete in voce *Recto*.

Redditio Judicii, *Implacitationis*, *Manerii*, *Murdri*. In omnibus hisce vocibus *Redditio* ni fallor, disceptationem, dissertationem, ratiocinationem, argutationem, aut hujusmodi quid notat.

Redimere terram. Quod posterioris ævi viri *Relevationem terræ* eorum præcessores *Redemptionem terræ* nuncuparunt. Charta (In Archivis Ecclesi. Cantuar. unde transcrip. in Append. ad Tract. Cl. Somn. de Gavelkynd Scriptura prima) Arnulphi Prioris Eccles. Cantuar. sub Anselmo Archiepiscopo circa Henrici Primi ævum, hujus ita meminit *Calvello autem mortuo, pro redemptione quam hæredes facere solent, hæredes sui xx. sol. dabunt*. Vide Tract. de Gavelkind, in Appendice Scriptura prima. Plura etiam hic infra verbo *Relevatio* terræ.

Refare. Spoliare, devestire, privare sonat. Unde nostratium *tiffing*, *toding* (Piratarum ars) *tobbing tadening*, *tadifhing*, *beteading*, & similia plura fluunt; omnia originitus forte a Latin. *Rapio* & *Rapina*, quomodo etiam inter aves rapaces, corvi nomen *Raden*.

Relevatio terræ. Alias *Relevium*. *Relevamen*. Quid autem sit, & unde sic dicta vide Hotoman. Diction. verbo *Relevium*. Cowelli Institut. lib. 2. tit. 3. §. §. 17. 19. & qui longe ante has Bracton. de acquirendo rerum Dominio cap. 36. Saxonibus hoc (ut ex cap. citat 14. repetitionem sapiente LL. Canuti par. 2. cap. 69. plane constat) *heregeate*: De quo pluribus egimus supra verb. *Hereotum*. vide Doctis. Spelm. in cod. *Glanvill*. lib. 9. c. 4. Cl. Seldeni Notas ad Eadmer. pag. 154. Sunt autem qui *Relevium* & *Heriettum* diversa censent inter hos Bracton. ubi supra extremo capite, quem sequuntur Fleta lib. 3. cap. 18. Britton. cap. 69. & Spelm. ubi supra, quem vide.

Res-

Reſpectare. Prorogare, prolongare, ampliare, differre. Inde

Reſpectatio. Ut & *Reſpectus* dilationem, prolongationem, ampliationem ſonat, vulgo & nobis & Gallis hodie *Reſpit* vide *Contramandatio*.

Rieſtacum. Roberiam ſignat, quam vide.

Rim æwda manna, *Conſacramentales*. Unde dicti & quinam fuerint vide Notas ſupra ad pag. 8.

Roberia, Eſt bonorum alicujus ex ipſius manu vel ipſo ſaltem præſente & invito, ſublatio, Cowell. Inſtit. lib. 4. tit. 18. §. 25. Inter hanc & *Furtum* diſtinguit *Skenæus*, de verb. ſignific. in voce *Reif*, quem vide. Quod autem Normannis & nobis *Roberia*, Saxonibus fuit *reaflac* (unde Latino-barbarorum *Rieſtacum*) ſic enim vocem vertit Jornalenſis in ſua LL. Inæ cap. 10. & LL. Canuti par. 2. cap. 60. e Saxonico in Latinum translatione. Lambardus autem *Rapinam*. Plura vide apud Voſſ. verbo Raubare.

Romefeoh. Alias *Denarius S. Petri*. Quid autem ſit, & unde dictum vide Cowelli interpretem verbo *Peter-pence*. Doctiſ. *Spelman.* Concil. pag. 230, 311, 312. ubi denarium iſtum eleemoſynam, non autem, quod Romaniſtis ſuggeſtum, vectigal vel tributum recte dicendum docet. Occiduorum Saxonum Rex olim Ina Romam religionis ergo pergens, circiter annum ſalutis humanæ 720. denarium domeſticatim pendendum Papæ conceſſit. Atque hinc eſt, quod illud vectigal alio interdum nomine *Rompenig* dicebatur.

S

SAca, alias *Sacha*, alias *Sacna*. Libertatem ſive poteſtatem ſignificat alicui a Domino Rege conceſſam, cauſas & querelas tractandi, ſive cognoſcendi, audiendi ſcil. & judicandi forisfacturas ſive mulctas exinde proventuras capiendo intra *Socam* vel Dominium ejus. Jornalenſis *Saka* Jurisdictio Curiæ eſt. Mala interim me judice & a vocis ſenſu valde aliena, ſaltem nimis anguſta, oppoſitio ipſius vulgo nunc recepta in LL. Edo. Confeſſ. adſcriptis cap. 22. Sacha eſt, quod ſi quilibet aliquem nominatim de aliquo calumniatus fuerit, & ille negaverit, forisfactura probationis vel negationis, ſi evenerit, ſua erit, cum commodum amerciamentum, ut vocant, ſpecies tantum ſit una talis privilegii. Multo rectius ni fallor Clemens Regnerus in onomaſtico Apoſtolatui Benedictinor. in Anglia præfixo; *Sacca vel Saccha*, inquit, *eſt regale privilegium, quo quis gaudet in ſuo manerio circa placita, & correctiones delinquentium*. *Saca* enim fluit a Saxon. *ſac*. Germ. *Sache* i. e. cauſa, lis, diſſenſio, accuſatio, unde *geſacen* accuſator. Hiſtor. Bedæ Anglo Sax. pag. 444, *unbeſacen* in LL. *Canuti* ſecularib. cap. 70. 1. *ſine controverſia*, ut Lambard. *ſine querela*, ut in har. LL. cap. 14. Jornalenſis vocem reddit.

Sagemannus. *Accuſatorem* forte ſonat, atque perinde ac ſi termini eſſent convertibiles, accuſatorem hic a calce ſequitur: *ſine alio accuſatore vel ſagemanno*, quaſi diceret Legislator, *ſine alio accuſatore*, *quem ſagemannum* vocant, niſi *teſtem* malis ut in Evangel. Saxon. Matth. cap. xxvi. ℣. 21. *ſage* habemus pro teſte, ut antea. ℣. 59. *leaſe ſage*, pro *teſte falſo*. Ex eodem forte fonte id quod poſteris *ſaccabor*, *ſaccabere*, *ſaccaburth*, &c. dictum, quo *Sacam* i. e. querelam vel accuſationem, gerentem i. e. intentantem, partem ſcil. quiritantem (ut illam forte quæ damnum paſſa) intelligo. Vid. *Bracton.* lib. 3. Tract. 2. cap. 35. In quodam exemplari legitur *Sakemanno*. *Sagman* quibuſdam a *Taleſ-man* quomodo apud Lambard. in Dictionar. Saxon.

Saiſiare. Unde *Saiſiatus* ſæpe occurrit. Hæc ut & Forenſium noſtrorum *Seiſina* a Gallico fluunt *ſaiſir*, id eſt, prehendere, poſſeſſionem capere, & ſimil. Plura videas in Doct. Watſii Gloſſar. ad Matth. Pariſium verb. *Saiſire* & *Seiſina*, & apud Voſſ. in vocib. conſimil.

Scire. Quid, unde ſic dicta & a quo & quando Anglia noſtra primum in Sciras partita vide ſupra in voce *Centuria*, *Spelm.* verb. *Borsholder* & *Comitatus* & *Cowell.* verbo *Shire* ubi ad Aluredum Regem hoc referunt inſtitutum; de *ſcirmen* tamen mentio in LL. Inæ cap. 8. ut & de *ſcire* cap. 36. 39. LL. Henr. I.

Scogilatus gladius. Gladius forte vaginatus. Vide Lindenbrog. Gloſſar. verb. *Scogilum* & *Spatha*.

Scyldwite. Idem forte quod alibi (viz: apud Jornalenſ.) reperitur ſcriptum *Giltwite* ubi ſic exponitur: *Giltwite eſt emenda pro tranſgreſſione*. Ad hoc facit quod Sax. *ſcyld* & *gylt* paria reputantur, culpam & reatum æque ſignantia. Hinc, ſcil. a *ſcyld* Sculteti nomen (Magiſtratus hic Prætori urbano reſpondens) ſuam videtur traxiſſe originem, quod ſcilicet noxas & debita exigere, imo etiam mulctas & pœnas ab iis quæ deliquerunt, expoſcere ſoleat Scultetus; De quo vide Fungeri Etymolog. in voce *Scultetus* & Voſſ. Gloſſar. verbo *Sculdaſius*.

Scyremot. Comitatus Conventus, unde autem ſic dict. vide Doctiſſ. Spelman. in voce *Gemot*. Gloſſarium ſupra in verbo *Conventus* & Seldeni Notas ad Eadmerum. pag. 166.

Senator. Vox interdum occurrit in LL. hiſce pro *Comite*, vel uno ex Proceribus Regni; uti patet ex pag. 60. ubi pro *Senatorem* mallem legas *Comitem*. V. *Aldermannus*, *Corl.*

Servus. Idem quod Anglo-Saxonibus *theow*, *thræl*, *weal*, *eſne*, &c. Quotuplex autem ſervus vide cap. Henr. I. LL. 76.

Sipeſſocna. Quid, vide Schol. in cap. 6. LL. Henr. I.

Sithcundman. Caſtos paganus a *ſithian*, quod eſt proficiſci vel iter facere exortum. Conjectare lubet eos eſſe, quos nunc Jureperiti *Legales Milites* (non dico Equites auratos) appellant. Num autem hi fuerunt, quos hodie Londinenſes *Sideſmen* appellant, aliorum per me liberum eſto judicium. Ego vero (ſi mihi itidem liceret libere id quod ſentio dicere) pronunciarem potius *Armiferos* eſſe & *Duces quoſdam paganos*. Eorum enim muneris erat atque officii in profectione militari ſe præbere quam paratiſſimos.

Soca, *Socca*, *Socha*, *Socna*. Vocabula ſono & nomine varia, ſenſu tamen & re eadem, quorum quodvis ſimpliciter & generatim acceptum, libertatem, privilegium (*Franchiſiam* Gall. Franchiſe vocamus) ſignificat. *Soca* autem *placitorum*, de qua in Legibus Henr. I. quæſtionem, i. e. poteſtatem ſonat, ſive juriſdictionem alicui conceſſam tenendi curiam (ut loquuntur Forenſes noſtri) in aliquo Dominio, qua ex privilegio Regis gaudet cujuslibet feudi vel manerii Dominus, in ſua, ut vocant, Baronia. Vocis igitur expoſitionem in LL. Edo. Confeſſori attributis, cap. 23. " (Socha eſt, quod ſi aliquis quærit aliquid in terra ſua etiam furtum, ſua eſt juſtitia, ſi inventum fuerit an non) ,, ut nimis arctam, ne dicam, incongruam rejiciendam puto. Multo rectius meo quidem judicio Fleta, lib. 1. cap. 47. *Soke* (inquit) *ſignificat libertatem*

Cu-

Curiæ tenentium, quam Sokam appellamus. Cui convenit Codex quidam MS. Ecclesiæ Cantuar. *Soke auer fraunche court de ſes homes*, i. e. Liberam habere Curiam de ſuis hominibus, vel, ut alter Codex antiquus MS. *Nota quod Sok eſt quædam libertas per quam Domini tenebunt curias ſuas, & habebunt ſectam homagiorum.* Nonne autem hinc confunduntur *Soca* & conſors ejus *Saca?* Minime, cum in hoc, ni fallor, ſignanter differant, quod territorium præcinctum, in quo *Saca* & cætera privilegia exercentur, *Soca* præcipue ſonat; *Saca* autem cum cæteris, ſcil. *Tol*, *Tim*, *Infangthefe*, &c. privilegia ipſa ſive privilegiorum ſpecies intra idem territorium exercendas. A *Soca* autem hac, ſenſu quo privilegium, immunitatem, libertatem ſignat, venit terrarum illa apud nos poſſeſſionis ſpecies *Sockagium*, alias *Socagium* dicta, ſumpto hinc nomine, quod terra eo modo poſſeſſa (ſub certis ſcil. & nominatis ſervitiis in pacto inter Dominum & Vaſallum ejus conventu contentis) a quibuſcunque aliis oneribus immunis ſit & libera. Vide LL. Edo. Confeſſ. apud Clar. Seld. Not. ad Eadmer. cap. 33. pag. 154. Derivatio forte hæc nova, & noſtratibus ante hac inaudita, qui a *Soc*, quatenus vel aratrum, vel ſaltem vomerem ſignificat, vocem derivare ſatagunt, quam male tamen eorum venia, fuſius a Somn. jam monitum in Tractat. de *Gavelkynd*, cap. 4.

Soinus. Huic voci Gallis (ut ſolent in vocibus a litera *S* incipientibus; vide ſupra in *Denarius* & *Eſcbot*) *E* præponentibus, alteraque *S* addita, *Eſſonius* fit. Quid autem ſignificet, vide Lindenbrog. Gloſſar. verbo *Sunnia*. Voſſ. verbo *Sunnis*, & Spelmannum noſtrum in voce *Eſſonium*, ubi varia Eſſoniorum recenſentur genera.

Solidarius. Quid, & unde ſic dict. vide *Hotoman.* Dictionar. Seld. Tit. Honor. prim. edit. par. 2. cap. 9. pag. 335. *Beſold.* de Natur. popul. &c. cap. 18. verbo *Soulde*, & *Voſſii* Gloſſ. in voce *Soldatus*. Vide etiam locum, qui heic occurrit, ubi ex *conductitiis* præcedentibus, & *ſtipendiariis* ſubſequentibus, *Solidariorum* in medio expoſitio forte ſuperflua. Servientes omnes ac homines Dominis ſuis a ſtipe, vel ſtipendio, hic intelligi conjicio.

Stabilitas. Quid. Vide Schol. in cap. 17. LL. Henr. I.

Stretbrece. Quid. Vide Schol. in cap. 80. LL. Henr. I.

Strublum. Idem forte ſignat quod cap. 80. LL. Henr. I. *Stumblum* ſcribitur, de quo vide Schol. in cap. 78. LL. Henr. I.

Stumblum. *Stimulus* forte, de quo vide Schol. in 80. LL. Henr. I.

Sulhælmeſſ. *Arationis Eleemoſyna*, a *ſulh* vel potius *Sullold* (verbo paulum immutato) plurimis in locis etiam nunc aratrum ſignificat: *ælmeſſ* notioris eſt ſignificationis vocabulum, quam ut interprete indigeat ullo. Ego me legiſſe memini in vetuſtiſſimo quodam Legum Æthelredi Regis libello, impoſitum tunc temporis in ſingula aratra denarium unum. Ea fortaſſis penſio eſt, quam illi *Sulhælmeſſ* appellabant.

Summonere. Unde *Summonitio*, quod idem ac in veteri Norman. *Custumar.* cap. 61. & Gallis hodie *Semondie* & *Semoner* a Latino *Submoneo* fluens, unde & Familiæ *Sumnerianæ* nomen. Plura vide, ſi placet, in Doctiſſ. Cowelli Interpr. verbo *Sommons*.

Superjurare eſt juramentum a paucioribus præſtitum, juramento plurium præponderatum, ſuperare, evincere, vertere, atque adverſarium falſi convincere. Exemplum præbet LL. *Aluredi* cap. 29. & LL. *Æthelſtani* cap. 9. Item L. *Ripuar.* tit. 79. idem locum habet in *Weminga*, de qua vide cap. har. LL. 67. Sed & in Legis vadiatione, de qua apud *Cowellum* noſtrum in Inſtit. l. 4. cap. 13. §. 4. "Ad elidendam enim (inquit) debiti actionem, quam teſtibus & non inſtrumento actor probaverit, admittitur reus ad Legem ſuam vadiandam faciendamque; id eſt, contra ſectam ab actore productam defenſionem ſuam facere per juratores, pro quolibet teſte producto duos uſque ad duodecim admittitur.

Superplus. Idem eſt, quod Anglice (ut verbum verbo reddam) *Dberplus*, alias *Surpluſage*, Gallis *Surplus*, Latinis *Auctarium*, Anglo-Saxonibus *ofer eaçan*.

Superſiſio. Quid. Vide ſupra in *Overſeuneſſa*. A Gallorum *Surſiſe*, a Latino *ſuperſedeo* fluente, ductum puto, & Legis ex contemptu violationem ſonat.

Supertenere Decimas, *Romefeoh*, eſt eadem ultra tempus ſive terminum ſolutioni præfinitum detinere. Saxonibus *oferhealdan*. Vide LL. *Æthelſtani* exordium.

Syrbindus. De quo vide infra in *Twelfhindus*.

T

T*Alea.* Quid, niſi ad id quod Latinis aliquando *Teſſera*, nobis autem vulgo a *Score* vel *Cally* (cujus meminit *Cowellus* noſter in Interprete, verbo *Tuiles*; fuſius autem & longe accuratius *Voſſius* in voce *Talia*) referendum ſit, juxta cum ignariſſimis intelligo; nec minus mihi videtur obſcurum, quod ibi mox ſubſequitur, *ſupplecio* ſcil.

Thainus. Saxonice *thegn* (a *thenian* ductum, quod alicui *miniſtrare* ſignat) ei qui ſervitutem ſervit e regione contrarius: is enim *theow* a *theowian* ſervire dicebatur. *Thainonorum* autem apud nos olim duo genera, *Eccleſiaſtici* & *Seculares*: Hi etiam duplices, viz. (1) *Majores*, Comitibus gradu proximi (ut *Thainis Vavaſores*) quos Thainos Regis (Sax. *cyninges thegnes*) appellabant, nos hodie *Barones Regis*. (2.) *Thaini* ſimpliciter, ſeu *Thaini minores* vel *mediocres*, Sax. *les thegnes*, alias *medmera thegnes*, quibuſdam *Ander-Chanes*, qui iidem erant ac *Barones minores*, hoc eſt, maneriorum Domini, Nobiles minores, Vavaſores & nonnunquam *Liberi tenentes* nuncupantur. De utriſque juſtum habes Tractatum apud Cl. Seld. Tit. Honor. par. 2. cap. 5. §§. 2. 4. & Doctiſſ. Spelman. in voce *Baro*. Videatur etiam inter noſtrates D. *Cowell.* in voce: inter exteros autem *Beſold.* de Natu. popul. &c. cap. 18. verbo *Dague*, cujus tamen derivationem vocis non probo: malim autem (modo non a *thenian* ut ſupra) a Teuton. *Degben*, athleta, pugil, vir præſtans, ſtrenuus, fortis, quales regulariter *Thaini*, quorum ſucceſſores *Barones* nuncupatos, *Bractonus* noſter ſic dici inſinuat, q. *robur belli*, niſi, (quod potius puto) Teuton. *Degben* a noſtro *Chegn* veniat. *Thainum* autem noſtrates Liberalem quandoque nominant, ut *thegenſcipe Liberalitatem*. Vid. LL. Foreſtæ apud *Spelman.* in Gloſſ. verbo Foreſta, & Canuti LL. Latine exhibitas in Textu Roffenſi, *Wormii* etiam Monumenta Danica, lib. 4. pagg. 264. 265. 266.

Poſt *Normannorum* in Galliam adventum, plures iſtius ordinis & appellationis viri, militari titulo donati, *Thainorum* nomine depoſito, milites deinceps dicebantur, qui quidem ordo, militaris ſc. ſive equeſtris, Anglis illi antiquioribus prorſus ignotus, tunc temporis primum in Anglia invaluiſſe ferunt quidam,

De quo vide plura in Tract. Cl. Somneri de *Gavelkynd*, cap. 4. ubi e quodam veteri Libro MS. Eccles. Cantuar. (Acta præcipue continente cujusdam controversiæ Balduinum Archiepiscopum inter, & Monachos ejus tempore Regis nostri Henrici ejus nominis secundi habitæ, de qua abunde Parkerus in Antiquit. Britann. & Harpesfeld in Histor. Ecclesiæ Anglicanæ in vita D. Baldwini) Epistolam quandam eidem Regi a memoratis Monachis inscriptam præmissa comprobantem, in Appendice exhibuit Clar. Somn. Scriptura 21. in qua insuper fit mentio de ejusdem Ecclesiæ *Threngis*, Clientibus scil. illius loci sic dictis, paris, ni fallor, conditionis, cum *Thainis* de quibus præsens sermo noster. Hanc autem Epistolam tanti quidem æstimo, ut eam non indignam censuerim, quę denuo proferatur.

Epistola Subprioris & Conventus Ecclesiæ Christi Cantuariæ, HENRICO *Angliæ Regi ejus nominis* SECUNDO *inscripta*.

Excellentissimo Domino suo *H.* Dei gratia Anglorum Regi, G. Supprior & Conventus Ecclesiæ Christi Cantuar. flebilis & ultra modum afflictus, salutem & suspiria flentium & afflictorum respicere. Cum scriptum sit, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: ut pro bona voluntate in terris habita, gloriam habeatis in cœlo, Serenitati vestræ, quam in nullo offendisse credimus vel recognoscimus, supplicamus, ut si quid odii aut rancoris concepistis adversus nos, aut Ecclesiam Cantuariensem, odio personæ alicujus aut operis, præsentis temporis aut præteriti, quod nos debeat respicere, pietatis intuitu remittatis, attendentes innocentiam nostram, nec vindicantes aliorum peccata in nobis. Si peccavimus publice, puniamur; sin autem, quid *Ecclesia Cantuariensis, de qua omnes Anglorum Reges non solum fidem Christi, sed & coronam Regni sumpserunt*, quæ usque modo libera extitit, captivatur & conculcatur ab hominibus, cum sit mater omnium in Regno Angliæ manentium? In Christo Jesu vobis dicimus, timemus, ne novitates multæ & malæ subito oriantur, quarum principia etsi nos sensimus, forsitan exitus alios quam nos tanget, nec transire permittet immunes, sed involvet. Quis hanc novitatem non admiretur, quod Dominus Archiepiscopus dicit, nos debere de eo terras & possessiones nostras tenere? cum jam per quingentos annos & eo amplius, a tempore sc. Magni Theodori, qui terras partitus est, & utrique parti suam portionem assignavit, conventus in pace possederit portionem suam, & libere administraverit, quod & chartæ Regum & Pontificum plenius attestantur, ex quarum tenore perspicuum videre est, quod usque ad hæc infelicitatis tempora, Archiepiscopus nihil juris vel dominationis plus habeat in terris Monachorum, quam Monachi in terra Archiepiscopi. Et ne super hoc quisquam dubitet, proferantur in medium chartæ Sancti Edwardi Regis & Sancti Anselmi Archiepiscopi, & aliæ multæ Regum & Pontificum. Quod autem dicitur Lanfrancum divisisse terras, ideo est, quod cum Normanni, capta Anglia, omnium Ecclesiarum terras occupassent, Rex Willielmus ad instantiam Lanfranci eas resignavit; Lanfrancus vero singulis Ecclesiis reddidit quod antea possederunt, sibi autem quod Antecessorum fuerat suorum retinuit. Quod autem tempore Lanfranci non sit facta terrarum divisio, testantur Chirographia ante tempora beati Dunstani facta inter Archiepiscopos & Monachos de concambiis terrarum multarum; sed & hoc attestantur scripta vetustissima, quæ lingua Anglorum *Landbokes*, id est, terrarum libros vocant. Quia vero non erant adhuc tempore Regis Willielmi milites in Anglia, sed *Threnges*, præcepit Rex, ut de eis milites fierent ad terram defendendam. Fecit autem Lanfrancus *Threngos* suos milites; Monachi vero non fecerunt (*i. e. ex Monachis non fecit Milites*) sed de portione sua ducentas libratas terræ dederunt Archiepiscopo, ut per milites suos terras eorum defenderet, & ut omnia negotia eorum apud Curiam Romanam suis expensis expediret; unde adhuc in tota terra Monachorum nullus miles est, sed in terra Archiepiscopi. Terram tamen ducentarum librarum adhuc habent Archiepiscopi. Pro quibus omnibus valde miramur, quod vel talia dicit, vel quod assensum ei præbetis, quod vestra authoritate, & nomine vestro per ministros vestros res & possessiones nostras invadat, cum nihil ad eum spectet; sed nos teneamus post Deum in capite de vobis, sicut & ipse. Quod manifestum est, decedentibus Archiepiscopis, quia terræ eorum statim confiscantur, a seculo autem inauditum est, quod possessiones nostræ confiscatæ fuerint aliquo tempore. Quapropter supplicamus, ut maturius pro Deo, dum potestis, hæc corrigi faciatis, cum forte tunc velitis (f. *voletis*) cum non potueritis (f. *poteritis*). Valeat.

De *Thano* hæc Lambardus habet. Est autem *Thanus* ei qui servitutem servit e regione contrarius; is enim *theowe* a *theowian*, quod est *servire*, dicebatur. Thani autem appellatione, *Viri* interdum *Nobiles*, interdum *liberæ conditionis Homines*, interdum *Magistratus*, atque sæpenumero *Ministri* vocantur. Atque hinc est, quod coronatæ plumæ insignia PRINCIPIS Saxonicis vocibus titulum præferant *Ic Dien*, sed corrupte (pace Fecialium dixerim) pro *Ic then*, transfixa prima parte literæ *D*, virgula ad hunc modum *-D*, ut fit *Ic-Den.* quod idem sonat atque *Ic thegn*, id est, *ego Famulus* vel *Minister* sum. Hæres namque (ut inquit Apostolus) dum puer est, nihil differt a servo. Sed eam fortasse Principes nostri Inscriptionem a Belgis mutuati sunt: Illi enim etiam nunc pro *Ic then* *Ic dien* loquuntur. Testis est Hector Boetius, rerum in Scotia gestarum haud imperitus, Malcolmum Regem THANOS suos titulo Comitum honestasse. Atque ego non semel me legisse memini, eos esse qui post adventum Normannorum *Virrones* & *Barones* dicebantur. Habebant enim *Thani* liberas quasdam Jurisdictiones, quas vel hodie *Courtz Barons* appellamus.

Thasca. Locum, ubi vocabulum ita corruptum reperio, cap. 78. LL. Henr. I. ut vocis nusquam alibi a me repertæ expositionem attentare supersedeam, ab aliis erudiri paratus. Huic autem, sono saltem affinis *Tascha*, i. e. *Marsupium*, de qua voce Vossius in Glossar. quem vide.

Theam, quod alias *Team*, quandoque *Theme* dicitur. Est autem, ut me docet *Cowellus*, regale privilegium maneriorum Dominis concedi solitum, duplicem apud Interpretes obtinens expositionem. (1.) Alteram nimirum potestatis habendi Villanos, i. e. servos & mancipia, eosque (si forte) fugitivos, ubicunque fuerint inventi (modo extra Dominicum Domini Regis, vulgo *the King's Demayne*, aut locum consimilem jure privilegiatum) capiendi & in Dominium proprium revocandi & reducendi, ulteriusque de illis, ut de cæteris suis, seu liberis seu bonis, mobilibus vel immobilibus, quo libitu disponendi: (2.) Alteram autem forisfacturam sive mulctam capiendi, *si quisquam* (ut habetur in

LL.

LL. Edo. Confeſſor. cap. 25.) *aliquid interciet* (i. e. ut Lambard. in marg. *penes alium defendat*; de quo vide Spelm. Gloſſar. verbo *Intertiare*) *ſuper aliquem & interciatus non poterit warrantum ſuum habere*. In hanc ſententiam Jornalenſis: *Theam* (inquit) *eſt laudare auctorem, & quandoque dicitur ſequela nativorum*. Vocabulum autem unde ductum ſit, vide apud Lambard. verbo *Advocare*.

Thegenſcipe. Quid, vide Schol. in cap. 34. LL. Henr. I. Ductam puto vocem a Saxon. *thegn*, *thegen*, quod interdum Magiſtratum vel Judicem ſonat; & *ſcipe* hodie *ſhip*, quod uti Belgis *Schap* (de quo conſulas velim Kiliani Etymolog. in voce) in plurimorum verborum terminatione, cujuſmodi ſunt *Lordſhip*, *Ladyſhip*, *Proctorſhip*, *Doctorſhip*, *Clerkſhip*, &c. ſtatum, ordinem, officium, munus ſignificat. Hinc vocum Saxonicarum *gyldſcip*, *geferſcipe*, *gebeorſcipe*, &c. quæ ſodalitium, fraternitatem, contubernium ſonant, poſterioris ſyllabæ ſenſus ſatis obvius.

Theolonium. Hoc more Anglo-Saxonum & Teutonicor. modernorum vulgo vocamus *Tol*: vocabulo a Græco τέλος, i. e. vectigal, fluente. *Tol* autem apud nos Regale ſapit privilegium, idque duplex: alterum ſcil. immunitatis a gabellis pro rebus in nundinis & emporiis emptis & venditis, unde Forenſium *Breve* illud *eſſendi quietum de Telonio*, de quo in Fitzherberti *Natura Brevium*, f. 226. Alterum tributum vel vectigal recipiendi pro mercibus, ut loquuntur, in terra ſua. De utroque vide plura per Voſſ. & Cowell. in voce.

Thongooder. Quid & quomodo recte ſcribendum, vid. Schol. in c. 93. LL. Hen. I.

Throtebolla. Vox Saxonica gurgulionem notans. Vide c. 93. LL. Henr. I.

Tihtla. Vocabulum Anglo-Saxonicum accuſationem, criminationem, vel (ut cap. 64.) compellationem ſonans, unde *ſtaltyhtlan* in LL. Inæ cap. 47. furti criminatione; *færfehthe tyhtlan* in eiſd. LL. cap. 55. & *wær tyhtlan*, cap. 7. *homicidii accuſatione*, Latine redduntur apud Jornalenſem. Vox evanuit, res autem manet, quam vulgo nominamus *Appeal*, forma Latina *Appellum*, de quo vide *Spelm.* Gloſſar.

Tungrevius. Villæ Præpoſitus; unde autem ſic dictus, vide apud Spelman, in voce *Grafio*, & ſupra in *gerefa*.

Twelfhindus. Præter hunc, ſæpius in his LL. occurrunt *Twyhindus* & *Sixhindus*, quorum ſinguli qui & quales ſint ediſcas licet ex verborum explicatione eruditi Lambardi Archaion. ſuæ præfixa, verbo *Æſtimatio*, & iterum in Itinerar. Cantii in Mepham præter Gloſſar. Doctiſſ. Spelman, verbo *Homo*. Dictiones ſunt compoſitæ. Cum autem *hindus* (poſterior ea pars compoſitionis) a *centum* deductum volunt, ſuſpectum hoc mihi, cum præſertim *hind* non *hund* conſtanter ſcriptum occurrat. Ab *Hyndene*, Saxonice ſcripto *hyndene*, potius petendum reor, quod vocabulum uti bis occurrit in LL. Inæ cap. 55. ſic in utroque loco Jornalenſis idem Latine vertit *ſocietatem*, *claſſem hominum* intellige. Sicut enim moris fuit in diebus illis omnem hominem æſtimari, & pro natalis ſui ratione capite cenſeri, ita etiam ſecundum cujuſque valorem in claſſem parium ſuorum *hyndene* nuncuparunt, referri, trium ſc. ſequent. unam aut alteram, infimam, mediam, ſummam. (1.) Infima vero eorum claſſis fuit, quorum ſinguli valebant 200 ſol. talis inde Latine dictus *vir ducentinus*, vulgariter a claſſe in quam aſcitus *twyhyndne mon*. (2.) Media eorum, quorum ſinguli valebant 600 ſolidis, talis inde Latine dictus *Sexcentenus*, vulgariter a claſſe, in quam aſcitus *ſixhyndne mon*. (3.) Summa autem eorum, quorum ſinguli valebant 1200 ſol. talis inde Latine dictus *duodecies centenus*, vulgariter a claſſe, in quam aſcitus *twelfhyndne mon*. Pariterque uxores eorum *Cyrliſcam* (i. e. *Twyhindam*; nam *twyhindne man* idem erat qui Ceorliſcus, & ſic quandoque dictus, quandoque Villanus) *Sixhindam & Twelfhindam* nominarunt. Conſimilem ſtatum hominum tripartitum commemorat Lindenbrog. in Gloſſar. verbo *Mediocris perſona*, his verbis: *Nimirum hic erat ſtatus hominum, & alii nobiles vel primi, alii mediocres, alii minores vel minimi dicerentur*. Quemadmodum autem *Twyhindum* alias vocarint, & *Ceorliſcum* & *Villanum*, ſic etiam *Twelfhindus* (ut obiter notem) variis præterea nominibus notus fuit: quandoque ſcil. *Thaini*, quandoque *Huſlgengæ*, interdum *Husbandæ*. In c. har. LL. 69, & 70. *Twelfhindum* per *Thainum* exponit Legiſlator. In capite autem 76. magis poſitive hoc addito, quod eſt *plene nobilis*. *Huſelgengum* in LL. Inæ c. 15. apud Jornalenſ. per *Twelfhindos* redditur, & in c. 19. *huslgenga* apud eundem per *Twelfhindum* vel *Husbandum*; quomodo etiam in Gloſſario ſub fin. har. LL. Lambardi Gloſſar. medio, ubi habemus *Huslgenger* cum hac expoſitione e regione adhibita. *Twelfhindus* vel *Husbanda*. Firmatur hinc Lambardi *huslgangum* & *huslganga* vetus verſio (nuper in dubium vocata) per *Patresfamilias* in voce, per *rei familiaris adminiſtratorem* in altero locorum ante memoratorum.

Twyhindus & Twyhindeman. Vide *Twelfhindus*.

Tom. IV.

V

V*Adiare*. Simpliciter & de ſe eſt pignus vel cautionem dare: *Vadiare* autem *Legem*, c. 46. LL. Henr. I. item *bellum*, c. 59. quid, vide *Legem vadiare*.

Vadium. Quod Latinis *pignus*, Saxonicis *wed*, poſteris fuit *Vadium*, unde LL. Aluredi capitis primi argumentum ſive lemma, *be athum, and be weddum*, apud Jornalenſem Latine vertitur, *De Juramentis & Vadiis*. Vide plura apud *Hotoman.* in Dictionar. verbo *Guadia* & *Wadium*, item apud *Voſſium* in voce *Vadium*.

Vavaſor. Quid & unde ſic dict. vide *Hotoman.* Diction. in voce, item *Voſſium* in *Vaſallus*. Apud nos in locum ſucceſſit *medmera thegn*, alias *leſthegn*, id eſt, *Thaini* (reſpectu *cyninges thegn*, qui *Baro* ſive *Thainus major*) *mediocris* ſive *minoris*, quaſi Baronettum dicas, de quo vide plura in voce *Thainus*, & apud Cl. *Selden.* Tit. Honor. par. 2. cap. 5. §. 4.

Verborum jurare obſervantiis, Quid, vide Scholia in c. 64. LL. Henr. I.

Vice Dominus. Cap. 7. LL. Hen. I. pro Domini vicarius, de quo vide *Lindenbrog.* Gloſſar. in voce, & Cl. *Selden.* Tit. Honor. 1. edit. par. 2. pagg. 252, 253. Plura velis, *Voſſii* Gloſſar. adi in voce.

Villanus. Idem quod Saxonibus *ceorl* & *cyrliſc* quod vide. Pretium autem ejus in *Twelfhindus*. De Villanis (vulgo *Slaves*) quondam in Cantio noſtro æque ac in cæteris Regni Comitatibus. Vid. Tractat. Cl. Somn. de *Gavelkind*, c. 3.

Unlaga. LL. Henr. I. cap. 34. de re dicitur, cap. 84. de perſona. *Ibi* injuſtitiam notat, *hic* injuſtitiæ reum, quandoquidem injuriæ ſibi illatæ, ſpreta lege & ejus remedio (quod privato ſaltem non conceditur, ne Ju-

Q q dex

dex ſit in cauſa propria) vindex ipſe fuerit. Venit autem a Sax. *un*, i. e. *ſine*, & *laga lex*. Vid. LL. Canuti par. 2. cap. 14.

Uſa. *Uſe*. Lelandus *Iſim* appellat. Fluvius eſt in mediterranea Angliæ regione. Oritur prope *Stanes* petitque villas *Buckingham*, *Newport*, *Bedford*, *Huntingdon*, atque *Granta* flumine auctus, *Lyn* oppidum alluit, ac tandem Oceano ſe committit.

Utlaga. *Exlex* Anglice hodie (quod ei quem vocant *Inlaw* ex diametro contrarius) *an Outlaw*; olim autem *Frendleſſman*. Bracton. lib. 3. Tractat. 2. cap. 13. nu. 1. —— *talem vocant Anglici Utlaughe*, *& alio nomine antiquitus ſolet nominari*, *ſcilicet Frendleſſman*, *& ſic videtur*, *quod forisfacit amicos*, &c. Ita Bractonus quem vide eiſd. lib. & tract. cap. 11. nu. 1. ubi vocatur *Laughleſſman*, q. extra protectionem Legis, vel omni Legis patrocinio excluſus. Vide etiam LL. Canuti par. 2. cap. 12.

Utlagaria. Extra Legis Regiſque protectionem ob offenſam ſive delictum aliquod, poſitionem ſignat; unde autem ſic dicta, vide apud Dn. Watſium in Gloſſar. Matth. Pariſio addito & Cowelli Interpr. in voce. Videatur etiam Bracton. lib. 4. fol. 441. ubi *utlagationem* excommunicationi comparat.

Utleepa. *Evaſio*, ſubterfugium, mulctam (ut opinor) inducens, quam Fledwite vocant (vide Spelm. in voce *Fledwite*) De quo apud Spelman. in Gloſſar. Vetus Liber MS. Eccleſ. Cantuar' *Utlepe* (inquit) *Eſcap de priſun*.

W

W*Æntſætas Demetæ*. *Went* Auſtralem ſonat Walliæ Regionem; *ſæta* a *ſittan* (quod eſt ſedem habere) fluit atque habitatorem ſignificat. Hinc igitur *Monticolæ Dunſæta* a *Dun*, quod *mons* eſt, dicuntur: *Somerſetenſis* etiam Satrapiæ habitatores, a *Sumor* (quod ad Auſtrum vergant) *Sumorſætas* appellantur. Sylveſter Gyraldus in ſua Walliæ Topographia auſtralem Cambriæ regionem Demetiam nuncupat, habitatores Lelandus, atque alii fere omnes *Demetas* appellant. Neque interim deſunt qui Auſtrales Wallos in Cornubia locant, atque ingenti illo maris brachio (quod ab Occidente terram intrans, ad dextram Cornubiam, ad lævam Walliam abluit) a borealibus Wallis disjunctos exiſtimant.

Wætlinga ſtret. *Via Vetelingiana*. Viſum eſt interpretationis loco verba *Ranulphi Higden* ſubjicere, ea autem in ſuo (quod *Polychronicon* inſcriptum eſt, opere) ad hunc modum reperies. *Statuit Molmutius Rex Brytonum 23. & primus eorum Legiſer*, *ut aratra*, *templa viæque ad Civitates ducentes*, *immunitate confugii gauderent*. *Verum quia ſuccedente tempore de viis (cum non eſſent certis limitibus diſtinctæ) orta eſſet diſſenſio*, *Belinus Rex*, *filius prædicti Molmutii*, *ad ſubducendum omne ambiguum*, *quatuor Regales vias omni privilegio munitas per Inſulam ſterni fecit*: *Foſſam* ſcilicet, *Watling ſtrete*, *Erming-ſtrete*, & *Ikeneld-ſtrete*. Et mox ſequitur. *Secunda via dicitur Watling-ſtrete*, *tendens ab Euro Auſtro in Zephirum Septentrionalem*. *Incipit enim a Dovenio tranſiens per medium Cantiæ ultra Thameſim juxta London* (hinc fortaſſe plateæ Londinenſi nomen inditum *Watling ſtrete*) *inde per Sanctum Albanum*, *Dunſtapliam*, *& per Lilburn uſque ad Montem Wrekene*; *deinde tranſcendit Sabrinam fluvium*, *tendit ad Stretton*, *& inde per medium Walliæ uſque ad Caerdigan*, *& in mari Hybernico terminatur*. H. J.

Waliſcus. *wealh*, id eſt *exterus* vel *peregrinus*. Ita enim quadringentis abhinc annis interpretatus eſt *Sylveſter Gyraldus*, in ſua Walliæ Topographia. *Wallia*, inquit, *non a Wallone Duce*, *aut Wendolœna Regina*, *ſed a Barbarica potius nuncupatione nomen accepit*: *Saxones enim Regno occupato Brytannico*, *quoniam lingua ſua extraneum omnem wealh vocant*, *gentes has ſibi extraneas Wallenſes vocabant*, *& Regionem Walliam*. Hactenus *Gyraldus*. Cæterum cum Brytannorum (qui poſt amiſſam Patriam cædibus ſuperfuerant) pars in Walliam, pars in Cornubiam ſe receperant, Saxones hos quidem *Cornewalas*, illos vero diverſo nomine *Brytwealas* appellabant. Lambardum (ut *Kilianum*, *Cluverium*, *Beſoldum*, *Voſſium* & plures alios exteros taceam) ſequuntur *Cambdenus* & cæteri fere omnes rerum Anglicarum Scriptores, præter unum Richardum *Verſteganum* Reſtitut. &c. cap. 5. pag. 151. qui aliunde nomen petit, multis in medium adductis rationibus; quanti autem ponderis, aliorum per me liberum eſto judicium.

Waller wente. Voces in LL. Presbyter. Northumbrenſium obviæ, denotant *peregrinos homines*, i. e. Britannos, in primis *Cumbros*, qui illo tempore Chriſtiani, & Northumbrenſium vicini erant. Clar. Philoglottus Anton. Hallius Oxonienſis, voces legendas putat *wallas Libta*. Parva equidem mutatio literarum, quæ winguæ Anglo-Saxonicæ ſatis communis eſt, ſenſum verborum multo clariorem redderet, Plebs enim apud *Northumbrenſes* Judicio forenſi non ſolum *Parium* ſed & *Superiorum* ſuorum ſiſtenda erat, prouti voces *mycel wihta* explicari poſſent. Simile quid noſtra ætate obtinet in *Juratis Magnis* (*Grand Jury*) & *Juratis Parium* vel *Æqualium* (*Juries of Peers or Equals*.

Wapentachium. Quid & unde ductum, vide LL. Edo. Confeſſ. 33. Cl. Seld. Not. in Forteſcut. cap. 24. & Doctiſſ. *Spelman*. Gloſſar. in voce *Baro* pag. 78. Jornalenſis autem in ſuo ad LL. Edo. Confeſſ. vocabulario, hanc vocem exponens, aliam ei tribuit originationem. *Wapentake* (inquit) *& Hundredus idem ſunt*, *quia procinctus c. villarum in adventu novi Domini ſolebat reddere arma ſua pro homagio*: *unde Wapentake Anglice idem eſt*, *quod arma capere*. Vide Dn. Tho. Smithi equitis Tractat. de Repub. Angl. (quem laudat Doctor Cowellus in voce) unde nomen petentem. Quæri tamen poteſt, utrum vocabulum non ſit rectius derivandum ab hominum intra talem circuitum commorantium inſtructione in uſu & exercitio armorum (quod Scotis *Weaponſchawing*) perinde ac ſi effictum eſſet a Saxon. *wapen* arma & *tæcan* docere, inſtruere, quod quibuſdam forte magis arrideat, cum *tac* ſenſu quo hic uſurpatur, pro tactu ſc. a quibuſdam, pro captu autem ab aliis, Saxones non agnoſcant: *tæcan* fateor & *getæcan* pro dimittere, & ſimil. ut liquet ex LL. Inæ cap. 63. Æthelſtani cap. 22. & Canuti par. 1. cap. 8. & par. 2. cap. 18. item *betæcan* pro tradere, unde noſtrum *betake*. Vid. Bed. Hiſtor. Anglo-Sax. pag. 238. quo ſenſu forte *tac* vel *take* hic in *Wapentake* accipiendum, præſertim cum vocis etymo apud Jornalenſem, de quo ſupra, ſatis conveniat.

Wardmotum. *Conventus incolarum* unius pluriumve Civitatis Regionum, quas vulgo *Wardas* dicimus, de quo plura apud Doctiſſ. equitem in voce *Gemotum*.

Wargus. *Profugus*, *extorris*, item is qui non moratur in loco, ut qui huc illuc excurrit. Vox autem, uti etiam forte *Warengangi*, a Saxonibus acceptum arbitror, quibus vagari *worian*, vagans & vagabundus *woriende* & *worigende*. De quo vide Proœmium Regularis Concor-

cordiæ. &c. Latino-Saxonicum apud Cl. Selden. Notis ad Eadmer. pag. 151.

Warrantus, alias *Warantus*. Obligatus ad alterum authoritate ſua defenſitandum; unde autem ſic dictum, vide Doctiſ. Spelm. Gloſſar. in voce *Garandia*. Gloſſar. noſtrum ſupra verbo *Advocare*. Adde Hotoman. Dictionar. verbo *Guarentare* & Voſſii Gloſſar. in locis pluribus indice contentis præſertim pag. 813.

Weilref. De hac LL. Æthelredi apud Veretingam (quarum exemplar in Textu Roffenſi) cap. 21. *walreaf is in thinges cæde gif hwa ofsacen wille do that mid eahta and feowertig fulborenra thegena*. I. e. (ſecundum antiquam apud Jornalenſem verſionem) *Wealreaf i. e. mortuum refare eſt opus inthingi. Si quis hoc negare velit, faciat cum* XLVIII. *Thaynis plene nobilibus*. Vox Saxonibus *Manubias* generatim ſonat, hoc autem in loco, mortui præſertim vero perempti ſive tumulati ſive tumulandi ſpoliationem, direptionem: cujuſmodi videtur furtum illud de quo in equitis Coci Inſtitut. par. 3. pag. 110. quod inauditum vocat, viz. cadaverum effoſſio, & involucrorum ſive linteaminum direptio. Tales Sepulcrorum effractores Græcis τυμβωρύχοι. Videatur hic Gloſſar. Lindenbrog. verbo *Walavaupa* (idem forte quod *Weilref*) item *Wargus Noſſo*. Vocabulum plane eſt compoſitum, ductum forte a Saxon. *wæl ſtrages* & *reaf* ſporliatio, expiliatio. Ab eodem fonte forte fluit loci in bello occumbentium nomen Saxonicum *wælſtow* al. *wælſtole* & *wælfeld wælſill*, *ſtrages non modica* Chronol. Saxon. an. 591. quo loco, pugna finita, potiti victores habiti. Hinc illud in Chronol. Saxon. nuper edita adeo crebrum: *And tha---ahton wælſtow gewald*, i. e. *& ——loco ſtragis potiti ſunt*. Criterium hoc, quo in hanc diem de victoria cenſemus, & *keeping the Field* vulgo dicimus. Plura de *Weilref* ut & de *Nithing* in Tractatu Cl. Somn. de *Gavelkind*, cap. 3.

Weminga, alias *Wemminga*. Judici vel (ut *Orderic. Vitalis* Hiſtor. Eccleſ. pag. 554. nu. 39.) judicationis contraventio, ſcil. cauſæ vel ſententiæ fruſtratio appellationis remedio: vel (ſi placet) vitii, erroris, falſitatis, injuſtitiæ (ut inde nullitatis) ſententiæ per Judicem inferiorem, in prima ut vocant inſtantia latæ coram Judice ſuperiori oſtenſio & judicii inde redditi abolitio ſive abrogatio. Unde (ni fallor) ortum Breve illud noſtrum, quod vocamus *de Errore*, Anglice, *A Writ of Error*, ut & illud forte *falſo judicio* dictum, cui Scotorum *Falſatio* judicii, vulgo *Falſing of Domes* reſpondet, de quo vide Skenæum de verb. ſignif. in voce *Sok*. Cauſam hoc modo reſciſſam vitiatam nominabant Majores noſtri; unde illud in cap. harum LL. 5. *Appellantes autem* (ſic locum legendum puto) *& vitiatam cauſam appellationis remedio ſublevantes, non debent afflictionis vel detentionis injuriari cuſtodia*. Vocem credo ductam ab Anglo-Saxon. *wæmme*, quod & maculam & violationem, quandoque etiam prophanationem ſignat. Vide Evangel. Saxon. Matth. XII. 5. & Pſalter. Latino Saxon. Pſal. LXXXVIII. 31. 38. Unde ſicut maculam qua corpus alicujus deforme redditur (verrucam puta & ſimile) vulgo vocamus *a Wemme*; ſic Legem aliquam everſam & violatam *wemmed*, Veteres nuncuparunt, ut e contrario Legem vel præceptum aliquod ſervatum *unwemmed*. Hinc illud in LL. Canuti par. 1. pag. 2. *thinne is ſwithe rihtlic that Godes cyric grith binnan wagum and Criſtenes Cyninges handgrith ſtand efer unwemmed*. Id eſt (Jornalenſi interprete) *Et valde rectum eſt, ut Eccleſiæ pax intra parietes ſuos, & pax Chriſtiani Regis, quam manu ſua dederit, ſemper inconvulſa permaneat*. Repetitionem

ſapit cap. 1. fœd. Edo. & Guthr. RR. inter. LL. Saxon. Chaucero noſtro *Wemleſſe* pro *Blameleſſe*, i. e. Inculpatus. Vide plura in *ſuperjurare*.

Were. *Wera*, id eſt, *capitis æſtimatio*; pretium hominis. Anglo-Saxones enim (a quibus vocem accepimus) ſtatuta capitis æſtimatione, quamplurima facinora mulcta pecuniaria plectere ſolebant: cujus gratia æſtimabantur quique, & a ſummo ad infimum capite cenſebantur ſinguli, de quo ſupra in *Twelfhindus*. Facinora autem hæc mulctarum erogatione redimi ſolita, *emendabilia* vocarunt, ut cætera e contrario *inemendabilia*, quorum omnium catalogum vide in cap. har. LL. 12. Redimendorum vero, quædam ibidem nominata 100. ſolidis; cætera *weræ*, id eſt, capitis (perempti ſcil. in caſu homicidii; in cæteris autem delinquentis) æſtimatione ſive pretio (ſicut ſcil. natus fuerit a latere paterno, Anglis materno digniore) emendanda. Unde fit, quod quandoque *nativitatis*, quandoque *genealogiæ* pretium nuncupatur. *Were* a *Wer* quod *Hominem* ſonat ducta. Ego (ſunt verba Lambardi) a Juſtiniano (de perempti corporis æſtimatione verba faciente) edoctus *corporis & capitis æſtimationem* verti. Conjectura eſt, eaque non levis, haud ita multis ſcatuiſſe priſca tempora ſceleribus, quippe quibus rapinæ, furto, cædi, plurimiſque aliis facinoribus mulctæ imponebantur pecuniariæ, cum his hac noſtra tempeſtate, nos omnibus merito capitis pœnam irrogamus, quod quantis noſtris peccatis venerit, non poteſt ſine moleſtia cogitari. Inter alias, capitis erat æſtimationis mulcta, atque ejus rei gratia æſtimabantur quique & a ſummo ad infimum capite cenſebantur ſinguli. Hinc enim alius *twelfhydmon* quaſi *twelf hund mon*, quod capitis æſtimatio 1200. ſolidorum eſſet, dicebatur: alius *Sixhydmon* quia 600. alius *tribyndmon*, quod 200. valebat ſolidis, nominabatur. Rex Henricus, qui id nomen habuit primus, literis publicis ſigno Regio munitis, civem quemque Londinenſem 100. ſolidis æſtimabat. Inde

Weregildum. Quod quandoque ipſa *wera*, quandoque & ſæpius (ni fallor) illa pars ejuſdem cognatis occiſi competens & pendi ſolita (quæ qualis ſit & quanta vide cap. 75. LL. Henr. I.) reſiduo ejuſdem, partim in *manbotæ*, partim in *witæ* compenſationem converſo. Vid. cap. 69. Vocabulum effictum conjicio a memorata *wera* capitis ſcil. æſtimatione, non ut quibuſdam viſum (Martin. in Etymolog.) a *werra* quod pugnam & cædem notat, & *gyld* a *gyldan* fluente i. e. ſolvere, præſtare. Partem hujus dixi cognatis cedere, de quo vide ſupra *Pertinentia*; item Schol. in cap. 88. LL. Henr. I. (& LL. Edo. Senio. cap. 9.) quod Saxonibus *mægbote* (LL. Canuti par. 1. cap. 2.) quibus inſtitutum hoc a Germanis priſcis traductum, de quo Tacitus in libro de Germanorum moribus: *Suſcipere tam inimicitias ſeu patris ſeu propinqui, quam amicitias, neceſſe eſt. Nec implacabiles durant. Luitur enim homicidium certo armentorum ac pecudum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus*. De hoc vide plura apud Seld. Jan. Angl. lib. 1. §. 32. & Voſſ. Gloſſ. verbo *Wirgild*, Martinium etiam in eadem voce & Doct. Spelm. in voce *Cenegild*.

Werelada. Purgationem ſignat ſecundum purgandi natale, tot ſcil. conſacramentalibus, quot pro ratione natalis ejus (capitis nimirum æſtimationis) qui purgandus eſt, jure requiruntur. Ut enim cujuſque fuerat capitis æſtimatio, ſic ei facta eſt criminum, ſive majorum ſive minorum purgandorum copia. Veterum enim ut & modernorum opinione, quo quis erat opibus affluentior, eo fuit fide di-

gnior, & in jurejurando religiosior. Huc illud in citato c. 64. *Thani jusjurandum contra valet* (i. e. æquivalet) jusjurandum *sex villanorum*. Dictio est composita a Saxon. *were* pretium vel valor hominis & *lade* purgatio, emendatio.

wereplegius. *Plegius*, i. e. vas ejus, qui in casu homicidii *weram* solvere fide jubet, quorum numerus major aut minor pro perempti corporis pretio sive æstimatione, ut locus satis indicat.

werra, Idem quod *Guerra*, i. e. Bellum, Anglis hodie *Warre*, de quo plura apud Spelm. in voce *Guerra* & Voss. in *Werra*.

Westsaxa, Quid, quid etiam *Westsaxiæ lex*, & unde sic dict. supra voce *lage* & *Spelman*. Synopsin LL. antiquar. in Glossario verbo *Lex*. Husmodi autem Lex præ cæteris (Mirciorum scil. & Danorum) apud veteres in Honore habita, de quo vide cap. 70. 87. LL. Henr. I.

Wite, Quod Latine *mulctam*, Forenses nostri *forisfacturam*, veteres *Overseunessam*, Saxones vocarunt *wite*, Latino-barbare *witam*. Hinc Saxonum *blodwite forisfactura effusi sanguinis*, *fihtwite forisfactura pugnæ*, *fledwite* alias *flemenswite*, *forisfactura fugitivorum*, *flitwite forisfactura ob jurgia & rixas*. Hæ autem forisfacturæ aut fisco aut maneriorum Dominis tali privilegio insignitis (qui Saxonibus *witeswurthe* dicti) cedebant. Hoc inter & alia emendationum genera *weram* sc. & *Manbotam* talem deprehendo differentiam, in casu præsertim homicidii, quod *wera* parentibus & propinquis (unde alias, ut supra monitum, *mægbote* dicta) ob consanguineum interfectum, *Manbota* occisi Domini, pro homine vel Vasallo sublato, pendebantur. *Wita* autem Regi aut Domino loci; vel ob pacem violatam, unde alias *Fredum*, vel ob legem contemptam, unde *overseunessa*, alias *overhyrnessa*, dicta. Hinc exterorum *Wittiscalcus* sc. Minister publicus, per quem exiguntur mulctæ. *Witarum* autem varia genera. (1.) Wita Regis, quæ alias *capitalis wita* & wita plena, Saxonib. *fulwite*; & ideo sic dicta, quia witarum omnium præfinitarum maxima, viginti valens mancas vel marcas (i. e. 120 solid.) (2.) Episcopi vel Comitis wita, quæ Regis dimidio minor, decem scil. mancarum (i. e. 60 solid.) (3.) Thani vel Baronis wita, quæ Comitis dimidio minor, quinque scil. mancarum (i. e. 30. solid.) Minimam hanc, mediam illam, majorem alteram jure vocandam censeo. Regiam autem forisfacturam & plenam witam idem esse ex collatione 64. LL. Guiliel. I. & Henr. I. LL. 51. facile constabit; quod enim in priori *Regis forisfactura*, in posteriori *plena wita* dicitur, quæ Germano-Saxonibus 60. fuit solidorum, de quo vide Gryphiandr. de Weichbild Saxon. cap. 58. num. 22.

Withertihtla. *Contraria accusatio* sive adversa criminatio; recriminantis scil. retorta compellatio a Saxon. *wither*, contraria, adversa (unde *witherwin* adversarius, *withersaga* contradictio; *withernam* contraria vel adversa, *non vetita* sc. contra vadium & plegium, de quo in Bracton. de Corona c. 37. ut quibusdam visum, pignoris captio) & *tihtla* accusatio, criminatio, vulgo *Apellum*.

Wudhew. Sic enim corrigendum *Wudheth* in Schol. ad c. 37. LL. Henr. I. docetur. Vox autem *nemoris cæsionem* signat, ut in ipso quo occurrit capitulo illustratam habes: efficta, ut conjicio, a Sax. *wude*, sylva, nemus, vulgo hodie *Wood*; & *hew* (Germanis haw, Belgis heuwe) ab *hywan* vel *heawian* flueute. (Teutonicis *houwen* & *hawen*) secare, asciare, i. e. ascia cædere. Anglice *to hew or cutt*. Huc pertinet LL. Aluredi cap. 12. *Gif mon othres wudu bærneth oththe heaweth unalyfedne*, &c.

F I N I S.

CO-

CODEX
LEGIS ROMANÆ

BARBARIS REGNANTIBUS OBSERVATÆ

FACILE IN ITALIA.

EX ARCHIVIO METROPOLITANÆ ECCLESIÆ UTINENSIS.

IN CODICEM
LEGIS ROMANÆ
MONITUM COLLECTORIS.

Legibus huc uſque traditis gentium quamplurium, Germanicam ac Septemtrionalem originem agnoſcentium, congruum viſum eſt ſubnectere ſpecimen legis concinnatæ regendis populis, qui ſub hiſce Barbaris Romano jure vivebant. *Lex Romana* communiter dicebatur, ſed Lex Romana vere non erat; adeo ſcilicet deformata, ut novam pene juris ſpeciem conſtitueret.

Obtinuerant, ut alias dictum eſt (1), in foris pro Romana lege Reſponſa Papiani ſub Burgundionibus condita, Breviarium Aniani ſcriptum ſub Gothis, immo ejuſdem Breviarii interpretationes jamdudum evulgatæ, quæ quam longe a Romanæ themidis ſenſu recedant, quiſque in re legali verſatus compertum habet.

Sed huc non ſubſtitit Romani juris ruina. Conſuetudines regnorum & gentium, & rudia ſequiorum temporum inſtituta, inducta etiam inter Meridionalis Europæ populos, qui quondam Romano paruerant imperio, antiqua jura in codicibus Imperialibus deſcripta tantopere inverterunt, ut quibuſdam e re viſum fuerit, alias poſt Anianum Romanarum legum interpretationes conſcribere, quæ a genuino earundem ſenſu adhuc amplius recedentes moribus gentis & ævi aptius congruerent. Hac de cauſa, ut reor, evenit, ut non in omnibus Manuſcriptis eædem interpretationes occurrant, ut eruditus Gothofredus admonuit (2).

Quanta & quam varia variis in gentibus variiſque in temporibus, hac in re diſcrimina irrepſerint, ſingillatim enumerare neque ſuppetunt vires, neque animus eſt. Unum profero exemplar; hocque quaſi ſpecimen, quo oſtendatur, quantum ſub Barbaris a priſtina ingenuitate deſciverint jura Romana.

In Archivio Metropolitanæ Eccleſiæ Utinenſis aſſervatur pervetuſtus legalis Codex membranaceus, principio & fine mutilus, quem non uno tempore ſcriptum fuiſſe innuit membranarum, & ſcripturæ diverſitas, cujus in fronte codicis ſpecimen exhibemus. Poſt bene multas Conſtitutiones Juris Juſtinianæi, magna ex parte in epitomen redactas (3), codicem complent interpretationes Juris Theodoſiani, cujus maximus Barbaris regnantibus viguit uſus, & cujus Alarici Wiſigothorum Regis auctoritate concinnatum quondam fuerat celebre Breviarium Aniano vulgo tributum. Noſtræ vero interpretationes a vulgatis illis, quæ præfato Breviario interſperſæ ſunt, & ſenſu plurimum, & verbis differunt toto cœlo; ut novam eruditorum ſtudiis, eorum præcipue qui medii ævi juribus, & antiquitatibus oblectantur, poſſint præbere materiam.

Nudas, meraſque Antejuſtinianæi juris interpretationes exhibet codex, textu, aut breviario legum ac dogmatum neglecto penitus, ac prætermiſſo; quod alias vidimus non inuſitatum fuiſſe (4). Huc itaque repetendum, pro

---

(1) V. Monit. ad LL. Burgund. & Wiſigoth. (2) Gothofr. in Cod. Theodoſ. c. VI.
(3) Has eſſe reor Novellas a Juliano Anteceſſore breviatas.
(4) V. Monit. ad Cod. Leg. Wiſig.

pro lege Romana habitas tunc fuiſſe non proprie leges ipſas, ſed earundem interpretationes ſub Barbaris elaboratas, quæ verum legum ſenſum vulnere innumero trucidabant.

Spectaſſe codicem ad uſum alicujus Italici fori plane cenſeo. Quædam namque huc occurrunt Italicam olentia dialectum; immo & verba nonnulla hodieque Italis uſitata. *In conjugio preſe: in caſa: male favellant: Patronem: per ſuam tema: intrigavit: ſtrata poblica:* atque hujus furfuris alia profecto oſtendunt, codicem Italicum eſſe. Codex ipſe aſſervabatur quondam in vetuſto Archivio Patriarchalis Eccleſiæ Aquilejenſis; quare quis facile crederet, hiſce juribus rectos aliquando fuiſſe populos Romana lege viventes, qui in Ducatu Forojulienſi degebant: aſt conjectura non ſat firmo nititur fundamento.

Doleo, mutilum hoc manuſcriptum in ſecundo libro Sententiarum Pauli deficere. Amplius doleo, illud innumeris ſolœciſmis ac barbariſmis ſcatere, atque inſuper frequentibus amanuenſis ſphalmatibus; quæ omnia ſenſum legum pluries implicatum reddunt, atque intellectu difficilem, quandoque etiam vix, immo & ne vix quidem intelligibilem. Infelix Scriptor adeo male nonnunquam ſeſe exprimit, ut contrarium dicere videatur eorum, quæ dicere intendit.

Verumtamen hiſce incommodis occurret, qui interpretationes noſtras cum illis conferat, quæ vulgatis Theodoſiani juris codicibus internexæ ſunt. Ego plurimo experimento comperi, hac collatione peracta, codicis hujus loca, quæ difficiliora videntur, obvie intellectum iri, & concordantias atque diſcrepantias plane diſcerni.

Librum, utut tot maculis depravatum, negligendum non eſſe putavi, quaſi monumentum, quo eruditi dignoſcant, quonam jure, ſaltem penes nos, ſub Barbaris viverent, qui ſe Romana lege vivere profitebantur. Non diffitear, quaſdam Imperialium jurium ineptas interpretationes, atque inverſiones ortas fuiſſe ex prava Romanæ legis intelligentia. Codicem noſtrum concinnavit, non Papinianus, non Ulpianus, non Tribonianus, ſed rudioris ævi Juriſconſultus extra Romani Imperii limites conſtitutus, qui ſi haud ſemel male intellexerit, & ſuſdeque verterit ſenſum Romanarum legum, & dogmatum, mirum non eſt. Sed fateamur idemtidem, utplurimum criminandam non eſſe Interpretis inſcitiam, ſed ſtudium commendandum, atque diligentiam, qua a Romano jure receſſit, ut aliud exprimeret accommodum regno, & ævo, in cujus gratiam iſthæc ſcribebat. Ego per ſingula non diſcurram; nonnulla tantum exempli gratia proferam, quæ vel unico obtutu aſſertum confirmant.

In Theodoſiano Codice (1) atque in ſubnexa interpretatione inhibetur, ne cauſa apud duos Judices partiatur, ut apud alterum agatur de poſſeſſione, apud alterum de proprietate. At vero codex (2) noſter legem ſic exprimit, ut inhibeat, ne cauſa penes inferiorem Judicem fredo compoſita, apud Judicem alium ultro procedat. Quod vere barbarum ſapit inſtitutum.

In noſtris interpretationibus (3) publicæ lætitiæ ſolemnia indicenda innuuntur, cum aut elevatio Regis, aut nuptiæ, aut barbatoria nunciantur. Hæ autem aliæ omnino ſunt, & evidenter ſuffectæ pleriſque publici gaudii cauſis, quæ in Codice Theodoſiano, ejuſque vulgata interpretatione enumerantur (4).

In libris Sententiarum Pauli (5), atque in ſubjuncta interpretatione, ſtipulatio fieri dicitur conceptione verborum; & a noſtro (6) celebrari injun-

(1) Cod. Theodoſ. II. XVIII. 2. (2) Vide Lib. II. Tit. XVIII. l. 2.
(3) V. Lib. VIII. Tit. IV. (4) Cod. Theod. VIII. XI.
(5) Sent. Pauli II. II. (6) V. Lib. XXIV. Tit. II.

jungitur reciproco jactu, & collectione feſtucæ, hoc eſt, per ſymbola, more Barbaris maxime accepto.

Cui otium eſt, ut hujuſce codicis leges, ſeu interpretationes, conferat cum vulgatis, perſpicuum fiet, quam longe Interpres a legitimo Imperialium jurium tramite declinet, ut illa aptet ſui ævi inſtitutis, atque ſuæ gentis. Inde ergo gentis & ævi mores ac inſtituta volupe colligentur; & quæ delicato legulejo nauſeæ forte erunt atque contemptui, hæc ut grata & utilia habebit vir eruditus, & ſtudioſus legalium conſuetudinum, quæ medio ævo viguere.

Huc pedem ſiſtere neceſſe eſt. Qui dicunt, inter noſtrates etiam Barbaris ſubjectos plurimum obtinuiſſe Conſtitutiones in Juſtiniani libris deſcriptas, certe non errant. Italia Regia huc illucque contermina, & pene intermixta Italiæ Imperiali, ex hac communionem, formamque jurium, quibus Provinciales regerentur, aptiſſime petere poterat. Immo maxime pronum eſt credere, Juſtinianum eo tempore, quo univerſæ Italiæ tenuit habenas, leges ſuas etiam inter nos promulgaſſe. Hæc profecto ſuadent, Barbaris quoque regnantibus, qui Provincialibus proprii juris uſum permittere conſueverant, Juſtinianæas ſanctiones ab Italis cultas fuiſſe. Idem probari poteſt & veteribus monumentis, quin & ipſo codice noſtro, qui, ut ex ea quam edimus parte apertiſſime liquet, conſcriptus ſub Barbaris, Juſtinianæis conſtitutionibus pene eſt oppletus.

Verumtamen ſeu quod modicus annorum numerus, quo Juſtinianus deleto regno Gothorum, rebuſque compoſitis, uſque ad initia regni Langobardici toti Italiæ imperitavit; ſeu, inquam, quod hic annorum numerus par non fuerit Theodoſiano juri antiquando; ſeu quod Itali deinceps Barbaris parentes, uti & alii Provinciales ultra Alpes, avide, quaſi manna de cœlo, ſuſceperint Breviarium Aniani nomine celebratum, utpote quod Barbarorum regimini videretur magis accommodum, cauſiſque expediendis, vel reſecandis magis idoneum; ſeu denique alia quæcumque interceſſerit cauſa; ultro fatendum eſt, Theodoſiani juris ſanctiones in Italia regia pro Romano jure habitas fuiſſe. Ut quid enim tanto ſtudio harum interpretationes parare, eaſque Barbari regiminis methodo aptare, niſi pro lege ſervatæ forent? Obſervo, in hoc codice noſtro, poſt tot exaratas Juſtiniani conſtitutiones, cum ad interpretationes juris Theodoſiani ventum eſt, titulum præfigi: *Incipiunt Capitula libri primi legis*. Hoc profecto innuit, Theodoſianos libros a Romanis, ſeu Provincialibus, antonomaſtice appellatos fuiſſe *legem*, prout revera alias communiter dici conſueverant *Lex Romana* (1); ut inde colligamus, hos habitos proprie fuiſſe pro Romana lege, *legis* vocabulo preſſiori ſignificatione accepto.

Quare Theodoſiana jura quantumvis depravata Barbaris regnantibus pro Romana lege obtinuiſſe in Italia, utut viri docti contra ſenſerint, ego indubius ferme reor, ſententiam ſequutus Petri Giannonii (2), Caroli Pecchia (3), Jacobi Gothofredi, (4) Jo. Danielis Ritter, (5) qui non modo id aſſeruit, ſed & probare contendit, atque in probationem aſſerti Gothanum codicem attulit, qui non ſecus ac noſter ab Italo certiſſime deſcriptus eſt. (6)

In re vero forenſi, cauſiſque expediendis, non proprie Theodoſianarum legum, aut earundem Breviarii Aniani nomine celebris, ſed ejus interpretationum, ut dictum eſt, habita potiſſima ratio fuit. Has præcipue præ oculis habuit Interpres noſter, has pluribus in locis ferme exſcripſit; hoc habi-

(1) Cangii Gloſſar. V. *Lex Romana*.

(2) Giannone Tomo I. Lib. IV. cap. VI.

(3) Pecchia Tomo I. variis in locis.

(4) Gothofredi Prolegomena ad Cod. Theodoſ. cap. VII.

(5) Ritter Epiſtola præpoſita Tomo II. Codicis Theodoſiani; qui tamen opinatur, uſum Breviarii Theodoſiani in Italia non ſub Longobardis, ſed ſub Francis locum habuiſſe.

(6) De hoc argumento preſſius agemus, Deo dante, ſequenti volumine aptiore loco, quo veritas adhuc magis eluceſcat.

habito discrimine, quod in codice nostro planiore stylo expressæ sint, simplicitate explanatæ, brevitate contractæ, his, quæ minus necessaria visa sunt, resecatis, vel prætermissis; & quod utilius est, ipsæ manifesto ostendunt, Interpretem non totis pedibus ivisse in Aniani semitas, sed ab illo multifariam recessisse, ut jus servaretur magis accommodum institutis ac moribus populi, qui ex propriis inductis consuetudinibus genuino Aniani Breviario, ejusque primigeniis interpretationibus sat apte regi non poterat.

Nec tamen omnia, quæ in eo leguntur, a vulgatis diversa, aut pravæ Interpretis intelligentiæ, aut novis rebus in usum deductis referri debent accepta. Suspicor enim aliquot legis partes, vel etiam integras leges huc interpretatas occurrere, quæ proprie ex Romana, seu ex Anianica themide depromptæ sint, in vulgatis tamen hodiernis vel desideratæ, vel sensu diverso conscriptæ. Una mihi obvia fuit haud leviter prætereunda.

Sub Theodosiani Codicis titulo: *De fidejussoribus dotium* (1): unica extat lex hisce verbis prolata: *Omnium sponsorum, vel fidejussorum deinceps, in cavenda dotis sponsione, promissiones absolvimus.* Cui hæc subditur interpretatio: *Si quis implendæ dotis causa pro muliere fidejussor accesserit, pro fidejussione non teneatur obnoxius.* Hanc interpretationem, *nihili*, *falsam*, *& erroneam*, Gothofredus appellat (2).

Quæritur hic, num lex accipienda sit de fidejussoribus qui dati sint a parte mulieris, pro dote promissa solvenda; an vero de iis, qui dentur a parte mariti pro dote servanda. Qua in controversia eruditissime more suo versatur laudatus Gothofredus, præfatam legem commentario illustrans. Codex autem noster difficultatem omnem aperte dirimit, nodumque solvit.

Huc namque non una, sed duæ leges sub memorato titulo: *De fidejussoribus dotium* (3): interpretatæ afferuntur. Prima: *Muliere pro dote causam potest hominem fidemjussorem dare.* Altera: *Si quis impliendam dotem, quid mulier maritum ante nuptias dat, si aliquis fidemjussor exierit, per illum fidejussore* (lege, *pro illa fidejussione*) *non teneatur obnoxius.* Perspicue edocemur, mulieris fidejussorem pro dote danda ex prima lege teneri; fidejussorem mariti pro dote servanda ex lege secunda absolvi.

Quid ergo? Putasne, legem unam ad hunc titulum additam fuisse ex arbitrio Interpretis? Nequaquam; etenim jure merito arguendus esset, non ignorantiæ, sed fidei malæ; quæ illi nulla ratione adscribi potest. Itaque par est credere, eum ad fidem veterum exemplarium interpretatum fuisse legem, quæ hodie in vulgatis desideratur.

Alia inde occurrit nobis animadversio. Procul dubio, ut supra dictum est, Interpres noster veluti suarum prototypum habuit Interpretationes Breviario Aniani subjectas, atque in editis codicibus jam vulgatas, quarum eundem esse auctorem ac eum, qui sub Alarico Rege Romanæ legis breviator fuit, colligit Gothofredus (4). Attamen in nostro nonnullæ leguntur interpretationes ea ratione ab Alaricianis discrepantes, ut inter utrasque discrimen, neque imperitiæ Interpretis, neque disciplinis noviter inductis, forte assignari possit.

Supra relata exemplo sint. Auctor, quem edimus, secundam interpretationem describens, profecto pro exemplari habuit interpretationem Aniani, quam iisdem ferme verbis expressit; hoc tantum inter utramque intercedente discrimine, quod lex Theodosiana ab Aniano quidem (prout nunc legitur) pessime, a nostro autem Scriptore optime exponatur. Hinc suspicio mihi oritur, vulgatas Aniani interpretationes a sequiorum temporum seu

(1) Cod. Theod. III. XV.
(2) Gothofr. not. ad h. l.
(3) V. Lib. III. Tit. XV.
(4) Gothofr. Not. ad Cod. Theod. I. IV. I.

feu Jurifconfultis, feu Scribis male interpolatas, corruptafque fuiffe, atque illis nonnullo in loco corrigendis codicem noftrum fubfidium aliquod effe allaturum.

Hucufque perpenfa innuunt, harum interpretationum auctorem vel pervetuftum effe, vel faltem e pervetuftis Breviariis, feu interpretationum Aniani exemplaribus fyntagma fuum confeciffe. Ego illum regnantibus Langobardis coævum lubens putarem. Inter publici gaudii feftivos dies enumeratur *Barbatoria* Regis, quam fane Langobardorum Regum ætate folemniter celebratam fuiffe docet (ut patrio utar exemplo) infauftus Tafonis Forojulienfis Ducis eventus a Paulo Diacono (1) memoratus, qui tandem peperit infignis Opiterginæ Urbis excidium.

Rudis, & incultus calamus, quo libellus nofter fcriptus eft, neque omnino negligendus eft, neque omnino damnandus. Scribendi modum tribuamus, fi Superis placet, Interpretis imperitiæ. Sed cum is multoties Anianicas meras interpretationes expreffferit, cur, quæfo, has faltem verbotenus non exfcripfit, fed immutavit tantummodo, ut eas innumera folœcifmorum, & barbarifmorum caterva inquinaret? Hoc non imperitiæ effet, fed egregiæ ftoliditatis, nifi aliqua tot fordium caufa fubeffet.

Caufam autem fubeffe reor. Duo fiquidem obfervanda funt; primo, codicem ea dialecto fcriptum fuiffe, quo latina lingua ad Italicam declinabat; fecundo, plurimas legales formulas, alias æque rudi ftylo exaratas, innuere, ejufmodi fcribendi modum foris aptiorem, intellectuque faciliorem illis ævis fuiffe præ puriore lingua latina. Quare opinor, codicem noftrum incompto adeo ftylo exaratum effe, ut ufui forenfi tunc vigenti, & populari intelligentiæ aptior evaderet. Si res ita fe habet, prudenter, ne dicam fapienter, hoc factum eft; melius eft enim, ut ftylus reprehendatur a Grammaticis, quibus non fcribimus, quam ut minus accommodus, minufque intelligibilis fit gentibus, pro quibus fcribimus.

Inter Romanas leges ab Auguftis conditas, eafdemque a noftro Interprete expreffas, enormis profecto intercedit difparitas. Expolitæ dictione, refertæ fententiis, onerofæ volumine, exquifitæ jurifprudentiæ fubtilitatibus ditatæ, haud femel quoque perplexæ effe dignofcuntur leges, quas Romanorum Imperatores, feu verius Jurifconfulti doctiffimi Imperatorum auctoritate, tulerant gentibus Orbis Romani. Hic Romanarum legum facies immenfum diverfa. Inconcinne exaratæ, intra breviffimos perftrictæ cancellos, deftitutæ fubtilitatibus, expertes ambagum, juris dogmata tantum ferentes, quæ magis opportuna vifa funt & foris obvia, nuda fimplicitate expreffæ, *qualia* (ut Grotii verbis utar) *funt patrumfamilias in familiam fuam imperia*, jus fimplex, breve, clarum conftituunt, Barbaris apprime carum. Qualifnam fuerit methodus regendis populis aptior, an illa, quæ fub Auguftis vigebat, an hæc quæ fub Barbaris, eruditorum judicium efto.

Nobili, & egregio juveni, antiquitatum maxime ftudiofo, Comiti Hieronymo Afquino, Codicis hujus notitiam debeo atque patrocinium, ut a Nobilibus Prælatis Metropolitanæ Ecclefiæ Utinenfis Archivio Præfectis ex peculiari gratia illum commodatum, exfcribendumque obtinerem, in publicam utilitatem. Ipfi debeo & patientiam, qua exemplatum cum originali attenta mecum contulit cura, ut codex, quam fieri poffet, exactior, ad ejufdem originalis fidem prodiret. Hoc teftimonium fero, ut aliena vefte indutus non prodam; cum præfato ornatiffimo Viro referendum fit, quod hoc Romanæ legis exemplar publicam afpexerit lucem.

(1) Paulus Diac. L. IV. c. 40. & L. V. c. 28.

SPE-

SPECIMEN CHARACTERUM CODICIS.

N. I.

CONS. lxxii. ſcclvi

Siq percapillum dī uel ca pudiurauerit uel aliomodo blaſphemia contraeum uſus fuerit officio pr̄ fectiurbiſ ultimo ſuplicioſubiciatur; Siquiſ aut̄ talem homine

N. II.

I. VICARIOS ASIANĘ FRI GIAĘ IN DVAS DIVIDI TUR PROUINCIAS:-

Ideſt. Infrigiā ſalutarē, & Infrigiam pagacianā; Ergo uicarioſ p̄fecti p poſitoſ quierant Inaſia habebant aliquod offi cium ſuū Infrigia pa

N. III.

INNOMINE SCAE TRINITATIS INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI LEGIS,

I. De conſtitutionib; principū,

II. De diuerſi reſcriptiſ,

III. De mandatiſ principum,

IIII. De reſponſiſ prudentium,

V. De officio p̄fectorū pretorio

LEX ROMANA.

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI LEGIS.

INCIPIT TEUDOSIANI LEGIS LIBER PRIMUS.

I. DE *Conſtitutionibus Principum & Edicti.* Impr. Conſtantinus Auguſtus ad Luſidanus. Data VII. Kl. Augſ. *Interpretatio.* Quæcumque leges ſine die & conſules fuerint prolatæ, non valeant.

Item alia, Impr. Valentinianus & Teodoſius & Archadius Auguſtus. Data VI. Kl. Julias. *Interpretacio.* Lege neſcire nulli homini liceat, & quæ ſecundum legem judicatum eſt, omnis homo ſciat, ut hæc cuſtodire debeat.

Item alia. Auguſtus Theodoſius Aureliano Prefecto. Data III. Kl. Mart. *Interpr.* Hæc lex anteriores leges non vetat, ſed in perpetuo in futuro confirmet.

Item Auguſtus Victorio. Data XI. Kl. Sept. *Interpr.* Legis quæ omnes tenere debent, nec propter unum hominem, nec propter unam cauſam non inmutetur.

II. *De diverſis reſcriptis.* Impr. Conſtantinus Auguſtus ad populum. *Intpr.* Quicumque homo qui de qualecumque cauſa ad Judicem contra legem inpetraverit, non valeat firmitatem.

Item alia. Quicumque homo beneficio de qualecumque rem ad Principem per ſervitium ſuum reciperit, ſi mortuus fuerit antequam ipſa cauſa conſequat, heredes ejus ipſo beneficio per Principe habere liceat.

Item alia Intpr. Quicumque de aliqua cauſa per fraudulentia ſuggeſtione homo ad Principem aut indutias aut conceſſionem reciperet, inducias aliquantum concedi poteſt, Nam talis conceſſio non valeat.

Item alia intpr. Omnis Judex, qui hæc non cuſtodierit quod Principes per legem judicant, ad ſtimatione Principis ipſo Judice damno condempnetur.

Item alia interp. Quicumque alicui aliqua rem debet, & per Principem, aut per Judicem eum dilatare voluerit & ipſum debitum non reddat, & nec ſi Judex ei exinde licentiam dederit, talis ſuggeſtio ſecundum lege non obtineat firmitatem.

Item alia Intpr. Si duo heredes de ſua facultatem ante Judicem cauſa habuerint, & dum ipſa cauſa inter ſe habuerant mortui fuerint, ipſorum heredes ipſa cauſa de preſente inter ſe agere debeant; quod ſi ea tacere voluerint, ut de preſente ea inter ſe non diliverint, poſt longum tempus ſecundum legem ipſa cauſa agere non poſſunt.

III. *De mandatis Principum.* Impr. Gratianus & Valentinianus & Teudoſius. Data X. Kl. Julias. *Intpr.* Quicumque homo ſe con mandatis Principum in ſecreto aut de puelle ſponſalias vel nuptias vel qualecumque ſe per juſſionem Principis accipere dicere, non ſit ei credendum, niſi ſpecialiter aut cum litteras aut cum tale juſſionem de ſuo Principe venerit, ut omnes ſciant; ſed ſi ſic fecerit, poſtea ei credendum eſt.

IIII. *De reſponſis Prudentium.* Impr. Theudoſius. Data VII. Id. Novemb. Urbis Rome. *Intpr.* Hæc cauſa ſicut Papiani, Pauli, Gagii, Vulpiani, Modeſtini & Scifola, Savini, Juliani, atque Marcelli: Iſti vero clemens conſilium in ſuis corporibus melius eſſe non cognoverint, & in his libris ſic continent, ubi de accionem judiciarie contenditur, vel ubi inter duos heredes de ipſorum facultatem intentione inter ſe habuerint: ſi unus de illis habuerit amplius homines, qui ejus cauſam teneant, quam ille alius; qui majorem numerum habuerit de bonos homines, ipſe in judicio ſecundum legem ſuam cauſam vincat: & ſi forſitan de homines equalem numerum habuerint, præcedat ejus auctoritas, qui in lege Papiani pro ſe alicum titulum invenerit, ipſa cauſa vincat.

V. *De officio Prefectorum pretorio.* Impr. Conſtantinus. Data XVI. Kl. Novemb. *Intpr.* Quicumque ingenuus homo ante Judicem qualecumque cauſa habuerit, & an-

te ipsum Judicem de illa ipsa causa convictus fuerit, si postea ante alium Judicem venire voluerit, non eum vetetur venire; si forsitan ante illum suam causam per lege recuperare potuerit, suam justitiam habeat; & quod si ibidem iterum de ipsa causa convictus fuerit, si bona persona est, duos annos in exilio mittatur, & medietatem de sua facultatem fiscus adquirat; & quod si minor persona fuerit, duos annos in metallo teneatur.

VI. *De officio Rectorum Provincie*. Impr. Constant. Data Kl. Novemb. *Intpr.* Si judices contra rationem de qualecumque hominem ipsorum pecunia in sportulo tollere voluerint, secundum legem gladio puniantur.

Item alia intpr. Quicumque Judex sciat se cum causas judicaverit non se abscondat in remoto loco, neque solus judicium donet, sed cum bonos homines & in aperto domo ut quicumque intrare voluerit, licentiam habeant, & ante plures homines suum judicium donet, & quod rectum est judicet.

Item alia intpr. Judex provinciarum hoc scire debent ut de omne homine causas tale cura habere debeant, ut nullum hominem per suam potentiam & pro gratia de suo seniore pauperes opprimere non presumant, sed ipse judex inter potentem & pauperem equaliter inter eos justum judicium donet.

Item alia intepr. Judices provinciarum opera dare debent, ut per singulos agros & loca tales ordinet actores ut sicut de puplica causa cura habeant, si de omnes pauperes sine omni iniquitate & premium agere debeant. Si hoc facere neglexerint, pœnas Judicis & civium in se noverint esse vindicandam.

Item alia intpr. Judex provinciarum hoc sciant, ut summa sollicitudinem habeant per omni loca, ne actores potentum aliquid circa pauperes homines inlicite aut injuste faciant.

VII. *De officio Judicum civilium*. Impr. Archadius. Data III. Non. Febr. Rome. *Intpr.* Si quicumque persona de qualecumque actum aut dignitatem per Principe honoratus fuerit, sed cum altero hominem de quacumque homine causa habuerit, & ante Judicem venerit, ille honoratus dum ipsa causam agit cum Judice non resedeat, sed ipso ordine judicetur, sicut & alias personas qui in illa patria manent: Et nec post meridie non liceat causas ante Judices reclamare. Qui contra hoc præceptum fecerit, quinque pondus auri solvat.

VIII. *De officio Judicum militarium*. Impr. Theudosius. Data III. Id. Febr. *Intpr.* Nulli penitus in cibilibus causis militaris vel tuitio & executio tribuatur; similiter omnes Judices aut fescales sint, aut privati, hoc sciant, ut ad nullum hominem non liceat aliud facere, nisi inter ipsos de recta justitia judicare.

VIIII. *De officio Judicum omnium*. Impr. Const. Data III. Kl. Jan. *Intpr.* Nullus Judex nec nullo homini liceat nulla puella ad raptu protrahere, nec nullam mulierem in domo sua sedente pro nullo puplico, nec pro nulla causa inquietare non presumat; sed si aliquid ei requirere voluerit, ad actores ejus requirat, & illa femina pro reverentiæ sexus ejus non inquietet, sed summa honore ad eam servare precipimus. Si quis contra hoc fecerit, sciat se summum supplicium affaciendus esse.

Item alia intpr. Si quicumque homo pupillos, aut viduas, & egrotos, aut orfanos, vel quod hæc lex conservat, foras patria eos de suas causas ante Judices non tradant, nisi in illa loca cum eos suas causas agant, ubi in suo placito testimoniales de presentem invenire possent: & si forsitam in ipsam patriam, ubi cummanent, suas causas finire non possint, licentiam habeant, si voluerint, ubi sui Principes fuerint, ambulare, & ipsorum causatores ante ipsos Principes cum eos ambulare faciant.

X. *De Defensoribus civitatum*. Impr. Valentinianus. Data Kl. Febr. *Intpr.* Quicumque Judex, qui in patria constituitur, per consensu eorum qui in ipsa patria sunt ipsa judiciaria recipere debent; quod sub se Judex illa judiciaria sine consensu bonorum hominum de ipsa patria per sua cupiditate prendere presumpserit, secundum legem V. libras auri fisco solvere cogatur.

Item alia Intpr. Omnes Judices qui patriam habent commissa, nullum hominem sine culpam aut damnare aut verberare presumant.

Item alia intpr. In omni loca tales Judices elegantur, ut ubi malefactores & latrones invenerint, nullum hominem patrocinium reverescant, sed ubi ipsos reos invenerint, de presente de illos justitiam faciant.

XI. *De Assessoribus & Domesticis vel Cancellariis*. Impr. Honorius. Data X. Kl. Apr. *Intpr.* Si filius ante quam ad patrem mancipetur, cujuscumque judices consiliarius adheserit, quicquid pro suo servitio, aut ex justis & bonis causis adquesierit, hoc sibi vindicet, sicut & ille filius, si aliquid vivo patre in armis positus acceperit, aut adquesierit.

Item alia Intpr. Omnes Judices sciant, ut de alia ragione nec domesticum, nec consiliarium, nec cancellarium peculiare sine consensu de suos patrianos recipere debeat; ut si ipsum Judicem de illa judiciaria tollerent, aut si forsitan mortuus fuerit, & alium Judicem in suo loco miserit, ipse cancellarius vel consiliarius apud illum alium Judcem III. annos conversare debet, ut si quicumque homo ante illum alium Ju-

Judicem de suam causam mendatium reclamaverit, ille cancellarius hoc dismentire debet; quod si forsitan & ille cancellarius ad ipsum hominem consentire voluerit, ut rectum non dicat, Judex eum diligenter inquirere debet.

Explicit Theodosi Liber Primus.

CAPITULA DE LIBRO SECUNDO.

Incipit Liber Secundus.

I. De *juresdictionum ut ubi quis convenire debeant.* Impr. Constant. Data VIII. Id. Mart. *Intpr.* Omnis Judex in illa provintia, ubi constitutus est & colonus & servus ipso ordine proprius de principes, mala sua facta & distringere & ponere faciat; sicut & de alteros homines servus; nec de eorum patronus non reputent, si secundum lege eos distringant, ut eorum patricinio illos qui rei sunt non liberentur.

Item alia intpr. Si inter patrianum privatum, & militem qui cotidie in servitium principes adstat, si inter eos de qualecumque rem causam advenerit, si ille milex illum privatum patrianum ammallaverit, Judex de ipsa patria exinde inter eos justitiam faciat; & si forsitan ille privatus homo illum militem accusaverit, ille, cui militat, ipse de eo justitiam faciat.

Item alia intpr. Quicumque homo qualecumque feminam pudicitia per fortia violaverit, pœna instatuta suscipiat; & quicumque alicui per violentiam qualecumque rem tulerit sine culpam, in duplo restituat.

Item alia intpr. Si inter duos homines, qui in duas patrias conversant, aut inhabitant, si inter eos de qualecumque causa contentio fuerit, ille qui ipse causa accusat, ad illum judicem petat justitiam, ubi suus debitor commanet.

Item alia intpr. Ad nullum hominem liceat ad extraneum judicem suam causam agere; nisi forsitan si ei suus judex suam causam dilatare voluerit, postea liceat eis suas causas ad Principem reclamare.

Item alia intpr. Minores causas inter privatos Judices ipsi privati discutiant, & judicent, de furtivo cavallo, aut de modice terre, aut de vaso domi; de istas aut de alias minores causas, mediocres Judices definiant: majores vero causas inter altas personas, qui per scripta in accusationem veniunt, ante seniores Principes definiantur: & si forsitan privati Judices alciores causas ad Principes fraudare voluerint, quinque libras auri solvant.

Item alia intpr. Quicumque homo, qui suos Judices, qui in sua provincia commanent, postposuerint, & ad milites, qui in obsequio Principum sunt, suas causas agere presumpserint; ipse qui eam causam inquirit, in exilio deputetur; & ille milex, qui ipsam causam judicat, X. libras auri solvat.

Item alia intpr. Judei qui apud Romanos conversant inhabitandum, suam legem inter se ipsos custodiant. Nam omnia alteras causas, quæ apud Christianos habuerint, Judices Christianorum inter eos judicent.

Item alia intpr. In domos Principum si Judex provincialis qualecumque malefactorem ibidem invenire potuerit, nec actore nec nullum hominem expectet, sed de presente ipsum comprehendat, & de eo secundum legem justitiam faciat.

II. *Ne in sua causa quis judicet.* Inpr. Valens. Data Kl. Decemb. *Intpr.* Nullus homo sua propria causa Judex esse non debet, quia sicut testimonium pro se dare non potest, sic nec pro se sua causa judicare non potest.

III. *De amissa actione impetrationis*. Impr. Theudosius. Data X. Kl. Mar. *Intpr.* Quicumque homo ante Judices causam habuerit, si justitiam habet, & ipse Judex ei suam justitiam non fecerit, exinde perjudicium qui sua causa quærit non habeat, sed videat ut veritatem prosequatur.

IV. *De adnunciationem & editionem rescripti*. Impr. Constant. Data II. Non. Febr. *Intpr.* Si cuicumque homini qualiscumque persona facultatem suam contra rationem tulerit, ille qui ipsam facultatem perdidit, infra annum ipsa causa requirere debet; & ipse vero qui eam tulit, & nec si ipse Princeps ipsam facultatem illi concessisset, per lege ea habere non debet.

Item alia intpr. In hac lege constituit, ut qui aliorum facultatem malo ordinem perinvaserit, atque ad illius, qui in minore ætate sunt, aliquid requirere voluerint, & quæ contra testamentum aliquid dicere voluerint, de tales causas, qui infra C. solidorum esse potest, infra anni spacium illas consequere, & definire debet.

Item alia intpr. De res ecclesiarum, ubi ad ante Judices fuerint, exinde qualiscumque accusatio pro reverentia de ipsa loca sanctorum sine omnem dilatationem debent esse definitas.

V. *De dominio res quæ poscitur, vel consortibus ab eo cum denuntiatum fuerit nominandis, & de temporum cursum & reparationibus denunciationum*. Data II. Non. Mad. *Intpr.* Quicunque homo tales causas habuerit, quæ infra anni spatio peragere debeat aut finire, si ad judice super annum impetrare spatium quattuor menses super annum Judex ei licentiam dare potest, nam in amplius secundum legem ad nullum Principem ei nullam licentiam detur.

Item alia intpr. Si quicumque Judex aut per neglegentia aut per dilatacionem aut per qualecumque premium qualecumque homine de sua causa dilataverit, infra legitimum tempus ipsius causa non definiat; quodquid ille homo de ipsa causa damnum habuerit, omnia de ipsius judicis facultatem illi redatur qui apud eum justitiam non potuit invenire.

Item alia intpr. Si quicumque homo dum sua causa prosequid mortuus fuerit, heredes ejus de illa die quod ipsa causa agere cœperit prosequent; nam non de ipsa die quod eorum heredes mortuus est; & ipsa causa infra legitimo tempus prosequant & definiant. Similiter & de minoribus agendum est, ut tutores ipsorum, de ipsa die de quod ipsorum tutilla reciperint in antea, ipsorum causas agant; nam ipsi minores ætatibus quascumque causas ante habuissent, illi tutores de ipsas ratione addere non debent.

Item alia intpr. Si de qualecumque rem causationes fuerint inter actores fiscales & privatos homines, si privatus homo illum fiscale admallaverit, ille fiscales quattuor menses ad suam causam respondendum indutias recipere potest. Nam ille privatus, si fiscales actor eum admallaverit, in sex menses ad respondendum recipere spacium potest.

VI. *De dilationibus*. Impr. Archadius. Data XII. Kl. Decemb. *Intpr.* Qui ad ingenuum hominem de suo statu aliquid dicere voluerit, & de patrimonii causam habuerit, si ipse dicit qui se ingenuum docere voluerit, ad suam causam confirmandum ut ante quam ultra mare ambulet hoc facere non possit, novem menses ei licentiam detur.

VII. *De feriis*. Impr. Constant. Data VIII. Id. Augusti. *Intpr.* Die dominico nulla alia causa huc agere debet, nisi emancipare, & libertare, & manummittere licentiam habeat.

VIII. *De pactis & transactionibus*. Impr. Archadius. Data V. Id. Octub. *Intpr.* Minoribus ætatibus post XXV. annum qualecumque carta aut convenientiam firmaverint, si postea se exinde inmutare voluerint, nullam exinde habeant potestatem, & de qualecumque causa qui fecit & contra sua convenientia agere voluerint, infamia deputetur, & ipsa causa agendi in antea non habeat potestatem, & pœna quem in ipso pactu posuit, solvat. Similiter & illi qui sacramenta dant per nomina dominorum suorum, & ipsa sacramenta minime custodiunt, sicut superius de minoribus diximus, simili ratione custodiant.

X. *De postulandum*. Impr. Const. Data VIII. Id. Mar. *Intpr.* Plures sunt qui in suas causas quod ipse agere non possunt, advocatos inquirunt, qui causas suas agant, ipsi vero advocati per iniqua cupiditate de eorum res, cujus causam agent, quia ipsi per meliorem rem habent aut de terris aut de mancipiis, cartas ad eos querunt, si ut ipsi ipsa causa ante Judicem vindicant, pro mala cupiditatem ipsius qui in suas causas eos habere voluerint, damnant se; secundum lege nec hoc quod eos quesierint habere debent, nec inter bonos homines, nec inter alios Judices locum habere debent.

Item alia intpr. Si cujuscumque filius ante quam mancipatus sit, si in sua causam eum aliquis advocatum mittere voluerit, & exinde aliquid adquirere potuerint, ipso modo suis juribus vindicet, qualiter & hoc vendicare potest, quod in armis, hoc est in hoste, adquirere potuerit. Nam alia causa quod adquesierit aut habuerit, omnia in potestate patris permanebit.

Item alia intpr. De feriis. *Intpr.* Causas in anni spatium omnes dies secundum legem directum judicare precipimus; nisi tantum quatuor menses ad fructos colendos indulgimus, hoc est a die VIII. Kl. Jul. usque in Kl. Augs. mensesive

ve (1) ferie sunt; & da Kl. Augs. usque in X. Kl. Septembris ad agendas causas licentia damus; ad X. Kl. Septembris usque in Id. Octub. vindimie fieri concedimus. Nam die sancto dominico, & sanctus dies Pasche, idest octo ante ea, & octo qui secuntur, & dies Natalis Domini, & Ephifania, & natalis Principum, vel inicium regni; hæc dies sine omnes causationes celebrare precipimus.

XI. *De erroribus advocatorum*. Impr. Constant. Data V. Kl. Augs. *Intpr.* Quicumque homo ingenuus ante Judicem causa de suo herede agere potest, si ipse suus heres hoc eum amittere voluerit, postea de ipsa causa nec Judex, nec ipse contra quem causationem habet, dejectare eum non potest, sed in quantum melius potest causa de herede suo agat.

Item alia Intpr. Quicumque causa alterius minare voluerit, in primis in ipsa causa ejus persona requiratur, si ingenuus est, aut non; postea vero cujus causa minare voluerit, ipsius mandatum presentet cujus causa minat, & sic in causationem intret.

Item alia intpr. Milites non permittitur nec advocatos, nec procuratores in causas aliorum fieri non possunt.

XII. *De cognitoribus & procuratoribus*. Impr. Julianus. Data II. Non. Febr. *Intpr.* Procurator est, cui causa per mandatum committitur: cognitor est, cui sine mandatum causa sua ad agendo presente Judicem ille qui causam habet & altero homine commendat. Si forsitam cognitor & procurator mortui fuerint, ipsa causa ipse homo in denuo agat, ad quem legitime pertinet. Si vero ille mortuus fuerit, qui alium hominem cognitore aut procuratorem rogavit in suam causam, ipse procurator vel cognitor tantum post mortem illius de ipsius rem recipiat, quantum ille ei & ante ea promisit, qui eos in sua causa procuratorem aut cognitorem recepit.

XIIII. *De his qui potentum nomina in lite pertendunt & titulos predii adfigunt*. Impr. Archadius. Data V. Kl. Decemb. *Intpr.* Quicumque homines cum aliis causam habent, aut alii apud ipsos, si forsitan aliquas scripturas falsas de potentorum, & de judicum in judicium presentaverint, ut per talem occasionem homines qui suam justitiam habent nocuerint, si ipsas personas aut Judicem, quorum nomina in ipsa scripta continent, si tale fraudem consentire voluerint, omnem dignitatem suam perdant. Si vero sine ipsorum voluntatem hoc scripturas illi accusatores protulerint, plumbatis cedi & in metallo deputentur, & causam perdant, & ipsa facultatem, unde causant, admittant.

XV. *De dolo malo*. Impr. Constant. Data VIII. Kl. Aug. *Intpr.* Dolus malus est, si quicumque homines post causas inter se finitas, si postea aut per aliquas scripturas, aut pro qualecumque fraudem, postea ipsa causa removere voluerint. Qui illi, qui eas agere volunt, infra duos annos hoc faciant; nam post duos annos, si illas causas agere voluerint, non valebunt, præter si ipsi litigantes aut per infirmitatem, aut per forasticas ambascias ipsas causas agere non potuerint.

Item alia intpr. Ad parvulis, hoc est, qui in minore etate sunt, si aliquis aut tutor aut quicumque homo aut per scripta aut per qualecumque ingenio eis damnum de eorum res intulerint, sciant se in antea omnia ei redditurum.

XVI. *De integris restitutionibus*. Impr. Constant. Data Id. Mar. *Intpr.* Qui tutillam ad res (2) parvulorum recepit ad gubernandum, si ea forsitan ab integritatem in tempore expleto ad ipsos parvulos non reddiderint, licet ei usque ad XXVIII. annos hoc se reparare, unde eis ipsorum debitum reddat.

XVII. *De his qui veniam ætatis impetraverunt*. Impr. Const. Data IIII. Kl. Jun. Roma. *Intpr.* Pupilli, hoc est, qui in minore ætate sunt, quamvis a XXV. anno pupillares annos impleant, tamen licet eis, si voluerint, in vicesimo ætatis sue annum ad Principes se ipsum commendare, & res suas cuicumque voluerint ad gubernandum dare possunt. Similiter & puellæ post XVIII. (3) annos, si voluerint, ipsam rationem facere possunt, sicut superius de pupillis diximus.

XVIII. *De Judiciis*. Impr. Constant. Data II. Kl. Jan. *Intpr.* Si qualescumque homines, qui inter se causas habuerint, si ante Judicem venerint, per singulas causas eos Judex descutere, & eorum causas inquirire debet, ne forte tales causas inter illos remaneant, ut postea ille Judex exinde corruptione non habeat, quæ ipsa causa bene non exquisisset; & postea quomodo ipsorum causa bene habet exquisita, sic suo judicio inter eos donet; & forsitan ipsi causatores postea antea ante Judices ambulare voluerint, ille Judex per ordine exinde ad suum Principem rationem donet, quomodo inter eos judicavit.

Item alia. Si quicumque homo ad duos Judices, ad puplicum, & ad privatum, (hoc est privatus, qui actor ecclesiarum est); si ille homo de una facultatem ad am-

(1) *Mensesive*, Hoc est: *messivæ*.

(2) *Res*. Huc, alibique non semel in hoc codice pro *res* scribitur *hores*, forte ex incuria scribæ.

(3) *XVIII*. In codice est *XXVIII*. sed perperam.

ambos illos Judices causa habere voluerit, ut ad unum de illos Judices, juvenior silicet (1), fretu componat, & ad illum alterum Judicem actu querit; ille homo qui istum fecerit, ipsam rem & actum, quem querit non accipiat, & insuper quinque partes facultatis suæ de illas res, que sub illo Judicem habet, ad illam civitatem det, in cujus finibus res, de quo agitur, fuerit constituta.

XVIIII. *De inofficioso testamento*. Impr. Costant. Data Id. Apl. *Intpr.* Si mulier carta de sua facultate fecerit & forsitan aliquis de suos infantes exheredare voluerit, hoc facere non potest, si ipsi filii contra suam matrem graves culpas non habuerint factas.

Item alia intpr. Si quicumque homo testamentum fecerit, & in omnibus suos filios ibidem heredes constituat, & suam uxorem in ipsum testamentum pretermittat, si illa mulier docere potuerit, ut ad filios suos nec per se, neque per alios homines per nullum malum injenium eis alicum malum fecisset; si hoc non fecit, ea de res mariti sui illa exeredare non potest.

Item alia. Si filii aliquid contra testamentum parentum suorum causa revolverint, infra quinque annos ipsa causa minare debent, ut postea usque XIII. annos ipsa causa agere possent. Nam si infra quinque annos contra ipsum testamentum nulla causaverint, sciant se, ut postea contra ipsum testamentum nulla pulsare possunt.

XX. *De inofficiosis donationibus*. Impr. Const. Data XIIII. Kl. Jul. *Intpr.* Cuicumque homini si ei aliquid donatur; si aliquid exinde agere voluerit, ut dispectionoso testamentum, sed qui quartam portionem vete (2) dimittatur, sicut superius diximus, infra quinque annos hoc agere debent. Nam post quinque annos exinde nulla agere potest.

XXI. *De inofficiosis dotibus*. Impr. Constant. Data IIII. Kl. Jan. *Intpr.* Dotibus, quid est inter virum & uxorem, si quarta porcio ad heredes servata non fuerit, ipsa dotes firma stare non potest.

Item alia. Si mulier ad secundum maritum dote fecerit, & de primario maritum filios habuerit, si quarta parte de res suas ad illos non reservaverit, ipsas dotes firma non permanebit.

XXII. *De hereditates petitiones*. Impr. Constant. Data III. Kl. Feb. *Intrpr.* Si quis homo libertum civencum romanum fecerit, & postea per sua culpa ad hoc venerit qui latinus libertus fiat, si in ipsa culpa mortuus fuerit, suas quam habuit ipsi domni recipiant qui virili sexu pertinent; & forsitan si ipsi liberti filios habuerint qui contra hoc aliquid dicere voluerint, ut dum pater eorum cive romanum fuisset, sic ipsos generasse, secundum legem exinde nihil agere possunt; quia in quale causa pater eorum mortuus fuerit, hoc requiritur, nam non in illa libertatem quando illos filios generabit.

XXIII. *De re vendicationem*. Impr. Honorius. Data V. Kl. Mar. *Intpr.* Quicumque milex in terram dominicalem ædificium fecerit, idest, si ipsa terra alter homo antea propressa non habet, postea ipsum ædificium nullus homo ei tollere potest. Similiter & de agro ubicumque laborare potuerint, si ipsum agrum antea alter non habuit, nullus homo ei tollere potest. Quod si quiscumque Princeps vel Judex per sua fortia ei ipsum tollere voluerit, aut alii homini illum dederit, pro ipsa causa eo quod ei illum injuste tollit, XX. libras auri componat.

XXIIII. *De familia herecisconde*. Impr. Constant. Data IIII. Kl. Septb. *Intpr.* Quicumque faciens testamentum, & postea heredes sui dixerint quod ipse testamentus non sit legitime firmatus, nec jesta legatus (3); ipse vero qui illum testamentum fecit, si voluerit, per qualescumque cartas ad suos filios & ad suas filias & ad suos nepotes de filio natos, quodquot eis donare voluerit, libera habeat potestatem. Et si per qualecumque scripta ad unum dare voluerit plus quam ad alium, hoc in sua est potestate facere sicut volet.

Item alia. Quicumque mulier post mortem mariti sui vivens, si suas res inter suos filios dividere voluerit, ipsas res postea dum vivit tenere potest, & ipsa divisio post mortem ejus firma permaneat.

XXV. *De commune dividendum*. Impr. Constant. Data III. Kl. Mad. *Intpr.* Cum post mortem parentum inter heredes familie dividuntur, ille heres, cui talem servum in porcionem venit qui uxorem & filios parvulos habet, ipsa uxor da marito suo, nec ipsi infantes non separentur, & pro eis vegarius (4) detur, ut qui ipsum conjugium recepit, integrum eum habeat.

XXVI. *De finium regendorum*. Impr. Constant. Data XII. Kl. Jul. *Intpr.* Quicumque homo alterius terram malo ordine invaserit, ipsam rem, quam male invasit, in duplum restituat.

XXVII. *Si certum petitur de cyrografis*. Impr. Honorius. Data V. Kl. Jun. *Intpr.* Quicumque homo ad alterum hominem de sua

---

(1) *Scilicet*. In codice scriptum videtur *sit. &*; sed legendum *scilicet*. Sensus enim legis esse innuitur, ne causa apud unum Judicem fredo composita, apud alium requiratur. Primus Judex dicitur hic *juvenior*, hoc est, *inferior*. V. Cangius in Glossar. V. *Juniores*.

(2) *Vete*. Scriptura luculenta est, quam nec corrigere valeo, nec explicare.

(3) *Jesta legatus*; h. e. *gestis alligatus*.

(4) *Vegarius*; h. e. *vicarius*; alter pro illo.

fua rem aliquid dederit, & exinde cautionem acciperit, fi ille homo mortuus fuerit qui illa cautionem fecit, fi propinqui vicini fuerint, ille qui ipfa caucione habet, infra duos annos ipfa caufa ante Judicem mittat: fi vero unus da altero longe commanferint, ille qui ipfam cautionem habet, infra quinque annos ipfa caufa ante Judice agat. Si vero ambo vixerint (1), oportet ei qui ipfa cautionem recepit, ut infra XII. annos ipfa caucionem refirmet. Quod fi ille qui ipfam cautionem fecit, in captivitate ambulaverit, ille, qui ipfam caucionem habet, ad fuam domum veniat, & ante fuos heredes & familia ipfa caucione in fuos poftes de fua caufa infigat; & forfitan ille, qui ipfam caucionem fecit, de illa captivitatem revertit, ut fe bene debeat de ipfa cautionem rememorare, & ipfum debitum creditori fuo fecundum legem folvat.

XXVIII. *Si certum petitur de fuffragiis*. Impr. Julianus. Data Kl. Feb. *Intpr.* Si quis homo dum in parva poteftatem eft pofitus, fi aliquid alicui homini donaverit, & poftea forfitan ad miliciam in majore poteftatem venerit, & fi hoc quod donavit, per fuam audaciam iterum ipfa rem retollere voluerit, hoc ei facere non liceat; & fi hoc ei tulerit, ipfam rem reddat, & alterum tantum in fifco conponat.

XXVIIII. Impr. Conftant. Data Kl. Jul. *Intpr.* Omnis pecunia quicumque homo ad alterum hominem fine carta donare poteft. Nam mancipia & terram qui alteri donaverit, fi carta exinde non fecerit, firmum ftare non poteft. Et quod fi hoc dicit poffidere & infra XXX. annos carta non oftendit, fic hoc reddat qualiter & de violentia lex precipit folvere.

XXX. *De pignoribus*. Impr. Conftant. ad univerfos provinciales. *Interfeffores ad Rectoribus*. Data IIII. Non. Jun. *Intpr.* Quicumque actor pro fefcale debitum aut fervus cultores aut boves araturicius pignorum (2), fecundum legem ad Judicem puniatur.

XXXI. *De quod juffo & de peculio*. Impr. Honorius. Data VI. Id. Jul. *Intpr.* Quicumque homo ad fervum, vel ad colonum conductum, procuratori, & actori alterius, non rogante dominum, aliquid eis dederit, & fi de ipfum fervum fidejufforem non acceperit, fi ille fervus ipfum debitum reddere noluerit, quamvis eum ille qui rem fuam ei dedit ante fuum dominum accufet eum, exinde per lege nullam recipere non debet; preter tantum fi ille fervus ad fuum dominum nulla de fuis rationibus non debuerit in compofitione, poftea de peculio fuo pro ipfa rem quam accepit ipfum debitum a creditori fuo folvat.

XXXII. *De ufuribus*. Impr. Coftant. Data XII. Kl. Mad. *Intpr.* Quicumque homo ad alterum hominem aliquid de qualecumque fructu terra preftaverit, non amplius ab eo ufuras recipiat quam tercia porcionem; duos licet dare, & fecundum legem tertia fuperrecipere. Nam de alia pecunia quod unus alteri preftat, non plus exinde recipiat ufuras, nifi centefimam porcionem; & fi amplius exinde exire voluerit, omnem rem, quod dedit, perdat.

EXPLICIT THEODOSI LIBER SECUNDUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

INCIPIT LIBER TERCIUS.

I. DE *contrahenda emptione*. Impr. Conftant. Data Id. Aug. *Intpr.* Cum inter ementem & vendentem de qualecumque rem fuerit inter eos orta caufatio, ille qui ipfam rem vendiderit, fi exinde minus precium preferit quam ipfa rem valebit, fit difinitum ipfa rem convenientiæ precium ficut inter eos conve-

(1) *Vixerint*. Errate fcriptum: *dixerint*.

(2) *Pignorum*. Legendum reor: *pignoraverit*.

venit, postea in precium ipse, qui compara, nullam rem venditori addere debet; nisi solum quod convenientia habuerunt det, & ipsa permaneat.

Item alia intpr. Quicumque homo de res puplicas, unde fiscus exit aut villam aut qualecumque terra comparare voluerit, non potest ipsam facultatem emere sine tributum, aut sine censu, quod de ipsa terra exit. Quod si presumpserit, ille qui emet precium perdat, & ille qui vendit ipsam villam perdat, aut qualis terra fuerit. Nam quicumque homo in qualecumque loco terram comparare voluerit, vicinus loci illius in suo testimonio roget esse, ne alterius facultatem aut terra comparet.

Item alia intpr. Ad pupillos qui minore ætate sunt, sive masculos sive feminas, de sua facultate non liceat alteri homini nec vindere, nec donare, dum infra annis sunt, nisi ante Judices puplicos aut curiales publicos; nam aliter nec ipsorum liceat dare, nec de alios recipere.

Item alia intpr. Quicumque homo jam in plena etatem est qui sua causa agere potest, si forsitan aut agrum aut villam aut qualecumque causam vendiderit, & postea dixerit, quod precium minus recipisset, quam ipsam rem valebat; & forsitan dicit: *illa rem aut illum agrum longe habui a me, non nescibam quantum valeret*: per tales occasiones nec vindicio cadit, nec ipsam rem tollere non potest.

Item alia intpr. A Christiano homine non licet Christianum mancipium ad Judeos vendere, nec Judeum non licet ipsum mancipium comparare, qui adveniente peccatum ne forte ipse Judeus illum Christianum hominem ad suam legem convertat, & fiet exinde grandis peccatus. Quod si hoc Judeus illum facere presumpserit, ipsum precium perdat ille ipse Judeus, & ipsum mancipium a Christiana lege convertat.

Item alia intpr. Quicumque homo ad qualecumque hominem qualecumque rem suam vindere voluerit, liberam habeat potestatem, nec eis sui heredes exinde impetire non possunt.

Item alia intpr. Omnem rem, quod homo ad alterum vendiderit, quamvis vilius fuerit comparata, si postea dicit ille qui ipsam rem suam vendidit quod minus precium presisset quam ipsa res valebat, pro hoc ipsa rem nullatenus retollere potest.

Item alia intpr. Quicumque curiales qui fiscum dare debet, si propter ipsum fiscum aut puplicum debitum forsitan fugire voluerit, & rem suam occulte vindiderit, hoc factum stare non potest; sed ipsum ad servitia puplica revocetur, & ille qui comparavit ipsum precium perdat.

Item alia intpr. Quicumque homines, qui personas potentes sunt, & per sua forcia pauperes oppremunt, & suas res eos sibi vendere aut donare fecerunt, ipsa vinditio & donatio stabiles non sit, sed ad illos ipsas res revertant, qui eas inviti vendiderunt, vel donaverunt.

II. *De commissoria recendenda.* Impr. Costant. Data III. Kl. Febr. *Intpr.* Omnis homo qui suum debitorem pro suum debitum pignoraverit & eum distrinxerit, & per ejus necessitatem de ipso pignus sibi strumentum faciat (1); sed ille qui oppressus debitum, pecunia reddat, & rem suam recipiat.

III. Impr. Valentinus. Data VI. Id. Mar. *Intpr.* Quicumque homo ingenuus filium suum per necessitate vendiderit, & eum non habuerit commoto (2) illo postea redimere possit; ille dominus ejus qui eum comparaverit, usque ad legitimum tempus servitutis eum teneat, & postea sine redemptionem precii sui ad suam ingenuitatem revertat.

IV. *De hedelicis accionibus.* Impr. Valentinus. Data III. Id. Jul. *Intpr.* Si quis homo de alterum hominem mancipium comparaverit, ipsum mancipium ei reddere nullatenus non potest; nisi eum fugitivum probare potuerit, postea & precium recipere, & mancipium reddere licet.

V. *De sponsalibus ante nuptias donationis.* Impr. Cost. Data III. Id. Mad. *Intpr.* Donationes vero nec dotes nuptiales firmas esse non possunt, nisi gestas adligatas non fuerint, & traditionis non habuerit; & curiales eas firmare debent.

Item alia intpr. Cum inter sponso & sponsa de nuptias fuerit conventum factum, & sponsus aut per conventum parentorum suorum, aut ipse per suam voluntatem, ad suam sponsam dote scripserit, & gestis ligata fecerit, & cum legitimos testes eam firmaverit, & res ad sponsa tractas fuerint, & postea ipse sponsus eam in conjugium prendere noluerit, quicquid ad sponsa sua dedit non requiratur, & si aliquid de sua sponsa recepit, sine dilacionem reddatur.

Item alia intpr. Feminas si in minore ætate se ad maritum junxerint, sed dote firma non acceperit, proinde quod infra annos est, dotes ejus non rumpitur; & si legitimos testes non habuerit, proinde quia infra annos est, firma permanebit.

Item alia intpr. Si quis homo aut privatus, aut militans, postquam se sponderit, & cum patre aut tutorem & curatorem puelle & propinqui de puelle conjunctiones definiret, post difinitionem intra biennium debet nuptias celebrare. Quod si per negligentiam sponsi biennie tempus tran-

(1) *Faciat*: quædam desunt; ex. gr. *hoc non valebit*.

(2) *Commoto*, h. e. *quomodo*.

transierit, & puella se alio viro conjuncxerit, nulla culpa exinde non habeat nec ipsa nec nullus de suos qui eam tradidit, quia culpa illius est, quia ea in conjugio tardavit copulare. Nam si infra biennium data fuerit, secundum legem exinde judicetur.

Item alia intpr. Si sponsus ad sponsa sua aliquid donaverit, quod eam osculaverit, & ipse sponsus antequam eam prehendat mortuus fuerit, medietatem de ipsam rem quod ad sponsam suam donavit, ad parentes sponsi reddatur. Et si aliquid quod ad sponsam suam dedit, antequam eam osculasset, totum ad integritatem ad parentes sponsi revertatur. Et quod sponsa ad suum sponsum ante nuptias, aut cum osculata fuerit, aut non osculata, si aliquid ad sponsum suum dedit, & ipsa mortua fuerit antequam eam prehendat, totum ab integritatem ad puella (1) de ipsa puella revertatur.

Item alia intpr. Si pater, & mater puella, quod pater non fuerit, & tutor, & procurator puelle infra X. & XI. annos cuique ea sponsaverit, & postea forsitan ipsum placitum adimplere noluerit, quantum in sponsalia reciperunt, hoc ad ipsum sponsum reddat; & si ipsa puella mortua fuerit, similiter & hoc reddant. Et si puella XI. annos plenos habuerit, & sponsa de sponso suo, quando eam sponsavit, si aliquid ad eam dedit, & postea ejus parentes exinde aliquid inmutare voluerit, hoc quod in sponsalias acciperunt, in quadruplum reddant. Similiter & mulier viduam si alicum hominem sponsaverit, & de illo aliquid acciperit, & postea se inmutare voluerit ut eum non accipiat, illum quod de eum accepit in quadruplum reddat. Similiter & puella post XII. ætatis suæ annos & si aliquid de sponso suo in sponsalias recipit, & si ipsa puella se mutare voluerit ut eum non accipiat, illum quod de eum accipit, in quadruplum reddat. Si forsitan ei aut sui parentes aut sui tutores sine causa voluntatis ipsum sponsum dederint, si hoc ipsa puella probare potuerit quod sine sua voluntate ipsum sponsum recepisset; de illum quod dedit, nihil ei exinde in antea exsolvere debeat.

Item alia intpr. Quicumque pater suam filiam sponsaverit, & mortuus fuerit, non licet nec ad illam puellam, nec ad suos tutores, ad alium sponsum illa jungere; nisi illum habeat, cui pater suus illam sponsavit.

Item alia intpr. Si donatio sponsalicia, aut dotes ante nuptias factas fuerint, & donatio de villas, quod CC. solidi valunt, ipsas in se precium habuerint, & forsitan res donata tradita non fuerit, proindeque jestis ligata non est, non rumpitur. Simi liter femina qui in minore ætate sunt, si sine patrem fuerint, nec si de quantum libet dotem ante nuptias acciperit, si forsitan gestis ligata non fuerit, pro hoc non rumpitur.

VI. *Si provintiæ Rector, vel ad eum pertinentes sponsalia dederit.* Impr. Gratianus. Data XV. Kl. Jul. *Intpr.* Quicumque Judex si forsitan aut suos filios aut alios juvenes quem ipsi secum habent cui bene volunt, si forsitan ad aliquos homines de illorum filios aut per menacias, aut per sua potentia, fortia eis facere voluerint, aut arras deiceret (2), ut eos conjugium socient, hoc non habeant licentia faciendi, nec ad parentes eorum nec ad tutores, nec ad ipsas puellas. Quod si fortia hoc factum fuerit, illum quod arras dant, ipsas puellas suo jure vindicabunt. Et si postea forsitan iterum per bona voluntatem reconvenerint cum illarum parentes & tutores, & ipsa puella, si in conjugio, directa conjunctio sit.

VII. *De nuptias.* Impr. Valentinus. Data XVII. Kl. Augs. *Intpr.* Si quicumque vidua intra XXV. annos ætatis suæ fuerit, si parentes vivos habuerit, non est in sua potestatem se ad alium maritum jungere, nisi ad suos parentes permanet potestas. Quod si patrem non habuerit, ne sic non est in sua potestate se ad alium maritum jungere, sed alii sui parentes & propinqui una cum Judicem veniant, & pro honestatem sicut rationem juxta legem ipsa ad matrimonio jungant, ad quem per legem sponsata fuerit.

Item alia intpr. Lege hujus ut veritas sit, ut nullus Judeus Christiana mulierem in conjugio habere debeat, nec Christiana mulier Judeo maritum habere presumat. quod si fecerit, tales pœnas prosequendi sunt sicut & alii adulteri. Et non solum propinqui parentes eos exinde acusent, sed omnibus licentiam damus eos persequendi, & Judices de eos sic faciant, sicut & de alios adulteros.

Item alia intpr. Qui se in matrimonium conjungunt, forsitan nec dotes nec donacio nec alia scripta inter se non fecerint, licet ipsorum, si se ambo voluerint, inter parentes & Judices & bonos vicinos conjunctione facere: si hoc fecerint, talis conjugius stabilis est, & filii legitimi habentur.

VIII. *De secundis nuptiis.* Data IIII. Kl. Jan. *Intpr.* Impr. Valentinus. Mulierem, qui post mortem mariti sui ante expletum annum se ad alium maritum juncxerit, sciens se infamatam esse & notata, & qualecumque rem de priore maritum aut per dotem, aut per testamentum, aliquid acciperit, ipsa mulier exinde nihil habeat, sed

(1) *Ad puella.* Lege: *ad parentes.*

(2) *Deiceret.* Legendum reor: *dederint.*

sed hoc totum ad filiis, qui de priore maritum sunt, revertant; & si filios non habet, heredes qui propinquiores sunt ad suo priorem maritum, ipsi hoc recipiant.

VIIII. *Si secundo nupserit mulier, cui maritus usufructum reliquit.* Impr. Theudosius. Data V. Kl. Jan. *Intpr.* Mulier mortuo marito suo, si post expletum annum alium maritum prehendere voluerit, hoc licentia habeat, & illud quod sponsalicias recepit de priore maritum, & illum quantum de sua dote continet, dum vivit, usumfructum exinde habeat, & postea ad filios, qui de priore maritum sunt, totum ab integritatem recipiant; & si aliqui ei prior maritus de sua facultate per alias cartas dederit, exinde ad suos infantes quem de priore maritum habet, quem de illius voluerit, meliorare potest. Nam nec si per qualemcumque scriptura suus prior maritus illi aliquid dedit, hoc ad aliam personam ipsa mulier non habet potestatem nullo modo exinde dandi, nisi ad suos filios quod de priore maritum habet. Quod si filios non habuerit, nisi tantum filias, ut una de filias suas mortua fuerit, porcionem de ipsa mortua filia medietatem mater ejus recipiat, & illa alia medietatem sorores ejus, quantas fuerint, æqualiter inter se dividant. Nam & ipsam portionem de ipsa mortua filia ejus mater post suam mortem ad suas filias, qui de priore maritum sunt, dimittat. Similiter quod si de ipsa facultate de prioris mariti aliquid exinde ad extraneos homines dederit, de suis propriis rebus reddat.

X. *Si nuptie ex rescripto petatur.* Impr. Honorius. Data Kls. Febr. *Intpr.* Quicumque homo ad Principem aut ad Judicem suggesserit, & mentit ad ipsum Judicem, ut aliquis homo suam filiam in matrimonio ei dare voluerit, & dicit quod ipsa puella hoc suam voluntatem consentiat; si postea ea in tale falsitatem in matrimonium sibi conjunxerit; si nec de ipsos parentes, si nec de ipsa puella voluntas non fuit; si ipse homo ad suum Principem sic falsum suggessit, suam facultatem omnia perdat, & ipsum in exilio mittatur; & si filii exinde nati fuerint, legitimi non sunt. Similis condicio & de illos est, qui se in tercio & usque in quarto jenuculo se parentes in conjugio juncxerint. Nam si hoc cum parentorum consensu fecerint, aut ipsas puellas consenserint, veniam consequantur, & da Principe preceptum tollant, & postea filii legitimi sunt.

XI. *Si quacumque preditus potestatem nuptias petat invidie.* Impr. Gratianus. Data XV. Kls. Jul. *Intpr.* Si aliquis Judex qui provintia, aut civitates, vel loca regent, si forsitan per suam potentiam, aut per fortiam qualescumque pullicIas (1), aut viduas, aut orfanas, per suarum necessitatem eas traxerint, aut si eas preferint, decem libras auri conponant, & per duos annos ipsa judiciaria amittant, & in exilio mittantur. Nam parentes illarum & ipsas puellas & ad alios Judices, si in ipsa civitatem & loca sunt; & si ibidem non fuerint alii Judices, postea in alias civitates & loca ad illos Judices qui ibidem sunt, & testimonium & defensionem habeant.

XII. *De incestis nuptiis.* Impr. Constant. Data III. Kl. Mar. Rom. *Intpr.* Quicumque homo cum sui patris filiam quem de altera uxorem habet, aut cum filiam matris suæ quem de altero marito habet, si se in conjugio acciperint, capitale judicium se esse incursurum cognoscat.

Item alia intpr. Si duas sorores unum maritum preferint, aut duo fratres una uxore preferint, aut qui uxorem fratri sui preferit, aut uxor si frater mariti sui preferit, hoc facere licentiam non damus. Nam ex tale conjugium filii legitimi non habeantur.

Item alia intpr. Quicumque homo aut fratris filiam, aut sororis filiam, aut suam consobrinam, aut certe fratris uxorem, qui se in tam scelerato conjugium juncxerint, secundum legem de presente separentur, & filii eorum non sint legitimi, sed ipsi debunt esse notati, & de parentorum facultatem nihil habeant; sed post eorum morte alii propinqui heredes ipsas facultates recipiant; nam ad suos infantes testamentum exinde facere nullo modo potest; nisi tantum ad suum propinquum heredem, si voluerint, carta ei de sua facultatem facere potest. Nam si propincos heredes non habuerit, hoc totum fiscus adquirat.

Item alia intpr. Quicumque mulier sororis suæ maritum post ejus morte acciperit, & quicumque vir, mortuam suam uxorem, si ejus sororem in conjugium priferit, sciat se tale conjugium esse notabiles, & filii qui ex eis nati fuerint & ad successione excludantur, nec inter filios habeantur.

XIII. *De dotibus.* Impr. Costant. Data XII. Id. Octub. *Intpr.* Si maritus uxorem suam de mores qualescumque capitanium crimen accusaverit, & in ipsa accusatione ejus maritus mortuus fuerit, heredes mariti ipsa muliere accusare non possunt. Similiter & si ipsa mulier mortua fuerit, ejus heredes (2) exinde accusare non possunt, quia crimina cum actore deficiunt.

Item alia intpr. Qualescumque cartas qui inter virum & uxorem factas fuerint, aut per dotem, aut per alias legitimas scripturas,

(1) *Pullicias.* Italice: *pulcelle.*

(2) *Ejus heredes &c.* Corrige: *ejus heredes exinde accusari non possunt, quia crimina cum auctore deficiunt.* Vide Interpr. Aniani ad Cod. Theod.

ras, hoc sibi & maritus & mulier, dum advivunt, in usumfructum sibi vindicent, & ad nullum alterum hominem exinde licentia non habeant qualecumque carta facere, nec per nullum ingenium donare: nisi tota ipsa facultas post eorum discessu ad communes filios revertatur.

XIIII. *De nuptiis Gentilium*. Impr. Valentinus. Data V. Non. Jun. *Intpr.* Nullus Romanus Barbara cujuslibet gentes uxorem habere presumat, nec Barbarus Romana sibi in conjugio accipere presumat; quod si fecerint, capitalem sententiam feriantur.

XV. *De fidejussoribus docium*. Impr. Valen. Data IIII. Kl. Nov. *Intpr.* Muliere pro dote causam potest hominem fidemjussorem dare.

Item alia intpr. Si quis impliendam dotem quid mulier maritum ante nuptias dat, si aliquis fidemjussor exierit, per illum fidejussore (1) non teneatur obnoxius.

XVI. *De repudiis*. Impr. Constan. Data. *Intpr.* Si contingerit lites inter virum & uxorem, si mulier maritum suum dimittere voluerit, non eum potest dimittere, nisi per trea crimina; hoc est si ei probare potuerit ut sit homicida, aut malificus, aut sepulchrorum violator; si una de istas culpas ei probare potuerit, nec dotem nec aliquid quem ad ipsum adquesivit non perdat, & alium maritum si prendere voluerit, licentiam habeat. Et quod si hoc super suum maritum probare non potuerit, omnia bona sua perdat, & ipsa in exilio (2). Maritus vero si sua uxorem dimittere voluerit, hoc facere non liceat, nisi trea crimina ei adprobare potuerit, hoc est, adultera, aut malifica, aut consiliatricem; si unum de ista crimina ei adprobare non potuerit, secundum legem ipsa dimittere non potest; & si eam dimiserit, aliam uxorem ei ducere non liceat; & omnia quicquid ad ipsam mulierem aut per dotem, aut per qualecumque ingenio ei ante dedit, ipsa mulier sibi vindicet, & si voluerit post biennium alium maritum prendere, licentiam habeat: & si suus maritus aliam uxorem duxerit, omnem ejus substantiam, & ejus posterioris mulieris dote, illa mulier sibi vindicet. Si vero maritus ipsa capitanea crimina ad suam uxorem probare potuerit, sicut superius diximus, ipsa in exilio mittatur, & amplius in patria non revertatur, & omnia sua bona perdat, & quidquid de suo maritum recepit, ipse maritus in sua revocet potestatem, & de presente si voluerit aliam uxorem ducere, licentiam habeat. Nam, ut superius diximus, si mulier suum maritum dimiserit, si ei suas istas culpas probare non potuerit, si postea in adulterio deprehensa fuerit, licet ad suum maritum exinde ea persequere.

XVII. *De tutoribus & curatoribus*. Impr. Const. Data IIII. Id. Octb. *Intpr.* Si qualiscumque causa ad parvulos qui in annis minoribus sunt, aut de actum, aut quemlibet causa, eos provocare aliquis voluerit, hoc antea, quamvis utilis sint, agere non possunt, nisi si ante curiales testes etas eorum plene fuerit, qui illorum causam respondeat. Nam feminas sub patria, hoc est, frater patris, sub ipsius tutilla ipsas minores feminas esse debeatur.

Item alia intpr. Si quicumque homo mortuus fuerit, si filios infra annis dimiserit, seniores civitates ipsius una cum aliqs Judices consilium inter se habere debent, quod ad ipsos infantes tutores mittere debeant, qui ipsorum res gubernent.

Item alia intpr. Mulier si post mortem mariti sui tutilla de res filiorum suorum recipere voluerit ad gubernandum, si alterum maritum prehendere voluerit, aut in juvenilem ætate non fuerit, ipsa tutilla recipere potest. Quod si ipsa tutilla recipere, si alium maritum duxerit, ille maritus qui ipsam mulierem ducit ad uxorem, sciat se suas res aligatus habere, & in omnibus paratus sit ad ipsas res de ipsos parvulos ad gubernandum, ut si aliquid exinde damnatum fuerit, de sua facultate sciat se hoc esse redditurum. Nam quod si illam mulierem seniores loci illius nam elegunt (3) ad ipsorum res gubernandum; postea ipsi seniores & Judices tale homine de ipsos heredes elegant qui eorum propincus est, qui & bonus sit & suas facultates habeat, ut nec per ipsius insipientia, & paupertatem, res de ipsius minores in damnum non ambulent. Quod si nec talis de eorum heredes inventus non fuerit, postea ipsi seniores & Judices alterum hominem de ipsa provintia elegant, qui justus & bonus sit, & suas facultates habeat, quid ad ipsos parvulos tutore dent, qui eorum res gubernent.

XVIII. *De qui petant*. Impr. Costaut. Data Id. Iul. *Intpr.* Quod avus paternum, aut avus maternum, aut avia paterna, aut avia materna, ipsas res parvulorum noluerint recipere ad gubernandum, postea inquirant testamentariis, hoc sunt, qui civi romani liberti dimissi sunt, sic ipsos jurare faciant, quod ipsas res parvulorum perfecte eis gubernent. Quod si & ipsi non fuerint, sciant se ipsi heredes quod superius scripti sunt, ut si eis aliquid de illa facultatem de illos parvulos venire debuerat, nulla exinde non habeant, & insuper damnandi sint, si res de ipsos nepotes suos noluerint recipere ad gubernandum.

XVIIII. *De administrationum & periculum*

(1) *Per illum fidejussore*. Lege: *per illam fidejussionem*; seu, *pro illa fidejussione*.

(2) In exilio: h. e. *in exilio mittatur*.

(3) *Nam elegunt*. Lege: *non eligunt*.

lum tutorum & cura. Impr. Costant. Data VI. Kl. Apr. *Intpr.* Quicumque homo res parvulorum reciperit ad gubernandum, si exinde in omnibus eis salvum & integra ratione sine ipsorum damnum ad expletum tempus tutilla eis non rediderit, sciat se de sua facultatem in quantum eis de ipsorum res damnum fecit, omnia ad ipsos parvulos redditurum, aut tantum eis de suas res in locum pignori dimittat, ad contra quantum illum fuit, quod per sua negligentia de ipsorum parvulorum facultatem perdiderint, usque dum ad ipsos parvulos omnia ab integritatem restituat.

Item alia intpr. Si forsitan parentes de ipsos parvulos aliquid per suo servitio a Principem de fisco habuerint concessum, & hoc postea ipsi parvuli per negligentiam de suos tutores perdiderint, sciant se ipsi tutores hoc totum de suo proprio ad ipsos parvulos redituri.

Item alia intpr. Si ad illos qui minore ætatem sunt, aliquid de facultatem, aut quod eorum parentes habere debuerant, si per negligentiam de suos tutores perdiderint, hoc totum sui tutores & curatores de suo proprio eis reddat.

Item alia intpr. Ubi tutores res parvulorum receperint ad gubernandum, de omnem illorum facultatem scripta facta & salva ambas partes habere debent, quantum ipsi tutores reciperint; & alia tale scripta rectores loci illius facere debent ad illos tutores, ut si talis res est, qui non peret, quod homo plurimum tempus servare possit, hoc est, quomodo de auro aut argento, talis pecunia omnia in unum collegatur & reponatur, & de anulos ipsorum bonorum hominum segelletur; ut nulla talis necessitas, nec talis causa veniat, quod de hoc ipsi tutores expendere debeant; sed omnia salvum sit ut (1) ad legitimum tempus etatis parvulorum. Nam quod si alia talis pecuniam mobilis est, quod sic servare homo non possit, ipsi tutores eam vendant, & agros exinde ad ipsos parvulos comparent. Et quod si talis pecuniam non est, unde hoc facere possint, in quantum est illud laborent, & ipsos parvulos nutricant; & sic eos gubernent, ut omnia, sine ipsorum parvulorum damnum. Sed nec ipsi parvuli postea ad suos tutores de ipsa parva pecuniam, unde eos vix nutrire possunt, usuras non requirant.

EXPLICIT THEUDOSI LIBER TERCIUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

I. DE *credicionem & bonorum possessionem*. Impr. Theudosius. Data VII. Id. Nov. Si mortuo patre talis ejus infans remanserit, qui adhuc loqui non possit, ipse infans inter suos heredes in omnibus in hereditatem parentorum suorum succedit.

II. *Unde liberi*. Impr. Archadius. Data II. Non. Octb. Si pater mortuus fuerit, & filias suas maritatas dimiserit, & ad illas in tempore nuptiarum dote fecerit, & quod ad eas dedit; si pater earum sic fuerit mortuus qui testamentum non faciat, si ipsas filias alias res cum fratres suos dividere voluerint, omnia, quod pater earum ad illas dedit, ad fratres suos, cum ad dividendum venerint, presentent, & sic postea secundum legem cum fratribus suis omnia equaliter dividant: quod si hoc non fecerint, quantum in tempore nuptiarum reciperint, hoc pro sua porcione reteneant, & ab alia hereditate parentorum suorum excludantur.

III. *De carboniano edicto*. Impr. Valent. Data III. Kl. Octb. *Intpr.* Si quis homo mortuus fuerit, & legitima uxorem prignante dimiserit, jubet ipsa lex ipsam mulierem ad suos propinquos ad custodiendum recipere, ut cum legitimum tempus infans na-

(1) *Ut*; h. e. *usque*.

natus fuerit, ut ipsi propinqui testimonium dent, ut ne forte postea ei dicatur, quia non sit de legitimum patrem ingeneratus: sic ipse infans postea in omnibus legitimam suam portionem de hereditate parentum suorum recipiat, & usque XV. etatis sue annos cum venerit, sine omnium repeticionem, qui a suo patre derelicta sunt, possideat, & postea suas res per curatore exsequat actiones.

IIII. *De testamentis & codecellis*. Impr. Constant. Data XI. Kl. Jan. *Intpr.* Quicumque homo si non facit testamentum, sed fecerit codicellum (hoc est codicellus, alia cartam in vicem de testamento) hoc facere potest, & sic ipsum codicellum firmare roget cum legitimos testes, sicut & testamentum, idest per VII. aut per V. legitimos testes; quia per minorem numerum de testes carta firma esse non potest. Et si forsitan testamentum fecerit, & postea iterum alia carta tale fecerit, ubi qualecumque hominem contra suum testamentum heredem instituat, ipsa carta firma esse non potest.

Item alia intpr. Si quis homo moriens & testamentum fecerit, & forsitan postea, aut per proprias premias, aut per quale & modo, si Judici, aut ad Judices propincos, aut per qualecumque suum amicum, si per codicellum aut per qualecumque libet epistola eis aliquid de res suas donaverit; talis donatio, qui tale modo in secreto fuerit tractata, non valeat.

Item alia intpr. Si cum in morte est homo, & scribit, aut dictaberit cartula testamenti, si V. aut VII. testes eam firmaverint, valet testamentus: quod si plus de VII. testes fuerint, non nocebit: nam si minus de V. fuerint, non valebit.

Item alia intpr. Omnis testamenta & alias cartas in urbem Rome apud curiales viros volumus presentare; ut in omnem regionem omnes scripturas qui scribitur, placuit voluntas mortuorum, ut legitimos testes impleantur; nam si per legitimos testes non fuerit firmata, non valebit.

Item alia intpr. Voluntas mortuorum sic placuit, ut si aliquis mortuus fuerit, & non fecerit testamentum, neque alia carta legitima, nisi forsitan ad verbum demandaverit; & si aliquis homo dicat: *Ego audivi mortuum dicentem, ut voluerit aliquid aut Judici aut ad potentes homines de rem suam dare*: sed nos vero talem vocem non permittimus audire, nec non valeat; nisi forte si legitimas cartas fuerint protultas, illas valebunt; nam alia id de mandato valere non potest.

Item alia intpr. Si quis homo fecerit testamentum, & postea X. annos supervixerit, si ipsum testamentum non remutaverit, vacuus erit. Nam per X. annos (1) si ipsum testamentum voluerit ut firmus permaneat, mutare eum debet.

Item alia intpr. Si quis homo fecerit testamentum, & postea sine testamentum quod remansit, si exinde alicui, aut per testamentum, aut per codicellum, & per donatione, alicum heredem sibi injungere voluerit, licentiam habeat facere.

V. *De letigiosis*. Impr. Costant. Data Kl. Aug. *Intpr.* De illas res, qui in contentione sunt, non potest aliquis de illos nulla carta exinde facere, ante quam ipsas res per legem possit vindicare.

VI. *De naturalibus filiis & matribus eorum*. Impr. Valent. Data VI. Kl. Sept. *Intpr.* Quicumque homo de ingenua muliere legitimos filios, aut filias habuerit, aut nepotes, & alios filios de non legitima muliere, qui naturales filios dicunt, id est, de concubina, qui nos *ornongus* dicimus; potest eis, & ad matres eorum, pater ipsorum de sua facultate eis una uncia, hoc est, XII. porcionem de suas res eis dare. Et quod si legitimos infantes & nepotes non habuerit; ad illos naturales filios, & ad matribus eorum, III. uncias de sua facultate secundum legem eis dare potest. Nam nec per parentorum arbitrium, nec per nulla carta, amplius dare non potest, nisi quantum superius scriptum est.

VII. *De manumissionibus in ecclesia*. Imp. Constant. Data IIII. Kl. Maj. *Intpr.* Quicumque homo servos suos ingenuos dimiserint, in Bassilica presente sacerdotes & plebem dimittat: si hoc fecerint, plenam libertatem habeant. Nam si clericus suam mancipiam injenuam dimittere voluerit sine alio sacerdote & sine alia scripta, tantum solum cum verbo, si hoc in ecclesiam faceret, eorum libertas firma permaneat.

VIII. *De liberali causa*. Impr. Cost. Data XIIII. Kl. Aug. *Intpr.* Quicumque homo qui libertus factus & dimissus est, si eum iterum aliquis alter homo ad servitium declinare voluerit, hoc ei de presentem facere non liceat, sed ad ipsos libertos inducias detur, & suum benefactorem inquirat, qui eos cum eorum libertates defendant. Quod si ipsum defensorem invenire potuerint, ille qui eos in servitio inclinare voluerit, quanta familia voluit inservire, alios tantos de sua mancipia ad eorum defensore det, & ipsi liberti, qui pulsabant, liberi permaneant. Similiter quod si pupilli qui in minore etate tempus sunt, forsitan tutores eorum aliquos libertos in servitio voluerint, si per legem hoc facere si potuerint (2), sciant ipsi tutores, sicut superius de illos alios diximus, tanta manci-

(1) *Per X. annos*. Lege: *post X. annos*.
(2) *Si potuerint*. Legendum videtur; *non potuerint*.

cipia de ſuo proprium dent, quantos libertos in ſervitium inclinare voluerint. Et quod ſi illi homines, qui illos libertos perſequebant, forſitan dum illos libertos in ſervitutem inclinare volebat, ſed ſi mortui fuerint, & ipſi liberti ſe de ſervitio liberare potuerint, licet poſtea ad ipſos libertos eorum heredes, qui eos perſequebant, ante Judicem mittere, & ipſum tenore, ſicut & parentes eorum, ut tanta mancipia de ſuo dent, quantos in ſervitio inclinare voluerint.

Quod ſi illi liberti ipſa cauſa perſequere noluerint, ad ſuos perſecutores nullum fretum pro tale cauſam non requiratur. Et quod ſi forſitan ipſi liberti defenſores non invenerint, nec ipſi ſe per nullo modo defendere non poterint, per pactionem Judices & bonorum hominum, non ad ſupplicii pœnas, ſed per pacientia, in ſervitio ad ſuum dominum revertatur.

Item alia intpr. Infans qui in minore ætatem ſi venditus fuerit, licet ei poſt XXV. annos ætatis ſuæ de ſua ingenuitatem reclamare debet, ut ante XXX. annos ſe de ſervitio liberet: & ſi hoc fecerit, ſine omne pretio ſe de ſervitio liberare poteſt. Nam poſt XXX. annos hoc facere non poteſt. Et ſi forſitan ille qui eum comparavit, alium acto, aut in publico, aut in ſuas res ei dederit, proinde ſua injenuitatem non perdit. Et ſi forſitan alii quod ei ille qui eum comparavit ſine carta donaverit, totum ipſe recipiat, cui antea ſervus fuit: nam ſi ei aliquod per cartam donavit, quantum in ipſa carta continet, hoc ſibi vindicavit. Similiter & libertus, ſi infra XIIII. annos injenuus fuerit dimiſſus, & cum in plena ætatem venerit, ſi aliquo acto patronorum ſuorum fecerit, proinde ſuam libertatem non perdat, ſed quando voluerit, ad ſuam libertatem revertat. Similiter ſi aliquis infantem injenuum nutrierit, & ipſe infans ſe injenuum eſſe non ſaperet; & ſi ille, qui eum nutrivit, ipſum infantem vendiderit, & ſi forſitan ille, qui eum comparavit, alio acto illi dederit; ſi voluerit ipſe infans, ante XXX. annos de ſuam injenuitatem reclamare poteſt.

Item alia intpr. Lex aliquando fuerat, ut qui XVI. annos ſine omne inquietudine injenuus permanſit, poſtea ad ſervitium non veniret; ſed nos hoc valere non permittimus. Si injenuus homo in alterius colona, aut in cottidiana ancilla infantes generaverit, licet pater eorum injenuus, ſed ipſos infantes ad injenuitatem traere non poteſt, nec illa colona, nec illa ancilla, quem de illas in conjugio preſe, unde illos infantes generavit, niſi ſi pro illos alia mancipia vecaria dederit; aut ſi cum precium ſtatus eorum reddimere. Si hoc non fecerint, & ipſi infantes & matres eorum, ſervi eorum permanebunt, cujus ancillas ante fuerunt. Similiter & ſi proprii domini in ſuas ipſorum ancillas infantes injeneraverint, nec ipſi, nec matres eorum injenui eſſe non poſſunt, niſi per libertatem dimiſſi fuerint.

Item alia intpr. Qui per XX. annos non occulte, ſed preſentem omnibus, liber fuerit, ſi forſitan aliquo acto publicum fecerit, aut militiæ locum habuerit; ſi hoc tacente patrono ſic permanſit, poſtea ad ſervitium non adicatur. Similiter & illi, qui neſcientes patronos ſuos latuerunt.

VIIII. *Qui non a domino ſuo manummiſſi ſunt*. Impr. Conſtan. *De his*. Data prid. Id. Jul. *Intpr.* Si quis homo qui alterius mancipium aut in eccleſia, aut ante Principe, injenuum dimiſerit, ille libertus ad ſervitium revertatur, & ille qui eum per ſuam preſumptionem injenuum dimiſit, II. alios tales mancipios, qualis ille fuit, & cum tale opera quale ille facere potuit quem injenuum dimiſit, ad ſuum dominum reddat. Et quod ſi ipſe mancipius, quem injenuum dimiſit, ſi ſe ipſe de ſuo domino, aut per longum ſervitium, aut per qualecumque alia cauſa, liberare potuerit, ille qui eum injenuum dimiſit, pro tale cauſa nihil componat.

X. *De libertis & eorum liberis*. Impr. Coſtant. Data VI. Kl. Aug. *Intpr.* Si quiſcumque homo, qui libertus dimiſſus eſt, ſi forſitan poſtea contra ſuum patronem ſuperbus factus fuerit, aut ſi eum aliquid ſuam malitia leſerit, amiſſa libertatem ad ſervitium revertatur.

XI. *De victualibus & commiſſis*. Impr. Conſtant. Data Kl. Jul. *Intpr.* Quicumque homo in qualecumque utilitatem publica, ſi homines aut carra aut caballus pro ſe, aut qualecumque rem conduxerit, ille quicumque conduxit, quicquid ei in locationem promiſit, omnia ei ſolvat; quod ſi non fecerit, per diſtrictionem Judicis hoc ſolvat. Similiter & quicumque actor, ſi ad illos homines qui aliquid vegere debetur, aut per ſe, aut cum carra, aut cum caballos, aut navigium facere, aut qualecumque rem qui vegere debent; ſi ipſe actor eis plus ſuperinpoſuerit, aut plus eos minaverit quam conſuetudinem habent; & ſi aliquas premias exinde preſerit, ut unum plus minet, & alterum parcat; qui hoc fecerit capite puniatur. Et ipſi ſupraſcripti actores non plus quam triennium in ipſa actionem perdurent (1).

XII. *De quinquennii ſuperſcriptionem*. Impr. Honor. Data VIII. Kl. Jul. *Intpr.* Si quis homo qualecumque rem feſcalem per quinque annos inter preſentes ſine omnem cenſum reddito ſine omne inquietudi-

(1) *Perdurent*. Mendoſe in codice: *perducent*.

dinem possidere, liceat ei si ipsas res sine fisco possidere; & juxta legem ipsi fiscales Judices pro hoc ei in adjutorium esse debent.

XIII. *De rem judicatam*. Impr. Grat. Data XI. Kl. Octub. *Intpr.* In causas inter privatos homines, quod publice actiones non sunt, nemini liceat ad extraneum Judicem ipsa causa in judicio mittere; nisi ante suum privatum Judicem eam liberet.

XIIII. *De sententiis ex periculis recidandis*. Impr. Val. Data XV. Kl. Jan. *Intpr.* Omnes Judices specialiter sciant, ut sic inter duos causatores ipsorum causas inquirere debent, ut ipsi causatores tota sua causa per ordinem dicant; & postea Judex sic inter eos directum judicium det; postea vero, quod de ipsa causa inter eos fuerit judicatum, secundum legem, nullus de ipsos se exinde mutare non potest.

XV. *De fructibus & litis spensis*. Impr. Valent. Data VII. Kl. Mad. *Intpr.* Si aliquis homo res alienas rapuerit malo ordine, aut injuste invaserit, si exinde in judicium convictus fuerit, tam res quam injuste tenuit, tam & fructum de ipsas res per singulos annos, in quantum tempus eas tenuit, & usque quo in judicium victus fuerit, quales si ipse colexit, si quales ante ipsi homines, cui (1) ipsas res esse debent, per bona tempora super ipsa terra habuerint, excepto sumpto lites, hoc est, in quantum ipsi homines, cui ipsa facultas esse debet, per placitum cum ipsos homines causandum in suum victum spendiderint, aut quantum pro hoc ad Judicem conducendum pro sua justitiam dederint. Quod si illi homines, qui ipsam facultatem querunt, ipsa causa vincere non potuerint, simili modo ad illos homines, contra quem causaverint, quantum ipsi in sumptum lites spensaverint, ipsi hoc ei reddant.

Nam quicumque homo, qui simpliciter nesciendo res alienas tenuerit, & si de presente, quo ammallatus fuerit, ipsas res reddere; de illa die de quo in judicium venerint, de tunc sicut superius diximus solvant, nam non de tunc quando ipsas res tenuit.

Item alia intpr. Si postea cum inter illos directum judicium fuerit judicatum, & judices fretum & res fuerint redditas, nullos de ipsos postea de ipsas res recausare non possunt.

XVI. *De usuris rei judicate*. Impr. Valent. Data XV. Kl. Jul. *Intpr.* Quicumque homo si ante Judicem pro qualecumque debitum ammallatus fuerit, si ibidem convictus fuerit, quod si ipsum debitum solvere debeat; si ipsum debitum in placitum juxtam legem infra duos menses, aut quomodo inter eos convenit, dupla non solverit (2), centesima partem cum ipsum debitum solvat. Quod si ei judicatum fuerit, quod si ipsum debitum, quod contra rationem tenuit, ut exinde usuras reddere debeat, simpla centesima porcionem cum ipsum debitum solvat. Quod si ille qui debitor est, ipsa rem quam debet, in placitum parata habuerint, ut eam reddere debeant; & quod ille, cui debitor est, prehendere noluerit propter dubitatem de illas usuras, aut de illa centesima; si hoc ipse, qui debitor est, bonos homines in testimonium suum ducat, qui hoc adfirment, quod ipse debitor ipsam rem, quam debuerat, in placitum paratum habuisset; si hoc fecerit & postea ille debitor de illa centesima nihil solvat, nisi tantum illum debitum, quod debebat.

XVII. *Qui bonis ex lege Julia cedere possunt*. Impr. Gracian. Data Id. Octub. Roma. *Intpr.* Nullus homo, qui aut fiscale aut privatum debitum, aut de aurum, aut de argentum, aut de qualecumque re mobilem habet ad solvendum, dicat; pro nulla occasionem dicat: *Si de res meas non fecero cessionem, non habeo reddere*: per hoc si de ipsum debitum liberare non possunt, ut eum non solvat; nisi si eum aut incendium, aut hostes, aut latrocinium, aut cujuslibet major violentiam potuerit se adprobare, ut de omnem rem suam ab integro fuisset devastatus; si istas causas non potuerit adprobare, ipsum debitum ab integrum reddat.

XVIII. *Quorum bonorum*. Impr. Archad. Data VI. Kl. Aug. Mediolano. *Intpr.* Hoc justum esse dicimus, ut quicumque homo omnia, quæ habuit, & usque in die vitæ suæ tenuerit, querentibus eum heredibus suis debeat eis consignare, & ille postea, cui adpertinet, teneat. Verumtamen uxoris sue res, si sine infantes mortua fuerit, ad propintiis ejus qui illi legitimi sunt, ejus res adsignare precipimus; nam suus maritus exinde habere non potest.

Item alia intpr. Si quis homo ad alterum hominem aliqua (3) rem cesserit, videat ut si per scriptura, aut per testes, qualiter ipsam rem cedatur, ut illud quod per voluntatem cesserat, legitime adfirmet.

XVIIII. *De vim Judicum*. Impr. Cost. Data X. Kl. Novemb. *Intpr.* Nullus Judex alienas res nec per fortia, nec per nullo malo injenio, absente illo cujus res sunt, nullus homo eas invadere non presumat, nisi si eas si per judicium Judices potuerint vindicare, salvum Judices fretum. Quod si ille injenuus homo, cui res sic invasas fuerint, forsitan in captivitatem ductus fuerit, & res suas in patria dimiserit, liceat ipsas

(1) *Cui*, idest, quibus. Scriptum errate videtur *cum*.

(2) *Dupla non solverit &c.* Sic corrigo: *non solverit, dupla centesimam partem &c.*

(3) *Aliqua*. Mendose in codice: *aut qua*.

ipsas res ad suos parentes, & ad suos amicos, aut ad suos libertos, vel ad suos servos, prosequere, & salvare. Quod si forsitan ad illos qualescumque homines violentiam facere voluerint, ut ipsas res illi salvare non possint; si ipse homo, qui in captivitatem ductus fuit, si post XXX. annos revertar, suas res qui in ipsius potestatem erant, quando in illa captivitatem ductus fuit, tam de illos qui eos invaserat, quam & de illos rectores, si ipsas res reciperint ad salvandum, si forsitan exinde aliquid per negligentiam perdiderint, sine omnem dilationem ille qui de ipsa captivitatem reversus est, de presente suas res de ab integro precipiat (1).

Item alia intpr. Quicumque homo suam causam in absconso per malo ingenio agere voluerit, & ipsa causa ante Judicem dicere noluerit, ut causatorem suum absconse noceat, aut illum rixa turbaverit; ille qui sic fecit, si in ipsa causa justitiam habere debuisset, tota eam perdat. Similiter si parvuli qui in minore ætate sunt, per tale neglegentia res suas perdiderint, cum ad legitimam ætatem pervenerint, res suas ab integro recipiant: & si forsitan tutores & curatores de ipsos parvulos, per sua neglegentia ipsorum res desperatas fuerint, de suam facultatem tantum solvere debeant.

Item alia intpr. Quicumque homo aut fiscalem aut privatam rem malo ordine invaserit, si exinde in judicium convictus fuerit, ipsam rem quam male invasit, & alium tantum, ad eum, cui ipsas res esse debuerant, reddat. Quod si ille homo, cujus ipsas res fuerint, per suam presumptionem, ante quam eas in judicio convincere possat, presumpserat prehendere, ipsam causam perdat.

Item alia intpr. Propter absentes legem volumus iterare, ut si alicui homini ad quamlibet hominem aliquid tultum fuerit, hoc totum ad amicis & proximis, aut ad suos libertos & servos, quem ille dominus in suas res misit, cum Judices notitiam, sine omni morem eis reddatur; ut quando ille homo, qui aut in militia fuerit, aut in qualecumque necessitatem, & captivitatem ductus fuerit, cujus ipsa res fuerint, ut quando reversus fuerit, omnia ab integro recipiat.

Item alia intpr. Quicumque homo contra alterum hominem ante Judicem undecumque causa miserit, nullus Judex presumat de nulla causa sine ejus causatore ad unum hominem judicium dare. Nisi illi qui inter se causam habent, ambe partes ante Judicem veniant, & ipse Judex inter eos diligenter inquirat; & quam ipsos de eorum causas bene exquisitus habuerit, sic inter eos directum judicium judicet.

XX. *Utrum vim*. Impr. Archad. Data V. Id. Jul. *Intpr. De causas momentaneas*. Omnes causas momentaneas tam de facultate & quam & de colonaria familiam, qui exinde causa cum altero habuerit, infra annus prosequat, cujus essere debeat, & de presente, hoc est de momento, sit revestitus. Et sic postea qui exinde ei aliquid dicere voluerit, sic cum eo ille qui revestitus est causas suas agat.

EXPLICIT LIBER IIII.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI V.

INCIPIT LIBER V.

I. DE *legitimis hereditatibus*. Impr. Costant. Data XIIII. Kl. Jun. Rom. *Intpr.* Si mater jus liberorum non habuerit; hoc est jus liberorum, si ingenua mulier III. partos non habuerit, & libertina IIII., jus diberorum habere non possunt.

Si qua ingenua mulier post mortem mariti sui, si jus liberorum non habuerit, nisi unicum filium, & ipse filius emancipatus fuerit mortuus, mater in ejus portione, quod ipse habere debuerat, in III. parte succedat, & illas duas partes heredes ejus legitimi inter se dividant; hoc est, si fratres non habet, sui patrui, hoc sunt fratres patris, si unus aut plures sunt, hoc ea recipiant; & si patrui mortui fuerint, filii patrui omnes hoc recipiant; & si filii pa-

(1) *Precipiat*: h. e. *percipiat*.

patruorum mortui fuerint, si nepotes fuerint, ipsi nepotes hoc recipiant. Quod si mulier jus liberorum habuerit, & si unus, aut toti mortui fuerint, II. porciones de ipsorum hereditatem mater eorum recipiat, & illa III. porcione supra scripti parentes inter se dividant.

Item alia intpr. Si aliquis mortuus fuerit, & dimiserit matrem & fratrem consanguineum, hoc est qui de uno patre nati sunt, adoptivum, hoc est qui ante curiales vel plebe gistis fuerit adfiliatus, totum matrem de mortui filii hereditate illi excludunt.

Intpr. Si qua femina dotata aut inmancipata mortua fuerit, & patrem aut matrem super se vivos dimittit, & si filios super suam mortem dimiserit, ipsa mater suam portionem non ad suos parentes, nisi ad suos filios dimittat.

Item alia intpr. Si quis pater aut mater mortui fuerint, & divisi non fuerint, si filios aut filias super se dimiserint, & forsitan una filia eorum mortua fuerit, & de ipsa mortua filia nepotes dimiserint; filii, qui vivi sunt, suam porcionem in integrum succedat, nepotes de filia mortua de porcione ad heres duas partes recipiant, III. vero fratres matris suæ recipiant. Similiter si aliqui sine divisione mortua fuerit, & dimittit ex filia nepotes, & alios filios non dimittit, & si forsitan fratres, aut & sorores, super se vivos dimiserit; III. partes hereditatis avi materni nepotes & neptias & vel neptiis ex filia sibi vindicabunt; IIII. vero fratres & soror avi defuncti recipiunt.

Similiter maternam, & paternam, & si ata (1) sine divisione mortuas fuerit, & dimittit filios vivos, & forsitan de alio mortuo filio aut filia dimittit nepotes de patris vel matris, ipsi nepotes vel neptias III. perdunt. Nam in atonis de patris hereditate nepotes, vel neptias nihil perdunt.

Item alia intpr. Hæc lex similis est superiore; sed hoc amplius habet, quod dote pro filia in genero facta, vel quodquod ipsa filia in tempore nuptiarum accepit, postea post mortem atonis intestati, ipsi nepotes omnia insimul commiscere jussimus, & de dotem in hereditatem mixta duas partes exinde, quam mater eorum venire debuerat, precipiant; & si forsitan commiscere noluerint, sint ipsi nepotes cum illa contempti, quem mater eorum in tempore nuptiarum accepit, vel cum hoc solum quod in ejus dotem continet.

Item alia intpr. Sicut superius jam superiorem legem inseruimus, ut si mater jus liberorum habet, ut unus de filiis suis mortuus fuerit, de ipsi mortui filii porcionem II. partes mater recipiat, & III. sui filii, qui vivi sunt, inter se dividant. Sed in hac legem constitutum est, ut si mater jus liberorum habens, ut unus ex filiis suis, aut filias, mortuas fuerint, de ipsius mortui filii, vel filie, hereditatem medietatem ex eo mater eorum recipiat, & illa alia medietatem suas filias inter se dividant; & ipsa mulier (2) alium maritum non preserit, de ipsa porcione potestatem habeat facere quod voluerit. Si vero alium maritum acciperit, quodque filius vel filia mortua aliunde adquesierit, mater eorum in perpetuo sibi vindicent. Nam de alia hereditate prioris mariti ipsam porcionem, quam ex mortuo filio & filia fuerat consecuta, sorores de illos mortuos fratres post obitum matris suæ sibi vindicent. Quod si filius aut filia illi qui morientur dimiserint, & mater eorum jus liberorum habentem super se dimiserint, & sorores, & si forsitan filios habeant illi qui moriuntur, ipsi filii eorum in integra facultatem patris & matris suæ succedunt; & mater & sorores mortuorum postea ab ipsa facultate habeantur extranei. Hæc lex de nepotibus & pronepotibus filiorum constituit.

Item alia intpr. Si quis homo ingenuus intestatus sine filios mortuus fuerit, suam facultatem post morte ipsius sui parentes recipiant. Similiter mulier si intestata sine filios mortua fuerit, suam hereditatem sui parentes recipiant. Quod si nec maritus, nec uxor, nullum propinquum heredem non habuerint, tunc postea maritus & uxor sibi unus alter invicem in hereditatem succedunt.

II. *Decurionum, idest curialium.* Impr. Costant. Data Kl. Decemb. *Intpr.* Si curiales qui fiscales causas per . . . t, si forsitan intestatus mortuus fuerit, & neque proximos super se dimiserit, suam facultatem, quam ipse habuit, ad nullum alterum hominem prendere licet, nisi ad ipsos curiales de ipsa linia, unde fuit, qui ipsam curam, quam ille fecit, agere debeat. Nam curalibus testamentum facere lex ista tribuit potestatem.

III. *De Clericorum & Monachorum.* Impr. Theud. Data XVIII. Kl. Jan. *Intpr.* Si quis Episcopus, aut Clericus, vel Monachus, aut quicumque religiosus, vel religiosa femina, si isti supra scripti suam facultatem habuerint, & intestati sine filios, aut sine uxores mortui fuerint & heredes non dimiserint, quodquod nec curie aliquid debuerat, nec patronum quodquod relinquerint; postea ipsas ecclesiis, cui servierunt, illorum facultatem adquirant. Et si testamentum facere voluerint, libera potestatem habeant faciendi.

(1) *Maternam & paternam & si ata*: h. e. materna, & paterna avia.

(2) *Et ipsa mulier*. Lege: *& si ipsa mulier*.

IV. *De bonis militum*. Impr. Costant. Data II. Mar. *Intpr.* Si milites intestati, & sine heredes mortui fuerint, & proximos non habuerint, eorum bona illi, qui in ipso officio militant, sibi vindicabunt.

V. *De post liminio, idest de captivitatem*. Impr. Valent. Data XVII. Kl. Jul. *Intpr.* Quicumque homo ingenuus de captivitatem sine sua voluntate, aut per hoste captivus ductus est, post quantumcumque tempus in patriam suam reversus fuerit, liceat ei omnia suam facultatem, quod dimiserit, in integrum recipere. Et si forsitan eam aut fiscus, aut privati homines tenuerint, aut Judex alicui dederit, omnia ad integritate ei ipsam facultatem reddat. Et si forsitam ipse homo qui eum captivum habuit (1), redemptione pretii sui de eum prendere voluerit, & si ille ipsa redemptionem non habuerit unde dare, pro ipsa redemptione V. annos serviat qui eum captivum habuit, & post quinque annos sine omnia alia redemptionem liber ad suam provintia revertatur. Et si forsitan quando revertere voluerit, aliquis eum pro suum victum aut vestimentum, quod ei in sua necessitate dedisset, si pro hoc ei exinde aliquid quesierit, pro hoc ei exinde licentiam nullam habeat requirendi. Et cum reversus fuerit, si aliquis homo ei de facultatem, quod habuit, aliquid contradicere voluerit, pro tale presumptionem sciat se in exilium missurum; si vero possessor homo fuerit, suam facultatem fiscus adquirat. Et Judex vero puplici, qui hac lege neglexerit, vel se ab integritatem ei suam facultatem non restituerint, secundum legem, sciant se X. libras auri fisci parcere (2) se esse daturum.

VI. *De ingenuis qui tempore tyranni servierunt*. Impr. Costantinus. Data VIII. Kl. Mar. *Intpr.* Ingenuus, qui tempore tyranni servi facti sunt, ad libertatem revertant. Similiter quicumque malus homo, si per potestatem, aut per fortiam, ingenuum hominem sciendum ad servitium inclinaverit, sciat se in legibus esse vindicandum; & ille homo de presente ad suam ingenuitatem revertat.

VII. *De expositis*. Impr. Costant. Data XV. Kl. Mad. *Intpr.* Quicumque expositum recenti partum, hoc est infanti parvulum, quod sui parentes aut in ecclesiam, aut in platea ecclesiarum jactaverint; si quis eum sciente patrem, aut matrem, & domino, exinde eum collexerint, & suo labore eum nutricaverint, in illius potestatem permanebit qui ipsum infante collexerat. Et quod si nec patrem, nec matrem, nec dominum non saperet, & exinde ipso infante collegere voluerit, sic ante Pontificem, vel ipsos Clericos, qui ad ipsa ecclesia deserviunt, ipsum infantem presentet, & exinde epistolam collectionis de manu ipsius Episcopi, & Clericorum accipiat; & postea ipsum infantem aut injenuum dimittere, aut servum habere in perpetuum habeat potestatem.

VIII. *De his qui sanguilentus emptus & nutriendus acceperint*. Impr. Costant. Data XV. Kl. Sept. *Intpr.* Si quis infantem parvulum a partu acciperit ad nutricandum, in ipsius dominium permanebit qui eum nutricaverit; & si postea de quo nutritus fuerit, si ipsum infantem aut dominus aut pater suus recipere voluerit, sic aut alterum tale mancipium, aut precium pro eo nutritori dent, & sic ipsum infantem recipiant.

VIIII. *De fugitivis & colonis inquilinis & servis*. Impr. Cost. Data VI. Kl. Nov. *Intpr.* Si quis sciendum alienum colonum in suam casam retenuerit, de presente ipsum colonum, quando eum requisierit, domino suo reddat, & mercedes ejus cum eo de quamdiu eum post se habuit; & ipse colonus, qui noluit esse quod natus est, ad servitium revertatur.

Item alia intpr. Quicumque colonum, aut mancipium alterius, sive fiscalem, sive privatum, aut samardecaverit (3) aut celaverit, pro privatum colonum VI. uncias auri solvat, pro fescale vero libra auri solvatur.

X. *De inquilinis & colonis*. Impr. Honorius. Data V. Kl. Jul. *Intpr.* Si quis homo alienum colonum in rem suam, vel fugitivum, & per suam voluntatem migrante, si eum ille homo XXX. annos habuit, si habuerit, postea sicut suum proprium eum vindicavit: qui si infra XXX. annos inventus fuerit, a primarium dominum, & cum filiis suis, & cum omne suum debitum, & cum suum peculium revocetur. Quod si ipse colonus mortuus fuerit, filii ejus & cum suas mercedes, & cum patres sui mercedes, ad suum dominum revocetur. Colona vero si XX. annos in alieno dominio permanserit, ad priorem dominum non requiratur. Nam si infra XX. annos inventa fuerit, si jam de alieno colono filios habuerit, cum agnitiones, hoc est cum III. parte de ipsos filios, ad primarium dominum revocetur; quia colonus duæ partes agnitio sequitur, & colona tertia. Tamen ne separatio conjugii fiat, ille, cujus colonus est, vegariam mulierem det, & pro illa tertia agnitionem, hoc est tertia de ejus filios, aut vegarius, aut in quale rem potuerit, ad priorem dominum solvat. Nam si aliena colona, aut ancilla, ingenuum hominem maritum preserit, omnis agnitio mulie-

(1) *Qui eum captivum habuit*: ut puto, *redemptum*.

(2) *Parcere*. Lege: *partibus*, vel quid simile.

(3) *Samardecaverit*. Mala arte sollicitaverit.

lieris ad ejus dominum pertinebit.

XI. *Ne colonus inscio domino suo alienet peculium & litem & inferat civilem.* Impr. Valens. Data VI. Kl. Feb. *Intpr.* Coloni in tantum teneantur ad dominos suos constrictos, ut nec de terra, nec de peculium suum, sine voluntatem dominorum suorum nec vendere, nec donare, nullo modo non habeat potestatem.

XII. *De longa consuetudinem.* Impr. Constant. Data IIII. Id. Mar. *Intpr.* Longa consuetudo, qui utilitatibus publicis non impedit, pro lege servetur.

Explicit Theodosi Liber V.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRORUM VI.

Incipit Liber VI.

UT *dignitatis ordo servetur.* Impr. Valent. Data Kl. Jan. *Intpr.* Si quis homo qualecumque honorem, & dignitatem sine Principes ordinationem per se ipsum persumpserit prehendere ad regendum, sacrilegii reus habeatur; quia sicut dignitas est illorum, qui beneficium Principis aliquid habere merentur, ita & illorum sic est gravissima confusio, qui per semetipsos aliquid presumpserit, aut per Principes non fuerint honorati. Hii vero qui sic presumunt, & excomunicatus sit inter homines, & de suas res exiet.

Explicit Liber VI.

INCIPIT LIBER VII.

I. *De rem militari.* Impr. Cost. Data IIII. Kl. Mad. *Intpr.* Si quis homo cum qualescumque homines sine causa preda fecerit, tam ille qui fecit, quam & ille qui cum predonibus preda diviserit, ad incendium concrementur.

Explicit Liber VII.

INCIPIT LIBER OCTAVUS.

I. *De tabulariis locograffis censualibus ideſt scribis.* Impr. Honor. Data VI. Kl. Apr. *Intpr.* Tam in provinciam quam & per singulas civitates tabularii & alios Judices publicos ad omnes & causas publicas tractandas, non colonos, nec servos, sed ingenuos, & cum bona fide, secundum legem constituant, qui hoc agere debeant.

Nam quod si colonos aut servos elegerint, qui ipsum actum faciant, & domini eorum hoc consenserint; in quantum ipse colonus vel servus decepta fecerit, aut alicui sine causa damnum intulerit, omnia domini eorum de suo proprio conponant, & ipsi coloni & servi flagellati ad fiscum perveniant.

II. *De cursu publico, angariis & parangariis.* Impr. Cost. Data XIII. Kl. Dec. *Intpr.* Si quis homo & actor, palavaretum aut angaria, non ostensa vectionem publicam, qui per legem facere debet; nam si super inposita per fortiam, aut in suam propriam vectionem menaverit, per singulos palavaretos, & per singulas angarias, singulas libras auri fisci viribus solvat. Quod si Rector provintie, aut aliqui de ipsius officio aliquo conludio exinde facere voluerit, duplum ex suis bonis noverit exigendum.

III. *De executoribus & exactionibus.* Impr. Grat. Data IIII. Non. Nov. *Intpr.* De die dominico omnis homo de omni causatione requiem habeant, ut nec privatum debitum, nec publicum nullus ausus sit requirere; nec nulla indicta publica, nec privata non indicetur; qui hoc non observaverit, reus sacrilegii teneatur.

IIII. *Nequid publice letitiæ ex discriptione & ab invitis accipiat.* Impr. Grat. Data IIII. Kl. Mad. *Intpr.* Quando aliqua publica gaudia nunciantur, hoc est, aut elevatio Regis, aut nuptias, aut barbatoria, aut aliqua alia gaudia, quod ad Judices pertinet, nihil invidum (1) ad populum nec dona, nec nulla expendia exequantur.

V.

(1) *Invidum*: h. e. *invitum*.

V. *De donationibus*. Impr. Coftan. Data VI. Non. Febr. *Intpr.* Donatio aut directa eft, aut mortis caufa confcribitur. Donatio directa eft, ut res quod donat homo, de prefente tradatur cui donat, & ipfa die poffideat. Donatio mortis caufa fcripta eft, fi ille qui donat, dum advivit, illam rem quam donat ipfe poffideat, fcribat & illi cui donat: *Si ego ante fuero mortuus, quantum iftas res in donationem fcripfi, poft meam mortem ad te perveniant, nam non ad alios heredes meos*: Poftea fi ille antea fuerit mortuus, ipfas res ad illum perveniant, cui eas in donationem fcripfit. Nam fi ille ante fuerit mortuus cui eas donavit, quam fuus donator; ipfa donatio ad donatorem revertat. Alia donatio eft: Ubi donator fcripfit illi cui donat ipfam donationem aliquas caufas, quia inpoffibile eft, quod ille poftea nullum modo facere non poteft; fi eas poftea facere non potuerit, talis donatio vana eft, ftare non poteft. Nam fi ipfas conditiones doctas (1) fuerant, cui donant adimplere potuerit, aut forfitan donator eas redimittere voluerit, ut non fiat, donatio illa firma permaneat. Omnes donationes fuperius nominatas, fi legitimos teftes non fuerint firmatas, aut fi Falcidia, hoc eft quartam partem, donator non refervaverit de res fuas, ipfas donationes firmas non funt. Nam fi quarta refervata fuerit, & legitimos teftes firmata fuerit, ipfas donationes firmas permaneant. Nam tamen omnem rem, que incontentionofa eft, antequam eam homo deliberet, nulla donationem exinde facere non poteft. Item fi ad parvulos, ideft qui minore etate funt, fi forfitan eis aliqua donatio facta fuerit, tutores eorum ipfam donationem bene gubernent, ut per fuas negligentias ex ipfa parvulorum donatione nihil perdat: nam fi exinde per fuas neglegentias aliquid perdiderint, fciant fe ipfi tutores de fuo proprio reftaurandum.

Nam, ficut fuperius diximus, in omnes donationes primis nomen donatoris fcribat, fic poftea ipfius cui donat, poftea ipfam facultatem quam donat, fi in terris, aut domo, & in mancipiis, quia inmobilia funt, & geftis ligare debet; & de ipfa re traditionem faciat non abfconfe, fed prefente bonos homines; & ipfam donationem aut in tabula aut in carta fcribat; & fi donator litteras fcit, ipfam donationem fcribat; & fi litteras non fcit, prefente plurimos homines roget, qui pro eo fcribat. De mobile re, fi donat homo, prefente teftes donationem faciat. Nam de illa re quam homo movere non poteft, hoc eft in terris & cafas, fi homo alicui donaverit, fi ufusfructus refervatus non fuerit, gefta apud bonos homines vel curiales teftes firmatas effe debent.

Item alia intpr. Qui alicui de res fuas donationes fecerit, aut in dotem dederit, fi ufufructum refervaverit, fi ftipulatio inferta non fuerit, pro traditione teneatur.

VI. *De revocandis donationibus*. Impr. Coft. Data XII. Kl. Oct. *Intpr.* Si pater ad filium fuum inmancipatum donationem fecerit, & ipfe filius poftea patri fuo aliquam gravem injuriam fecerit; ipfam donationem, fi voluerit pater fuus, poteftatem habeat ad fe revocandi.

Item alia intpr. Si quicumque ingenuus homo filios non habuerit, & forfitan fuos libertos de fuas res donationem fecerit; fi poftea forfitan filios habuerit, donatio ad libertum facta omnibus vacua permanebunt.

Item alia intpr. Si mater filio fuo donationem fecerit, fi poftea ipfe filius matri fuæ graves injurias intulerit, fi ipfas injurias mater in judicium probare potuerit, fi voluerit, ipfa mater poteftatem habet ipfam donacionem ad fe revocandi. Et fi poft mortem mariti fui ad fecundas nuptias venerit, pro nulla occafione donacio filio facta non poterit rumpere, fervatis fcriptis legibus cui fub titulo fecundis nuptiis continetur. Si quis homo filio aut filiæ, aut nepoti ex filio, vel pronepoti ex neptie; fi ei aliquid in tempore inmancipationis donaverit, nifi probatas in judicium graves injurias, quod ei ille cui donavit factas habeat, nam pro alia caufa ipfa donatio rumpere non poteft iterum.

VII. *De revocandis liberis*. Impr. Valent. Data XI. Kl. Sept. *Intpr.* Si pater, filium fuum mancipaverit, & ipfe filius patri fuo poftea graves injurias intulerit; fi exinde in judicium convictus a patre fuo fuerit, amiffa mancipatione in familiam revertatur.

VIII. *De his, qui adminiftrantibus & publicum officium gerentibus detracta funt vel donata*. Impr. Coftant. Data XIII. Kl. Jul. *Intpr.* Si quis homo, qui Judicem vel actorem publicum obfecunt, fi forfitan aut per fortiam, aut per fuam timam, qualemcumque hominem fibi aut ftrumenta, aut aliquam aliam cartam preciperit facere, tales cartas, fi factas fuerint, vacuas permaneant; fimiliter & male vendutas res ad venditorem revertant; & precium non recipiant, fi juftum non dederit.

VIIII. *De maternis bonis & paternis generis & creationis fublata*. Impr. Conft. Data V. Kl. Aug. *Intpr.* Patres, qui res filiorum fuorum juffi funt gubernari, in quantum melius poffunt, fic eas gubernent. Nam nec vendere nec donare alteri homini

---

(1) *Conditiones doctas*: h. e. *conditiones bonas, honeftas*. Nempe fi conditiones honeftæ fuerint, & donatarius illas adimplere potuerit.

ni licentiam non habeat; quod si fecerit, videat ille cui vendiderat, aut donaverit, non filiorum res accipissent aut scientes aut nescientes; sed interrogent patrem & filios, si filiorum res in sua retinet potestatem, ut probet suum esse quod tradidit, ut postea filii exinde suspicionem non habeant; & ad patrem fidejussorem venditorem (1) percipiant, ut patre vivo damnum emptori non faciant. Quia si hoc non fecerint, mortuo patre licet filios res suas de qualecumque homine, si venditas aut donatas a patre fuerint, ipsi filii in suo dominio revocare.

Item alia intpr. Matres res, quem filii debent habere, mortua uxorem lex novella constituit, quantum aut quamdiu pater usufructum exinde habere debeat; nam nec vendere nec donare pater non habeat potestatem. Nisi in tantum si mortua mater, & pater postea filium suum emancipaverit, ipse filius de res matris suæ tercia parte quod ei advenerit patri suo pro dono exinde dare debet ipsius gratiam querendum.

Item alia intpr. Pater uxorem mortuam filios habuerit, & unus de filios emancipatus mortuus fuerit, omnem porcionem ejus, quod de matrem suam habere debuerat, omnia sua porcionem pater suus recipiat. Si forsitan ipse pater alia uxorem duxerit, ipsa filii mortui porcionem ad fratres mortui reddat: Nisi in tantum si aliquid ipse mortuus filius de foras adquesivit, hoc pater in perpetuum sibi vindicavit.

Item alia intpr. Uxore mortua, si maritum super se dimiserit, & omnes filios in potestatem patris relinquerit, pater de filiorum res, quod mater eorum dimisit, usufructum exinde sibi habeat usque ad illum tempus, quod lex novella constituit. Quod si post matris obitum, aut plures aut unum filium pater emancipaverit, de illorum porcionem triante accipiat pater eorum, & in perpetuo habeat. Quod si viva matrem, pater unum & plures filios inmancipaverit, aut filias, quia non potest, mater vivam, filiorum porcionem pater vindicare; nam post matris mortem, si pater supervixerit, tertia partem vindicavit; idest per singulos filios de matris hereditatem de ipsi emancipati filii, de unum medium, de duos tercia, de tres quarta porcione, dum intervixerit pater, in usufructu possideat. Quod si alteri filii vivam matrem aut patrem mancipati fuerint, & alteri non emancipati, tam demancipatis, & non demancipatis, sicut superius scriptum est, a patre servetur. Quod si mortua uxorem filii non fuerint, & nepotes & neptiæ ex filiis avos paternos habuerint, quia in avi potestatem consistunt; si vero ex ipsis nepotibus avus eorum emancipare voluerit, tertia similiter sicut & pater de filiorum similiter portionem accipiat; hoc vero & pronepotibus lex ista constitui.

X. *De bonis qui filiis familias ex matrimonium adquirantur.* Impr. Theud. Data VI. Id. Novemb. *Intpr.* Quicquid attus, vel avus, & ata, aut amita materna ad nepotes vel pronepotes suos per testamentum, aut per qualecumque causam firmum eis donaverint, hoc patri non adquirunt, set omnia in eorum maneat dominationem, ut exinde libera habeant potestate facere quod voluerit.

EXPLICIT THEUDOSI LIBER VIII.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO VIIII.

XXVIII.

---

(1) *Venditorem*. Lege: *venditionis*. Confer cum Interpret. Aniani.

XXVIII. De indulgentiis criminum, ideſt, cujus cauſa non eſt.
XXVIIII. De calumniatoribus.
XXX. De pœnis.
XXXI. Ne ſine juſſo Principis certis Judicibus liceat confiſcare.
XXXII. De bonis perſcriptorum, ſeu damnatorum.
XXXIII. De ſententiis paſſis, & exiliatis, & liberis eorum.
XXXIIII. De his qui ad æccleſiam confugiunt.

INCIPIT LIBER VIIII.

I. *De accuſationibus & ſubſcriptoribus.* Impr. Coſtant. Data II. Non. Dec. *Intpr.* In qualecumque provintia ſi homo capitanium crimen, aut unde homo mori debeat, ſuper alicum miſerit, ab ipſos Judices, qui in ea provintia, aut in illo loco ſunt, judicetur, ubi ipſum crimen admiſſum eſt. Nam non apud eos, non ubi ipſe homo inhabitat, qui illum crimen fecit.

Item alia intpr. Femina ſua propria cauſa agere poteſt. Nam extraneam cauſam nullo modo agere poteſt.

Item alia intpr. Quicumque homo ad alterum hominem iratus aliquo crimen inpoſuerit, habeat ſpacium poſt crimen dictum, poſt tres dies, ſi ille in ipſa cauſa perduraverit, ut dicat: *Ego quæ dixi, hoc probare poſſum*; ut ipſum crimen ſuper illum hominem alium vincat: ſi poſtea ipſum crimen, cui dixit probare, non poterit, reus criminis adeſſe debeat, & tale pœna habeat, quales ille debuerat habere, ſuper quem ipſe crimen dixit. Quod ſi forſitam ſe ipſum penituerit, & dixerit: *Hanc crimen iratus dixi, nam hoc cumprobare non poſſum:* exinde det ſacramentum; ſi hoc fecerit, poſtea pro hoc non teneatur in culpa.

Item alia intpr. Quicumque homo ad alterum hominem de homicidium, aut de capitaneum crimine reputaverit, ſi injenuus eſt, & ad alium ingenuum talem cauſam reputat, ſi per ei ſacramentum non crediderit, Judex non eum ante diſcutiat, niſi prius ſubſcribat ſe ipſum ille qui eum accuſat, aut de ſuam facultatem, aut qui tale pœna ſuſtineat, qualem voluerit ei facere quam accuſat. Sic poſtea Judex illum qui accuſatur (1), in traballio mittat; ſi ibidem ipſum crimen non fuerit confeſſus, poſtea ille qui eum accuſavit ſciat, ſe aut ſuam facultatem amittere, aut pœnam quam poſuerat ſolvidurum, aut in ipſo treballio dupla pœna ſuſtinere. Similiter ſi quicumque homo alienum ſervum de capitale crimine ammallaverit, & ei ad ſacramentum non crediderit, niſi ſubſcribere eum vult; de preſente plebat (2), hoc eſt ſubſcribat ſuum ſervum alterum talem quales ille eſt, cui reputat: ſic Judex illum, cui de ipſa culpa reputat, in treballio mittatur; ſi in ipſo trebalio ipſa culpa confeſſus non fuerit & illum flagellatum ſervum dominus ſuus recipiat, & illum alium ſervum, qui contra illum ſubſcriptus eſt, habeat.

Item alia intpr. Ubi homines culpabiles in carcere miſſi fuerint, non multum tempore eos ibidem tenere debent; niſi de preſente expellantur foras, & ſi culpabiles ſunt, ſecundum ſuam culpam eos judicentur; & ſi culpa non habuerint, liberi abſcedant.

Item alia intpr. Barones hac mulieres, ſi crimen equale habunt, non in una carcere mittatur.

II. *De cuſtodiam reorum.* Impr. Coſtant. Data Non. Apr. *Intpr.* Qualecumque culpam, vel hominem, ſi Judex eum in carcere mittere juſſerit, ſi exinde reus per neglegentiam de ipſo cuſtode fugiret, ſciat ſe ipſe cuſtor, ut ipſum reum preſentare debeat; & ſi eum preſentare non potuerit, tale pœna ſuſtineat, ſicut ille reus patire debuerat.

Item alia intpr. Omnes dominicis diebus, qui in carceribus ſunt conſtricti, Judex eos foras ſub cuſtodiam expellere faciat; & forſitan ſi aliquis Chriſtianus pro reverentiam Chriſti aliqua ſubſtantia eis porrigant; & juſta quomodo eis oportet, Judex eos ſub cuſtodiam in balneo lavare faciat. Si quis Judex hoc non fecerit, pœna qui lex ipſa conſtituit, ſolvat.

III. *Ne preter crimen mageſtatis ſervus dominum ſuum, vel patronum libertus ſeu familiares acuſet.* Impr. Valentinus. Data Id. Mar. *Intpr.* Si quis ſervus dominum ſuum, aut libertus patronum ſuum acuſare voluerit, niſi forſitan probare potuerit, quid ipſe dominus aut ipſe patronus contra dominum blaſphemaſſet, aut paganos eos probare potuerit, de tale accuſationem licentiam habeant. Et ſi vero dixerit, ipſe libertus aut ſervus ſine omnem injuriam liberi abſcedant: Nam ſi de hoc mentierint, aut ſi forſitan de alia qualecumque cauſa libertus patronum, aut ſervus dominum ſuum, ad qualecumque Judicem accuſaverint, de preſente in ipſa hora accuſacionis Judex eos capite punire faciat.

IIII. *Ad lege Juliam de adulteris.* Impr. Coſtant. Data III. Non. Febr. *Intpr.* Si quacumque femina habuerit taberna in domum

---

(1) *Qui accuſatur.* In codice legitur: *qui accuſat:* ſed perperam.

(2) *Plebat:* in vadimonium ſpondeat: quod Italice eſt *pieggiare*.

mum suam, si sua ancilla miserit qui ipsum vinum vendere debeat, si ipsa domina sua in adulterium fuerit deprehensa, maritus suus exinde eam accusare non potest (1). Nam si ipsa ancilla, qui ipsum vinum vendit, in adulterium fuerit deprehensa, pro hoc eam dominus suus eam accusare non potest. Nam quod si ipsa domina mulier, cujus vinus est illa taberna per se ipsa vendiderit, & in adulterium fuerit deprehensa, pro hoc exinde eam accusare non potest maritus suus.

Item alia intpr. De adulterio extranea muliere nullus accuset, nisi propinqui ad quem pertinet, hoc est, frater germanus, & frater patruelis, patervos (2), & conubrinos; & tamen, si antequam eam homo accusat, criminaverit, potest ei veniam impetrare: Nam alteri, qui ante subscriptionem non criminaverit, veniam non accipiant. Nam maritus ex suspictionem uxorem suam accusare licet.

Item alia intpr. Si contigerit, ut per suspicionem homo ad suam mulierem de adulterium reputat, vel de tale accusat, quod suum maritum occidere voluisset; similiter si maritus suam mulierem sine culpa occidere voluerit, aut forsitan fecerit; pro tale causa debet Judex cotidiana familiam, qui semper in casa cum ipsos suos dominos conversant, districtos discutere, ut quodquod exinde sciunt, verum dicere debeant, pro quale causa aut uxor maritum, aut maritus uxorem occidisset.

Item alia intpr. Ne Judeus Christiana, ne Christianus Judea ducat uxorem; quod si duxerit, quicumque homo potest exinde accusare; & sicut de adulterio, sic de eos vindicetur.

Item alia intpr. Quicumque masculus cum masculum concubuerit, ignibus conburentur.

Item alia intpr. Qui in adulterio accusati sunt, si propinqui aut amici eos excusaverint, si postea forsitan post aliquo tempore ipsam causam, qui ante celata aut excusata fuerat, foras proierit, velut manifestus adulterius punire placuit.

V. *Si quis ea, cujus tutor fuerit, corruperit*. Impr. Costant. Data II. Kl. Apr. *Intpr.* Ubi primum puella annus nuptialis venerit, qui maritum prehendere possat, si patrem aut matrem non habuerit, nisi sub tutore viventem fuerit, & si aliquis eam in conjugium prendere voluerit; non antea se ad illa conjungat, quam ejus ingenuitas ab ipso tutore fuerit adprobata. Nam si ab ipso tutore ejus virginitas violata fuerit, ipse tutor in exilio mittatur, & ejus facultates fiscus adquirat.

VI. *Intpr.* Quicumque mulier ingenua suum servum ad maritum preserit, ipsa mulier occidatur, & illum servum ignibus concremetur. Licet ad familiam de tale crimine sua domina accusare; si hoc probare ipsa familia potuerint, libertatem accipiant; nam si hoc probare non potuerint, puniantur. Et ipsa mulier si hoc fecerit, ejus facultas, si de alio legitimo maritum infantes habuerit, ab ipsos infantes perveniant; & si infantes non habuerit, ad propinquos revertat.

VI. *Ad lege Julia de via publica & privata*. Impr. Costant. Data XV. Kl. Mad. *Intpr.* Si ingenuus homo convictus fuerit ante Judicem, quod alicui evidente violentia sine culpa intulisset, capite puniatur; & quod si ibidem ambe partes homicidium factum fuerit, in illum vindicetur, qui ipsam violentiam intulit.

Similiter si aliquis super alterum violentiam dicit, si hoc ante Judicem probare non potuerit super eum, quod ei aliqua violentiam fecisset, talem pœnam sustineat, quale ille debuerat sustinere, quem violentum esse dixit.

Item alia intpr. Servi, si nescientibus dominis suis alicui violentiam fecerint, puniantur; & si domini eorum hoc consenserint, dignitatem suam amissa notati infamiæ deputentur, servi vero qui talem causam ad suos dominos consentierint, in metallo deputentur.

VIII. *De privati carcere custodia*. Impr. Theud. Data II. Id. Mad. *Intpr.* Si quis Judex, qui violentes homines scienter aut de carcere, aut sic loco dimittunt, ut ipsa causa diligenter non inquirant; tale pœna exinde habeant ipsi Judices, sicut in superiore lege scriptum est.

VIIII. *De emendationem servorum*. Impr. Costant. Data X. Kl. Mad. *Intpr.* Si quis homo dum suum servum pro homicidii culpa in custodiam habuerit, & ipse servus ibidem mortuus fuerit; dominus ejus pro ipsa culpa homicidii non teneatur obnoxius.

X. *De emendacione propinquorum*. Impr. Valentinus. Data II. Kl. Novemb. *Intpr.* Si aduliscentes infantes aliquid minutas culpas fecerit, dimittant eos in potestatem dominorum suorum, vel ad patrem suum, aut ad propinquos, ut ipsi eos in privare per verbum discutiant, ut forsitan per blanda verba eis veritatem dicant. Quod si per verba non potuerint, mittant eos in trabalio; quod nec sic per hoc non potuerint veritatem cognoscere, postea si graves culpas fuerint, ad discussionem Judicis tradatur.

XI. *Ad legem Cornilia. De sicariis*. Impr. Valentin. Data V. Kl. Febr. *Intpr.* Si vir aut mulier sua voluntate infante negaverit, rei homicidii teneatur.

Item alia. Si quiscumque homo aut noctturnis horis, aut diurnis, armatus forsitan alios homines, aut de terra ambulantes, aut

(1) *Accusare non potest*. Luculente legitur in codice particula negativa, quam tamen irrepsisse credo ex errore amanuensium.

(2) *Patervos*; h. e. *patruos*.

aut in sua casa, asalire voluerit, & si ipsi homines, suas causas, aut se ipsos defendendos, illum, qui eum adsalierit, occiserint, nullam malam exinde habeant, & illum qui occisus est pro rei latrone morte habeantur.

XII. *De parricidio*. Impr. Costan. Data XVII. Kl. Decemb. Si aliquis patrem, aut matrem, aut fratrem, aut sororem, aut filium, aut filiam, aut alium suum propinquum occiserit, factum de corio saccum, quod colleus dicitur, & ibidem ipsum homicidam mittantur, & cum ipso serpentes includantur, & si prope est mare, in ipsum mare eum dimergantur: si mare prope non est, in laco, aut in profundo gurgo dimergantur, ut nullo tempore ejus corpore non obtineat sepultura.

XIII. *De maleficis & mathimaticis & ceteris similibus*. Impr. Constant. Data XV. Kl. Jul. *Intpr.* Malifici, vel incantatores, & missores tempestatum, vel his qui per invocationem demonum mentes hominum turbant, hii vero omne pœnarum genere puniantur.

Item alia intpr. Quicumque facrificia demonum celebraverint, vel incantacionum demones invocaverint, capite puniantur. Similiter quicumque invocationem demonum, vel in divinos ariolos appellant, vel in aruspices qui aguria cablant (1), crediderint, capite puniantur.

XIIII. *A lege Favia, hoc est, qui filios involant alienos*. Impr. Costant. Data Kl. Aug. *Intpr.* Quicumque homo filium alienum involaverit. (2)

XV. *Ad legem Cornilia, de falso*. Impr. Costant. Data IIII. Kl. Feb. *Intpr.* Si Curialis de alicujus morientis voluntate aliquid scripserit, aut quælibet de puplico documento scripserit, si falsum fecerit, & accusatus fuerit, prius ipsam culpam conponat; & si postea convictus fuerit, honorem perdat; nam de curia sua non exeat.

Item alia intpr. Si aliquis homo in cujuslibet scripturis tam in civile, quam in criminali, non falsum crimen dixisset, si ipsa carta vera esse dicatur, si ante Judicem venerint, & ille, qui accusat, falso crimen in carta dixerit, det Judex accusatori espatium ut deliberet; si postea revenire voluerit ad Judicem, & causam, quem dixit, recausare voluerit, in potestatem Judicis erit, aut de eum subscriptionem facere, aut si locum discutere, ut probet ille qui querit; & si probare non potuerit, tale damnum sustineat, quale ille, si convictus fuisset, debuerat sustinere.

XVI. *Victu civiliter agere & criminaliter possit*. Impr. Valentinus. Data Prid. Kl. Jun. *Intpr.* Sunt cause permixte civiles pariter & criminales, & possunt ipsas causas dividere, ut primos civiles, & postea criminales agantur. Quicumque homo de re sua per violentiam fuerit dejectus, & rem tultam habuerit; si primis voluerit de ipsa causa ante Judicem accusare, de presenti eum de ipsa re revestire faciat; & postea secundum legem inter eos directum judicium det, ut suam rem quam perdiderat, per legem per ipsius beneficium habeat; & si forsitan ipse accusator alienam rem malo ordine tulerit, cum lege reddatur.

XVII. *De falsa moneta*. Impr. Costant. Data XII. Kl. Mar. Quicumque adulterum monetarium protulerit, si ipse monetarius, qui accusatus est de ipsa moneta, convictus fuerit ut eam adulterasset, igne incendatur.

Item alia. Quicumque soldum minorem fecerit, aut circinaverit, aut adulteram monetam fecerit, capite puniatur.

XVIII. *De raptu virginum, vel viduarum*. Impr. Costant. Data II. Kl. Apr. *Intpr.* Si quiscumque homo cum parentibus puelle de ejus conjugio nihil firmaverit, & si forsitam aliquis presumpserit, & cujuscumque filiam, vel viduam, ad raptum traxerit, si ei ipsa puella consenserit, ambo pariter puniantur: si vero aliquis de amicis, vel familia, aut de vicinis ipsorum, vel nutrices ejus, ad hoc raptum consilium dederit, aut locum ad rapiendum fecerint, aut oportunitatem necessarie eis dederint, remissum plumbum in buccas eorum mittatur.

Si vero puella invita tracta fuerit, & si vocem non fecerit, aut non clamaverit, ut vicini aut parentes eam liberare possint, ipsa puella de parentum facultate nihil habeat; & raptore convicto Judex eum occidere faciat. Quod si raptor cum parentes puelle absconse peccaverit, aut conpositionem acceperint; si quiscumque de ipsorum familiam hoc ad Judicem dixerit, si servus est, latina accipiat libertatem, & si latinus est, civemqum romanum accipiat libertatem; parentes vero puelle, qui raptori in tali causa consenserint, in exilio deputentur; alii vero qui raptori consenserint, aut solacium prebuerint, sive viri, sive feminæ sint, si exinde convicti fuerint, ignibus concrementur.

Item alia intpr. Si accusationem de raptu ante V. annos nemo fecerit, si V. anni quedam ordinem transierint, post V. annos exinde acusandi non habeant causam, & postea ipse conjugius firmus permaneat, & filii ex eis legitimi sint.

XX. *De raptu, vel matrimonio sanctimo-*

(1) *Aguria cablant*: auguria fabulantur. Rudi Italico dicimus: *cabalare*, uti & fabulatores *cabaloni*.

(2) *Involaverit*. Post hæc desunt aliqua; ex. gr. *morte puniatur*. Vide Aniani interpretationem.

monialis, & virginum, vel viduarum. Impr. Costant. Data XII. Kl. Sept. *Intpr.* Si quiscumque homo sacratam Deo, aut virginem, vel viduam, forsitan rapuerit, si postea eos convenerit, ut in conjugium conjuncti sint, ambo pariter puniantur. Nam si aliquis ad sacratam Deo de matrimonio vel dicere ausus fuerit, aut eam in conjugium prehendere voluerit, capitali sententia feriatur.

XXI. *A lege Julia de repetendorum*. Impr. Gratianus. Data XVIII. Kl. Febr. *Intpr.* Omnes judices sciant, ut quid quod alicui malo ordinem tulerint, si ipsi hoc non reddiderint, ipsorum heredes hoc reddere debeunt.

XXII. *De his qui latrones, vel malis criminibus reos occultaverint*. Impr. Constant. Data III. Kl. Mar. *Intpr.* Quicumque homo sciendum in domum suam latrones, aut furones susciperit, aut celare voluerit, & si hoc Judici dicere neglexerit; si ingenuus aut pauper homo est, fustigetur; si vero melior homo est, ad arbitrium Judicis damnetur; sive publicus aut privatus actor nesciente dominum suum hoc fecerit, incendium concrementur.

XXIII. *De his qui plebe audent contra publicum collegere disciplinam*. Impr. Cost. Data III. Kl. Jan. Si quis populum ad sedicionem concitaverit, damnis gravissimis subdantur tormentis.

XXIIII. *De famosis libellis*. Impr. Constant. Data IIII. Kl. Apr. *Intpr.* Si quis homo falsam cartam, aut qualecumque scripturam ad cujuscumque damnum in secreto scripserit, si eam in publicum, aut ante Judicem, aduxerit, illum vero contra quam scripta est non nocebit; & si eum invenire potuerit, qui talem cartam fecit, si ipsa causa probare non potuerit quod scripserat, fustigetur.

XXV. *De questionibus*. Impr. Grat. Data VI. Kl. Apr. *Intpr.* In diebus quadragesime pro reverentia religionis omnes criminales causas conquiescant.

XXVI. *Ut intra annum criminales actio terminetur*. Impr. Archad. Data III. Kl. Jul. *Intpr.* Omnes criminales causas, qui per scriptam amallantur, infra anni spatium finiantur. Et quod si inter ipsos causatores ante Judicem convenerint, ut ipsa causa prolongare debeant, hoc facere per jussionem Judices possunt: nam secundum legem non possunt, ut infra anno ipsa causa non terminentur. Et si forsitan ille, qui querit ipsa causa, vel crimen, infra anni spacium quæ dixit si probare non potuerit, ille absolutus est quem appellavit; & ille qui ipsam causam accusavit, in infamia deputentur, & quarta parte bonorum suorum amittat: & si talis persona est, quem infamare aut notare non possint, in exilio mittatur.

XXVII. *De ablutionibus*. Impr. Costant. Data VI. Kl. Sept. *Intpr.* Si quiscumque homo alterum hominem de qualecumque causa ad Judicem acusaverit, si exinde se postea pœnituerit ille qui accusavit, & dixerat: *Ego scriptionem feci, nec illa causa, quæ super eum dixi, probare non possum:* si ipsa causa dimittere voluerint, hoc facere potest. Si forsitan postea Judex illum hominem, qui accusatus fuit, de ipsam causam culpabilem invenerit, si criminalis causa est, si exinde convictus fuerit, Judex eum licentiam habeat exinde persequendi.

XXVIII. *De indulgentiis criminum*. Impr. Archadius. Data V. Kl. Mar. Mediolano. *Intpr.* Sacrilegus, adulter, monete reus, raptor, sepulchri violator, adulter incesti, venificus, malificus, homicida, diebus Pasche nullatenus absolvantur. Alii, qui in minore crimine fuerint detenti, venerabilis dies Pasche in omnibus absolvantur.

XXVIIII. *De calumniatoribus*. Impr. Grat. Data III. Kl. Jan. *Intpr.* Calumniatores sunt, qui causas a se non pertinentes sine mandato causare presumunt; calumniatores sunt, qui cum justo judicio de quacumque causa ante Judicem convictus fuerit, & ipsam causam iterum recausare temptaverit; calumniatores sunt, quod ad illos non pertinet & petunt, aut in judicio proponunt; calumniatores sunt, qui sub nomine fisci facultates querent alienas, & innocentes quietos esse non permittunt; calumniatores sunt, qui falsa deferentes contra cujuscumque innocentes personas Principum animus ad iracundiam commovere presumunt. Hii omnes, qui tales causas minant, infamiæs vel notati in exilio deputentur.

XXX. *De pœnis*. Impr. Costant. Data V. Non. Novembr. *Intpr.* Cum Judex qualecumque hominem de qualecumque crimine discutere voluerit, non antea judicium det, quam omni veritatem, aut de homicidio, aut de adulterio, aut de maleficium, de ipso malefactore si commisisset, cognoscat.

Item alia intpr. Cum Judex qualecumque hominem in culpa invenerit, non antea eum judicet, quam hoc ad suum dominum, vel ad suum seniorem nuntiet.

Item alia intpr. Si Princeps aut qualecumque hominem pro quacumque culpa morire, aut occidere preciperet; illi qui facere debent, non statim hoc faciant, quod irati domini ordinant, sed XXX. dies ipsum hominem in occulto reservent; forsitan subvenit pietas domini sui vel justissima amica.

Item alia intpr. Si aliquis qualecumque hominem ad Judicem de qualecumque crimine accusaverit, si ille qui acusatus est convictus fuerit, secundum legem ipsum judicetur; nam heredes ipsius, qui culpabiles exinde non sunt, nulla calumnia pro illo crimine non incurrant.

XXXI. *Ne sine jusso Principis certis Judicibus liceat confiscari*. Impr. The. Data X. Kl. Febr. *Intpr.* Nullus Judex presumat de

de qualecumque privatum hominem suas res pro fiscale hominem scribere, aut occupare; sed secundum culpa, quale ipse homo habuit, det super eum judicium. Nam & fiscale occasione eum damnare non debet.

XXXII. *De bonis presrescriptorum, seu damnatorum*. Impr. Valent. Data VII. Kl. Dec. *Intpr.* Si quis homo pro qualecumque crimine damnatus fuerit, bona ipsius, quod habuit, sui filii accipiant, nisi tantum si de crimen magistatis accusatus fuerit & convictus, postea sui filii ipsius facultatem habere non possunt.

Item alia intpr. Si quicumque homo per sua culpa de aliquo crimine damnatus fuerit, aut occisus, si uxorem pregnante dimiserit, ipsa mulier de presente ad Judices, vel ad Curiales, de suo concepto dicat, ut postea hereditates patris damnati ipse infans recipere possit.

Item alia intpr. Si quicumque homo injenuus pro sua culpa damnatus fuerit, uxor ejus suam facultatem da sui mariti facultate separet, & dotem quam ei suus maritus, vel ejus parentes dederunt, & quod ei ante nuptias in donationem pro conjunctionem dedit, ipsa sibi vindicet, nec in mariti crimine uxor non oblicetur.

XXXIII. *De sententiis passis & prestitutis & liberis*. Impr. Constant. Data XVIII. Kl. Octbr. *Intpr.* Si quicumque homo injenuus per sua culpa in exilio missus fuerit, & si filium mancipatum in plenam ætatem ad domum suam dimiserit, liceat ad ipsum filium res patris sui gubernare. Quod si exinde ipse filius aut per testamentum, aut per alia cartam, per qualecumque necessitatem aliquid expendiderit de ipsa facultatem, secundum sententiam Papiani, hoc pater, si reversus fuerit, requirere ei non potest: Nam alias suas res, si reversus fuerit, in integro recipiat. Nam quod si parvulos infantes, qui infra annis sunt, ad domum dimiserit, quando in exilio missus fuit; si postea exinde reversus fuerit, omnia facultatem suam ab integritatem recipiat. Et quod si ipsi filii parvuli cuicumque exinde aliquid dederint, ipse pater omnia in suo dominio revocetur. Quod si pater aut prodicus, hoc est, sine suam mentem, aut negligens, aut eversor, aut libidinosus, esse convincitur, & per hoc res filiorum devastare debet; postea ipsi filii, tamquam mortuo patre, sub tutorem, vel curatorem, cum res suas regantur.

XXXIIII. *De his qui ad ecclesiam confugiunt*. Impr. Costant. Data X. Kl. Apr. *Intpr.* Quicumque culpavilis ad ecclesiam confugium fecerit, liceat ei, sive in ecclesiam, sive in portica ecclesiæ, sive per tota atria, salvi esse debeant; & nullus presumat per suam fortiam, quomodo de ecclesiam nec trahere non debet, sic nec de ipsa atria; ut ne forsitan per timorem in ipsas ecclesias non faciunt causas inlicitas, aut sordidas; sed liceat eis ipsa atria pro sua necessitatem securus ambulare, ut nulla arma secum habere non debeant. Et quod si se in sua arma confidere voluerint, aut defensare, & ipsa arma ad ipsos custodes non comendaverint, sed super se ipsa arma habere voluerint, liceat ab aliis armatis eos de ipsa ecclesiam foras extrahere. Nam si simpliciter sine sua arma secum non habuerint, & juxta altare manere voluerint, si quis eos postea per sua fortia de ipsa ecclesia trahere voluerit, sciat se capitale supplicium esse damnandus.

EXPLICIT THE. LIB. VIIII.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO X.

INCIPIUNT LIB. X.

I. DE *juris fisci*. Impr. Constantinus. Data XV. Kl. Jul. *Intpr.* Agros, vel mancipia, aut quodquod de fescale causa per verbum Regis ad qualecumque hominem donatum fuerit, liceat ei in perpetuum possidere ipsam rem.

II. *De conlocationem fundorum jures enfecivoce* (1) *& reipublice & temporum*. Impr. Valent. Data V. Kl. Jul. *Intpr.* Omnes curiales hoc sciant, ut nullus presumat de extraneas civitates, aut de altera loca, terra prendere, aut conducere, ut forsitam per illa occasionem servicia vel publica non faciant; nam qui per qualecumque modo sic preserit, aut conduxerit, non valebit.

III.

(1) *Enfecivoce*: h. e. *emphyteuseos*.

III. *De actoribus procuratoribus vel conductoribus reipublice*. Impr. Constant. Data III. Non. Febr. *Intpr.* Si quis Judex & actor alicui homini res per fortiam, aut per malo ingenio tulerit, aut eum aliquis sine culpa predaverit, si ille homo hoc ad Principem sugesserit, Princeps postea illum, qui tale ordinem ipsum hominem condemnavit, ignibus concrementur.

Item alia intpr. Hoc constitutum est, ut actores de domos dominicis nullis necessitatibus turbetur, nec nullis injuribus fatigentur ab eos, qui ante publicum actum fecerint, in tantum ut rationabilem aut necessarium est: nam alio modo Rectores provinciarum oppremere eos non presumant.

IIII. *De petitionibus & ultro datis, & dilatoribus*. Impr. Constant. Data Kl. Sept. *Intpr.* Dilatores sunt, qui absconse ad Principem de aliorum facultates male favellant, ut ipsi homines sine legem suas res perdant; dilatores sunt, qui absconse ad Principem de alteros homines tales causas supermittent, ut ipsi homines, qui culpas non habent, pœnas habeant. Princeps a tales dilatores, qui hoc faciunt, secundum legem linguas ipsorum per secutores (1) capullentur; & si exinde convicti fuerint, capite puniantur.

Item alia intpr. Si quis homo in crimen magistatis inventus fuerit, secundum legem puniantur, & ejus facultatem fiscus adquirat; & nemo presumat de ipsa facultate a Principe querere; quod si postulaverit, nihil accipiat, & violator legis teneatur. Nam tamen si Princeps nullum poetentem de ipsam facultatem aliquid cui donaverit, in perpetuo ipsa donatio firma obteneat firmitatem.

V. *Si petitiones socius sine hereditatem defecerint*. Impr. Constant. Data XII. Kl. Aprl. *Intpr.* Si ad quemcumque duo homines Rex unam rem ad ambos commune de fisco dederit, si unus de ipsis mortuus fuerit, nec filios nec proximos non dimiserit, nec testamentum fecerit, postea ille qui cum eo in commune fescale beneficium habuit, porcionem mortui de ipsa rem sibi recipiat.

VI. *De avocato fisci*. Impr. Constant. Data Id. Nov. *Intpr.* Ille qui fiscum Regis exigunt, tales esse debent, ut per suam negligentiam de ipso fisco minus non exigant, nisi quod justum est, nec plus exigere non presumant, nisi quod justum est.

VII. *De fisci debitoribus*. Impr. Valent. Data II. Non. Jul. *Intpr.* Si quis homo mortuus fuerit, & brevis scriptus, aut de fisco, aut alios debitores suos dimiserit, si testes non fuerint, qui de hoc ipsos debitores convincant, aut cautiones scriptas de hoc inventas non fuerint; per illos breves qui sic locum fecit, ipsa debita nec sui heredes, nec nullus homo inquirere non potest.

VIII. *De fidem & jure aste*. Impr. Valentinus. Data III. Kl. Jul. *Intpr.* Si quis homo ad alterum hominem, aut de fisco, aut aliquo alium debito debet, & forsitan alia pecunia non habet unde ipsum debitum reddat, nisi terra sua vendiderit; per tale occasionem ille, cui debitor est, ipsa terra a minore precium non presumat recipere, nisi quantum ipsa terra valet, nec per tale ingenium ille qui alterum debet, damnum de facultatem suam habeat.

VIIII. *De thesauris*. Impr. Grac. Data VI. Kl. Feb. *Intpr.* Si quis homo aut aurum, aut aliqua alia robusta re in sua propria terra invenerit, ad nullum hominem exinde dare non debet; nisi ipse sibi in integro vindicetur. Nam si quis homo in alterius terra aut aurum, aut aliqua robustura invenerit, quarta portionem illi, cujus terra est, exinde reddat.

X. De metallis & metellariis; hoc est; ut nullus presumat sub alterius fundamentum, ubi ipse homo edificium habet, nec aurum, nec nulla rebustura querere, nisi per ejus convenientiam, cujus hedificium est, nec propter ipsa rebustura illum edificium alterius destruat.

EXPLICIT THEUDOSI LIBER X.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XI.

(1) *Per secutores*: vel forte *persecutores*.

Incipit Liber XI.

I. De *anona & tributis*. Impr. Valent. Data VI. Kl. Jul. *Intpr.* Si quis homo de facultatem ſuam quam habet, ſi forſitan exinde aut fiſcum aut alium publicum aut laboratum a parentes reddere debet, ſi ipſe tributus ei gravis eſt ad ſolvendum, ipſa facultatem, unde illum tributum reddere debuit, dimittat ad alios ſuos heredes, qui ipſum tributum de ipſa facultatem reddere debeat.

II. *Sine cenſum vel reliqui terra conparare non poſſint*. Impr. Jul. Data XIIII. Kl. Mar. *Intpr.* Si quis homo de altero hominem fundum, hoc eſt terra, conparaverit, aut ei donatum fuerit, nullo modo eam ſine cenſum, quod de ipſa terra exire debet, conparare poteſt.

Item alia intpr. Si quis homo per aliquo tenore terram adqueſierit, de preſente de hoc exactores fiſcales notitia faciat, & promittat ſe, ut omnem tributum de ipſa terra reddere debeat, ſicut & ille qui eam antea tenuit. Si hoc fecerit, illum, qui ea antea tenuit, ipſum tributum non requiratur.

III. *De exactionibus*. Impr. Coſtant. Data XV. Kl. Jun. Quicumque homo terra habuerit, unde fiſcum ſolvere debeat, ſi ipſum cenſum dare non potuerit, ille exactor qui ipſum fiſcum tollere debet, ipſa terra, unde ipſe cenſus exire debet, vendat, & ille qui ipſa terra conparaverat, in perpetuo firma poſſideat.

Item alia intpr. Si exactores publici a populo acuſati fuerint, ut eorum aliquid capitanea mala feciſſent, aut aliquid de publico plus quam debuerant exegiſſent; ſi exinde convicti fuerint, in eorum loco alios meliores mittantur, & ſecundum legem illi moriantur, & de eorum res quadruplum ad ipſos, cui male fecerint, reddantur. Judices vero provinciarum, ſi hoc ſapuerint, & ipſos exactores bene non inquiſierint, ut de eos, ſicut juſſum eſt, juſtitiam faciant, XXX. libras auri illi ſolvatur.

IIII. *Ne damna provincialibus infligantur*. Impr. Valent. Data II. Kl. Oct. *Intpr.* Si quiſcumque homo in qualecumque judiciariam poſitus eſt, ſimiliter & illi qui Judices provinciarum obſecunt, aut illorum actum agunt, niſi forſitan ruſticiis homines per qualecumque malum ingenium contra rationem damnaverit, aut ſi eorum mancipium, aut caballum, aut bovem in ſua propria utilitatem pro fortia minaverit, ut aliqua exenia eos ſine culpa ſibi dare extorſerit; ſi ipſe Judex hoc fecerit, & ipſa exenia preſerit, optimo exilio deputetur, & ſi hoc non reddiderit, facultatem rerum ſuarum amiſſionem damnabitur.

V. *Item alia intpr.* Nullus Judex, vel exactor, a provintiales homines plus exactare non debent, niſi quantum ipſi per rationem dare debent aut quod in pollitico ſcriptum habent. Nam ſi plus exigerit, pœna ſuperiore ſubjaciat, & hoc, quod ſuper tulit, in quadruplum conponat.

VI. *De appellationem & pœnis eorum & conlationem* Impr. Coſtant. Data IIII. Non. Nov. *Intpr.* Quicumque homo alterum hominem de capitale culpa a Judicem accuſaverit, Judex vero & illum quem accuſat, & illum quem accuſavit, ambos ſub cuſtodiam mittantur; dum ante Judicem ambo pariter veniant, ut diligenter inquirat, ſi ipſe qui accuſatus eſt, culpa habeat, aut non habeat. Quod ſi de ipſa culpa convictus fuerit, quale judicium Judex ei dare voluerit ſecundum legem, talem adtendat. Et ſi de ipſa culpa convictus non fuerit, ille qui eum ad Judicem acuſavit, ſimile pœnam accipiat. Nam hoc obſervandum eſt, ut antequam Judex veritatem cognoſcat, quod ipſe homo qui acuſatus eſt, dum eum culpabilem non invenerit, ſub liberam cuſtodiam ambulet, ut nec in carcere, nec in cuſtodiam mittatur, ſed ad agendam cauſam ſuam liber obſervet.

Item alia intpr. Lex iſta hoc precepit, ut qui in criminalibus cauſis, ob de victa (1) ambe partis in dubio devocatur, licet unum alterum apellare, nec apellandi vox non denegetur, & quæ in ſupplicii ſententiæ advenerit, eum teneatur obnoxius.

Item alia intpr. Si alicui homini videtur, ut de ſua cauſa injuſtæ convictus fuiſſet, de ipſa cauſa iterum ante tercium menſem adverſario ſuo noticia faciat, & infra ipſos tres menſes ante Judicem ipſam cauſam deliberent. Nam ſi tres menſes tacuerit, pœna, quam in lege ei data fuerit, adimpleat.

VII. *Si pendente apellationem mors intervenerit*. Impr. Coſtant. Data XIII. Kl. Jun. *Intpr.* Si quis homo ad alterum hominem de aliqua jure cauſa ammallaverit, & ille qui ammalatus eſt mortuus fuerit, ſi poſtea ipſius heredes exinde acuſati fuerint, quattuor menſes ad ipſa cauſa inquirendum ſpatium ei detur, ut ne forte per neglegentia damnu paciatur.

VIII. *Quorum apellationes non decipiantur*. Impr. Coſt. Data XV. Kl. Mad. *Intpr.* Si quicumque perſona de criminale cauſa acuſatus fuerit, aut de homicidio, aut de magnis criminibus, de ipſo crimine a Principem dicendum eſt (2), ut bonorum perſo-

(1) *Ob de victa*: h. e. *ubi de vita*.

(2) *Dicendum eſt*. In codice: *licendum eſt*; quod male ſcriptum videtur.

sonarum judicia ante Principe finiatur.

VIIII. *Item alia intpr.* De publicas causas, qui fiscales sunt, ubi exinde causatio orta fuerit, nulla dilatatio exinde non proponatur, quia dominicas causas sine omne dilatationem finitas esse debent.

X. *Item alia intpr.* Si quis homo ad unum judicem de sua causa judicium acciperit, & si postea de ipsa causam ad alium Judicem simile judicium reciperit; si ipsum judicium aptare noluerit, si iterum ante tertium Judice ipsa causam prosequere voluerit, ipsa causa amittat, & ille suus adversarius ipsa rem, unde ipsa causa agitur, recipiat.

XI. *Item alia intpr.* Si aliquis contra hunc factum testamentum appellare vedare voluerit, ut non debeat scriptum heredem ad hereditatem venire; si in tale parte Judex appellatoribus consentire voluerit; si hoc fecerit, tam ipse Judex, quam ipse qui appellaverit, XX. libras auri in fisco exolvat.

XII. *De fidem testium & cartarum, id est strumentorum.* Impr. Constant. Data IV. Non. Mad. *Intpr.* De una rem hæc lex vetat, ut nullus homo presumat de unam rem plures cartas facere, aut vinditionem, aut donationem, aut censionem; sed de unam rem una carta homo facere debet. Nam si de una rem plures cartas factas fuerint, omnia rumpantur, quia inpugnantes cartolas hec lex vetat.

XIII. Quicumque homines ad sacramenta danda ante Judices venerint, ante quam de ipsa causa eos interrogentur, jurati dicant ut in nulla falsitatem non jurent, sed quod rectum sciunt dicant. Sic postea Judex, quem honestiores, & meliores, & plus justas personas viderit; nisi si minor numerus sit, ipsa pars juvare debet. Nam si unius hominis sacramentum, quamvis alta persona sit, non ei credatur.

XIIII. *Item alia intpr.* Si quis homo qualecumque carta in judicio presentaverit, si ei judicatum fuerit, ipse eam per sacramentum firmare debet, que legitima carta sit. Quod si eam firmare non potuerit, ipsa carta pro falsitatem teneatur.

XV. *Intpr.* Si aliquis homo alterum hominem de qualecumque causa ante Judicem absconse accusaverit, ad illum solum non credatur; nisi ambe partes inter se conprobationem faciant.

Item alia intpr. Si contra Presbiterum major crimen dictum fuerit, ad ipsum Presbiterum sine aliquo suplicium corporis credatur: nam si postea cum ei creditum fuerit super ipsa causa, fuerit conprobata, pro ipso mendatio reus criminis teneatur. Nam alii clerici, si de qualecumque majore causa acusati fuerint & convicti, sicut alii seculares judicentur.

Item alia intpr. Lex hoc precepit, ut probatio non a possessore qui rem possedit, sed ad illum qui querit, ille debet probationem obtinere: nisi tantum interrogare debet antea possidentem, si ex sua persona, aut ex successionem cœperit possidere.

Item alia intpr. Omnis homo in judicio pro causa sua tales testes presentare debet, cui fidem reprobata non est, sed idoneas personas in sua causa quilibet homo presentare debet.

EXPLICIT THEUD. LIB. XI.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XII.

INCIPIT LIBER XII.

I. DEcurionibus. Impr. Costant. Data Id. Mar. *Intpr.* Judices publici alios curiales, quæ sub se habent, non eos dimittant per malo ingenio in alias operas vacare, nisi sua curam faciant. Nam si facultatem parva habuerit, & illa cura agere non potuerint, a Principe suum exinde noticia faciant.

Item alia intpr. A curialem hominem non licet suam civitatem dimittere, in qua natus est, & in alia civitatem habitare, aut curam agere: Nam si hoc fecerit, in ambas civitates serviant; in una pro curiæ sue debitum, & in alia pro quare ibidem habitet, aut pro qualecumque honorem quod ibi recipit.

Item alia intpr. Minores etates, hoc sunt pupilli qui infra annos sunt, ante XVIII. annos in cura publica nullus eos presumat mittere: nisi necessitas fuerit, pro ea causa utilitatem publica facere debeant.

Item alia intpr. Si curialis in culpa inventus fuerit, Judices super eum pacientiam habeant, ne in ipsa tormenta deficiant. Quod si sic ipsi Judices non fecerint, pro illo curiale ipse Judex V. libras auri conponat, & pro illa curia, quam ipse agebat, X. libras auri in fisco conponat.

Item alia intpr. Curiales homo, qui X. filios (1) legitimos habuerit, & ipse pater fuerit XIII., omnem curiam ei vel publicum ei concedatur, ut non ea agat; & insuper coram bonos homines honoratus esse debeat.

(1) *X. filios.* Ex iis quæ sequuntur, colligo legendum esse, *XII. filios.*

Item alia intpr. Si quis homo, qui filia curialis a conjugium preferit, si de ejus facultatem aliquid aut per testamentum, aut per qualecumque carta habuerit, post morte uxoris suæ, ad ipsa curia agendi teneatur obnoxius.

Item alia intpr. Gesta, hoc est, omnis carta sic firma esse potest, si cum aliis testes III. curiales eo firmaverint.

II. *Item alia intpr.* De susceptores prepositis & arcariis. Impr. Gratianus. Data VI. Kl. Sept. Curiales, qui fiscum, aut publicum actum exigent, non in occulto eos elegantur, sed ad electionem multorum bonorum hominum, vel de alios curiales, ipsum ministerium accipiant. Quod si infideles exinde fuerint, ad eorum dispensationem pertinebit, qui eos ante Judicem elegerint.

Item alia intpr. Quicumque curiales non facta servitia officii quam debeant, si se ad ipso officio declinaverit, ac civitate, unde discessit, in suo officio irevocetur.

Item alia intpr. Judices publicos, qui fescales causas judicant, vel exigunt, per singulos annos eos mudentur: excepto si in tale civitate sunt, ut per consuetudinem, aut per necessitatem, duos annos ipsa judiciaria, & cura agant. Et postea in altero anno alteros Judices, vel actoribus mittantur. Nam si Judex hoc non impleverit, & ipsum Judicem, & officium suum, graves pœnas constringantur.

EXPLICIT THEUDOSIANI LIBER XII.

CAPITULA DE LIBRO XIII.

INCIPIT LIBER XIII.

I. D*E lustrali conlationem.* Impr. Gratianus. Data Kl. Novemb. *Intpr.* Si aliqui quicumque rem, qui non est donata, aut qui non emit, & vindet, ad solutionem auri non teneatur; si vero empta aut vendita probabit hoc illucque discurrere, solutione auri teneatur.

II. *De censu sive adscriptionem.* Impr. Cost. Data XV. Kl. Febr. *Intpr.* Si tabularii, aut alii, cui actiones publicas traduntur, si forsitan potentes homines voluerint scusare, & ad minores homines aliquo publici super inponere, ipsi pauperes non amplius solvant, nisi quantum per lege censitum habent.

Item alia intpr. Si aliquis homo in causa publica occupatus fuerit, & non fuerit ad presente quando fiscus exigitur, si aliqui gravatus fuerit, infra annum exinde ad Judicem reclamet. Nam si ad presente fuit, & si fuerit gravatus, infra V. menses ipsa causa reclamet, unde gravatus est: Nam si infra V. menses de ipsa causa non reclamaverit, postea ea retinere non potest.

EXPLICIT LIBER THEUD. XIII.

CAPITULA DE LIBRO XIIII.

I. D*E collegatos.* Impr. Archadius. Data VIII. Kl. Jan. *Intpr.* Si colligatus de civitatem suam cum rebus suis ad aliam civitatem ambulaverit, & ibidem de colonam, aut de ancillam, filios habuerit, totos ipsos infantes mater ad sua parte vindicet. Nam si colligatus de injenua muliere infantes habuerit, toti ipsi infantes colligati nascuntur.

EXPLICIT THEUD. LIB. XIIII.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XV.

INCIPIT LIBER XV.

I. D*E operibus publicis.* Impr. Cost. Data IIII. Non. Decemb. *Intpr.* Illi qui in civitatem inhabitant, licet ei in terra publica sibi domum hedificare, & postea in perpetuo securus possidere.

Item alia intpr. Si aliquis Judex antiqua publici habitationem in civitatem renovare voluerit, tercia parte cum adjutore fisci ipsum ædificium renovet.

II. *De infirmandis his, qui sub tyrannis aut barbaris gesta sunt.* Impr. Costant. Data Kl. Mar. *Intpr.* Quicumque homo, dum hostes in qualecumque patria ad depredandum vadit, si cum eos ipse homo pro sua morte timendo, & pro salvando vitam suam, conjunxerit, & aliqua preda preserit ipse homo, proinde eum non tenea-

neatur in culpa; & si forsitan ad reddere ipsa causa venerit, ille homo non plus reddat, nisi simpliciter in quantum veritatem cognoscitur, quin (1) de ipsa preda adobtivam venisset.

EXPL. THEUD. LIB. XV.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XVI.

INCIPIT LIBER XVI.

I. DE *Episcopos ecclesiæ & clericos*. Impr. Costantinus. Data XII. Kl. Decemb. *Intpr.* Clerici nulla alia cura officii agere non debent, nisi tantum ecclesiasticas causas agant, ut non per alias vacationes ecclesias suas derelinquant.

Item alia intpr. Nullus homo presumat Episcopum per nulla causa ad alium Judicem acusare, nisi tantum ad alios Episcopos, & ipsi eum judicare debeant: & postea ubi ipsum Episcopum emendatum conspexerint, auxiliante domino recuperare eum debeant.

Item alia intpr. Omnes causas privatas, hoc sunt minores, qui inter clericos aguntur, ad Episcopum cum aliis Presbiteris judicentur. Nam si criminales causas clerici commiserint, ante provinciales Judices finiantur.

Item alia intpr. Si quis Episcopus clericum suum, qui injenuus est, si ipsum clericum in seculares causas conversare viderit, & eum de ipsa malitia emendare non potuerit, & si eum pro malitia sua de gradum suum ejecerit, & si ipse clericus pro sua voluntate officium clericati dimiserit; si taliter aliqui clericus fecerit, a fescales Judices ipsi conjungantur; & si ipse clericus de bona gente est, vel sua res habuerit, aut idoneus apparuerit, inter ipsos curiales officium publicum faciat. Si autem ipse clericus inferior persona est, inter collegiatos officium faciat. Ad tales clericos fescales actio non necetur. Si quicumque Judex hoc eis denegare voluerit, duas libras auri in fisco solvat.

Item alia intpr. Clerici, vel Presbiteri, qui ad ecclesias deserviunt, in domu sua non debeant alias mulieres habere, nisi matrem suam, & filiam suam, & germana sororis suæ., & muliere quam ante in matrimonio habuit, quam honore recepisse ecclesiastice.

II. *De apostatis*. Impr. Gratianus. Data XII. Kl. Jun. *Intpr.* Christiani si ad idola sacrificia offerunt, testamentum facere non potest, & ipsi puniendi sunt.

Item alia intpr. Si de Christianis Judeus aliquis factus fuerit, facultate ipsius fiscus adquirat.

Intpr. Si de Judeo Christianus factus fuerit, postea non licet ad alios Judeos ipsum inquietare.

III. *Ne Christianum mancipium Judeus habeat*. Impr. Data VIII. Id. Mad. *Intpr.* Si Judeus Christianum mancipium habuerit, & eum forsitam circumcidere, & ille Judeus ipsum mancipium perdat, & postea ipse mancipius libertus permaneat.

IIII. *De religione*. Impr. Archadius. Data IIII. Kl. Septemb. *Intpr.* Omnis causas, quod ad religionem ecclesiasticam pertinet, Episcopus eas debet judicare. Nam omnes causas criminales ante publicos Judices finiantur.

Item alia intpr. Principes terrarum omnes antiquas leges eorum clementia roboravit, idest confirmavit; & Novellas vero titulum legum per omnia sacratissime custodire precipimus.

EXPL. THEUD. LIB. XVI.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XVII.

(1) *Quin*. Lege, *quid*.

I N-

INCIPIT THEUDOSI LEGUM NOVELLARUM DI. VII. THEUDOSII. AG.

I. IMpr. Theudosius. Data VI. Kl. Mar. *Intpr.* Hæc lex omnem legem Theudosianum libros XVI. confirmat.

II. *De confirmatione legum Novellarum. Di. VII. Theodosi.* Data Kl. Octobr. *Intpr.* Hæc lex Novellarum libros omnes firmiter precipimus recipere.

III. *De Judeis, Samaritanis, Hereticis, Paganis.* Impr. Theudosius. Data XII. Kl. Febr. *Intpr.* Nullus Christianus presumat Judeum vel Samaritanum nec Judice nec actore mittere; nec causas Christianorum Judeos judicare nullo modo debeat. Quod si aliquis fecerit, ille qui eum actore mittere presumpserit, L. pondus auri conponat. Similiter nullus Judeus Christianum servum ad sua lege ducere presumat; nam si hoc fecerit, capite puniatur.

IIII. *Nec curiales precium* (1) *alterius conducat, nec fidejussor conductores exiat.* Impr. Theudosius. Data III. Id. Apr. *Intpr.* Nullus curialis presumat de fescale, vel de privatum, agrum conducere, nec per alterum conductore fidejussor exire; nam quod si aliquid in agro suo curiale reciperit conductore, curialem fidemjussorem acciperit, sciat se ipse curialis, accionem suam esse vacuata, & ipsum agrum quo conduxit, fisci viribus conducetur.

V. *De tutoribus.* Impr. Theod. Data VI. Id. Jul. *Intpr.* Si mater tutilla de res filiorum suorum post morte mariti sui recipere voluerit ad gubernandum, promissione pro sacramentum faciat, ut alium maritum prehendere non debeat. Quod si postea suum sacramentum non custodierit, & ad secundas nuptias venerit, antea quam maritum prehendat, ad suos filios reddat omnia, quod de facultates patris eorum ad gubernandum recepit. Quod si antea ab integritate eis non reddiderit, & alium maritum preserit; sciat se ipse maritus qui eam in conjugium presit, res suas ad ipsos parvulos inpignorare debeat, donec ipsorum res de sui patris que habuerint ab integritate restituat.

VI. *Contra sententia Perfectorum preter injustos successiones intra biennium supplicandum.* Impr. Valent. Data VI. Id. Aug. *Intpr.* Si quis homo aliqua judiciaria habuerit, & si forsitan alicui contra legem aut rationem aliquid fecerit; si postea alius Judex in ejus locum introierit, & ille Judex qui antea fuit, qui ipsum damnum ad ipsum parvulum fecit, ille pauper postea infra duos annos ante illum alium Judicem, qui in ejus locum intravit, sua causa prosequere debeat: nam si infra annos sua causa non requisierit, postea requirere non potest.

VII. *De paternis sive maternis bonis.* Impr. Theud. Data IIII. Id. Sept. *Intpr.* Quicumque homo post mortem uxoris sue si filios habuerit, quodquod de facultate uxoris suæ habuerit, it post mortem suam omnia ad filios suos dimittat; nam si exinde alicui dare voluerit, hoc facere non habeat potestate; sed ipsa facultatem sui filii in suam potestatem ab integritatem recipiant. Et quod si facultâte uxoris suæ inter se & filios suos divisa habuerit, si forsitan aliqui de filios suos ante patris obitum mortuus fuerit, ipsam portionem filii mortui pater suus recipere debet. Nam tamen ipsam portionem alienare nullo modo potest; nisi ad filios suos post sua morte ipsa portio revertat. Similiter & mulier post morte mariti sui ad filios suos ipsa conditionem exigere debeant.

VIII. *Ne decurio a senatoria dignitatem & aliquid honore adsperet.* Impr. Theod. Data II. Id. Septb. *Intpr.* Quicumque curiales qui fiscales est constitutus, ad nulla alia causa suus senior eum non debet promovere ad agendum; nisi tantum in sola fiscale & curiale causa permanere debet.

VIIII. *De testamento.* Impr. Theod. Data II. Id. Sept. *Intpr.* Quicumque homo testamentum facere voluerit, oportet ei VII. personas eum subscribere debeant, & ipse qui illum testamentum facit, si literas scit, octavum se subscribat; & si litteras nescit, roget alium qui pro se subscribat, & ipse signum ✠ faciat.

X. *De aluvionibus & palutibus.* Impr. Theud. Data XI. Kl. Octub. *Intpr.* Si fluvium de aluvio suo exierit in alia parte, aut propter palutem, aut sic locum ambulaverit, terra illi adquirant, de cujus fines cessat, nec postea de ipsa terra qui de talem adquisitionem est, nec fiscus nec trivutus exinde non exeat. Similiter & qui palute potuerit exsicare, & exinde aut agrum, aut pradum, aut qualecumque perfectum ibidem sibi facere potuerit, & illum verum sine omne censum in perpetuum possidere precipimus.

XI. *De bonis decurionum & naturalibus filiis eorum in curia mittendis, heretibusque adscribendis.* Impr. Theud. Data VI. Kl. Jan. *Intpr.* Si quis homo habuerit legitimos filios, & naturales, si voluerit, de facultatem suam octavam porcionem ad naturales filios dare potest: & forsitan legitimos filios non habuerit, nisi tantum naturales, si forsitan eos curiales, aut in fiscale actione mittere voluerit, tota facultatem suam, si voluerit, eis dare potest; nam quarta ad alios heredes suos reservare debeat.

---

(1) *Precium*; h. e. *prædium*.

DE

DE LIBRO XVIII.

Incipit Novella Di. VII. Valentin.

I. De *fructibus inter maritum & uxorem spensis*. Data VIII. Id. Sept. *Intpr.* Quicumque homo injenuus si uxorem suam supervixerit, aut uxor maritum, quodquod de mobilia habuerint, & commune voluntatem expendiderint, excepto de terra aut de mancipia, anteponimus. Nam de movilia fructibus libera habeat potestatem, nec hoc sui heredes postea requirere non debeant.

II. *De homicidiis casu an voluntate factis*. Impr. Theud. Data II. Id. Decemb. *Intpr.* Quicumque homo homicidium sine sua voluntate fecerit & ipse homo, qui hoc fecit, a Principe suggesserit, quod per sua voluntate hoc non fecisset; si probatum fuerit quod verum dicat, veniam consequatur. Nam si vero sine alterius culpa homicidium fecerit, taliter exinde paciatur, sicut reliqui homicidas, quod in superiore lege conscriptum est.

III. *De testamentis*. Impr. Theud. Data XII. Kl. Nov. *Intpr.* Si quis homo injenuus habens uxorem, & filios non habuerint, si maritus uxorem suam per cartam voluerit heredem dimittere, aut uxor maritum, ambo unus alii parii cartas faciant inter se, salva Falcidia ad alios heredes suos, hoc est, quartam porcionem, nam de alia facultate sua liberam habeant potestatem faciendi inter se, sicut voluerint.

IIII. *Item alia intpr.* Si quis homo testamentum carta alicui facere voluerit, si testes non fuerint, ille qui ipsa carta facere voluerit, propria manum suam ipsa carta subscribat. Qui hoc per suam voluntatem fecerit, hoc quod facit integram obtineat firmitatem.

V. *De sepulchris violatoribus*. Impr. Theud. Data III. Id. Mar. *Intpr.* Si quiscumque homo tumbas mortuorum de Christianos homines per fraude expoliaverit, secundum legem moriatur.

VI. *De libertos & successionibus eorum*. Impr. Theud. Data III. Non. Jan. *Intpr.* Si liberti, qui cives romani dimissi sunt, aliqua leve culpa ad filios patronorum suorum fecerint, pro hoc non cadant in servitio. Similiter vero si ipsi liberti, sive baro, sive mulier, mortui fuerint, & unum filium aut plures dimiserint, facultatem suam quod habent ipsi liberti, liceat ei ab integritatem suam ad filios suos dimittere. Et quod si filios non habuerint, tercia parte facultate sua ad patronos suos dimittant, idest ad masculos; nam ad feminas de tale facultate venire non potest, nisi si ipsi liberti suam propriam voluntatem ad suas patronas dimittere exinde voluerint. Et quod si ipsi liberti nec filios nec nepotes dimittunt, postea medietatem facultatis suæ ad suos alios heredes, si injenui fuerint, dimittere potest, & medietatem ad suos patronos dimittant. Et quod si illi injenui, qui liberti dimissi sunt, vivo ipso homine qui ejus libertatem habet, forsitan cuicumque de sua facultate carta facere voluerit, hoc sine permisso patroni sui non habeant licentiam facere. Et quod si forsitan ipse libertus contra filios & nepotes patroni sui forsitan aliqua greve culpa dicere voluerit, quod probare non potest, secundum lege moriatur.

VII. *De XXX. annorum perscriptione omnibus causis opponenda*. Impr. Theud. Data XV. Kl. Jul. *Intpr.* Omnes causas, preter qui de post liminum, hoc est, qui de captivitate revertunt, vel de minoribus qui infra annis sunt; nam omnes alias causas quid unus ad alterum requirere vult, infra XXX. annos inter se deliberentur; nam post XXX. annos eas requirendi homines non habeant potestatem.

VIII. *De colonis vagiis, & agnatione eorum, & de avenas*. Impr. Theud. Data II. Kl. Feb. *Intpr.* Si colonus dominum suum fugerit, aut per qualecumque modo ubicumque XXX. annos quieto ordine latuerit, postea post XXX. annos dominus suus eum requirere, nec vindicare non potest. Et quod si ipse colonus per ipsos XXX. annos apud duos, vel tres homines conversaverit, & unusquisque eum X. annos habuerit, ipse eum vindicet, qui posteriores annos eum habuerit. Et quod si unus de ipsos homines plures annos eum habuerit, quam illi alii, ille qui eum majore numerum eum habuit, ipse eum vindicet. Iterum de colona

lona vero, qui per XXX. (1) annos ubicumque quieta ordine latere potuit, postea post XXX. annos dominus suus eam requirere non potest. Et si ipse colonus, aut colona filios habuerint; quantoscumque filios ille colonus infra XXX. annos habuerit, si inventi fuerint, ille suus prior dominus, quem ille colonus fugivit, ipsos infantes ille vindicet. Similiter & illa colona quantoscumque filios infra XX. annos ei nati fuerint, si inventi fuerint, similiter sicut & de colono, ille dominus, quem fugit, ipsos infantes ille vindicet.

VIIII. *De confirmandis his, qui administrantibus, vel publicum officium gerentibus, distracte sunt vel donata, & de avocatis vel ceteris negotiis.* Impr. Valent. Data II. Kl. Feb. *Intpr.* Anterior lex fuerat, ut qui militia agebat, vel qualecumque officium publicum gerebat, ut dum in ipsa militia vel officio erat, nec comparandi, nec commotandi, nec donatum recipere, de altero hominem licentia non habere. Sed in hoc presente legem veraciter constituimus, ut & conparare & commutare & donativum per qualecumque carta recciperit, hoc quod legitimum est, libera habeat potestatem. Sed tamen cavere debeat, ut per nullum malum injenium ad qualecumque homine suam rem tollere non debeat. Et quod forsitan de qualecumque hominem, dum in ipso officio est, de qualecumque sua fortia, aut per suam tema, aut ei alicum supplicium faciant, aut per qualecumque injenio malo, si aliqua facultatem per tam mala fraudem comparaverit, aut commutaverit, aut donativum extorserit, & carta receperit, & precium non dederit, ipsa carta reddat, & insuper ipsum precium quem pro illa facultatem placuit ut det, & postea nec ipsum precium, nec facultatem non habeat. Similiter curiales vero pro fescale debita suam facultatem vendere possunt; sed sicut in superiore legem scriptum est, terra sine suo censu conparare nullo modo nullus homo debet.

X. *De parentibus, qui filios suos per necessitate distrahunt, & ne ingenui barbaris venundetur, neque trans mare vendantur.* Impr. Val. Data V. Kl. Feb. *Intpr.* Quicumque ingenuus homo filios suos aut per fame, aut per qualecumque necessitate, vendiderit, si V. solidos filium suum vendiderit, quando eum redimere voluerit, VI. solidos reddat, & filium suum recipiat; & si X. solidos presit, XII. reddat; si vero amplius receperit, secundum istum numerum pro filio suo reddat. Et quod si ille homo, qui eum comparavit, aut ultra mare, aut in longa regionem vendiderit, unde eum revocare non possit, VI. uncias aurum in fisco componat.

XI. *De episcopale judicio, & de diversis negociis.* Impr. Valent. Data XVI. Kl. Mar. *Intpr.* Clericus si de criminale causa ante publicum Judicem accusatus fuerit, sine omne dilatationem ipsam causam respondeat. Episcopi vero vel Presbiteri, si de criminale causa accusati fuerint, advocatos rogent, qui pro se ipsa causa in judicio respondere debeant. Nam alii seculares homines per se ipsos in judicio suas causas respondeant. Quod si forsitan tercia vicem amalati fuerint, & ante Judicem venire noluerint, sicut alii contumaces pœne feriundi sunt. Similiter vero nullus inquillinus, nec colonus, & servus, ad officium clericati & monachati venire non debent. Nam clerici vero nec negotia, nec alias curas publicas agere non debent. Similiter nec curiales publici, qui fescales acciones habent, ipsas acciones dimittere non possunt, ut ecclesiarum causas agant. Diaconus vero, qui ex curiales parentes natus est, aut ipse ipsas curias agat, quod sui parentes agerent, aut pro se vegarium det, qui ipsas agere debeat. Nam Episcopum vel Presbiterum non teneatur in tale legem constricti. Originarii vero, & servi, qui infra XXX. annos in clericati officio inventi fuerint, a dominos suos in servitio revertantur. Diaconus vero aut pro se vecarium det, aut ipse ad dominum suum revertat. Similiter vero nullum clericum liceat alias curas agere, nisi ecclesiarum. Nam seu clericorum, seu Diaconorum pecunia, qui urienarii (2), vel servi, fuerint, si hoc infra XXX. annos inventi fuerint, ad dominos suos revertantur. Nam sicut in superiore tituli legum Constan. scriptum est, omnes causas post XXX. annos eas homo requirere non potest, nisi tantum de postliminio, hoc est, qui de captivitate reversi sunt, & de minoribus qui infra annis sunt. Illi vero, qui de captivitatem revertunt super XXX. annos, III. annos causas suas inquirere possunt. Minores vero parvuli super XXX. annos V. annos causas suas inquirere possunt. Nam super istum numerum causas nullo modo insequere non possunt. Similiter vero quicumque homo de sua causa Judicem in suspicionem habuerit, ut ea per rationem non judicasset, licet ipsui homini ad alium Judicem sua justitiam inquirere. Similiter vero de colono & colona dicendum est, quomodo filii eorum inter dominos suos dividantur. Ille dominus, cujus colonus est, de filiis ejus duas portiones recipiat; & ille dominus, cujus colona est, de filiis ejus tertia parte recipiat porcionem.

EXPLICIT DI. VII. VALENTINI.

IN-

(1) *Qui per XXX.* & infra: *postea post XXX.* In ambobus legendum arbitror *XX.* Vide infra in hac lege, ubi pariter de colona sermo est.

(2) *Urienarii*; h. e. *originarii*.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XVIIII.

I. *De eos qui in duas provintias conversantur.*
II. *De indulgentiis relicorum, & de pretiis civitatum omnium.*
III. *De matrimoniis Senatorum.*
IIII. *De testamentis clericorum, vel santæmoniales.*

INCIP. NOVELLI DI. VII. MARCIANI.

I. N*Emine exibere de provintia a comitatum, nisi a relatione Judicis, a quo fuerat apellatus*. Impr. Valent. Data II. Kl. Octub. *Intpr.* Quicumque homo cum alio homine causam habuerit, & unus de ipsos homines fuerint de una patria, & ille inter eos alter de alia, in illa patria ipsa causa judicentur, ubi ille homo inhabitat, quem de ipsa causa amallatur.

II. *De indulgentiis reliquorum; de pretii civitatum omnium*. Impr. Valent. Data V. Kl. Febr. *Intpr.* Quicumque homo aut per comparationem, aut per qualecumque modo de fescale causam aliqua facultatem habuerit, censum, quod exinde exire debet, reddat; & si ipsum redderit, tam ille, quam & sui heredes, ipsa causa in perpetuo securi possideant.

III. *De matrimoniis Senatorum*. Impr. Valent. Data Non. April. *Intpr.* Omnes Senatores, excepto de vilioribus personas, vel qui infamia deputati sunt, uxores ei de tales homines ducere non liceat. Nam quamvis de pauperes parentes sit injenua persona, est & cum bona fama, Senator ad uxorem eam prendere potest.

IIII. *De testamentis clericorum, vel santemoniales*. Impr. Marcianus. Data X. Kl. Mad. *Intpr.* Hæc lex precepit, ut sanctæmoniales, & viduas, & qualescumque santemoniales feminas, liceat eis per qualecumque scriptura & ad Episcopos, & ad Presbiteros, & ad qualescumque clericos, qui ad ecclesias deserviunt, de suas qualecumque cartas, si voluerint, facere eis possunt.

DI. VII. MAR.

CAPITULA DE LIBRO XX.

I. *De curialibus & de actionibus pretiorum eorum, & de diversis negociis.*
II. *De Epis. cler. jud. & ne quis invitus clericus ordinetur.*

INCIP. NOVELLI DI. VII. MAJORIANI.

I. D*E curialibus, & de agnationibus preciorum* (1) *eorum, & de diversis negotiis*. Impr. Leo. Data VIII. Id. Novemb. *Intpr.* Si quis curiales filiam habuerit, ipsa filia non habet potestatem se ad alium hominem in matrimonio jungere, nisi ad alium curialem. Et quod si in alia civitate ad maritum ambulaverit, quartam portionem de facultatem suam perdat. Nam clerici vero, omnes clerici qui de curiales nati sunt, si honore non habent, a curiale officium revertantur; & si ad ecclesiam confugerint, Archidiacones eos ad Judices curie presentet. Nam Episcopus vero, vel Presbiter, aut Diaconus, si de curiales nati sunt, ipsorum res non licet de ipsa curia extrahere, & si filios habuerint, ad ipsam curialem actionem revertant.

II. *De Epis. vel Jud., & ne quis invictus clericus ordinetur*. Impr. Leo. Data II. Kl. Apr. *Intpr.* Nullus presumat injenuo hominem sine suam voluntatem clericum facere.

EXPL. DI. VII. MAJORIANI.

CAP. DE LIBRO XXI.

D*E abrogatis capitibus injustis legi.*

INCIP. NOVELLI DI. VII. SEVERI.

I. D*E abrogatis capitibus injustis*. Impr. Leo. Data X. Kl. Mar. *Intpr.* In hac lege similiter dicit, sicut in anteriore legem scripsimus.

Mulier post mortem mariti sui nec de sua dote, quod ei suus maritus fecit, nec de alia facultatem, quod ei suus maritus dimisit, nulla licentia exinde habet alienare, nisi

(1) *Preciorum*; h. e. *prædiorum*.

nisi tantum usufructum exinde habeat; & postea si ad secundas nuptias venerit, aut si mortua fuerit, omnem facultatem mariti sui ad filios suos dimittat.

Expl. Di. VII. Severi.

CAPITULA DE LIBRO XXII.

Incipit Liber Gagii.

I. I*Ntpr.* Ingenuorum statum unum est. Nam libertorum vero trea genera sunt. Injenui vero sunt, qui de injenuos parentes nascuntur. Liberti sunt, sicut jam diximus, trea genera; hoc est, cive romanum, & latini, & divicicii. Cive romani ingenui per tres modis facere potest; idest per testamentum; alium vero in ecclesiam ante plebem; tertia vero ante Principem. Latino ingenuo vero per tres modis facere potest; idest, per minutas cartas; alia est, ante amicos; tertia est, si eum in convivio libertum dimittit. Didicius vero libertus per tres modis facere potest; id est, si quicumque servus in culpa ceciderit, & pro ipsa culpa multas pœnas reciperit, postea vero pro ipsas pœnas dominus ejus pro sua mercede ingenuum eum esse dimittere debet; alia est, si dominus suus ei de ferro calido qualecumque nota in suo membro fecerit, quem non posset delere; tercia est, si per qualecumque caussam dominus suus & tale signum in suo corpore miserit, qui semper parere possit. Nam civem romanum libertus meliorem quam illi aliqua, & testamentum facere potest, & omnia, quæ habet, per comiatum patroni sui, cui voluerit, condonare potest. Latinus vero libertus cum gratia domini sui potest ad hæc pervenire, ut cives romanus libertus fiat. Didicicius vero libertus ad hoc pervenire nullo modo potest.

II. *De numero servorum testamentum manummittendorum. Intpr.* Quantos servos homo per suo testamento liberos dimittere potest; idest, qui duos servos habet, ambos liberos dimittere potest; qui tres habet, duos dimittere potest; qui quattuor habet, duos dimittere potest; qui sex habet, tres dimittere potest; qui VIII. habet, IIII.; qui X. habet, V. dimittat; qui usque ad XVII. habet, V. dimittat; qui XVIII. (1) habet, VI.; qui plus habet, usque ad XXX., tertia parte dimittere potest; qui plus usque ad C. servos habet, quarta parte liberos dimittat; postea vero, quamvis plures servos habet homo, C. ex ipsi per testamentum libertare potest. Per minutas vero eartas totos suos servos & ancillas libertare non potest; nisi si fuerit ante Principe, vel ante amicos suos, omnes suos servos vel ancillas libertare potest. Quod si ipse homo in egritudinem fuerit, qui ingenuos dimittere volet, & prope fuerit ad morte, per tale injenio per minutas cartas totos suos servos & ancillas libertare non potest; nisi quam legitime superius per testamentum continet, illum numerum liberos dimittere potest.

III. *De jure personarum. Intpr.* Nullus ingenuus homo pro nulla culpa suum servum per se occidere non debeat; sed ipsum servum culpabilem ad Judicem tradat, qui ipsum justa culpa sua punire debeat. Nisi eum antea suus dominus pro ipsa culpa in trabalio miserit, & forsitan occasio evenerit, & ibidem ipse servus mortuus fuerit, per hoc dominum ejus non teneatur in culpa. Similiter filii personarum, qui legitimi sunt, vel de legitimo matrimonio procreati, ante quam mancipetur, in potestate parentorum suorum permanebunt.

IIII. *De incestis matrimoniis. Intpr.* Hæc lex exspecialiter precœpit, ut ad nullum hominem liceat cum suam propriam parente, nec in adulterio se miscere, nec in conjugio accipere, nec illa femina in matrimonio non liceat habere uxorem. Nam si quis hoc fecerit, pœnas superiores legis feriantur.

Similiter vero si injenua mulier in adulterio de servo conceperit, infans qui ex ea de hoc natus fuerit, servus esse debet. Nam si liberta, antequam libertatem percipiat, pregnans fuerit, & dum ipsum partum infra se habuerit & sic fuerit libera dimissa, ille infans qui tunc ex ea natus fuerit, liber permanebit.

V.

(1) *XVIII.* Male in codice, *XVIII.*

V. *De adobtionibus*. *Intpr.* Quicumque ingenuus homo alienum filium adoptivum collegere voluerit, ut eo pro filio habeat, hoc facere poteſt. Nam duobus modis eſt ita conditio: Illum dicitur adobtivum, qui patrem habet vivum, & ad alium patrem ſe conmandare voluerit: & illum dicitur adrogatum, qui patrem vivum non habet, & ad alium patrem ſe commendat; & adhuc ſi ipſe qui cum recepit, rogat eum, ut ſecum pro filio converſare debeat. Similiter vero & de filias ipſa conditio agendum eſt.

VI. *Quibus modis filii exeunt de poteſtate patris*. *Intpr.* Si pater eorum ab oſtibus in captivitatem ductus fuerit, aut in exilio miſſus fuerit, aut in peregrinationem ambulaverit, dum ad proprium ſuum non revenerit, filii adulti in poteſtatem ſuam remaneant. Et alio modo filii mancipantur; hoc eſt inmancipatio, ſi pater eorum eos per manum dat ad alium ſeniorem, & eos ei commendaverit, aut ſi ad ipſos filios uxores dederint, ut in ſua ipſorum poteſtatem eos dimittat vivere. Poſtea vero ſi duo fratres fuerint, & filios habuerint, ſi ipſorum pater mortuus fuerit, ipſi infantes in avii paterni poteſtatem remanebunt.

VII. *De tutores*. Tutores aut legitimi ſunt, aut teſtamentarii. Legitimi ſunt. *Intpr.* Si ingenuus homo mortuus fuerit, & filios parvulos, qui infra annis ſunt, dimiſerit, ſi heredes legitimos non dimiſerit, aut teſtamentarius libertus, qui res de ipſos parvulos gubernare debeant, tunc Judex ipſius loci tales homines juſtos inquirere debeant, qui eorum res ſine omne damnum de ipſos parvulos gubernare debeant.

VIII. *De curationem*. Peractis pupillaribus annis. *Intpr.* Parvuli, hoc eſt, qui in minore etate ſunt, poſt XXV. annos etate ſuæ de tutorum poteſtatem exeunt. Et co ſi (1) forſitan aliquid ipſi parvuli tale infirmitate habuerint, ut ſuas res gubernare non poſſint, diebus vitæ ſuæ ipſi parvuli in tutorum poteſtate debeant.

VIIII. *De teſtamentis*. *Intpr.* Hii ſunt, qui teſtamentum facere non poſſunt, ideſt infans qui infra annis eſt, & adobtivus filius, nec furioſus, hoc eſt furioſus, qui ſanam mentem non habet; ſi teſtes cum inter impetus a propria mente revenerit, teſtamentum facere poteſt.

X. *De exeretatione liberorum*. *Intpr.* Si quis teſtamentum fecerit, ſi filium maſculum habuerit, aut de preſente illum in ipſo teſtamento heredem ſcribat, aut de preſente illum exeredet; nam ſi ſic non fecerit, ipſe teſtamentus ſtare non poteſt. Et quod ſi filias habuerit, & illas in ſuo teſtamento heredes ſcribere noluerint, pro ipſas filias teſtamentus cadere non poteſt. Nam poſtomi vero duobus modis dicuntur; hoc eſt infans, qui poſt teſtamentum factum naſcitur; & qui poſt mortem patris natus eſt. Ille homo, qui teſtamentum facit, in ipſo teſtamento ſcribere debet, & dicat: *ſi mihi filius aut filia nati fuerint, heredes mei ſint*; aut dicat; *exheredes*. Nam ſi ſic non fecerit, illi infantes, qui poſtea naſcuntur, rumpunt teſtamentum.

XI. *De lege Falcidia*. *Intpr.* Nullus homo nec teſtamentum, nec alia carta, de ſua facultate facere poteſt, ubi Falcidia, hoc eſt quarta parte, non reſervaverit.

XII. *De fidei commiſſis*. *Intpr.* Si quis homo pro fidemjuſſorem acceperit, ſi ſe ad ipſum fidemjuſſorum vult, fide quod fecit, ſolvat. Et quod ſi illum fidemjuſſorem dimittere vult, ad ſuum debitorem ſe tenere debet, ut ſuum debitum ei reddat.

XIII. *De quibus modis obligatio tollatur*. *Intpr.* De furto. Furtuorum genera ſunt IIII., ideſt, manifeſta, & ne manifeſti, vel concepti, & oblati. Manifeſtus furtus eſt, ſi quicumque homo furtum fecerit, & ſuper ipſum furtum conprehenſus fuerit. Ne manifeſtus furtus eſt, ſi aliquis furtum fecerit, & eum ſuper ipſum furtum non conprehenditur, ſed tamen ipſum furtum factum habet. Concepti furtus eſt, qui rem quod homo involat, & apud alium hominem invenitur, & non apud illum, quī ipſum furtum fecit. Oblati actio furtus eſt, ut ſi aliqui homo alterius rem ſine commiatum domini ſui tetigerit. Oblati actio furtus eſt, ut ſi aliquis alterius caballum ſuper convenientiam ipſius longius minaverit, quam inter eos convenerit. Oblati actio furtus eſt, ſi quicumque furtum faciat. Oblati actio furtus eſt, ſi quicumque homo alicui conſilium dederit, ut quicumque furtum faciat. Oblati actio furtus eſt, ſi quicumque homo rem ſuam in manum ſuam tenit eam, alter homo ſi ipſam rem de manum ſuam excoſerit, ut ea perdere debeat. Iſtas tales cauſas omnis homo eas pro furtu tenere poteſt.

EXPLICIT LIBER GAGII FELICITER.

CAPITULA DE LIBRO XXIII.

(1) *Co ſi*: h. e. *quod ſi*.

INCIPIT PAULI SENTENTIARUM LIBER PRIMUS.

I. DE *omne pactu, que inter duos homines agitur.* Si primus pactus que inter se fecerunt, & possessum non fuerit, ille posterior valebit.

II. *Item alia.* De qualecumque causa, unde inter duos homines agitur, & ante Judicem venerint; & qualecumque carta ipse Judex per aliqua forcia, aut per aliquas premias, super eum, qui justitia habuerit, ei injuste fecerit, ipsa carta non obteneat firmitatem.

III. *De ipsa causa. Intpr.* Subtutor (1), homo, qui de sua causa justitiam habet, qualecumque cartulam exinde scribere voluerit, integra obteneat firmitatem.

IIII. *Item alia. De procuratoribus & cognitoribus.* Omnes infamatus, hoc est omnes, qui in falso crimine detentus fuerit, testimonium portare non potest; & Judex ipsum inquirere faciat, & sine nullum hominem accusantem de omne culpa discutiat.

Item alia intpr. Si eum aliquis accusaverit, & in falso crimine inventus fuerit, nec in sacramento, nec in nullo testimonio amittatur.

Item alia. Ad feminam de nullam rem procurationem non licet recipere, nisi in proprias suas ipsius res, & illum ipsum, si injenuam, aut bona persona, fuerit, in suas ipsius res, aut in filiorum suorum res, sic recipiat procurationem ad gubernandum illum.

Item alia. Nullus servus in causa domini sui, sine censum (2) ad propriam causam procurator esse non potest.

V. *Item alia intpr.* De omnem rem, unde unus ad alterum hominem debitor est, & si ipse debitor mortuus fuerit, aut forsitan de patria migraverit, omnem ipsius debitum sui heredes, qui ejus facultatem habuerit, solvantur.

Item alia. Procurator illas res gubernare aut defendere potest, vel & quas ei ante testes commissas fuerit; nam in alias res procurator esse non potest, vel quas ei ante testes non fuerint consignatas. Aut si per jussione Principis aut qualecumque actum agit, per nullam rem, nec per nullum sportulum causa alteri homini errare non debet, nisi directum judicium judicare. Nam si hoc fecerit, quid alterius causam per hoc errare debeat, non valebit.

Item alia. De tutoribus, hoc est, qui res orfanorum se promittit gubernare, si post finitam tutillam legitimum annorum completus, & ipse homo in ipsa gubernationem ipse tutor stare voluerit, ille homo, cujus res sunt, pro actorem suum ipsum tutore tenere potest.

VI. Qui res alienas recipit ad usuras, sicut inter ipsos convenerit, ad illum, cujus res sunt, solvat; si ille quesierit, cujus res sunt, quod inter eos convenit, juratus dicat ille qui ipsas res recepit.

Patrem mortuum (3) voluerit suscipere ad gubernandum, non ei necetur; & ipsi vero similem exinde rationem daturam est, sicut & alter homo, qui res orfanorum recepit ad gubernandum.

VII. *Item alia.* De filios familie, hoc est si filius sine uxorem fuerit, aut si ad Rege, vel ad alterum patronum commendatum non fuerit, nisi adhoc in solam potestatem patris permanserit, sic est ille filius, sicut & servus. Si talis filius, vel servus pecuniam aut qualecumque rem de altero homine reciperint nesciente patrem, aut domino suo, & ipsa rem perdiderint; & postea ille, qui ad illos ipsam rem commendavit, si ea requirere voluerit, & ipsi non habuerint ei unde reddere; dominus vel pater eorum amplius ei non reddat, nisi quantum de ipsorum peculiare invenire potuerit.

Item alia. Si pater duos filios habuerit, & unus de illos uxorem habuerit, aut ad Regem & ad alterum patronum commenda-

(1) *Subtutor.* Verbum non intelligo, sed superfluum videtur, cum eo deleto stet sensus legis.

(2) *Sine censum.* Quid hæc sibi velint, non assequor.

(1) *Patrem mortuum.* Desunt aliqua ad legis intelligentiam necessaria. Sensus esse deberet; *Mater si res filiorum patre mortuo voluerit suscipere ad gubernandum &c.*

datum fuerit, & pater eorum ad illum plus fecerit, quam legitimum eſt ad illum, qui ſine uxorem eſt, aut ad Regem, aut ad patronum commendatum non eſt; pater ejus de ſuum proprium ad illum ipſas res adimpleatur, & ille, cui plus fecit, integra obtineat firmitatem.

VIII. *Item alia. De calumniatoribus.* Ille non eſt calumniatus (1), qui inter duos homines contendentes de qualecumque rem juſtitiam dicit; ſed ille eſt calumniatus, qui rogitus, aut per primias, alterius cauſa deſertat.

Item alia. Si quis alterum hominem per fortiam aut in domo, aut in carcere, aut in catenis miſerit, aut per qualecumque injenio illum extorſerit, ut illi de res ſuas qualecumque cartola facere debeat, ipſa cartula nullam obtineat firmitatem.

VIIII. *Item alia. De minoribus etatibus.* Si quis infra legitimis annis ſunt, ſi aliqua graviora culpa commiſerit, ſicut lex continet, ſolvat, ſicut & ille, qui in majore etate eſt.

Item alia. Quicumque in minore etate ſunt (2), rem ſuam alicui commendaverit, & exinde damnum evenerit, totum requirere illum non poteſt, niſi ſi ipſe propriam ſuam voluntatem illi reddere voluerit. Similiter & ille, qui in minore etate eſt, & ad alterum tale, qui in minore etate eſt, ſua negotia commendaverit, ſimiliter, ut ſupra diximus, in integro ei requirere non poteſt, niſi ſi ipſe minor propria ſua voluntatem ei reddere voluerit.

Item alia. Si duo parvuli conſubrini, qui infra annis ſunt, & ſine parentes remanſerint, & unus de illos mortuus fuerit, ille qui vivit, amborum hereditatem vindicet.

Item alia. Si minor fuerit infans, qui infra annis eſt, & fidejuſſor alicui acceſſerit, qualem fidem fecerit, ſolvat.

Item alia. Si aliquis homo pro alterum, qui infra annis eſt, fidemjuſſor exierit, ille qui ipſam fidem fecit, ille ſolvat, & ille qui infra annis eſt, illi nihil conponat.

Item alia. Quicunque homo, qui per aliquo injenio pro parvulum, qui infra annis eſt, fidejuſſor exierit, ut illum parvulum per malum injenium aliquid ledere poſſit; ille qui fidejuſſor exivit, de ſuo proprio conponat, & ſicut ſuperius diximus, illum parvulum, pro quem fidemjuſſor exivit, nihil requirat.

Item alia. Si quicumque homo de illos, qui infra annis ſunt, terra conparaverit, & poſtea, ubi ipſe parvulus ad legitima ætatem pervenerit, ſi voluerit precium reddere illi, cui ſuam terram vendidit, precium reddat, & terra recipiat; & fructum de ipſa terra, illum tenuit de illum qui ibidem laborabat, ad illum nihil requiratur.

X. Quicumque homo injenuus mancipia, aut terra ſua inpignoraverit, aut infidutiaverit, & ille mortuus fuerit qui ea inpignoravit; poſt ſuam mortem liceat filium ſuum, quod pater ejus placuit, dare, & rem ſuam recipere.

Item alia. Quicumque homo ad alterum hominem rem ſuam preſtaverit, & ipſa rem antea requiſierit, quæ (3) inter eos convenit, aut forte meliore, aut pluſquam ei dederat, ipſa rem ille qui querit perdat.

XI. *De ſatisdandis. Intpr.* Quicumque homo injenuus de facultatem ſuam alicui carta fecerit, & mortuus fuerit; ille qui ipſa carta recepit, ad heredes mortui legitimam porcionem docere debet; & pro hoc ambe partes fidejuſſores dent, ut ante Judicem ſe preſentare debent; & ille qui illam cartam habet, ante ipſum Judicem ad illos heredes legitimam portionem conſignet, quæ eis pater eorum pro ipſa carta dimiſiſſet. Si ille, qui carta habet, hoc conſignare poteſt, ſua carta integra obteneat firmitatem.

XII. *Item alia. De falſariis.* Quicumque homo, qui ſciente falſa carta in judicio protulerit, juſta lege puniatur; & qui neſciendo in judicio falſa carta protulerit, ſcuſandum ſe dicat, ut ipſa carta falſa non ſaupiſſet. Si hoc ſcuſare poteſt, minime condamnetur.

XIII. *Item alia. De libertis vel de ſervis. Intpr.* Nec libertus de patronum ſuum, nec ſervus dominum ſuum ſe excutere non poteſt, niſi ſi illius incredulus, & paganus probare potuerit.

Item alia. Nulla femina pregnante pro nulla cauſa nec torquere, nec in nullum vinculum mittere licentiam non damus, ante quam ad partum veniat.

Item alia. Ille homo, qui de qualecumque crimine convictus fuerit, & ſi Judex ei aliquas pœnas fecerit, aut in trabalium miſerit, nec ſi de qualecumque hominem illa hora male loquatur, credendum ei non eſt.

XIIII. *Item alia.* Filius antequam mancipetur, juſſionem patris in omnibus adimpleatur; de quo matres vero juſſione in omnibus non adimpleatur, niſi ea, quæ poſſibile eſt, faciat.

Item alia. Si quis qualecumque cartam alterius per malo animo, quid ei ad damnum eſſe debeat, aut raſerit, aut incendaverit, aut per qualecumque modo fraudaverit, ſecundum legem puniatur.

XV. *De venditionibus. Intpr.* Quicumque ad alterum hominem legitimam venditionem fe-

(1) *Calumniatus*: h. e. *calumniator*; & ſic infra in hac lege.

(2) *Quicumque in minore etate ſunt &c.* Legis ſenſus eſt de iis, qui minoribus res ſuas commendant; ſed ſcriptor miſellus adeo male ſeſe exprimit, ut contrarium efferre videatur.

(3) *Quæ*. Lege, *quam*.

fecerit, & precium acceperit; & ipsa rem tradere noluerit, Judex eum invitum ipsam rem tradere faciat.

XVI. *Item alia intpr.* Quicumque homo alienum servum fugire docuerit, aut furtum facere, aut aliena ancilla per fortiam virginem conruerit (1), secundum legem Aquiliense judicentur.

XVII. *Item alia intpr.* Quicumque homo, qui alterius terra malo ordine, aut per fortiam tulerit, in quantum tempus eam tenuerit, omnia ab integro reddatur.

XVIII. Si duo heredes facultatem, aut terram insimul habuerint, qui equale dividere debeant, & unus de illos majore portionem habuerit, & si ille, qui minus habuerit, illum qui plus habet non requisierit; ille, qui amplius habet, nullum damnum exinde paciatur, nisi quando eum quesierit, de presente per rationem dividant; & si ille, qui minus habet, illum qui plus habet, semper quæsivit, & ille qui plus tenet, denegaverit, si ante Judicem convinctus fuerit, per tempus ei reddatur.

XVIIII. *Item alia.* Si quicumque peculium ad alterum hominem damnum fecerit, si ipse homo, cujus peculius est, damnum qui fecit conponere noluerit, ipsum peculium, qui ipsum damnum fecit, perdat. Similiter si pecus alium pecus occiserit, aut si canes qualecumque alterius peculium occiserit, dominus ejus, cujus ipse peculius est, aut canis, qui illum alterum occisit; aut alterum tale peculium reddat, qualis ille fuit, quem intrigavit, aut ipsum peculium, qui illum damnum fecit, reddat.

Item alia. Qualecumque fera, quod homo habuerit, & eam in illo loco ligaverit, ubi alicui de qualecumque rem damnum fecerit; ille qui ibidem ligare jussit, ipsum damnum quem ipsa fera fecit, conponat. Et si ipse homo, qui ipsa fera custodire debet, & sine jussionem domini sui ibidem eam ligaverat, ubi alicui damnum faciat, de suo proprio ille qui ibidem ea ligavit, damnum quod ipsa fera fecit, conponat.

Item alia. Si quicumque homo aut fera, aut quadrupedem, si ea per sua presumptionem inritaverit, ut ei aliquid nocere debeat; si hoc fecerit, nulla compositionem exinde non requiratur.

XX. De aqueducto & via publica privata (hoc est via privata, qui non est strata poblica), ille qui per duos annos aqueductum, aut viam privata dimiserit, postea eos requirere non potest. Et qui eos per duos annos quieto ordine possiderit, alter homo ille postea eos requirere non potest.

XXI. Si duo heredes ad dividendum res suas venerint, & exinde aliqua intentionem inter se habuerint; Judex inter eos alterum hominem justum arbitratore mittat, qui inter illos deliberet. Et si aliquid inter illos non divisum remanserit, ipsi heredes inter se illum, quod non divisum remansit, sine arbitratorem dividant.

XXII. *Item alia.* Quicumque homo alteri debitor fuerit, & ipsum debitum negare voluerit, & postea exinde convictus fuerit, ipsum debitum in duplo solvatur. Similiter & ille quicumque homo, qui rem suam vendiderit, & exinde cartam fecerit, si minus dederit quam in ipsa carta scriptum fuerit, in quantum exinde minus invenitur, in duplum persolvat.

XXIII. *De fidejussores.* Si de una causa plures fidejussores fuerint dati, & si aliquid de ipsos fidejussores mortuus fuerit, proinde causa non perdit, sed per eos, qui de illos fidejussores vivit, quod promisit solvat.

XXIV. *Item alia.* Quicumque homo alienum mortuum sepelierit, & si qualecumque causa de suum proprium ibidem expendiderit ille qui illum seppellivit; parentes mortui, quantum ille ausire juratus dicere, quid ibidem de suo proprio expendedisset, de illius mortui facultatem ei reddantur.

Explicit Liber Primus Sententiarum Pauli.

INCIPIUNT CAPITULA DE LIBRO XXIV.

XVIIII.

(1) *Conruerit.* Lege, *corruperit.*

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

I. INtpr. De qualecumque causa, aut de qualecumque rem, unde inter duos homines intentio fuerit, & in judicio ante Judicem venerint, ambe partes in placito juratores presentare debent; & qui meliores, aut plus justos personas habuerit, ipse juret.

Item alia. Si aliquis homo pro alterum, qui debitum alicui habet, & si promiserit illius debitum reddere, illum qui promisit reddat, & illum alterum, pro quam promisit, non condamnetur.

II. *Item alia. De stipulatione*. Stipulatio est inter duos homines, de qualecumque rem intencio est, possunt inter se ipsa causa sine scripta, & sine fidejussores per stipula finere. Stipula hoc est, ut unus de ipsos levet festucum de terra, & ipsum festucum in terra rejactet, & dicat: *per ista stipula omne ista causa dimitto*: & sic ille alter prendat ipsum illum festucum, & eum salvum faciat; & iterum ille alius similiter faciat. Si hoc fecerint, & aliqui de illos aut de heredes eorum, ipsa causa removere voluerit, ipsum festucum in judicio coram testes presentetur, ambo duo qui contendunt, & si hoc fecerint, ipsa causa removere non possunt.

III. *Item alia*. Si cuicumque servus alterius rem quale libet susciperet, & ipsa rem in pugna dux . . ., aut ubi mortis periculum incurrat, & ipsa perdiderit; reddat ei, cujus res fuit, alteram talem, quales illa fuit, quem perdidit.

Item alia. Quicumque homo ad alterum hominem qualecumque rem suam dederit ad vendendum, & si ipse homo, qui ipsam rem se vindere promisit, si ipsam rem perdiderit; ipsum precium, que inter eos convenit, ad quantum ipsa rem vendere debuerat, reddat; aut altera tale rem, qualis illa fuit quod vendere debuerat, reddat.

IIII. *Item alia intpr.* Si quicumque homo pro qualemcumque debitum pignus suum dederit, & in die placito, quod inter eos convenerat, pignus suum non dispignoraverit; sic postea ille, qui illos pignus habet, per tres vices ad suum debitorem dicat, ut pignus suum recipiat, & suas res reddat . . . . accessiones suum pignus . . . . pignoraverit, ille post . . . . ipsos pignos habet libera . . . de habeat potestatem facere, quod voluerit.

V. *Item alia*. Qui ancilla, aut jumentum, aut vacca, aut qualecumque peculium pregnante inpignoraverit, ille qui illos pignos recepit, illum caput habeat, sicut superius diximus, si ipse debitor suum pignus non dispignoraverit; nam illum nutrimentum ad dominum suum revertatur, qui ipsum pignus posuit.

VI. *Item alia*. Quicumque homo ad alterum debet solidos X., & ille, cui illos solidos X. debet, forsitan illi debet solidos V., & si ille illos X. quesierit, & illos V. non rememoraverit, quod ille illi debeat, totos X. illos solidos perdat pro hoc, quod illos quinque non rememoraverat, quod ille illi quinque debeat. Similiter & de omne specie sic debet homo facere.

VII. *Intpr.* Si naves in flumen, aut in lacum, aut in mare pereclita . . ., quicumque homo qui de ipsa rem, quod ibidem cum ipsa nave perierat, aliqua exinde ipsa rem, aut si ipsa naves liberare potuerit, juxta legem ille qui exinde de ipsa rem liberaverit, mercedes accipiet.

VIII. *Intpr.* Si inmancipatus filius, hoc est inmancipatum, qui adhuc sine uxorem est, aut qui nec ad Regem, nec ad nullum patronum commendatum non est, nisi adhuc in sola voluntatem patris permanet; talis filius sic habet potestatem, sicut & servus. Si talis filius, aut servus, cuicumque homini rem susciperit, & ipsa rem de suo patre, aut de suo domino, expendiderit, ipsa rem pater, aut dominus suus reddat.

Item alia. Si quicumque homo ad alterius filium, qui inmancipatus est, qualecumque rem suam commendaverit nesciente pater ejus, & si ipse filius mortuus fuerit, aut de ipsa patria migraverit, ad patrem suum illi qui comm.... it, nulla ex .... ffunt.

VIIII. *Intpr.* Mulier pro nulla causa fidejussor exire non potest, nisi in tantum si tutilla filiorum suorum mortuo patre receperit ad gubernandum, de illas res fidejussorem & dare & recipere potest.

X. *Item alia*. Quicumque homo alteri debet solidos X., & ille debitor ponit ei alterum pignus, qui valet ei solidos XV., & ipse debitor ipsos X. solidos minime reddere; ille homo qui ipsos pignos habet, quantum plus preserit precium de ipsos pignos, quod illi X. solidi valeant, ad suum debitorem hoc reddat.

Item alia. Quicumque homo, qui aliqua rem suam inpignoraverit alicui pro qualecumque debitum, ipsam rem ille qui inpignoravit, ad alterum hominem ipsa rem vendere non potest, antequam ea retollat de illo hominem, qui ea habuit inpignorata.

Item alia. Null . . . . quod in pignus rec . . . . parare non potest, ni . . . debitum recipiat, & ipsum pignus reddat.

Item alia. Quicumque homo ad suum debitorem pignus reciperit, & ille, qui ipsum pignus recipit, eum meliorare potuerit, in quantum illum meliorem facit, ille debitor illi conponat, quantum suus pignus melior fuerit.

Item alia. Quicumque homo unam rem ad duos homines inpignoraverit, & illum non redderit quod ad illos debet, illi qui ipsos pignos habent, unus ad alterum ipsos pignos vendere.

Item alia. Qui aliqua pecuniam suam alicui dederit ad usuras, in quantum ipse caput est, reddat, & centesima portionem, in quantum ipsa pecunia est, usuras requirat; nam si plus tollerit, ad debitorem reddatur.

Item alia. Quicumque homo qui alterius pec. . . . aut quale . . . t ad usuras si . . . a grandis tribula . . . t peregrinatio aut op. . . ssus fuerit de judice, vel . . . malos homines, ipsas usuras reddere non judicetur.

XI. *Item alia*. Si aliquis homo rogaverit alterum hominem, ut de seu (1) ipsius precium qualecumque causa ei conparare debeat, & ille qui rogitus est, ei comparaverit, & ille postea, qui rogavit conparare, ipsa rem recipere noluerit; non solum tantum precium pro hoc conponat, sed usuras pro eum ille det, qui pro suum precium ille conparavit.

XII. *Item alia*. Si duo homines rem suam in commune habuerint, si eum aliquid exinde perdiderint, ambo insimul perdant; excepto si unus de ipsis aut per negligentiam suam perdiderit, aut furaverit; qui de illos hoc fecerit, inter se solvere debeant.

XIII. *Item alia*. Quicumque homo alteri . . . . . volunta . . . . ipsa rem, quam vendidit, in duplo conponat.

Item alia. Si duo homines terra . . . . habuerint, & unus de illos alteri de sua portionem mentierit, ille, qui mentitus est, ad ilum, cui mentivit, in duplo reddat.

Item alia. Quicumque homo alicui mancipium suum vendiderit peculium habente, liceat ipsum servum aut de peculium suum, aut de arteficio suo, de illum qui eum conparavit, redimere se potest; & si dum in ipso servitio est, filium generaverit, ipsum filium emptor vindicavit.

Item alia. Mutus homo & emere & vindere potest; nam furiosus hoc est furiosus, qui multum senex est, qui ille qui in nimiam etatem est, jam nec emere nec vendere non potest.

XIIII. *Intpr*. Quicumque homo . . . servum suum . . . hominem . . . qui eum .... testimoniaverit esse, si postea . . . . servus eum fugerit, qui eum . . . ravit, ille qui ipsum ser. . . . didit, & precium empto.... eddat, & si aliquid ipse . . . . vus de ipsius rem secum portaverit, ille qui eum vendidit, omnia emptori reddere cogatur.

Item alia. Terra quæ homo comparat, aut qualecumque rem, ipsius esse debet, ad cujus nomen carta scripta fuerit; nam non ipsius, qui pro alterum precium dedit; & si ille qui precium dat, ipsum precium ei requirere voluerit, ad cujus nomen carta tulit, suum precium recipiat.

XV. *Item alia*. Qui pro qualecumque causa fidejussore reciperit, si se ad ipsum fidejussorem tenere noluerit, illum si teneat ille qui ei debitor est; & postea nec illum fidejusso . . . ., nec ipsius heredes exin . . . . nullatenus po . . . . .

XIV. *Item alia* . . . . . . state . . . . rentum voluntate . . . . nium se jungere non p. . . .

Item alia. Quicumque vir & mulier, qui in conjugium juncti sunt, si ali. . de illis mentem suam perdiderit, aut furibundus fuerit, aut alias tales his similia causa; per hoc se dimittere non possunt, nisi tantum per illas causas se dimittere possunt, quæ in superiori lege scriptæ sunt.

Item alia. Si libertus suam patronam, aut patroni filiam in conjugium prehendere presumpserit, in carcere mittatur, aut in metallo deputetur.

XVII. *Item alia*. Quicumque homo, qui puella ad uxorem prehendere debet, & ad ipsum sponsum aliqua occasio talis advenerit, ut ipsa die ad ipsas nuptias esse non possint; sui parentes, vel sui amici . . . uella ad domum . . . . .

Cetera desunt.

---

(1) *Seu*. Lege, *sui*.

EXPLICIT VOLUMEN QUARTUM.

INDEX

INDEX RERUM.

A

B

C

Co-

D

E

F

G

Gun-

I

Ju-

L

M

pta

P

Pre-

Q

R

Re-

S

Sa-

T

V

	ERRATA		CORRIGE.
Pag. 13. *Nota* 2.	DXII	*Lege*	DXVII.
Pag. 16. *nota* 2.	Obtgieſter		Potgieſer
Pag. 23. *nota* 1.	diverſariorum		diverſoriorum
Pag. 60. *lin.* 33.	aſcientia		ſacientia
Pag. 89. *nota* 2.	*coetanos*		*coetaneos*
Pag. 117. *nota* 2.	hac voce		hac voce, cum antiquis Gloſſographis.
Pag. 118. *nota* 1.	Magiſtratum		Magiſtratuum
Pag. 134. *nota* 2.	*formandum*		*formatum*
Pag. 139. *nota* 1.	ſervos, claudos		ſervos claudos
Pag. 141. *nota* 2.	*culoum*		*culeum*
Pag. 163. *nota* 1.	aſſeus		oſſeus
Pag. 169. *nota* 2.	*levantur*		*levantar*